

EMPORII
EMPORIORUM

GARZONI

1624







2694/B

39.472

41 de Emblematum Inventoribus.
42 de Lanis.
43 de Geometria.
44 de Logicis.
45 de Rhetoribus.
46 de Auctoribus.

Libri primi
Primus Discursus generalis:
de
Artibus, Scientijs, opificijs.
Dominijs, Tyrannijs.
Secundus de
Administratione Imperiorum.
3us de Ecclesiasticis in genere.
de ijsdem in specie, Prelatis, sc: Canonicis, &c.
4us de Grammaticis, Ludimag: &c.
5us de utriusq Juris Doctoribus.
6us de Calendariorum Scriptoribus.
7mus. de Chyrurgijs.
8us de Prognosticantibus.
9us. de Notarijs.
10us. de mathematicis in genere.
11 de Procuratoribus, Advocatis &c.
12 de chymicis.
13 de Academijs.
14 de Arithmeticis.
15 de medicis.
16 de Canonistis, et Summistis.
17 de Nobilibus.
18 de Bullis et Bullatis.
19 de Lullii arte.
20 de Secretorum Scriptoribus.
21 de Herbolarijs.
22 de Theologis.
23 de Philosophis.
24 de oratoribus.
25 de Scribis, Papyrarijs &c.
26 de Cabalistis.

Libri 2di. Discursus
de Correctoribus.
2 de Incantatoribus et Exorcistis.
3 de Opticis.
4 de Anatomicis.
5 de Cosmographis. &c.
6 de Astronomis. &c.
7 de Vaticinijs.
8 de Magis, Veneficis &c.
9 de Aulicis.
10 de mercatoribus. &c.
11 de Factoribus, et Curatoribus.
12 de Proxenetis.
13 de Scortis.
14 de Ruffianis, Lenonibus.
15 de Caduceatoribus.
16 de Re militari.
17 de Legatis.
18 de Mascaris.
19 de Duellis &c.
20 de Vectoribus.
21 de Ludimoderatoribus.
22 de Comicis et Tragedis
23 de gesticulatoribus &c.
24 de Architectis &c.
25 de Comessatoribus.
26 de Joculatoribus.
27 de Gladiatoribus.
28 de Natatoribus
29 de Funibus &c.
30 de otiosis &c.
31 de Proscriptis.
32 de Histrionibus
33 de Bibliopolis.
34 de Typographis.
35 de Publicanis.
36 de ~~[illegible]~~. Propolis.
37 de Monetarijs.
38 de Judicibus.
39 de Antiquarijs.
40 de Poetis. vide retro

THOMAE GARZONI INTER
Italos Politicos Viri CL.

EMPORII EMPORIORVM, SIVE THEATRI VITÆ HVMANÆ:

De statibus hominum, eorumdem ingeniis, scientiis & artibus tam liberalibus quam illiberalibus & mechanicis deque omnium rerum vsu, abusu, erroribus correctionibus atque eorum principiis mediis & finibus singulorumque inuentoribus.

OPERA OMNIA

VNIVERSALEM DOCTRINAM POLITICAM *aliosque Discursus Historico Philologicos complectentia.*

IN TRES LIBROS DISTRIBVTA

Interprete

NICOLAO BELLO Historiographo.

Cum Priuilegio Sacræ Cæsariæ Maiestatis.

FRANCOFVRTI,
Impensis Ioannis Theobaldi Schonvvetteri,
AN. M. DC. XXIV.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



Epistola Dedicatoria.

REVERENDISSIMO,

JNLVSTRISSIMOQVE PRINCIPI, AC DOMINO, DOMINO PHILIPPO-CHRIstophero, Archiepiſcopo Treuirenſi, S.R. Imperij Septemviro, atque per vniuerſam Galliam, &c. Archicançellario, Domino meo Clementiſſimo.

MICHAEL-GASP. LVNDORPIVS Hiſtoriographus.

S. D. P.

QVEMADMODVM agricolæ eſt, gnauiter ea vt faciat, quæ proprie ad agriculturam requiruntur, at euentum ſibi polliceri nequit, cum in DEI manu ſitum ſiet, impertiri benedictionem ſuam ſementi, vt plurimum efficiat: & maledictionem promere, vt pereat, agricolarumq; vota deplorata iaceant: ita & nos quidem, Reuerendiſſime, Jnluſtriſſimeque

meq; Domine Princeps Elector, Domine Clementissime, prudenter capere consilia possumus: sed vt consilia finem eum adsequantur, quem deliberantes respicimus, id equidem maiorum virium, & SOLI DEO acceptum ferendum est. Fratres Iosephi, vti ex SS. Bibliorum Codice didicimus, eumdem occidendi consilia malesana malesani tractauerant, illumque, Plagiariorum instar, Jsmaelitis vendiderant, nunquam existumantes, vt vmquam ad ipsos reuersurus esset, verum, eadem SS. Scriptura teste, longe res aliter cecidit. Iudæi perfidi quoque occidendi Christi perfida consilia agitauerant: nihil quicquam tamen efficere potuere, nisi quæ diuina prouidentia iam olim, vt ita fierent, ordinauerat. Quanto magis enim verberones illi verberabilissimi (vt cum Plauto meo loquar) Christum opprimere, eiusque doctrinam obscurare, immo prorsus tollere conabantur, tanto magis magisque Christus, eiusdemue doctrina efflorescebant. Qua quidem re significatur: CONSILIORVM EVENTVM NON IN NOBIS ESSE SITVM, SED, vice versa, A SOLO DEO PROFICISCI. Athenienses, vt, ex Theologi-

ca, ad Historicam Scholam paulisper digrediamur, cum, Suasore & exhortatore Demosthene, Philippum, Macedoniæ Regem, armis peterent, illud, solerti quidem consilio ante prouiderant, verum commisso prœlio victi sunt, primusque omnium fugiebat belli impulsor Demosthenes. Consilijs tamen, quæ optuma honestisimaque erant, clades ista non imputanda, sed multo potius in Deum referenda est, qui sane nobis deliberandi concedit facultatem, sibiipsi vero, Jure suo quodammodo, consiliorum euentum reseruat.

Jlludipsum Prisci mortales considerantes illi, qua Cicero vtitur, sententiæ locum dedere, dum sic inquit: Vita fortuna, non sapientia, regitur. Verum priorem istam nostram sententiam illa ipsa SS. Scriptura denuo confirmat, &, consilia quidem à nobis iniri, ast à *Deo ter optumo maxumo* eorumdem successum largiri, asseuerat. Cum itaque miseri nos mortales in humana vita cottidie ferme tot tantisq; casibus inuoluamur, & semper aliquid accidat, quod salutare consilium, expetat, iccirco etiam *Prudentia*, ex qua bona consilia, tamqnam ex

fonte aliquo limpidiſsimo, promanant, *à ſolo Deo* petenda & roganda eſt. Bene igitur de illa Cicero: *Non viribus*, inquit, *aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur, ſed conſilio, auctoritate, & ſcientia*, & porro idem ille: *Maxumæ Reſpublicæ* PER ADOLESCENTVLOS *labefactatæ, à ſenibus ſuſtentatæ, atque reſtitutæ ſunt: Cum enim ad gubernacula Reipublicæ temerarij atque audaces homines accedunt, maxuma tum atque miſerrima fiunt naufragia. Melius itaque*, eodem illo Cicerone teſte, *curantur ea, quæ conſilio* (puta bono, ac ſalutari) *geruntur, quam quæ ſine conſilio adminiſtrantur.*

Perpendãt heic omnia pia corda Tragœdiam Germano Bohemicã, & Ciceronem fatalem Germaniæ ſtatũ præſentem quaſi prædixiſſe vno ore vnamecũ, fatebuntur.

Rem ſeſe ita, nec ſecus, habere, Reuerendiſſime, Jnluſtriſsimeque Domine Elector, Domine Clementiſsime, ipſa triſtis noſtra Germania (in genere heic *ſolam Germaniam* nomino, confines enim illi regiones earumdemue incolæ vt nunc olim paſsi ſunt, ita & nunc denuo, proh dolor, malo non ceſſante, & donec, rebus hiſce deſperatis, melior nobis haud adſpiret Zephyrus, pati neceſſum habent) teſtis eſt ſufficiens, adeo vt EXPERTVS ROBERTVS, & tot multa innocentiſsime vario mortis genere trucidatorum hominum millia nullo heic am-

In demolitione propugnaculi Ydenhemici.

ampliori teſtimonio indigeant, oculatus quoque teſtis, Plauto meo teſtante, plus valeat, quam auriti decem. Manet itaque, & in æternum conſtanter permanebit, quod SAPIENTIA & PRVDENTIA, in Prouerbijs Salomonis capite 12. clamitant: *Meum*, inquiunt, *eſt conſilium & æquitas, mea eſt prudentia, & fortitudo.* Per me Reges (IMPERATOR NOSTER INVICTISSIMVS FERDINANDVS II.) regnant, & Legum conditores (*fideliſsimi Domini Electores, alijque S. R. Imperij, in igne probati*, hoc eſt, *conſtantes in deuotione Cæſarea deprahenſi, Principes & Ordines*) *iuſta decernunt. Per me Principes imperant, & Potentes decernunt iuſtitiã.* Ne autem mihi ſoli ſapere, & fortaſsis (quod abſit, *Homo enim ſum, & humani à me nihil alienum puto*: Bene monentibus tamen lubentiſsime indulgeo, idque fieri velim ab omnibus) alterius calamitati inſultare videar, ſed Germano, vti equidem mihi totus perſuadeo, heic ſatis dictũ fiet, iccirco certo conſilio multa alia lubens ſicco pede nunc prętereo, & pro more meo, ad inſtitutum redeo.

Edidit, Reuerendiſsime, Jlluſtriſsimeque Domine Elector, Domine Clementiſsime, & feli-

feliciter quidem aliquot ante annos edidit dominus THOMAS GARZONIVS Italus, Regularis Lateranenſis Canonicus, inſignem (quem, ſuo in Idiomate, PIAZZA VNIVERSALE inſcripſit) Tractatum, qui, vix Germaniam ingreſſus, doctiſsimorum clariſsimorumque Virorum calculo, ob multifariam doctrinam & ſcientiam, Vernaculam tralationem eſt promeritus. Videntes, ac dolentes illud & aliæ, Italicæ & Vernaculæ linguarum ignaræ Nationes, Romanā illius Operis interpretationem auidiſsime expetierunt. Quocirca rogatus (quamuis viderim, quam impar humeris meis imponeretur ATHLAS) laborem illum in me ſuſcepi eo lubentius, quod norim, me non mihi ſoli, ſed Patriæ, amicis, & Poſteris natum eſſe.

Cum autem, *Deo ter optumo maxumo* feliciter annuente, Priores illius Operis Philologico-Hiſtorici partes, duas, ſub clementiſsimo Haſſiæ fidiſsimorum certiſsimorumq; S.R. Jmperij Principum patrocinio (quorum inſignem, qua me immerentem clementiſsime proſequuti ſunt, liberalitatem animo gratiſsimo lubens, ambabus, vti dictitant, manibus, ad cœ-

lum

lum vſque extollo) diuolgauerim, & nunc (absit dicto iniuria, nihil enim, vt ſæpius ille à nobis dictus Cicero quodam in loco ait, vera gloria dulcius) per ora virum Scripta mea multifaria volitent: eapropter, quod iterum *in nomine SS. Triados*, felix fauſtumq; ſiet, Reuerendiſſimæ & Inluſtriſſimę Electorali veſtrę Cel. hancce lucubrationum mearum Philologico-Hiſtoricarum Partem III, ideo ſacram eſſe volo iubeoque, quod non ſiem neſcius, Electoral. V.C. non dumtaxat Philomuſorum, Martiali hocce tempore, vere exulantium, ſudantium, & algentium, ſummam curam Patrociniumq; hactenus clementiſſime liberaliſſime ſuſcepiſſe, verum etiam, ob eaſdem, aliaſq; excelſas Heroicaſq; animi dotes, v x x x. anni ſuperioris, die Septembri, concordi voto ad laudatiſſimũ Septemvirale Collegium electam adſcitamq; fuiſſe. In quo ſane quemadmodum non ſolũmodo Electorali veſtræ Cel. ſed etiam haud immerito vniuerſo laudatiſſimo Collegio, de tam præſtantiſſimo Collega, adeoque toti terrarum Orbi, ad quem, ex optatiſſima iſta Electorali electione, multa bona redundabunt, ex

intimis cordis mei penetralibus Jure gratulor, ita quoque *Deum ter optumum maxumum*, qui fasces adimit, confertque vicissim, oro, rogo, & obtestor, vt (veluti in nostro Mercurio Austri-Bohemo-Germanico idem à nobis factũ est) Electoralem vestram Cel. ad totius S. R. Imperij pacem ac tranquillitatem publicam procurandam, Annosque Nestoreos, florentem incolumemq; conseruare ne dedignetur. Hoc, prolixæ gratulationis loco, nunc summa caputque voti mei esto, quo simul Electoralem vest. Cel. *Dei ter optumi maxumi* clementissimæ protectioni summisime commendo. Raptim ex Musæjolo nostro, quod est Francofurti ad Mœnum, 1. die Martij A. C Jo, paX DeI sJt VobJSCVM.

MICHA-

MJCHAEL CASPARVS LVNDORPIVS EX QVIBVS LITERIS per Anagramma:

HIC MAS DONIS PVRE LAVS PVLCHRÆ.

Explicatio.



Vã lepide Latio ſcribis ſermone Theatrum
Lundorpij, *Hiſtorijs grande* Decuſque *paras:*
Diſcurſus varij oblectabunt pectora lecti,
Lector Teutonico præferet Acta Stylo.
Ergo Hic mas donis pure laus pulchra *Latini*
Incipiunt laudes, laude beantque tuas.
Inſta ſcribendo, durabit adorea laudum
Nomine perpetuo & Poſteritatis *erit.*

M. IOANNES LANIVS, Hersfeldenſis P.L. Eccleſiaſtes in Soltzbach & Soden.

PRÆFATIO AD LECTOREM:

PER chare Lector inuenies in Libro tertio Lit. E. huius Operis quasdam inuectiones in sanctissimam Eccl. Cathol. Doctorem, Diuum GREGORIVM Magnum, & contra laudes aliquorum Sectariorum, quæ omnia præter meum scitum à translatore huius Operis propria voluntate inserta, propterea necessarium putaui Lectorem super hæc monere, vt ea tanquam erronea falsa corrigat, Diuoque Gregorio Magno, & Ecclesiæ Romanæ debitum honorem exhibeat.

EMPO-



EMPORIVM EMPORIORVM.

SIVE

DE OMNIBVS SCIENTIIS, ARTIBVS, ET OPIFICIIS IN GENERE,

DISCVRSVS GENERALIS.

Homo laudis decorisque cupidus.



NTER cætera ornamenta omnia, quibus homo (qui alias etiam mirabili singulariq; impulsu naturæ laudabili quopiam honore capitur, atque porro quoque à Deo Ter Optumo Maxumo, creatore suo, eximijs quibusdã donis proprietatibusque ornatus dotatusque est, vnde etiam non immerito Microcosmos, siue paruus mundus nuncupatur) præditus, illud, extra omne dubium, ferme est præcipuum, quod tamquam in possessione omnium artium scientiarumque residentiam suam habeat, quæ, vti sane ab Idiotis artiumque liberalium ignaris maxumopere negliguntur & spernuntur, ita, viceuersa à rerum peritis, sapientibus, prudentibusque viris summopere extolluntur, atque pro singulari indicio heroici alicuius intellectus, æstumantur. Ad probandum autem illud singularis quidam labor haud requiritur eo ipso siquidem etiam cœci quasi petulantes & refractarii ad veritatis tramitem adducuntur. Sin enim sola scientiæ vtilitas, honor, atque decor considerentur fateri sane omnes tenebuntur, quam grauiter videlicet illi pec-

cent, qui eandem contemnere adlaborant: & quantis econtra præconiis, scientiis, extollendique sese in eadem summopere exercere nituntur.

Valentinianus bonarum literarum literatorumque persequutor.

Quam turpiter enim Romanorum Imperator Valentinianus stultitiam suam coram vniuerso mundo testatam fecerit, præsertim in eo quod literas, earundemque cultores, in exilium relegarit atque adeo, modo commemorata ista sua crudelitate, ipsum etiam Heliogabalum & Commodum, bestias alias nocentissimas truculentissimasque, superarit, hoc ipsa meridiana luce clarius, & notius, quam vt maiori demonstratione indigeat. Similiter & Thamus, Ægyptiorum Rex, in hodiernum adhuc diem male audit, quod literatos, mera scandalosaque ex libidine, Reipublicæ virus atq; pestem nuncuparit, omnesque artes & scientias, tamquam nullas, contempserit. Et sane ipse etiam Licinius eo ipso summam suam inscitiam barbariemque manifeste prodidit, quod easdem bonas literas pestem publicam appellarit, easdemque apud quosuis odiosas reddere conatus fuerit. Hisce æquiparari vel etiam præferri possent illi, qui, iuxta Platonis sententiam, contendunt, quod videlicet omnes scientię à Dæmone, Theutone, originem suam sortiantur, qui, teste Eusebio Præpar. Euang. libr. 1. cap. 6. ab Ægyptijs Thoth, à Græcis Mercurius appellatur: nec tamen intelligũt, vel potius ignorant, misellí isti homines, quod modo dictus iste Plato per Dæmona non Spiritum aliquem, multo minus Diabolum, sed multo potius sapientem prudentemque aliquem hominem, proprie sic dictum, intellexerit. Ideo autem hoc verbo Dæmonis vtuntur, qua in parte etiam Magis vocabulum vsurpari assolet, quod quum prima fronte impetitis rarum ac impium, & odiosum est, cum tamen apud Persianos illud semper honorificum, atque eo ipso sapientes atque prudentes viri insigniti fuerint. Sin etiam præterea rerum istarum imperiti censores atque Aristarchi librorum lectionem sibi mediocriter dumtaxat familiarem reddidissent, tum procul omni dubio degustassent, liberales artes, Beroaldo teste, aut à Mercurio, vel Phœnicibus inuentas, à quibus easdem Cadmus didicit, & in Græciam transportauit, quas Dardani postmodum in Italiam detulerunt. Sin minus & illud iisdem placeat, tum & alios Politicos, tum Ecclesiasticos Scriptores consulant, vbi sane, ante diluuium easdem extitisse,

& postea per Assyrios & Hebręos. ante earumdem naufragium, rursum instauratas fuisse, reperient. Ne autem heic, atque cum istiusmodi hominibus, longiorem forsitan moram nectere videar; ornamentum atque perfectionem hominis, à scientijs & artibus dimanantem, adeo notam esse asseuero vt etiam Aristoteles, lib. 3. de Anima, (vbi hominis animam cum plana tabula, in qua omnia notari consignarique possint, comparat.) tandem concludat, illud ideo à Creatore factum esse, vt postmodum per diligentem impressionem & omnium scientiarum crebram exercitationem ad perfectionem deducatur. Vnde ipsius etiam commentator Auerroes lib. 2. de Anima (vbi Philosophus ait intellectum quidem esse potentia, nihil tamen in actum referri, nisi per scientiam.) ita expresse se declarat scientiam vel exercitationem animæ perfectionem esse, quæ suapte quidem in sese nihil contineat. Idipsum quod & Cicero libr. 2. Tusc. quæst. confirmat qui hominis animam absque doctrina, scientia, & exercitatione istiusmodi campo comparat, qui sane à natura sua fertilis, absque cultu & semente tamen nullos fructus adferat quo alludit etiam Ouidius, inquiens:

Fertilis, assiduo si non renouetur aratro,
Nil nisi cum spinis gramen habebit, ager.

Et sapientissimus rex Salomon Prouerb. 13. sic ait: *Egestas, & ignominia ei, qui deserit disciplinam*: quo innuere vult contemptum artium plerumque sequi inopiam, & stultos istiusmodi numquam ad honorum fastigia euehi, sed totam suam vitam cum dedecore atque infamia transigere.

Liberalium artium scientiarumque vtilitas porro ipsa etiam Meridiana luce clarior existit, cũ etiam simul hominem informet quo pacto videlicet honeste viuere, virtutem excolere seseq; apud homines gratiosum acceptumq; reddere queat: iccirco etiam paulo ante commemoratus Cicero libr. 1. Offic. non tam prudenter, quam etiam vere dixit: Prim⁹ honestatis locus, qui in veri cognitione consistit, maxime attingit naturam humanam. Dominus Giudiccionus, in descriptione veri alicuius pastoris, suo tempore viuentis, ipsius concionibus miram virtutem atq; efficaciam adscribit, in Sonetto Italico sic de eo canens:

O Messagier d' Iddio ch' in bigia vesta
L' oro & terreni honor' dispreggi tanto

Et ne' cor' duri imprimi il sermon santo
Che te stesso, & più l ver' ne manifesta:
Il tuo lume ha via sgombra la tempesta
Dal core, oue fremea dagl' occhi il pianto
Contr', tuoi detti non puo tanto, o quanto,
Da feri altrui desir' la turba infesta.

Pari modo & Morigius, etiamnum viuens Poeta Rauennensis, in suis versibus Flammam, celeberrimum hoc tempore concionatorem quemdam, sequentibus verbis extollit, sic de eo inter alia differens:

Mentre raggio di Dio con quell' ardenti,
Tue voci, in noi, ben che gelati accendi
Vn ardor santo, & tal, onde cõtendi,
S' Angelo, o Spirto human tu rappresenti.

Similiter & scientias istas hominem aliquo modo DEO TER OPTVMO MAXVMO, creatori suo, conformem reddunt: id quod etiam Cicero intellexit, vbi libr. 1. de natura Deorum sic inquit: Nihil est, per quod magis Dijs immortalibus assimilemur quam per ipsum scire: & Aristoteles Ethic, 12. ait, hominem per scientiam & intellectum cum omnibus substantiis separatis copulari. Procurant insuper apud homines bonum stabile, hoc est, certam constantemque prosperitatem quibus per aduersum aliquem casum nullo modo priuari poterit. Quocirca Bias, vnus ex VII. Græciæ sapientibus, (postquam ipsius patria, Valerio Maximo teste, ab hoste occupata esset, omneis de fuga sibi prospicerent, obuia pretiosa quæque secũ asportarent, & eumdem ad idem faciundum, adhortarentur.) Ciuibus & popularibus suis sequentibus, breuibus quidem, sed neruosis, verbis respondit: OMNIA MEA MECVM PORTO quibus innuere voluit hominem nihil proprii, sed solam artem & scientiam possidere, & facile cæteris omnibus carere necessum habere. Id quod similiter & Boetius intellexit, lib. 1. Philosophi. consolationum sic inquiens:

Has saltem nullus potuit peruincere terror,
Ne nostrum comites prosequerentur iter.

Ita & Macrobius lib. 7. Saturn. de mirabili scientiarum constantia hunc in modum perpulchre loquitur: Existima, inquit, disciplinas multas multis pecuniis esse præstantiores. Istæ quidem cito desinunt, illæ vero per totum vitæ

tempus

tempus permanent: Scientiarum sola possessio est immortalis. Huius opinionis etiam est celeberrimus ille Poeta Benedictus Varchius, vbi eximiam eruditionem Annibalis Cari sequentibus verbis extollit:

Caro Annibal, che con si vtil danni
Spreggiate vgualmente argento & oro,
Bramoso & ricco a' vn piu bel teso o
Che mai the me d' el mondo iren' inganni.

Huic adstipulatur quoq; Dion apud Platonem: Cum enim is aliquando interrogaretur, qualia videlicet bona liberis comparanda essent, respondit: Talia, quibus neque à tempestate ventorum & fluctuum, neq; ab hominum violentia quicquam metuendum periculi. Qua de re præclare etiam ait Salomon Prouerb. 3. de sapientia: Melior est, inquit, adquisitio eius adquisitione auri & argenti, & ipsa sola est cunctis opibus pretiosior: siquidem, vt D. Thomas Aquinas vlterius illud ipsum declarat, illa hominis intellectum illuminat & purificat in adfectibus in ciuilibus, quibus tamen alias corrupta ipsius natura tam faciie adhærere solet. Similiter & D. Hieronymus virtutem atque efficaciam scientiæ eximie illustrat, dum ad Rusticũ ita scribit: Numquam, inquit, de manu tua, & oculis tuis recedat liber: ama scientiã scripturarum, & carnis vitia non amabis. In eumdem ferme modũ scribit quoque Seneca, dum ad Lucium ita scribit: Neminem videlicet posse bene viuere sine sapientiæ studio. Quid multa commemorem, scientia vnicum & solum est medium, quo homo ad altiora euehi & ad veram nobilitatem exaltari potest. Vnde etiam Stoici solos eruditos & sapientes pro liberis hominibus habebant, quibus etiam Cicero in Paradoxo suo adstipulatur, dum inquit: Nullus vir doctus seruus aut ignobilis esse potest, nisi forte volutabro vitiorum fuerit infectus. Aristoteles vero Polit. lib. 1. multo magis id extollit, inquiens: Docti siue rerum periti legitimum imperium super cæteros imperitos habent: exinde etiam omnes homines in genere singulari naturæ impulsu sapientiam & experientiam ita venerantur atque diligunt, vt etiam ignorantes ei⁹ participes fieri cupiant, ne propter suam ignorantiam forsitan ab alijs ludibrio habeantur & contemnantur: quo alludit illud Ciceronis 1. Offic. ita inquientis: Omnes trahimur & ducimur cognitionis scientiæ cupiditate, in qua excellere pulchrum putamus. Id-

ipſum videmus in Alexandro Magno, qui, vti Gellius memorat, præceptori ſuo Ariſtoteli indignabatur, quod abſque ſuo præſcitu IIX. libros philoſophiæ Naturalis publicaſſet; eius rei cauſam vero ſequentibus verbis indicat, dum ait: Ego non tam cupio & delector opibus & potentia alios excellere, quantum doctrina & literis præſtare. Cum eodem pulchre conuenit Martialis, inquiens:

Diuitias & opes ſequens donauit amicus:
Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

Sic & ſapientiſsimorum omnium Rex Salomon libr. Sap. c. 7. ſapientiam & ſcientiam hiſce verbis mirifice extollit dum ait: Præpoſui eam regnis & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius; nec comparaui illi lapidem pretioſum: quia omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tamquam lutum, æſtimabitur argentum in conſpectu illius. Heic autem lectionem quādā hiſtoricam mihi in memoriam reuoco: Cum enim in quodam conuiuio inter Regem Macedoniæ Philippum & Philoſophos quoſdā inter alia colloquia conuiualia, quæſtio mota fuiſſet, quænam res in toto terrarum orbe eſſet maxima, & quilibet ea de re ſuam explicaſſet ſententiam: tum ex illis vnus, nomine Herua, per celebris & admodum eruditus vir, aquam in terrarum orbe rem maximam eſſe ideo aſſeuerauit, quod potiorem in eo partem obtineret: & quoquo quis conuerteret oculos, ibi ſemper vel aliꝙ mare aut fluuiū vel ſtagnū aut rivum vna cum multis alijs fontibus & aquis, ſub terra latentibus, reperiri. Alius, magnum montem Olympum eſſe contendebat, cuius faſtigium per aerem ad cœlum vſque ſeſe adtolleret, adeo vt de ipſius altitudine vniuerſus pene terrarum orbis poſſet conſpici. Tertius, Atlantem eſſe affirmabat, qui tam immenſæ & ſtupendæ magnitudinis Grigas fuerit, vt etiam magnus, & ſupra modum altus mons eius ſepulcrum neutiquam contegere potuerit. Quartus, Homerum rem omnium maximam & miraculum eſſe ajebat, vtpote qui in ſua vita adeo celebris, & poſt mortem tam amabilis fuerit, vt etiam, Cicerone, pro Archia Poeta, teſte, magnę potenteſque aliquot vrbes, vtpote Colophon, Chios, Salaminum & Smirna, aliæq; quam plurimæ de ipſius oſſibus inter ſe inuicem concertauerint. Poſtremo quidam dictitabat, quem, procul omni dubio, ſapientiſſimum omnium reliquorum

rum fuisse constat, Hæc sane omnia magna & admodum mirabilia esse lubens concedo: scias attamen, *Philippe*, nihil in mundo esse altius, nil nobilius, nil majus atque dignius esse, quam virum sapientem atque literatum quo adiecto reliqui Philosophi ad vnum omnes obstupefacti, quasi, huius sententiæ calculum album adiecerunt neque etiam illi contradicere potuerunt. Vir namque sapiens super omnia terrena exaltatus est. Et *Sapiens* (vti Ptolemeus in Almagesto ait) *dominabitur astris*.

Sin vero heic omnem sapientiæ & scientiæ gloriam ordine recensere vellem, re ipsa certe depræhenderem me imparem tanto oneri Atlantem humeris suscepisse. Et quemadmodum illud ante hac præcellentissimis quibuscunque ingenijs nimis difficile, atque adeo impossibile fuit, ita sane & ego fateri necessum habeo, me tenui meo stylo, curtaque suppellectile vix centesimam, immo millesimam partem attingere posse. Quid multa autem commemoratione in digem⁹? Omnes siquidem haud ignorant quid Aristoteles libr. de Anima dicat: Scientia, inquit, est de numero bonorum honorabilium, Quid autem econtra homo absq; scientia? Inter irrationale brutum & talem hominem parua sane est differentia: qua de re etiam Regius Propheta Psalm. 31. sic ait: Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: & Psalm. 49. Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis; & talis equidem vix pro homine, sed multo citius pro saxo aut lapide habendus. Vnde etiam Diogenes de inscio siue imperito quodam homine in lapide sedente, aiebat: Lapis super lapidem. Modo dictus Diogenes aliquando in exaltatum aliquem locum ascendebat, & alta voce exclamare incipiebat: Venite ad me homines. Ignobili vulgo itaque etiam cum alijs accedente, & rarum quippiam de eodem audire satagente, respondit: Non vos, sed homines quæro. Postquam etiam suo tempore pauci sane eruditi homines reperirentur, eapropter Historiographi scribunt, eundem media luce Athenis accensa laterna per vias ambulasse; cumq; eius rei gratia interrogaretur, quid nã eo ipso significaret, num stultus esset, quod rebus alias omnibus destitutus, candelam de die ita frustra consumeret? Hominem sese quærere respõdit, quo innuere voluit, etiamsi docti homines

summo quoque studio quærantur, nihilominus tamen non paucos, eximiam certe eruditionem præ se ferentes veros, hoc est, eximie doctos & sapientes, homines existere. Inter alios memorabiles sermones Socratis illius prudentissimi, veteres olim & hoc summa solertia consignatunt ꝙ tanta inter doctum & illiteratum hominem sit differentia, quanta videlicet esset inter hominem & lapidem.

Vt autem dignitatem & excellentiam scientiæ & sapientiæ eo dilucidius explicem, verba Cassiodorj Romani illius Senatoris heic adponere libset, in quadam epistola sic scribẽtis: Non potest, inquit, aliqua in mundo esse fortuna, quam non augeat literarum gloriosa notitia. Et sapientissimus Regum omnium libro Sapientiæ c. 7. sic ait: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa & innumerabilis honestas per manus illius. Idque per multa exempla illorum hominum, qui per eruditionem suam ad summa honorum culmina & fastigia euecti sunt, satis superque confirmatur & demonstratur. De Lysandro refert Pontanus, quod aliquando Poetæ Antilocho, paucos dumtaxat versus ipsi exhibenti, pileum pecunia repleuerit & procul omni dubio, ni alijs fuisset occupatus negotijs, maiores ipsi honores exhibuisset. similiter scribit Silius de Octauio Augusto, quod singulis annis diem natalitium Virgilij festum haberi præceperit, quo significare Voluit, quanti memoriam tanti viri fecerit. Sic & Angelus Politianus de Scipione Aphricano refert, ipsum Poetæ Ennio aliquot frugiferos & eximios hortos dono dedisse & ad conseruandam honestam tam inlustris Poetę memoriam, ipsi statuam erexisse. de Romanorum Imperatore Traiano scribit Suidas, quod aliquoties Sophistam Dionem in currum suum receperit, & cum eodem familiarissime conuersatus fuerit, singulis admirantibus, & nimium esse autumantibus, quod tantus Monarcha Cæsareum honorem quasi cum ipso communicaret. Strabo in libro suo XIV inter alia commemorat Marcum Antoninum omnes IV. ingẽtium ciuitatũ reditus Anaxenori Musico vel cytharædo, relliquisse, & ob eximiam ipsius canendi peritiam, tantis denis ipsum adfecisse. Ita Apelles pictor, teste Plinio, Alexandro Magno adeo char⁹ fuit, vt etiam suarum virginum vnam, Campaspen nomine, quam tamẽ vehementissimo amore complectebatur, ipsi, ob artis suæ excellentiam,

llentiam, qua cæteros pictores omnes antecellebat, dono dederit. Apud Macrobiũ legitur Roscium, Histrionem, vel, vt hodierno tempore appellari posset, Comœdũ hoc in exercitio ingeniosissimum, cum consensu totius tũ temporis præsentis Equestris Ordinis, à Lucio Stella aureo annulo donatum esse, innués exercitium & excellentiam etiam rebus in exiguis laude honoreque dignam esse. Ouidius libro Metamorph. 9. inter alia commemorat, quatenus videlicet Vlysses per artem atque eloquentiam suam, arma Achillis contra fortem, ast indoctum, Ajacem obtinuisse, de quo Poeta Italicus Anguillara quodam in loco sic cecinit:

Al hor conobbe ognun' apermente,
Quanda l' altrui facundia altrui commone:
Che d' i due cauallier' il piu eloqnente
L' arme del Pronepote hebbe di Gioue.

Quid autem pluribus exemplorum inductionibus heic indigeo, cũ apud quosuis cõstet comprobatumq; fiet, omnes doctos honore esse dignissimos, Scientias & liberales artes igitur, de quibus hactenus verba fecimus, nunc sequuntur mechanicæ, quæ ideo sic dicuntur, quod ad istarum perfectionem labores atque molestiæ requirantur. Ex quibus quædam magni: aliquæ vero à multis quasi nauci æstumantur atque contemnuntur. Hæ à Possidonio Philosopho, Seneca in tractatu suo de Studijs liberalibus attestante, generaliter in simplicia, & artificiosa diuiduntur, vtpote qualia sunt illa, quæ oculos non exhilarant & pascunt, sed multo potius maiorem acutioremque artis indagationem requirunt, id quod artificiosæ machinæ testantur, quæ à quibusdam artificiosis opificibus inuentę sunt: cętere habentur pro puerilibus, vt sunt parua ista exercitia, quibus infantes aliquando exhilarantur & exercentur. Differentia autem ista satis sanę exigua, & quodammodo vergit in contemptum. Budæus, in libro suo de Asse, simplicia & communia opificia cum luto & stercore in ciuitatibus comparat, attamen in eo etiamsi alias fuerit, vir doctissim⁹, plurimum errat, & Cassiodorus sane ad scopum aliquanto propius collimat, vbi in XIII. sua epistola de opificijs inter alia ita scribit, quod videlicet per eadem ciuitas non tam exornetur, quam conseruetur. Sabellicus libro exemplorum X. Pulchrum est, inquit, ciuitatem in omni artium genere exerceri; & Cicero lib. Offic. 2. opificia pariter extollit dum inter cætera sic inquit: Quid enumerem

merem artium multitudinem, sine quibus vita omnino nulla esse potest? Quis enim ægris subueniret? Quæ esset oblectatio viuentium? Quis victus, aut cultus corporis, nisi tam multæ nobis artes ministrent? Plato opificia potiores præcipuasque ciuitatis partes esse asseuerat. In jure ciuili pernecessarias leg. p. 1. final. de infantibus expositis duæ istæ partes conferuntur & æquiparantur: nempe quod quispiam ad vitæ suæ conseruationem sustentetur, & in aliquo opificio, vel alio honesto quodam exetcitio instituatur atque educetur. Quid Plauto, præstantissimo isti Comico, obfuit, vel eius honori damno fuit, quod Varrone teste, molitoris vices obiuerit? An Cleon, eximius iste Philosophus, forsitan eo abiectior & vilior æstumatus est, quod, vti quidam de eo scribunt, noctu hominibus aquam ex fontibus hausit, atque ijsdem, ob frustum panis quasi eandem in domos suas portauit? An Helius Sophista eo minori honore adfectus fuit, quod, vti Quintilianus de eo testatur, aurifabri artificium exercuerit, pretiosos lapillos expoliuerit Sarctor iuxta atque figulus fuerit? Neutiquam, sed ambo eius rei gratia, tanto maiori honore digni fuerunt eo ipso siquidem testatum fecerunt, quod ad omnia quasi apti idnoeique fuerint. Veteres equidem nullum dedecus esse æstumabant, si quis opificium didicisset, innuentes illa à dijs immortalibus fuisse inuenta. Sic & Virgilius illos ipsos, qui alijs artibus & opificijs si is inseruierant, inter campos suos Elisios colloeat. Ita & summi celeberrimique aliquot Philosophi etiam vilissima & abiectissima quæque de opificia addiscere haud erubuerunt: Callias Athenis funificis opificium exercuit. Epictetum, ne turpi otio turpiter diffluerct, omnimoda seruilia officia apud herum suum exercere non puduit: Pythagoras, Gellio teste, nauta fuit: Prudentissimus, & à DEO TER OPTIMO MAXIMO omnimodis donis egregie dotatus Alphonsus, Dux Ferrariensis, Tormenta sua magno sane labore ipsius fusione adornare haud erubuit. Agricultura, vti Thomas Morus commemorat, apud Vtopianos in tanto honore atque cultu habita fuit, vt etiam ipsi Reges pacis tempore, agros coluerint. Diodorus Siculus quoque libro suo XVII. ait Phœnicies summam sibi prosperitatem exinde pollicebantur, si videlicet ciuitatẽ suam omnis generis artificibus & opificibus mechanicis repleuissent. Vi-

ce versa Thespiensis apud Heraclidem exigua m, immo nullam ferme merentur laudem, quod turpe sibi esse ducerent, si forsitan sese in aliquo artificio & opificio exercuissent: Melpomene & Thalia autem ideo magnis extolluntur laudibus, quod illa Comœdiam, hæc Tragœdiam inuenerit: nihilomin⁹ tamen nauci aliquot reperiuntur homines, qui laudabilem istam artem vilipendere & contemnere audeant: An non enim Agricolæ, fabri lignarij, fabri persimiles alij opifices ab ipso etiam Spiritu S. mirifice commendantur & laudantur, dum Syracides in libelli sui XXXVIII. capite ita ait: Omnes hi in manibus suis sperauerunt, & vnusquisque in arte sua sapiens est. Sine his omnibus non ædificabitur ciuitas.

Ex hisce fundamentis & commemoratis exemplis omnib⁹ certo certius nunc adparet, quod omnes scientię non duntaxat in artib. liberalibus, & rebus intellectu difficilibus, verum etiam in leuibus & exiguos quibusdam opificijs & artificijs, gloriosæ atque honestæ fient. Etiamsi quoque, uti diximus, quædam opificia passim contemptui habeãtur, nihilominus tamẽ non solũmodo vniuersę cuidam ciuitati magnum decus ornamentumque adferunt, sed etiam omnes alias artes eo clarius splendere faciunt non secus atq; solis radij per tenebrosas nubes penetrant, Gloriosum itaque atq; laudabile esse iterum atq; iterum affirmo, vt quis sese in omnibus honestis artib⁹, scientijs, artificijs & opificijs exerceat, & concludo tamdem huncce de omnibus artibus, & scientijs in genere discursum: omneis & singulos quoque fideliter admonitos volo, ne videlicet intellectum suum alto in otio rubigine quasi consumi patiantur, sed illius impulsum (qui, vti Quintilian⁹ libr. 1. Instit. asseuerat, eo tendit, vt nimirum omnia inquirat & addiscat) diligentissime sequantur: idque potissumum eo magis, quod ars portatu non solum non difficilis, sed etiam sũmam delectationem, qua homo hac in vita frui potest, secum adferat: vnde etiam Petrarcha recte dixit:

Altro diletto ch' imparar non truouo: Iuxta illud simul non minima sane hominis prosperitas atque felicitas in eodem cõsistit: quemmadmodum Seneca ad Lucilium testatur, inquiens: Beatam vitam sapientia perfecta efficit. Sin etiã porro exempla forsitan hominem ad vniuersalem amorem artis atque scientiæ commouere debeãt, tum certe non immerito homines

Iuliani Iurisconsulti exemplum prope perpendant qui dicere fuit solitus: Etiamsi, inquit, ambos meos pedes in sepulcro haberem reconditos, nihilominus tamen adhuc aliquid addiscere conarer. Pari modo & Hestiei exemplum nobis heic considerandum venit, qui, sese solis ortum eiusdemque occasum numquam conspexisse, gloriabatur, quo significare voluit, quam sedulo libris studijsque suis inuigilauerit. Consideretur porro memorabilis iste sermo Demetrij, quem nimis sero poetæ pœnituit, quod sese liberalibus in artibus non summo studio exercuisset: eapropter etiam, sublatis in cœlum oculis, ajebat: nihil magis dolendum mihi est, nisi quod via virtutis mihi non citius cognita perspectaq; fuerit: equidem tum minime expectassem, donec me ad se inuitasset, sed ipsi maturo satis tempore obuiam processissem eamdemque ambobus meis brachijs complex⁹ fuissem. Hisce & similibus exemplis, immo hisce quasi calcaribus in sequentibus etiam Discursibus particularibus lectorem beniuolum de omnimodis artibus, scientijs atq; professionibus incitabimus, vt hoc modo quilibet in ijsdem sese exerceat, &, iuxta vocationem suã, mundo vtilis, sibi ipsi vero laudi, atque gloriæ esse possit.

PRIMVS DISCVRSVS.

DE DOMINIIS, REGENTIBVS, ATQVE TYRANNIS.

PRimi atque præcipui qui tam egregie à me exornatum forum cumprimis ornãt, sunt ex statu dominorum, qui plerumque, ad animorum suorum recreationem, in eodem obambulantes sese conspicuos faciunt, quo etiam nomine istiusmodi personæ, secundum statum, honoris gradum atque dignitatem suam, ad quam vel per legitimam successionem, electionem, aut propriam etiam virtutem peruenerunt, nunc appellentur. Qui si nimirum legitimi, hoc est, ordinarij naturalesque Domini atque Regentes, atq; adeo virtuti, æquitati, & synceritati addicti fuerint, tum sane nullum omnino est dubium in hos tam à *DEO TER OPTVMO MAXVMO*, quam ab omnibus etiam hominibus honore atque amore prosequutos iri. Vice versa autem si Tyranni, hoc est, illegitimi fuerint, q̃ imperium violento more modoque, & contra omnem æquitatem ad se pertraxerunt, atque adeo, vti plerumque accidit, subditis suis cum violentia, arrogantia, animi elatione, atque suppressione eosdem imperant eo magis a-

pud DEVM qui promeritam pœnam sibi semper reseruauit, atque homines sunt detestabiles. Vt autem, qui videlicet legitimi Domini, quique merito honore digni, econtra vero qui odiosi tyranni sint, videatur itaque eorumdem differentia ex fundamento quasi probe diligenterque notanda cõsiderandaq; est. Nunc igitur certo certius, quod, iure diuino, nulli mortalium imperium supra alios hominis suapte competat; vnde etiam D. Augustinus recte ait: *Iure diuino Domini est terra, & plenitudo eius.* Quo melius etiam domini videant, quo pacto scilicet superbiam suam coram Deo exuere teneantur iccirco sequentia addit. *Dominus*, inquit, *de vno limo terræ fecit pauperes & diuites.* Multo minus etiam dicendum eiusmodi dominia ipsis de iure naturali competere siquidem eodẽ iure vniuersus terrarum orbis communis est nec quicquam in eo maiorem iurisdictionem habet altero cum tã diuites & prepotentes æque, quã miseri homines, sese in eodem abscondere teneantur: Sed dominium, siue imperium istiusmodi solummodo in iure Positiuo consistit, per quod istiusmodi differentia & dominiorum distributio, vt sunt hodierno nostro tempore in mundo ferme innumerabilia, excogitatũ est. Qua de causa paulo ante commemoratus Doctor Ecclesiasticus non tam scite, quã prudenter etiam quodam in loco dixit: *Tolle*, inquit, *iura Imperatorũ, & quis audebit dicere, hæc villa est mea, meus est iste seruus, mea est hæc domus.* Quum vero heic nemo quicquã habeat proprij nec etiam habere possit, nisi illud ab eo, ad quem proprietas illa plerumq; pertinet, largiatur: ea propter inconuincibiliter sequitur, quod solus ille in politico regimine legitimus dominus appellari possit, quẽ Deus, tamquam dominus proprietarius aut immediate ad id potissimum constituit, quemadmodũ Moyses Dominus populi Israelitici, & Saul prim⁹ eiusdem Rex factus & creatus est; vel mediate (quando homines, DEI TER OPTVMI MAXVMI instinctu, ex seipsis aliquem eligunt, quem, ob virtutem & integritatem suam, sibi ipsis ducem dominumque præponunt: aut si etiam alij, eius rei ordinariam potestatem habentes, quemdã Dominum constituunt, vti Iosephus à Pharaone in Vicarium Regium olim ordinatus fuit.

Vice versa vero proprie tyrannus est & dicitur, qui, per illegitima media, aut per armorum violentiam, vel insidiosas fallacias, alios violenter sibi subiugat, qua

dere Leo Papa sic ait: *Principatus, quem metus extorsit, etsi actibus vel motibus non offendat, ipsius tamen initij sui perniciosus est exemplo.* Differentia porro inter Regentem & Tyrannum non solummodo in eo, verũ etiam in affectibus animi consistit adeo vt virtus, integritas, amor, & iustitia pium & amabilem Regentem. Contra vero quemadmodũ Thomas Aquinas in libro suo de Regimine Principum vere aiebat iniustitia, illegitima iniustaq; potestas, atque immanis crudelitas, odiosum aliquem tyrannum cõstituant.

Veri Regentis proprietates.

Sunt autem veri legitimique Regentis proprietates sequentes: cura & amor nimirum erga relligionem atq; adeo vniuersum cultum diuinum: honestas in Vita & bonis moribus: veritas, fidelitas, & fides in verbis: constantia in operibus & factis: contemptus in periculis: defensio Legum & Statutorum: Promotio Scholarum & Studiorum: Humilitas erga Deũ: Humanitas erga subditos: prudẽtia & modestia in regimine: iustitia in iudicando, &c. Sin præterea excellentissimis hisce virtutibus & pulchritudo corporis quoque accedat, seseq; cum commemoratis istis animi ornamentis coniungat tunc procul omni dubio talis Regens plane eximius, & omnino perfectus dici poterit. Istas autem proprietates nunc ordine ponderabimus.

1. Cura Religionis.

Ante omnia necessum est vt relligionis atque adeo vniuersi diuini cultus magnam curam habeat, id quod & ipsi Gentiles obseruarunt, qua de causa Plutarch[9] Romanorum Imperatori Traiano sequentia verba adscripsit: *Princeps*, inquit, *caput est Reipublicæ, vni subiectus DEO, & his, qui ministrãt, quæ DEI sunt in terris.* Idem illud Regum sapientissimus Salomon ipso facto demonstrare conabatur, dum DEO TER OPTVMO MAXVMO templum exædificabat, & tam ipsos sacerdotes (quã sacrificia iuxta DEI mandatum) constituebat. In II. Paralipom. libro legitur, quod Rex Iojada, perspecta Sacerdotum negligentia & incuria, collapsum ferme templũ (quemadmodum sane mox ab initio sui regiminis Pij Regis officium minime prætermisit) denuo restaurari curauerit. Sic & Marcellus Papa in quodam decreto: Boni ac Relligiosi Principis, inquit est, Ecclesias contritas atq; conscissas restaurare, nouasque ædificare, & DEI sacerdotes honorare atq; tueri. Possidonius quoquo Romanos summopere laudat, & eiusdem virtutis causa, eosdem sequentibus verbis commendat:

mendat: Erat illis, ait, relligio deorum admirabilis, justitia, multũq; studium, ne in quenquam conferrent injurias. Sic Solon de seipso affirmabat: se videlicet, opera Mineruæ, imperium suum non secus amplificare, quam Pisistratus cum armis suis fecerit. Eusebius Cæsariensis in libro suo de præparatione Euangelica magni encomij mentionem facit, quod tam temporis Lycurgo ab Apolline datum fuerat, dum inquit:

Chare Ioui magno, qui templa ad nostra Lycurge
Venisti, Chare & cunctis dilecteq; diuis,
Tene hominem, appellemne Deum, sed quando sacrarum
Cura tibi tanta est documenta exquirere legum,
Te potius natum cœlesti ex stirpe putamus.

Apud Dydimum in narrationibus suis Pindaricis legatur, quatenus videlicet Melissæum, Regem in Creta, commendet idque deuotionis ipsius causa, quam erga Deos ostenderit, eosdemque eximijs sacrificijs, & solemnibus processionibus honorauerit. Pari modo memorat Plutarchus quod L. Sylla in bello semper Apollinis imaginem in sinu secum circumgestarit, quam, imminentibus periculis, exosculatus atque, tamquam singulatem redemptorem ex angustijs, veneratus fuerit. De Lucio Albino Romano Consule legitur (quod aliquando vxorem) & liberos curru descendere, vice versa vero Virginem aliquam Vestalem cum quorumdam Sanctorum relliquijs ascendere iusserit. Sic celeberrim⁹ ingeniosissim⁹ usque Poeta Ariottus, dum cultumque diuinum Caroli Magni mentionem facit, cumprimis eiusdem erga relligionem Zelum sequentibus versibus exprimit:

Et ogli tra Baroni & Paladini,
Principi, & Oratori, ad maggior tempio,
Con molta religione a quei diuini
Atti interuenne, & ne di' a gl' alter essempio:
Con le mangiunte, & gl' occhi al ciol' supini
Disse: Signor, ben ch' io sia iniquo & empio,
Non voglia tua bonta per mio fallire
Ch' il tua popol fedel hau' bi à perire.

Penes primariam istam curam, boni quoque mores cum ipsa honestate in aliquo Regente requiruntur, qui etiam talem Principem non tam apud viuos, verum etiam, ipso defuncto, apud posteros mirifice commendant; vti legitur apud Vegetium libr. 2. de re militari vbi inter alia, Alexandri M. castitatem mirum in modum celebrat. Sic enim de eo scribit: *Boni mores & honestas.*

Post-

Postquam ipsi aliquando, post adeptam victoriam & vrbis alicuius occupationem, eximiæ formæ non contemnenda virago repræsentata fuisset, quæ tamen fidẽ coniugalem Nobilissimo cuidam iuueni, tũ temporis fuga sibi prospicienti, jam ante promiserat, eã non modo non tetigisse, verum etiam eximijs splendidisq; donis cumulatam ad sponsum suum remisse. Apud Valerium Maximum lib. 2. de re militari legitur, quod Scipio, cognomento Aphrican⁹, vna vice 11 meretricum M. ex castris suis relegarit, & ita, quemadmodum alias varijs virtutibus, cumprimis vero castitatis laude ante alios emicuit, eadem sua castra ab impuris istis bestijs repurgarit. Sic Trogus de Hanibale Cartaginensium belli duce memorat, quod videlicet inter tãtum eximiarum mulierum florentissimarumque virginum numerum, quas suis in castris sub sua potestate habuisset, ne vnam quidem ex ijs omnibus tetigerit, sed castitatem suam hoc modo purã illibatamque conseruarit. Similiter & D. Augustinus, lib. 1. de ciuitate DEI, Claudii Marcelli, Romani consulis, mentionem facit, qui itidem castissimus heros fuerit, & ea de causa, ante oppugnationem Syracusæ, in castris suis publice per præconem edixerit ne quispiam ex militibus libertarum coniugum vel virginum corpora contrectando inquinaret. Ita & Hippolytus, Thesei filius, à Seneca Tragœdo, tam castus introducitur, vt etiam, postquam Phædra ipsius nouerca eumdem multis precibus & promissis ad concubitum sollicitasset, nouercę non dumtaxat minime obtemperarit, verum etiam postmodum ab omni muliercularum consortio abstinuerit. Quapropter idem Poeta Tragicus quodam in loco sic de eo cecinit:

Exosus omne fœminæ nomen fugit,
Immitis annos cœlibi vitæ dicat.

Inter cætera ornamenta vero, quibus ad imperium siue regimen destinatus Princeps aut Dominus ornat⁹ esse debet, amor veritatis, fidelitas, & integritas certe non sunt dona minima. Iccirco Franciscus Patricius, de imperio siue de regimine scribens, inter alia cõmemorat, quod Isocrates Regem suum admoneat, vt videlicet veritatem sibi diligentissime cõmendatam haberet, hoc addito, quod non immerito Regis verbum, plus, quam priuatæ alicuius personæ iuramenta respici debeant. Et Rex sapientissimus Salomon in prouerb. suis cap. 16. scite inquit: *Non decet principem labium mendax.*

Ad

Ad fidem fidelitatemque quod attinet, inluſt e conſpicitur exemplum in Marco Attilio Regulo, Romano Conſule, qui, (poſtquã aliquando à Carthaginenſibus in prælio captus, & poſtmodum Romam eum potiſſumum in finem miſſus fuiſſet, vt inibi cum Senatu de illorum Carthaginenſium, qui tum temporis Romæ captiui detinebantur, liberatione tractaret, præſertim vero vt illi cum ipſo permutarentur, idque hac expreſſa cum conditione reſeruata, vt, ni illud à Senatu obtinere poſſet, Carthaginem tum illico reuerteretur, turpiſſimamq; mortem ſuſtineret.) Romam quidem profectus & Senatum non ſolummodo adhortatus eſt, vt tam inſignẽ juuentutis Carthaginenſis florem erga ſe, vtpote effœtum & Reipublicæ non multum amplius inſeruire valentem, nullo modo liberum dimitteret, verum etiã, contra omnes adhortationes iſtius Senatus, totiuſque populi Romani, immo contra omnes preces ac lamenta dilectiſſimæ ipſius conjugis, ſuauiſſimorumque ſuorum liberorum, contra omnem ſpem & fiduciam inſuper ipſorum etiam inimicorum iterum Carthaginem profectus intentatam ſibi acerbiſſimam mortem lubentius à fallacibus infidiſque Carthaginenſibus ſuſtinere, quam datam ſuam fidem fallere voluit. Quamobrem Silius Italicus libr. 6. de eo ſic loquitur:

Qui longum, ſemp r famæ gliſcente, per æuum
Infidis ſeruaſſe fidem memorabere Pœnis.

Sic & Appianus Alexandrinus Sexti Pompeij fidelitatem atque integritatem magnopere commendat. Cum enim, poſt communem reconciliationem, ordo ipſum tangeret, vt Octauio Augusto & Marco Antonio in naui ſua ſolemne conuiuium apparere neceſſum haberet, Menodorus totius Claſſis præfectus vero ipſi, ſub ipſa geniali lætitia, clanculum perſuadere conaretur, vt nunc, mortem paternã vlciſcendi, præclara ſeſe obferret occaſio, ſe etiam, ſi ab ipſo illud impetrare poſſet, talia iam excogitaſſe media, quibus id abſque vllo periculo & metuendo motu peragi poſſet; honeſte admodum ipſi reſpõdit: Tuapte illud perficere debuiſſes, inquit, nunc enim iſta tua intentio locum habere nullum poteſt, quum illis hominibus fidem interpoſitam ſeruare obligatus & obſtrictus ſim. Pariter de Alexandro M. legitur: Nam cum ipſi aliquando Parmenio conſiliarius aliquid ſuaderet, quod Regio

ipſius honori datæq; fidei aduerſabatur, reſpondit; ſi Parmenio eſſem, tunc illud facerem: Quum vero nunc Alexander Magnus ſiem, iccirco illud etiam neutiquam facere potero. Huc etiam pertinent Ferrarienſis Poetæ verſus, in quibus fidem fidelitatemq; iſtam egregie deſcribit, dum inquit:

Ne ſune intorno credero che ſtringa
Soma coſi, ne coſi legno chiodo
Come la fe vna bell' alma cinga
Del ſuo tenace & indiſſolubil nodo
Ne da gl' Antichi par ſi dipinga
La ſanta Fe ueſtita in altro modo
Che d' vn vel bianco, che la copre tutta:
Ch' vn ſol punto, vn ſol neo la puo far brutta.

IV. Magnanimus imperterritusq; animus.

Verbis inſuper non ſatis prædicari poteſt, quantum videlicet Domino & Regenti alicui magnanimitas perquam ſiet neceſſaria, illa ipſa ſiquidem non ſolummodo apud præſentes magnam auctoritatem, ſed etiam apud abſentes, atque adeo ipſos etiam poſteros, magnam laudem atq; gloriam ſibi comparat. Nec hodierno quoque tempore Cn. Popilij magnanimitas ſilentio obuoluitur. Is enim, teſte Plinio, & alijs, cum ad Antiochum, tamquam legatus, miſſus eſſet, Antiochus autem nimis perplexis dubijſq; verbis Popiliuim aliquantulũ deſtineret, legatus, facto cum ſcipione circa Antiochum, in maris littore obambulantem, circulo, eumdem, vt in poſtulata Romanorum antequam circulo iſto egrederetur, conſentiret, coegit. Quo facto Rex perterritus tamdem juſſis dictiſq; Romanorum fuit audiens. Similiter & Fabij Maximi heroicus animus, vti ſane à Tito Liuio commendatur, nulla vmquam obliuione obliteratur. Poſtquam enim in quodam cum Carthaginenſibus commiſſo prælio D. milites amiſiſſet, ipſe quoq; in conflictu iſto lethaliter vulneratus fuiſſet, hoſtiliter Hannibalem adortus eſt &, antequam cecidiſſet, ipſi de capite galeam abrupit. Pari modo & hodierno tempore egregia Lucij Poſthumi Albini facinora, vti Plutarchus teſtatur, ſummopere extolluntur, qui in prælio contra Samnites pro mortuo relictus, ſequenti tamen noctu vires recolligens, vulnerato debilique admodum adhuc corpore trophæum de occiſorum clypeis eum hac inſcriptione erexit.

ROMA-

ROMANI DE SAMNITIBVS: IOVI, IN CVIVS potestate sunt trophaea.

V. Constantia. Similiter & constantia singulare ornamentum Domino & Regenti cuidam adfert. Qua de re Masinissa, Numidiæ Rex, à Cicerone libr. de Senectute maxumopere commendatur, qui, anno ætatis suæ XC. semper nudis pedibus incedebat, neq; vel per pluuiã niuem, acre gelu, aut vehementem ardentemque calorem à proposito suo vmquam deterrebatur nec vmquam sibi persuaderi patiebatur vt adoperto capite sese conspiciundum reddidisset. De Romanorum Imperatore Galieno Scriptores referũt, quod olim, cum nunciatum ei fuisset Ægyptum à Romanis occupatam esse, arridenti ore dixerit: Annon absque luto Ægyptiaco viuere possumus? quod certe certissimum singularis constantisq; animi fuit iudicium Sic Herodianus de Imperatore Seuero scribit, quod omni molestia atque labore contẽptis, singulari cum constantia, per pluuię niuisque tempestates acerrimas, cum militibus suis montes vallesque superarit, atq; cum jisdem pedes ambulauerit. Beroaldus in suo Panegyrico Ludouicũ Sfortiam sequẽtibus verbis, commendat, dum inquit: In Clementia vestra, generosissime domine, certissimum Horatianę imperteritæque constantiæ indicium depræhenditur, de qua sic ait.

Et si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

VI Legum obseruatio & defensio. Si quis porro etiam obseruationem Legum & earumdem defensionem consideret, dominus sane æque prædicandus atq; laudandus est, si sejpsum omnibus legibus absque vlla contradicentia, subiecerit. Eo jpso enim non solummodo apud suos se amabilẽ reddit sed etiam jisdem sese eo arctius obstringit, quo honestius atque mitius eosdem tractare queat quod in caussa est, quemadmodũ Augustinus lib 5. de ciuitate DEI ait, quod Romani jn tantum vires suas dilatauerint, & tanto temporum interuallo imperium suum conseruauerint: idq; potissumum eo magis quod eorumdem prouisores atque capita non dumtaxat vrbicis, verum etiam bellicis regiminibus sese adeo sponte subiecissent, adeo vt haud immerito eorumdem subditi ipsos amore debito prosequi necessum habuerint, hostes vero ea ipsa de causa deterriti consternatique fuerint. Liuius & Valerius Maximus inter alia memorant Torquatum militibus suis, ne, per sui absentiam, quispiam

quiſpiam caſtris excederet, ſerio interdixiſſe. Idem ille Torquatus proprium ſuum filium, ijſdem teſtibus, quod, captata commoda hoſti nocendi occaſione, paternum mandatum, licet eo facto victoriam ab hoſte reportaſſet, tranſgreſſus eſſet: occidi curauit, atque ita victorioſum adoleſcentem lubentius vita priuare, quam paterna conniuentia militibus ad tranſgrediunda præcepta militaria anſam occaſionemque dare maluit. Similia exempla, in ſacris quoque literis reperiuntur, præſertim vero tale in Saule conſpicitur, qui Ionathanem filium ſuum etiam occidere ſatagebat, quod inſcius præceptum ſuum, idque magis ex neceſſitate, quam leuitate quapiam, violaſſet, atque exiguum dumtaxat mellis fauum deguſtaſſet, & ſane mori tum temporis neceſſum habuiſſet, ni populus ipſum ex furibundi parentis manibus eripiendo liberaſſet. Macomus, percelebris & eruditiſſimus ille vir, in Oratione ſua funebri ſuper obitum Franciſci, eius nominis I. Galliarum Regis, meminit, laudatiſſimum modo commemoratum Regem ſępiſſime dicere fuiſſe ſolitum, Magiſtratum & Regem quidem omnibus ſuis ſubditis imperare: Leges & Statuta vero in magiſtratum, & ſe Regem ipſum imperium habere. Vnde etiam factum, & ſemper apud Spartanos, quemadmodum Atheneus ſcribit, obſeruatum eſt, quod ipſorum Reges ſeſe Ephoris, qui peculiares etiam Magiſtratus fuere, ſubiecerint, & eo ipſo innuerint, quanti videlicet Leges & Statuta Patriæ ſuæ facerent.

V. Amor erga bon. litter. Pari modo etiam amor erga bonarum liberaliumque artium ſtudia Dominum & Regentem aliquem ſummopere exornat, idque non ſolummodo quod in iuuentute ſua ijſdem ſedulo incubuerit, & ſtrenue eadem exercuerit, verum etiam omnem dat operam, vt eadem inter ſubditos ſuos in flore & vigore conſeruentur. Id quod probe notandum & conſiderandum eſt. Certo enim certius, quod Vegetius de re militari ſcribit: Nullus, inquit, cui ſapientia magis conueniat, quam principi, cuius doctrina omnibus debet prodeſſe ſubiectis. Et Plato: Tum demum Reſpublicas beatas fore in quibus aut Philoſophi regnarent, vel ipſi Reges philoſopharentur. Tum quoque, vti teſtatur Seneca, aureum erit ſeculum ſi homines ſapientes regnauerint. Nam, Cicerone teſte, Regale opus eſt ſapere, & diiudicare. Eadem etiam de re ſapientiſſimus Rex Salomon magnopere erat

ſolli-

sollicitus, vt sapientiam non dumtaxat à Deo Ter Optumo Maxumo impetraret, verum etiam & suos populos, tum etiam seipsum prudenter sapienterque regeret. De Messia quoque apud Prophetam Ieremiam legitur: Et regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iustitiam & iudicium in terra. Illa ipsa etiam res, vti commemorat Policrates, Imperatorem Traianū anxium sollicitumque habuit, dū Francorum Regi suadebat vt ipse, si alia occasione & commoditate destitueretur, liberos suos in bonarum artium studijs atque disciplinis institueret, indoctum siquidem Regem nihil asse aliud, quā coronatum asinum. Iulius Capitolinus de Romanorum Imperatore Gordiano scribit eum de bonarum literarum artiumq; studijs magis, quam de thesauris suis, fuisse sollicitum quemadmodum etiam LXII. librorum M. in ipsius Bibliotheca reperta fuerunt. Similiter & Simaneus, vbi de amore & desiderio Magnatum erga literarum studia scribit, inter alia eximijs & memorabilibus hisce sequentibus verbis vtitur: Est specimen florentis Reipublicæ, inquit, vt disciplinarum Professoribus præmia opulenta pendantur. Quocirca etiam Iulius Cæsar apud Suetonium summopere prædicatur, quod liberalium artium Professores ciues Romanos, quē honorem certe non exiguū olim fuisse constat, crearit, vt eo lubentius domicilia sua Romę figerent.

Recte & prudenter itaq; à veteribus dictum: *HONOS ALIT ARTES*. Hoc nostro seculo mirum nobis videtur veterum Heroum temporibus doctrinas & artes ita floruisse. At quid mirum? Cum non solum ipsi principes artib⁹ dediti fuerint, sed etiam gratos munificosque sese erga cultores præstiterint: vnde factum est vt præmium laborum quemque alacriorem & promptiorem reddiderit. O felicia ista tempora, quando nimirum,

Cura ducū fuerant docti Regumq; Poetæ
Vatibus & largæ sæpe dabantur opes.

Pontanus in libro suo de liberalitate scribit Antoninum Pium doctis hominibus non dumtaxat larga dedisse stipendia verum etiā eosdem ad summa honorum officiorumque culmina dignitatesque magnas euexisse. Baptista Egnatius inter alia de Imperatore Sigismundo narrat, hoc videlicet in Germanis Principibus ipsi cūprimis displicuisse, quod liberalium artium studia contēpsissent. Postq̄ etiam ipsi aliquando verteretur vitio, q tenuioris sortis, literatorū attñ hominum potiorē

rationem haberet, respondisse fertur: Ego eos amo, quos virtutibus & doctrina, quibus nobilitatem metior, cæteros antecellere video. Volaterranus itidem Borsum, laudatissimum Ducem Estēsem, non immerito summopere laudibus extollit, quod suo tempore omnium literatorum peramicus fautor atque Patronus extiterit.

VIII. Humanitas erga subditos.

Quemadmodum igitur omnes istæ nunc ordine commemoratæ virtutes dominum aliquem maxime ornant & commendant, ita etiam humanitas erga suos subditos ipsius vita æstumanda est; Hęc ipsa siquidem Titum Vespasianum, Romanorum Imperatorem adeo reddidit amabilē, vt in genere *HVMANI SECVLI DELITIÆ* nunçuparetur. De Sueuorum quodam Duce Historiæ memorant, quod aliquando apud alios proceres in conuiuio diu quasi mutus consederit. Dum enim alij ditiones, opes, metallorum fodinas, ciuitates, ingentes annuos census, & collectos thesauros prędicarent, heic noster Dux Sueuus ad singula ne verbulum quidem addiderat. Postquam vero ab alijs silentium eius summopere admirantibus, interrogatus fuisset, num & ipse de simili quopiam gloriari posset? respondit: de hisce & similibus istiusmodi rebus quidem sibi minime gloriandum esse, etiamsi *DEO TER OPTVMO MAXVMO* pro eo ingentes ageret gratias, quod ipsi in suo statu ditionibusq; suis clementissime largitus fuisset. Hoc autem, aiebat porro, sese post *DEVM* potissumum fulcro atque fundamento niti, quod nimirum noctu interdiuque, in aperto campo, nudato capite, in sinu ii. fimi etiā sui subditi secure atq; tranquille requiescere auderet. Cunctis ergo admirantibus, ipsum summa felicitate seipsos longe antecellere ad vnū omnes fassi sunt, quippe qui non dumtaxat omnes thesauros, verum etiam ipsa suorum subditorum corda in manu quasi sua haberet. Quod autem vnice & solum sua cum humanitate erga suos subditos sibi comparauerat.

De Alexandro Magno (de liberalitate, quæ pars est humanitatis, heic quædam adijcere libet) Seneca libr. 2. de beneficijs hoc refert, ꝙ videlicet alicui, numum dumtaxat postulanti, ciuitatem dono dederit. Cum autem is inferret se non tantum petijsse, idq; sibi nimis multum esse; Alexander respondit: Non heic mihi est quæstio, quid accipere debeas, sed multo potius, quid mihi do-

nare

nare conueniat. Eiusdem ferme sententiæ fuit quoque Regis Artaxerxis filius, qui melius Regi competere aiebat, vt alteri beneficium exhiberet, quam vt ab alio quodam reciperet. De Cyro autem refert inter alia Xenophon, quod dicere fuerit solitus amicos suos esse sua gazophylacia. Si enim ijsdem aliquid imponeret, hoc est si ipsis aliquid dono daret, tum & in aures & oculos vniuersim conuerterentur, qui omnia audirent atq; viderent, quicquid etiam sibi forsitan aduersari posset, eapropter etiam iusto tempore sese ab ipsis fore admonitum.

IX. *Lenitas & animi tranquillitas.* Huc etiam pertinet animi lenitas siue tranquillitas, ne forsitan Dominus & Regens quispiam rigori justitię semper adhereat; qua de re Seneca, in libro suo de clementia, ad Neronem ita scribit. Magni certe, inquit, est animi placidum esse & tranquillum, ac injurias oppressionesq; semper despicere. Simili modo & Beroaldus, in tractatu suo de felicitate, ait, quod nimirum, iuxta Vopisci opinionē, lenitas & bonitas præcipuum donum Regis fiet: ad quā etiam Imperator Theodosius, apud Claudianum filium suum sequentibus adhortatur:

Sis Pius imprimis: Nam, cum vincamur in omni
Munere, sola Deos æquat clementia nobis

Iulius Camillus in oratione sua ad Franciscum, Galliarum Regem in causa Episcopi Pallauicini, inter alia & hisce verbis vtitur, dum inquit: Credimus quantus malignus quispiam peccator fiet, si modo humili contritoque corde *DEI TER OPTVMI* gratiam atque misericordiam imploret, & tunc à Deo rursum in gratiam recipi certum est. Cum vero illud à Regia Vestra Maiestate multis precibus obtinere contendat, an igitur Reg. vestra Maiestas ab eo cupit deflectere, quod *DEVS* ipse in isto præstitit? Absit, Absit, Clementissime Rex atque Domine, vt faciat Regia vestra Maiestas alicui homini in terris id, quod tamen sibi ipsi in cœlis fieri minime expetat.

Summa itidem moderatio & prudentia alicui Domino & Regenti summopere est necessaria; eapropter etiam Syracides in x. c. libelli sui ita ait: Principatus sensati i. prudentis aut sapientis stabilis erit; Rex autem insipiens perdit populum suum. Eo inclinat etiam Aristoteles in Ethicis: Nemo, inquit, iuuenes eligit in Duces, quia non constat eos esse prudētes. Et inde colligitur quam male imperio cautū prospectumque X. *Prudentia animique moderatio.*

que fiet, si illud iunioribus Principibus commendetur & vice versa, seniores prudentioresque postponantur & contemnantur. Id quod hodierno tempore, pro dolor, satis abunde liquet, dum aliqui vnice eo intenti sunt, quo pacto videlicet auctoritatem existumationemque suam conseruare queant: quapropter præcipuis periculosissimisque muneribus iuniores, sibi per omnia similes, homines præficiunt, prudentia, Sapientia, conscientia &c. carentes, qui non dumtaxat omnibus flagitijs contaminati, verum etiam ijsdem omnino turpiterque sunt dediti. Quod vtrumque sane dolendum & apud omnes prudentes omni tempore non immerito repræhenditur.

XI. *Iustitia & æquitas.* Ante omnia quoque Iustitia & æquitas in Monarcha & Domino quodam maxume requi itur idq; tamquam finis præcipuus, cuius gratia à *DEO TER OPTVMO MAXVMO* in talem statum collocatus est, vti DEVS ipse ad Salomonem ait: Constitui te Regem, vt faceres iudicium & justitiam. Illud ipsum quoque summe est necessarium, nam quemadmodum Macrobius scribit: Sine iustitia non solum Respuplicæ, sed nec exiguus hominum cætus, nec quidem parua domus constabit. Cyprianus in libro de XII. abusibus, in quo iustitiam Magistratuum serio commendat, inter alia sequentia verba vsurpat: Iustitia Regis, ait, est Pax populorum, tutamen Patriæ, immunitas plebis, nutrimentum gentis & gaudium hominum. Helinandus in Romanis Historijs scribit Imperatorem Traianum tā sancte Iustitiam administrasse vt etiam aliquando miseram viduā, cuius filius ab Imperatoris filij effreni ferocissimoque equo adeo conculcatus fuerat, vt ex acceptis vulneribus mori necessum habuerit, non dumtaxat humanissimis verbis consolatus fuerit, verum etiam eidem, loco demortui, proprium suum filium vna cum totius Imperij hæreditate, dono dederit: Qua de caussa etiam laudatissimo isti Imperatori, in pleno Senatus consessu, honorifice adclamatum est: *NON ALTER FELICIOR AVGVSTO, NEC MELIOR TRAIANO.* Similiter scribit Lampridius Alexandrum Seuerum Iustitiæ adeo studiosum fuisse, quod numquam Decretum aliquod publicauerit, nisi illud prius à XX. Iurisperitis exquisitissimis probe examinatum fuisset. Nec sine caussa etiam Homerus quodam in loco Dominos Iouis discipulos esse asseuerat, quod iustitiam ab eo discere debeant. Sic & Impe-

ratot Iustinianus omnes Principes & dominos eo ablegatos cupit, dum in limine suarum Institutionum, inter alia, sic ait: Imperatoriam Maiestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus armatam esse oportet, vt vtrumque tempus, & bellorum, & pacis recte possit gubernari. Quę in finem etiam omnes Scriptores, quotquot etiam post illum vmquam extiterunt, tam Sanctum SS. Iustitiæ Achatem tantis laudibus extulerunt, vt hoc modo omnes reliqui Magistratus ad amorem Iustitiæ, juxta ipsius doctrinã & exemplum, incitarentur. Cicero lib. 3. offic. hisce verbis vtitur. Qui veram gloriam adipisci vult, Iustitiæ fungatur officijs. Sic Plato in sua Republica eamdem summum bonum appellat, quæ hominibus, ad suæ salutis conseruationem, cœlitus data fuerit. Et Aristoteles libr. 5. Ethic. Omnes relliquas virtutes sub Iustitia compræhensas esse affirmat; iuxta illius Poetæ versiculum:

Iustitia in sese virtutes continet omnes.

Athenęus eamdem (Iustitiam) oculum aureum, Albertus Lollius in oratione sua pro Bartholomæo Ferino, matrem, originem, fontem, & reginam relliquarum virtutum omnium appellat. Flaimna celebris ille præco, in sua Oda sic de diuina ista virtute canit:

Questa de la natura
E vn santo studio honesto
Ch' il commun ben con ogn' ardor procura.
Vn modo à stringer presto
Le rozze & fiere genti:
Il mondo & gli Elementi
Tempra con giusto voglio
E da ciascun l' ingiurie & i danni toglie.

XII. *Eximia formæ species.*

Denique non absq; re est, si videlicet ad cõmemoratas istas virtutes eximia quoque formæ species accedat, tum Princeps & Dominus quispiam non solummodo tam pulchra harmonia fit ornatior, sed etiam omnia ipsius dicta factaq;, atque adeo totius vitę actus subditis eo amabiliores redduntur. Hunc in finem Strabo lib. 15. de Situ Orbis inter alia commemorat, Indianos, in Regum suorum electione semper omnem dedisse operam, vt nimirum talem eligerent, qui pulchritudine & proportione corporis relliquos longe antecelleret. Similiter & Bion, in descriptione Ægyptij, memorat Æthiopes Regium Sceptrum soli isti obferre, qui formositate corporis & faciei pulchritudine præ alijs esset ornatior. Vnde etiam Homerus Regem Agaménona sic descripsit:

His oculis visus numquam formosior vllus
Aut venerandus item:

De Alcibiade Plutarchus scribit, quod non solummodo in sua juuentute, verum etiam in senectute laudem istam pulchritudinis conseruarit, atque adeo omnium, qui tum viuebant, mortalium formosissimus fuerit. Nec mirandum est, quod, vti sane Athenæus testatur, Archidamus, Spartanorum Rex, ab Ephoris repræhensus fuerit, quod, dum inter duas fœminas, quarum vna diues, attamen parua atque deformis, altera autem misera, ast formosa erat, electionem habuerit, diuitem deformemque elegisset. Inter cætera vero Regi ab ijsdem Ephoris obiectum fuit ipsum, loco formosiorum præcellentissimorumque Regum, quos hactenus ipsi prior coniunx peperisset, imposterum deformes & paruos regulos procreaturum. Sic Virgilius in Æneide Eurialium, Lausum, & Turnum, ob nimiam ipsoru formositatem, mirifice commendat, dum inquit: Euryalus forma insignis.

Filius huic iuxta Lausus, quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.

De Ænea autem sic idem Vates canit:

Ipse ante alios pulcherrimus omnes
Infert se socium; &c.

De Galliarum Rege *Francisco* I. Macon in quadam Oratione sic inquit: Ad bona corporis vel externa dona quod attinet, de eo (rege Francisco) vere dici potest, tamquam de Socrate, quod videlicet ipsius anima in suo corpore, tamquam in eximio, sano, & bene instructo hospitio, habitauerit. Iulianus Goselinus, Musarum singularis alumnus in effigiem Marchionis de Pescara sequens epigramma scripsit, in quo principem, ob nimiam corporis pulchritudinem maxumopere commendat, inter alia sic inquiens:

Fortunato Pittore,
Questa tua bella imago
Fatta con arte re con mirabil cura
Ben semiglia il pastore
Daualo forte, & vago
Che regge Insubria in pacq' alm' & sicura.
Ben fara' la pitcura,
Del bel sembiente altero,
Fede di qui à mille anni
S'auuten che tanto i danni
Schiui del tempo, e' l mors' inuido, e fero.
Ma le bellezze interne
Tutte altre doti sue li rende eterne.

Nec absque fundamento atq; ratione Maximus Tyrius ait: Omne pulchrum est pretiosum: neque etiam Proclus Lycius frustra probare nititur, quod omne pulchrum, à natura etiam bonum, & quod deforme, etiam pernicio-

sum

ſum ſiet. Quorum ſententiam etiam Baldus, celeberrimus ille I C. confirmat, vbi in Digeſtorum prę fatione ſic inquit: Decor corporis confert ad felicitatē in hoc mundo. Et Apuleius libr. 2. de Magia ait, Virginem, haud locupletem, tamen dotatam ſatis eſſe: quo alludit etiam Virgilius.

Dos eſt ſua forma puellis.

Equidem omnes in genere ſcriptores eximiam hominum ſpeciem & formoſitatem maxumopere commendarunt. Euripides Poeta Græcus ait: Prima pulchritudo digna eſt Imperio. Heraclides Lesbius ſcribit: Lacedæmonios formoſum virum, & pulchrā fæminam cum admiratione coluiſſe. Homerus Iunonem Albiulnam vocat, eamdemque ob alba ipſius brachia mirifice commendat. Virgilius, Ouidius, Simonides, alijque Vates Venerem auream nominant, eamdemq; cum auro comparant, Honoratus Faſitellus in pulchro quodam Hendecaſyllabo ait: Forma Lydia, munus eſt Deorum: & Pacatus inquit: Virtuti addit forma ſuffragium. Nicias, Græcus quidam Hiſtoricus, in deſcriptione Arcadiæ, memorat, quod priſci, in feſto Cereris Eleuſinæ, de cuiuſuis hominis formoſitate, tamquam ſingulari Deorum domo, judicauerint. Similiter & Dionyſius Leutricus ſcribit, apud Elæos publica certamina ob pulchritudinem fuiſſe habita, vbi is, qui formoſior cæteris extitiſſet, armis donatus fuerit, quæ etiam illico, in rei memoriam in Pallad:s templo ſuſpenderit. Eumdem morem etiam in Inſulis Tenedo & Lesbo obſeruatum fuiſſe Theophraſtus tradit. Volunt inſuper nonnulli externam pulchritudinem, etiam internorum donorum certiſſimum eſſe indicium. Vice verſa commune experimentum ęſtumatur, in quo etiam quandoque minime erratur, in deformi homine nihil pretioſi reperiri. Qua de re Planudes in vita Æſopi ſcribit: Quale corpus, talis anima. Et Martialis hac de re opinio, in commune abijt prouerbium, vbi de Zoilo ita loquitur:

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læſus,
Rem magnam præſtas Zoile, SI BONVS ES.

Pari modo & Iuriſperiti expreſſe aiunt Diſt. 41. §, vlt. Incompoſitio corporis, inæqualitatem indicat mentis: nec etiam abſque cauſa dicitur; caue tibi à ſignatis. *Vera graphicaque tyrannorum deſcriptio.*

Poſtquam igitur omnes virtutes atq; ornamenta alicuius Principis & Regentis ordine commemorauerimus, reſtat nunc, vt,

D 2 quem-

quemadmodum in hujus Discursus exordio promisimus, etiam de tyrannis heic aliquid dicamus, in quibus sane contrarium omnino depræhenditur, quodq; nō dumtaxat nullis virtutibus ornat: sed, vice versa, omnibus vitijs, atque flagitijs totj sient dediti. Hinc Gregorius Magnus in suis Moralibus ait, eum esse tyrannum, qui in cōmunione quadam omnem ad se potestatem indecenter pertraxisset. Thomas Aquinas, in libro suo de regimine Principum, eum etiam tyrañum nuncupat, qui quidem legitimam potestatem habeat, eadem tamen, ad grauationem & subpressionem suorum subditorum, quos tamen non immerito tueri atque defendere tenebatur, nefarie abutatur. Ex quo sane vniuersus mundus colligere facile poterit, quid videlicet de illo sentiendum fiet, qui illegitimis technis, per proditionem & pecuniam, aliasque fraudulentas artes dominium aliquod violenter ad se rapere conatur, &, accepta per fas nefasque potestate, subditos impositionib⁹, tributis, vectigalibus, censibus, & cottidianis laboribus indecenter vexat: adq; manifesta furta suorum præfectorum, aliorumque officialium, sui similium, tacet, eosdem tuetur, antiqua priuilegia tollit, veteres fidos ministros ab officijs remouet, nouos, minimeque idoneos, ijsdem surrogat doctos persequitur & criminatur, imperitos econtra extollit, honestos repudiat, infames atque reos laudat, laudabiles castigat, Seniores spoliat, & Iuniores ditat. In summa qui vitia, virtuti; honores, flagitijs, imperitiam, sapientiæ: atq; tamdem proprios suos adfectus, justitiæ præfert: & judicet nunc mundus, num videlicet talis pro tyranno, vel pro pio aliquo domino habendus sit. Apud Gentiles tali, quippe omni honore indigno, nullum omnino præstabatur obsequium, sed quælibet persona priuata ipsum jure occidere poterat. Quare de re Cicero in officijs talem laudat, qui istiusmodi tyrannum occidisset. Nec etiam Thomas Aquinas hanc Ciceronis opinionem tueri veretur, vbi 2. Sent. dist. vlt. quęst. 2. hanc addit causam: quem admodum talis tyrannus omnes suos subditos odio habet, ita vicissim illi nullum non moueant lapidem, quo illum è medio tollent, atque ita vniuersam Patriam à tali bestia & crudeli tyranno liberent. Quod tamen ita intelligendum, si talis in ordinaria aliqua aula legitimo modo accusari nequit, neq;, forsitan verendum, quod per ipsius mortem adhuc

maiores

maiores difficultates, quam in eiusdem vita factum, exorjri possent. Eius rei quoque exemplum reperitur in S. literis, dum Aodus Israelita Eglonem, Regem quemdam Moabiticum, Israeliticum populum violenter & tyrannice prementem, interfecit. Etiamsi vero illud ex DEI permissu factum fuerit, nihilominus tamen modo commemoratus ille Aodus non solummodo non punitur, sed multo potius à Spiritu S. laudatur, & Iud. 3. heros & redemptor populi sui nuncupatur. Simili modo, 2. Reg. 4. summo sacerdoti Iojadæ à Spiritu S. in honorem vergit, & ad gratam posteritatem propagatur, ꝙ Athaliam, quæ dominium, quod ad Ioasi & Oehosiæ filium pertinebat, violenter ad se rapuerat, interfici curasset. Equidem, vt veterum historiarum monimenta testantur, eo modo plerumque omnes ferme tyranni perierunt, & aut à paucis particularibus personis, vel ab omni suo populo trucidati fuerunt. Timoleon Corinthius, Textore auctore & teste, cum fratri suo Germano persuadere minime posset, vt videlicet à tyrannide abstineret, tamdem aduersus fratrem conspirantibus sese coniunxit, eorumdemque auxilio illum è medio tolli curauit. Sic Harmodius & Aristogitonus, vti Athenæus refert, à Græcis summopere laudati fuerunt, quod Pisistratum, Tyrañum Atheniensem, occidissent, ea de causa etiam ipsis in honorem æneæ statuæ erectæ sunt. Etiamsi quoque duo eximiæ pulchritudinis iuuenes, Chanton & Menalippus, Phalaridis Agrigentini tyranni vitæ insidias struxissent, nhilominus tamen, etiamsi res ipsis minus prospere successisset, & eos ipsos alij infortunium paratum tetigisset, facinus illud ipsis magno honori fuit: eapropter etiam, Dionysio Atheniensi teste, ab Apollinis oraculo celebrati, & beati nuncupati fuerunt. Caristius in Commentarijs suis scribit, Philippum Macedoniæ Regem, accepto post Perdiccam imperio, Euphratum prudenter, & quidem non immerito è medio tolli curasse, quod Antecessorem suum, ad introducendã tyrrannidem, instigasset. Lampsacenietiam, quemadmodum Euriphilus & Diocles referunt, prudenter & bene fecerunt, ꝙ Eccagonum tyrannum in exilium pepulerunt, & omnia eius bona, opes, atq; diuitias, quas violenter, per fas nefasque corraserat, ad se rapuerunt. Etiamsi quoq; Timęus Cyzicenus, vti Demochares orator testatur, iniustus patriæ, in ꝗ se

violenter intruſerat, poſſeſſor aliquandiu extitiſſet nihilominꝰ tamen tamdem à ciuibꝰ ſuis captus, in iudicio multorũ ſcelerum reus conuictus, à judicibus condemnatus, &, pro ſuo merito, contumelioſa morte punitꝰ eſt. In ſumma pauci ſane tyranni, vti Hiſtoriarum monimenta paſſim teſtātur, tyrannide ſua diu gauiſi ſunt, ſed ſinguli turpiſſima morte interire neceſſum habuerunt. Nam Dionyſius à Dione in exilium pellebatur: id quod de Dionyſio Syracuſano heic intellectum volo, qui ſæpius dicere ſolebat, quod timor, potentia, & arma firmus murus & cuſtodia Dominorum eſſent. Pari modo & Aſtyages à Cyro nepote ſuo:

Buſiris, tyrannus Ægyptus vero ab Hercule exilio mulctabantur. Alexander Pheræus à propria ſua conjuge vita priuabatur. Sic Nero ſibi ipſi violentas manus inijcere neceſſum habuit, dum à Senatu Romæ publice proſcriptus & pro hoſte declaratus fuit. Caius Caligula à domeſticis ſuis necabatur. Domitianus, Titi frater, à putatitio fictitioque ſuo amico in cubiculo occidebatur. Commodus, putida rancidaq; latrina omnium ſcelerum & flagitiorum, in proprio ſuo lecto trucidabatur. Macrinus, qui Baſſianum necauerat, & imperium violenter ad ſe pertraxerat, à nefando Heliogabalo è medio tollebatur, qui tamen & ipſe poſtmodum, pro ſuo merito, pœnam turpiſſimæ vitæ ſceleribuſque ſuis conuenientem ſuſtinere neceſſum habuit. Id autem potiſſimum non eo intellectum volumus, quaſi horum ſimilumq; exemplorum commemoratione & inductione illis adſtipulari velimus, qui & legitimum Dominũ, pro lubitu ſubditorum ſuorum minime regnantem, (ſunt ſiquidem ipſi & Domini etiam homines, nec quiſquam mortalium perfectus vmquam extitit.) tyrannum nuncupant, ſubditos de obſequio Dominis ſuis debito abſoluunt, & omnibus, talem è medio tollendi, non dumtaxat poteſtatem faciunt, verum etiam, per emiſſarios ſuos Sicarios, & ipſi Dominos ſuos trucidari curant. Illud enim pijs Chriſtianis neutiquam conuenit. Probe quoque S. Pauli Rom. XIII cap. complexa doctrina obſeruetur, qui grauiſſime minatur ijs, qui legitimo à Deo ipſo conſtituto Magiſtratu reſiſtunt, etiamſi aliquando à recto tramite deflectant. Sic &, vti Thomas Aquinas commemorat, ex DEI permiſſione ſubditi quandoque, ob peccata ſua, ſeueros atrocesq; Dominos ſortiuntur, id quod

Hellgabel

quod excellentissimus iste Poeta Ariostus sequentibus versibus elegantissime expressit, dum sic cecinit.

Il Giusto Iudicio, poi ch' i peccati nostri
Hanno di remission passato il segno;
Accioche la Giustitia sua dimostri
Equale à la pietà spesso da l Regno
A tyranni atrocissimi, & mostri:
E da lor forza, & di mal far ingegno:
Per questo Mario, è Sylla posse al mundo,
E duo Neroni, è Caio furibundo.

Subditi itaque in rebus externis omnibus, Deo tamen & proximi amori minime repugnantibus, Magistratibus suis obedientiam præstare tenentur, cuius rei etiam ab Apostolo adhortantur, dum inquit: obedite præpositis vestris, non tantum bonis, sed & vehementibus. Quocirca vniuersalis ista propositio, qnod videlicet vnicuique priuatæ personæ tyrannum occidere liceat, in Constantinensi Concilio non immerito repudiata & condemnata fuit. Equidem quorumdam Magistratuum malitia tanta est, vt etiam vix ac ne vix quidem tolerari possit: merentur siquidem (de malis heu loquor, de bonis enim illud affirmare nephas.) vt turpissima etiam morte è viuorum numero tollantur: nullam siquidem curant iustitiam, auaritiæ inhiant, arrogantes sunt, donis capiuntur, odio alijsque coecis adfectibus indulgent: nebulonibus, ipsis addictis & per omnia simibus, conniuentibus oculis applaudunt, omnes suas actiones secundum ipsorum malesana consilia instituunt, subditos suos violẽter premunt, doctis honestisque viris incommodandi nocendiq; nullum non lapidem mouent, nihil sibi obloqui patiuntur. In summa omnis humanæ charitatis & fidelitatis sunt obliti, adeo vt singuli ipsos, non secus atque feras siue bestias timere necessum habeant, atque Ariostus testatur, dum periculosum tristemque statum sub tyranno Marganore sequentibus verbis depingit.

Ma il popolo face à come i piu fanno,
Chudiscon piu à quei, che piu in odio hanno.
Pero che l' vn de l' altro non si fida,
Et non ardisce conferir sua voglia:
Lo lascian che l' vn bandisca, vn altro vuida:
A quel l' hauere, à questo l' honor toglia.
Ma il cor, che tace, qui, su nel ciel grida,
Fin che Dio il senti & la vendetta invoglia:
La qual, se ben tarda venir, compensa
L' indugio poi con punition immensa.

Nec ibi tã facile reperitur Labirius, qui vestes mutauerat, & ex occulto quasi, neque Romæ, neq; alio in loco, contra tyrannum pro-

proclamare audeat: *Porro Quirites Libertatem perdidimus.* Alias ipsis hoc sufficiat quod quemadmodũ boni tam à Deo, quam à subditis etiam suis honorantur, & post hãc vitam promerita mercede potiũtur, ita vicissim improbi tam apud DEVM, quam homines odio habentur.

IN PRIMVM ISTVM DISCVRSVM Annotatiuncula

BEniuolo Lectori heic non incommodum, sed summe vtile & delectabile erit, si viderit quam miseram molestamque vitam tyranni agant, & quantam hilaritatem, voluptatem, atq; recreationem habeant. Ad illud aũt pernoscendum Lectori admodum proderit si Tractatum Xenophontis de tyrannis legerit, qui à Leonhardo Aretino ex Græca in Romanam linguam translatus est, in quo à Poeta Simonide, & Hierone Syracusano de priuata & ciuili vita, & statu alicuius tyranni discursus instituitur. Quisquis etiam videre desiderat, quibus videlicet artibus & technis tyranni vtantur, is legat Alexandrum ab Alexandro libr. 2. dierum genialium cap. 32. in quo exempla Tarquinij Superbi, Thrasibuli, Sexti, Tarquinij, Zopiri Assirij, Pisisttrati, Dionysij introducit. Similiter & legendo sibi familiarẽ reddat Petrum Crinitum lib. 4. de Disciplina cap. 1. Vera genuinaq; autem alicuius tyranni descriptio reperitur apud Platonem in libris de Republica, prelertim vero Dialogo VIII. & IX. vbi adeo depingitur, vt melius nequeat. Sic & Marsilius Ficin⁹ in Commentario suo omnes alicuius tyranni conditiones & proprietates ordine commemorat. Quos sequitur Cælius Calcagninus libro de judicijs & ratione iudicandi. Similiter quid proprie tyrannus fiet à Speusippo de Platonis definitionibus discitur, quemadmodum etiam à Bessarione Cardinali in tractatu suo de calumnijs Platonis. Qua ratione autem quædam tyrannis obtinenda fiet apud Aristotelem libr. 5. Polit. cap. 11. discitur, vbi etiam ipsæ cogitationes & considerationes describuntur: libr. 6. Polit, cap. 4. vero omnia tyranni alicuius consilia & intentiones reperiuntur. De origine Tyrannidis legatur insuper lib. 5. Polit. cap. 10 vbi quoque adhuc aliæ particularitates, ad plenariam perfectamq; tyran-

tyrannidem spectantes reperiuntur. Ad Principatum dominiumque vero q attinet, ille à Iulio Barbarano tam expresse definitur, vt etiam omnia tyrannidis requisita in tractatu isto conspiciantur. Pari modo & alij adhuc auctores de eadem materia perbella lucubrationes suas diuolgarunt publiciq; juris fecerunt. Ex ijs omnibus autem Philo Hebræus de creatione Principum, Franciscus Patritius, qui librum de Regno edidit, Ægidius Romanus de regimine Principum, Horologium Principum Antonij Gueuaræ, alijque plures consulantur. Amplius attamen beniuolum Lectorem heic dilectæ breuitatis ergo, detinere nolo.

DISCVRSVS SECVNDVS.

DE ADMINISTRATIONE Imperatorum.

CVm heic de Politico Regimine verba facere constituerim per quod subditi ad virtutem incitantur, honestasque ipsis adeo inculcatur, vt ab omnibus vitijs serio abhorreant atque deterreantur, operæ pretium me facturum æstumaui si discursum hunc cum aurea Leonis Papę sententia inchoarem, qui quodam in loco sic ait: Integritas præsidentium salus est subditorum. Si enim ipsi Domini & Regentes probi sunt atq; integri, tunc plerumque & subditi tales sunt: quocirca Plutarchus ad Traianum ita scribit: Si primo te composueris ad virtutem, recte procedent vniuersa. Improbi Regentes vero communiter & improbos subditos efficiunt, iuxta sequentem Poetæ versiculum:

A boue maiore discit arare minor.

Quocirca etiam ISOCRATES Regem suum ita erudiebat, quod videlicet ante omnia eo spectaret, vt probitate & pietate omnes eos, quibus summo cum præesset imperio, antecelleret. Eamdem etiam sententiam Halicarnasseus amplectitur, dum contendit naturalem quasi legem esse vt pij probique viri cæteris hominibus imperent. Si enim subditi aliquid boni discere velint ac debeant, Regentes sane bono exemplo ipsis adeo prælucere tenentur, vt cæteri ab ipsis non solummodo exemplum capiant, verum etiam omnes suas actiones atque adeo

ipſam vitam ſecundum Magiſtratuum ſuorum exempla conforment. Ad illud autem ſummopere neceſſarium vt nimirum juſtitiam & integritatem ament, eaſdemq; & ſubditis ſuis gratioſam amabilemque faciant.

Poſtmodum quoq; ſapientia, prudentia, fidelitate, amore erga ſuos ſubditos, pietate, honeſtate &c. ornatos ipſos eſſe, oportet, vt hac oratione ipſorum ſubditi eo magis ipſos reſpiciant, colant, atque diligant. Haſce autem virtutes ſingulas ordine ponderabimus, quur videlicet alicui Magiſtratui, omnibusque ijs, qui ad gubernacula Reipulicę conſtituti ſunt, per quam ſient neceſſariæ.

Et primo quidem ſapientiæ atque prudentiæ à nobis facta mẽtio, quas nemo negare poterit, quod Regenti alicui non perquã, ſient vtiles & neceſſariæ. Ijsdem enim non ſolummodo inſtuitur qua ratione videlicet officio ſuo bene fungi debeat, verum etiam omnium ſuarum actionum fundamentum eſt, quemadmodum etiam à Cicerone haud immerito magiſtra & vitę conſeruatrix nuncupatur. Apolophanus Stoicus tanti eam æſtumabat, vt de ea ſæpius dicere ſolebat, eſſe eam virtutem ipſam, aut reliquas virtutes in ſe complecteretur, vel omnes virtutes ipſi ſubiicerentur. Bion eamdem etiam ſummopere prædicabat, dum inquit: Sapientiam tanti faciundam eſſe, quantum oculi cæteris ſenſibus omnibus anteferantur. Epicurus ait, ſapientiam eſſe ſummum bonum, vel tamen iſtiusmodi donum, quod aliis longe præferendum ſiet. Illa ſiquidem, pergit ille, cauſas inquirit, & ſcire deſiderat, quur nimirũ quispiam aliquid agat vel in ſe ſuſcipiat, bonum ſemper eligit, & malum poſt ſe relinquit. Qubus etiam Stoici adſtipulantur, dum inquiunt: ſcientiam ſapientis alicuius viri velocem perfectumque eſſe habitum: quo innuere volũt, quod ſapiens non diu meditetur, ſed quam primum rationem colligat ſibique in memoriam reuocet ea, quæ facere aut intermittere debeat. Plotinus, dum de virtutibus ciuilibus verba facit, ſapientiam omnibus relipuis virtutibus præfert, eamdemque ſupra præmeditationem, prudentiam, perceptionem, & aſtutiam extollit, vbi demonſtrat & probat, quod omnes illæ in & ſub ea compræhendantur, atque adeo ſapientem præmeditatum, prudentem, aſtutumq; eſſe aſſeuerat: immo quod potentiam ſuam, Hipparcho Aſtronomo teſte, ad ſydera vſque & efferat. Vnde etiã veteres, ſapientiam

tiam depingere volentes, imaginē faciebant, quæ ita collocata positaque erat, vt vndiquaq; circumspicere posset, & oculos suos in se intuentes, vbi locorum etiam cōsisterent, conuertebat: quam etiā Emulius Romanus ita pinxit, & hoc modo apud omnes, qui illam viderunt, celeberrimum nomen consequutus est, cunctis ipsius artem eximiam prudentemque inuentionem summopere admirantibus. Liber sapientiæ quoque ait: Concupiscentia sapientiæ deducit ad Regnum perpetuum: & paullo post, multitudo sapientum est orbis terrarum sanitas: quo innuere & significare voluit regentem sapientem perpetuo regimine dignum æstumari, eosdem quoque conseruat, qui sub suo regimine degunt, id quod de sapientia in genere nunc sufficiat.

Vsus & vtilitas Sapientiæ Ad vsum vtilitatemq; sapientiæ quod attinet, quamuis vires suas supra omnia exerat, nihilominus tamen eamdem sapienti alicui Regenti nusquam magis necessariam esse autumo, quam hac in parte, vt videlicet homines sibi subiectos in pace & concordia conseruare possit. Quem in finem Cassiodorus lib. 1. epistol. XX inquit. Ad laudem regnantis trahitur, si ab omnibus pax ametur: & lib. 5. c. 29. Quis populi suauissima, inquit, & dispositio tranquilla regionum, præconium probatur esse regnantium. Ideo etiam Anchises apud Virgilium filium suum Æneam sequentibus adhortatur:

Hæ tibi erunt artes, pacique imponere amorem.

Sic Romanorum Imperator FREDERICVS, titulo de tenenda pace, summopere de se gloriatur. Similiter & Baldus Perusinus sup. tit. de pace Constantiensi: Gorgias Leontinus ciuitates Græciæ ad eamdem amplectendam serio adhortatur, dum in discordijs & contentionibus inter se inuicem digladiabantur. Demetrius Magnesius ea de re integrum librum ad Pomponium Atticum scripsit, postquam vidisset, quatenus videlicet Romani discordiarum semina inter se disseminassent. Sic Salustius vtilitatem pacis egregie in notissimo isto dicto describit, inquiens: *Concordia res paruæ crescunt: Discordia autem magnæ dilabuntur.* De Parthorum quodam Rege Historiarum monimenta testantur, quod lethaliter decumbens, & morbo fatali corruptus liberos magno numero conuocauerit, atque, doctrinam de grata pace atque concordia ipsis tradere volens, fasciculum, in quo tot sagittę, quot habebat liberos, colligatæ

erant, seniori filio tradiderit, & eidem mandauerit, vt omnibus viribus commemoratum modo fasciculum sagittarum confringere niteretur. Ipso autem minime fasciculum istum frangere valente, & cæteris eumdem porrexit. Cum autem & illi heic incassum laborassent, fasciculum istum dissoluere iussit. Quo pacto vnicuique sagittam vnam ad frangendum porrexit, & hoc modo singuli singulas facilime, & absque vlla molestia, confringebant: postquam igitur, vti iam dictum, singuli sagittas istas confregissent, parens eosdem ad alendam inter se inuicem concordiam, sequentibus verbis adhortatus est: Quemadmodum, inquit ô filij amantissimi, fasciculum istum frangere neutiquam potuistis, ita & vos inuicti eritis, si inter vos concordes vixeritis; sin vero discordes eritis, tunc facile vinci, atque ex Regno pelli poteritis. Eiusdem sententiæ & opinionis fuit quoque D. Augustinus, dum in regula, Canonicis regularibus præscripta, sic ait: In vnum estis congregati, vt vnanimes habitetis in domo, & sit vobis anima vna & cor vnum in DEO. Bene enim ipse expertus erat, quãtam in Ecclesia commoditatem vtilitatemque grata Pax pareret, quæ tamen, perturbato turbulentoque hocce nostro tempore, tam friuole nauci æstumatur atq; contemnitur. Aristoteles in Oecumenicis, in quibus ciuitatem atque cummunionem describit, ita inquit: Ciuitas est ciuium vnitas, ad bene viuendum ordinata. Si enim ciues bene honesteq; viuere debent, tum ipsos concordes etiã esse oportet, idque potissimum suam à concordia trahit originem. Qua de caussa etiam in Politicis demonstrat, homines per concordiam ad omnem prosperitatem peruenire posse. Id quod legislator Lycurgus bene intellexit, ideoq; etiam ciuibus suis concordiam tantopere commendauit. Ea de re præclare etiam Democritus loquitur dum ita ait: Actum est de ciuitate, in qua imperium traditur discordiæ: quod etiam Pisistratus confirmat, dum asseuerat: maiores ciuium hostes esse nequeunt, quam cum ciues inter se diffident. Quid vero discordia exoriatur, id Virgilius in quadam Ecloga præclare ob oculos posuit, in qua rusticum, de intemperie ista sequentibus verbis conquerentem, introducit:

Impius hæc tam culta noualia miles habebit.
Barbarus has segetes? Heu quo discordia ciues
Perduxit miseros, en queis conseuimus agros?

Damnum

Damnum exdiſcordia dimanans Lucanus etiã quam breuiſsime complectitur, dum Senatus Romanus Brutum ſicalloquitur.

Summum, Brute, nephas ciuilia bella putamus.

Hiſtoriarum monimenta inſuper ſatis ſuperq; teſtantur, quãta videlicet damna diſcordia prouinciæ, ciuitati, atque adeo in genere cuidam regimini inferat. Nam potentiſſima vrbs Babylonia à Cyro, maiori ex parte per incolarum diſcordiam, occupabatur. Sic vetuſtiſſima nobiliſſimaq; Carthago per eandem defenſorum æmulationem, atque inuidiam in cineres fauillaſque abijt. Græci per ſuam diſcordiam ſub Philippi iugum mittebantur: quemadmodum & ipſum Regnũ Iudaicum ex mera ipſorum etiam Iudæorum diſcordia interiit. Et ni Indiani inter ſe inuicem diſcordes fuiſſent, tunc à Regina Semiramide non adeo facile debellari potuiſſent. Ita quoq; Lacedæmonij non tam ſæpius in fugam verſi atque cæſi fuiſſent, niſi per diſcordiam ſeipſos debilitaſſent, atque adeo cum illo grandi tormento, quo inſignes etiam Prouinciæ & vrbes deſtruuntur, ſubuertuntur, atque in nihilum rediguntur, impetiti fuiſſent. Numidij numquã in Romanorum poteſtatem perueniſſent, ſi ambo fratres concordes permanſiſſent. Roma ipſa, quæ tam longo temporis interuallo in alma pace floruit, numquem, vti, illud Cato longe ante præuiderat, viribus ita attrita & diminuta fuiſſet, ni furioſa diſcordia ciuium animos ita turpiter occupaſſet. Vt autem & de noſtris temporibus heic aliquid in medium proferamus, quid aliud florentiſſimam iſtam Genuenſium Rempublicam ſua gloria piuauit, niſi ſola diſcordia? Sic Piſani, qui toti[9] maris dominium & imperium ſibi vendicare conabantur, à Florentinis in ſua diſcordia ſub miſerabile iugum miſerabiliter miſſi, atq; redacti fuerunt. Immo Florentini ipſi priuilegia libertatemque ſuam amiſerunt, quam primum ignobile vulgus Nobilitatem oppugnare, atq; adeo exoptatiſſimam pacem violace cæpit. Ita quoq; Senenſes præſenti turbulento ſtatui ideo implicati ſunt, quod, veluti manifeſto depræhenſum eſt, imprudentes inquilini in florentiſſimo iſto regimine ſuæ Patriæ, ex qua, tamquam equo Troiano, tam præclariſſima ingenia prodierunt, non quiete adquieſcere potuerunt: quemadmodum etiam Lælius Ptolomæi Senarus interitnm rixoſę regnantium diſcordiæ & cõ-

tentioni imputauit, dum inter cętera sic ait: Omnis clades exinde potissumum orta est, quod arcus nimirum tensus fuerit, factiones extiterint, nec Reipublicæ administrationis ratio habita fuerit. Ciuibus nostris, pergit idem ille, omnes relliquas Italiæ ciuitates impleuimus, nostram vero ciuitatem in extremam perniciem & inopiam redegimus, atque adeo omnes ferme eiusdem plateas sanguine occisorum contaminauimus. Extrinsecus quoque omnem nostram reputationem atque respectum amisimus. Qua de causa præterea Pistosa periit. Ex nulla sane alia quam p perniciosissimam Guelphorum, Gibellinorumque factionem. Quare inlustris ista ciuitas Æmilia pessundata est, nisi solum discordiarum rixarumque infortunium? Quur pulcherrima Hesperia toties à peregrinis barbaricisq; populis hostiliter impetita fuit, nisi per solam Magistratuum dominorumque suorum discordiam? Qua ratione Turci tota Oriente potiti sunt, nisi per Christianorum contentiones, qui totam ferme Christianitatem, sub prætextu Relligionis diuinique cultus fraudulenter occuparunt. Manifestum itaq; est & notorium, discordiam omnium malorum causam, Nobilissimam auream q; pacem, vice versa, omnem salutem prosperitatemque secum adferre. Quemadmodum illud prudentissimus ille Meneni⁹ Agrippa, postq̃ ol m ignobile vulg⁹ à senatu defecisset & montem Auentinum occupasset, per ingeniosum artificiosumque quemdam Apologum de cõfœderatione omnium membrorum contra ventrem, innuere atq; ita eo ipso indicare voluit, quod videlicet ex discordia interitus, econtra vero ex concordia totius ciuitatis salus & prosperitas exoriri soleat. Lacedæmonij, animaduertentes aurum omnium rixarum perniciosarumque contentionum caussam esse, per decretum illud vrbe sua excluserũt. Sic Plutarchus in Solone refert, Aristidem aliquoties nullum non mouisse lapidem, quo ciuium Atheniensium indies eo magis magisque gliscentem discordiam iterum sedaret, cum significatione certissimi interitus, qui rixosas istas contentiones necessario sequi oporteat, Idipsum quod prudentissimus ille Romanus censori. Cassius, quoque innuere voluit, dum ex amore Patriæ, & ad eiusdem conseruationem, in Palatio, vel in curia, statuam concordiæ erexit, & modo dictum istud Palatium Concordiæ consecrauit

crauit in eo conuenientes, sibi semper reuocarent in memoriam, odium videlicet, inuidiam, atque discordiam inibi nullum locum habere, sed mox ante limen, in emolumentum Patriæ, deponi debere. Petrus Albertus Lollius, qui ob eximiam suam laudem sua laude nequaquam defraudandus est, in oratione quadam pacem, quietem, atque concordiam præcipuas columnas atque fulcra regiminis alicuius esse asseuerat: quemadmodum, vice versa, vna cum cottidiana experientia, Plato testatur, quod nullum pestilentius venenum Reipublicæ magis incommodare posse quam ipsam discordiam, per quam breui etiam tempore omnes bonæ salutaresq; constitutiones labefactentur, statuta contemnantur, Magistratus ludibrio habeantur, iudicia tollantur, atque tamdem omnes anguli furore, tyrannide, & intemperie repleantur: ex quo sane nihil aliud, nisi ferina & turpissima vita oriatur, in qua neque honor, neque dedecus, neque timor, neque fidelitas, neque fides & relligio, neque vlla etiam integritas considerentur. Post Numantinæ ciuitatis destructionem, quæ satis diuturnam Romanorum obsidionem tolerauerat, iunior Scipio Celtiberorum quemdam principem Tiresiam, interrogauit, quomodo ciuitas tantam Romanorum potentiam tamdiu sustinere atque ijsdem resistere potuisset: solam concordiam, respondebat Princeps, ipsis toto isto obsidionis tempore asylum & conseruationem fuisse: quamprimum autem à se ipsis desciuissent, tum illico Romanis amplius non resistere potuisse. Cornelius Frangipane, eloquentissimus ille orator, in oratione quadam ad Franciscum Donatum Venetiarum ducem, inter alia hæc quoque verba vsurpat: O Nobilissimam, inquit, & amabilissimam concordiam, filiam altissimi *DEI*, matrem silentij & quietis, sororem charitatis & fidelitatis, conseruatricem omniũ artium, immo omnium ciuitatum & Regiminum per quod enim cœli conseruantur, nisi per harmonicam quandam concordantiam & concordiam, quæ ipsis à primo motore & creatore data fuit. per quod totius terrarum orbis ingens machina conseruatur, nisi per pacem & bonitatem sui magistri? Quis omnia in vniuerso mundo viuentia animalia in pace & quiete conseruat, nisi sola pax & concordia? Quis corrumpit, de vastat, & omnia sub sole in nihilum redigit, nisi discordia? An etiam fieri potest, quod tam ecclesiæ,

ſiæ, quam politiæ regimen conſeruari poſſit, ſi modo & pernicioſiſſimum diſcordiæ nomen exauditur? Quid autem de inductione & vſu turpiſſimi odioſiſſimiq; iſtius nominis in patria noſtra cẽſendum eſt, quod tamen nihil aliud, quam diſcordiam, rixas ſeditiones, omnimodaſque confuſiones, calamitates, atq; miſerias ſecum adferre ſolet? Quæ alias præcipua cauſſa eſt, quod etiam noſtra Reſpublica quaſi ad interitum declinat, niſi mala eiuſdem adminiſtratio, tyrannis, atque iniquam iugum, quæ ab ipſa iniquitate, omnis noſtræ ſalutis atque proſperitatis hoſte, ſuam trahunt originem, quæque non ſeminata, ſed in magiſtratuum cordibus ſua ſponte enata ſunt? Quis patriam communem noſtram matrem in extremam perniciem præcipitat, quam infelix atq; iniquum iſtiusmodi imperiũ, quod ex maliuolorum improborumq; hominum arrogantia exortum eſt, qui tamquam eo fine in hunc mundum nati eſſe videntur, quaſi lugentem mæſtamque nimis ipſorum matrem, magis, quam Sylla, atq; Nero triſtiorem reddant, atq; eamdem omnino prorſus enecent? Quis ipſi libertatem ſuam ademit, eãdemque pernicioſiſſimis etiam ipſius hoſtibus tradidit, quam illorum cœca concordia, qui tyrannis plus fauent, quam bono i, proſperitati atque vitæ ipſorum? Ah quam probe diligenterq; Senecæ dictum ad Lucilium perpendendum eſt, dum inquit: Ne ſeditioſis te immiſceas ipſorum enim duo dumtaxat te in extremã perniciem præcipitare poſſunt. Nec nouationes ſcire deſiderato, illæ ſiquidem & tibi nimis difficiles erunt, periculisq; te facile implicabunt, quemadmodum etiã nulla umquam innouatio, vt vere loquar, in ciuitatem noſtram, niſi ab imperito, introducta eſt, atq; tum omnis generis incommoditates ſecum adtulit. Vnde exiſtit intolerabilis iſta ſeruitus à qua tot honeſti integriq; viri premuntur, & ferme opprimuntur: niſi ꝙ nulla habeatur ratio quo pacto videlicet firma conſtansque concordia inter humanam ſocietatem alenda & vice verſa, malitiæ auaritiæ, & arrogantiæ, iniuſtitiæ, & maliuolentiæ maliuolorum quorundam hominum (. ſi modo adhuc homines, & non potius odioſi diaboli nuncupandi ſunt.) vnanimi conſtantia & potentia obuiandum fiet: Quocitca omnia damna detrimentaque ex deploranda ſane diſcordia oriuntur. Reipuplicæ Adminiſtratores itaq; omneis ſapientiæ intellectusque

sui neruos eo potissimum, vti paullo ante diximus, dirigant, quo melius pacem & concordiam suis in Prouincijs & inter ipsorum fidei concreditos subditos conseruare possint.

11 Quum vero Iustitia fulcrum sine fundamentum fiet, quo pax nobilissima vnice & solum innitatur, vti libro Sapientiæ legitur: Indisponenda concordia lex est iustitiæ: & in psalmo: orietur in diebus eius Iustitia & abundantia pacis &c; ideo summopere necessarium est, vt etiam Regnantes semper Iustitiæ & integritati studeant, sin modo pacem & concordiam conseruare velint. Quo enim modo subditi pacifici & quieti esse possunt, si proprijs suis oculis videre necessum habent, quod ipsorum Præsides non Reipublicę, sed priuata suæ dumtaxat vtilitati inseruiant, & bona publica in priuatum suum commodū conuertant? si improbos nebulones defendant: indignos honestis muneribus & officijs præficiant, pios & integros econtra relegent in exilium, accusatis iniuria calumnioque adfectis nullam aurem vacuam relinquant, nemini, pro suo tamen merito, ius suum tribuant, in iure dicundo ipsis lōgiorem morā nectant, iniustis manus suas auxiliatrices porrigant, omneis contemnant, & tandem eo potissimum intenti sunt, vt noua subditis imponant grauamina, & quę sunt ijsdem iniquitates similes? Et quę pax remanere ibi potest vbi domini vel regnātes, tamquam Pastores, oues suas infideliter tractant, &c, tamquam lupi rapaces, easdem deuorare conantur? Vbi persona quædam libera tacere potest, quando videt, quod libertate sua priuetur, & modis omnibus honore ac bonis suis exuatur? vbi intolerabile iugum æquo animo sustinere, & talem tyrannum patienter ferre potest, de ipsorum infortunio, atq; vbi de suo luditur corio, exultat, & cuius nephando scelestoq; sub imperio sapientes, & stulti, iuniores, & seniores, docti, & indocti, amici, & inimici pares æstumantur? Et hoc sane regnantes probe perpendere & iustitiam rite administrare necessum habent, ne forsitan, per passiuam & adfectum quemdam, vllo modo seducantur atque corrumpantur. Iustitiæ autem proprietatē Macrobius non tā breuiter, quam eleganter etiam hisce verbis describit, Iustitia, inquit, est vnicuique seruare quod suum est. Nec vulgare quidem est elogium, quo Eristheus ab Ouidio, lib. 6. metamor. cohonestatur.

Sceptra loci, rerumq; capit moderamen Eristheus,

F *Iustitia*

Iustitia, dubium est, validisne potentior armis.

De Ægyptiorum Rege Buchiri Suidas refert, quod, bene administratæ Iustitiæ ergo, admodum celebris fuerit. Vnde etiam Paulus Manutius, mutuato prouerbio, iustum iudicem denominare volens dixit, esse eum alterum Buchirem. sic Herodotus de Glauco Lacedæmonio scribit, quod, iustitiæ & integritatis suæ caussa adeo bene apud omnes passim audierit, vt illum & peregrinæ quoque Nationes Spartæ quæsierint, ipsiusq; iudicio sese subiecerint.

III. *Fidelitas.* Huc pertinet etiam fidelitas, quę quasi Iustitiæ soror est, & æq; omnes actiones alicuius regnantis mirum in modum ornat. Vnde Cic. 2. offic. inquit: Summa & perfecta gloria constat ex his tribus: si diligit multitudo: si cum admiratione quadam honore nos dignos putet: si fidem habet. Pari modo de fidelitate in lib. de legib⁹ sic ait: quod videlicet illius maiestas supra relliquas virtutes omnes venerari atque conseruari debeat. Plato philosophus iste sapientissimus ait, fidelem candidumque virum maioris esse æstumandum, quam pretiosum mundi aurum. Sic & Orpheus, quem Prisci Gentiles pro suo Theologo habuerunt, fidelitatem nutricem illorum hominum esse asseuerat, qui ad summa honorum culmina atq; dignitates extollendi essent. Quo & Cato respexit, dum apud Cicer. lib. 3. offic. ait, quod nimirum fidelitas templum suum apud Iouem habeat: & Valerius Maximus Fidem venerabile numen esse affirmat. Eamdem etiam Veteres in brutis animalibus venerati sunt. Nam, vti Seruius testatur, canes isti ferme diuino honore affecerunt, idq; solummodo ipsorum fidelitatis caussa. Certo itaq; certius, quod fidelis aliquis Regnans summopere colendus sit. Vice versa infidelis non satis culpari immo execrari potest: id quod plerumque illum tangit, qui subditos suos, contra datam fidem, nullo iuris titulo onerat, commune bonum ad se solum pertrahit, fraudulenter cum libris agit falsa in eosdem consignat, veritatem delet, summam tam debiti, quam crediti falsat, & bona oppignorat: In summa, vt turpissimo auaritiæ desiderio satisfaciat, qui omnia ad suum emolumentum, & damnum detrimentumue subditorum mutat. de tali æq; dici potest, quod olim Seruius de Curione affirmauit, quod nimirum is Cæsari vniuersum Romanum Imperium XXVI coronatorum M vendiderit. Talis siquidem

dem auarus Euclio, modo vt ingentem peccuniæ aceruum corradat, non dumtaxat vendit, sed & in extremam quoq; perniciem propriam suam patriam turpiter præcipitat.

IV. Amor & humanitas erga subditos.

Verum enim vero, vbi nunc humanitatem & amorem heic relinquo, quibus fidelis candidusq; aliquis regnans tantam sane laudem meretur, vt etiam post ipsius vitam, à subditis suis laudetur, atque rediuiuus exoptetur. Illud aũt potissimum in eo consistit, vt nimirum subditis de rebus omnibus ad vitæ sustentationẽ necessariis prospiciatur, rerum vilipretium in prouinciam vel ciuitatũ aliq̃ introducat, &, econtra, annonę caritas ex ijsdem propellatur, victualia abundanter inuehantur, miseris & egenis succurratur, afflicti consolentur, & vnicuiq; egenti, pro exigente necessitate, manus auxiliatrices porrigantur. Hac de virtute laudatissimus ille Romanorum Imperator Iustinianus, Instit. tit. de Libertinis, summopere, & quidem non immerito gloriatus est, dum, inter alia, sic ait: Nostra pietas omnia augere, & in meliorem statum reuocare desiderat. Ita & veteres istiusmodi homines in genere summis honoribus affecerunt, eosdem & pluribus adhuc alijs virtutib⁹ ornatos esse sibi certo persuadentes. Hercules, Varrone teste, eamdem istam ob virtutem, qua cuilibet subueniebat, *DISSIPATOR MALORVM* nuncupabatur. Equidem quo pacto quis, si dicamus quod res est, maiorem sibi gloriam honoremque comparare poterit, nisi cum rerum omnium indigenti manus auxiliatrices porrigat? Romani in domiciliis suis plerumque *DOMVM GRATIARVM* extruebant, quibus innuere volebant, quod singulis hominibus debito amore & auxilio subueniendũ siet. Quo melius etiam Lycurgus ciues suos ad eamdem virtutem incitaret, hanc ipsis doctrinam præscribebat, ne videlicet forsitan sibi persuaderent, ipsos priuatas personas esse, & rebus dumtaxat priuatis suis inuigilare, sed potius eo respicere debere, ipsos apibus similes esse quæ omnia ad vtilitatem publicam conferrent. De Troiano scribit Ausonius, ipsum adeo humanum fuisse, vt etiam ægros decumbentes domi visitaret, eaque in re consuetam Maiestatem & reputationem omnino deponeret, neque insuper isto in negotio se alium simulasse, quam quod persona aliqua priuata fuisset. Et sane tanta illa virtus nulli Monarchæ, quantus etiam ille siet: dedecori, sed multo potius deco-

Domus Gratiar.

ri atq; ornamento est, eumdemque maxumopere commendat, si videlicet amabilis atq; humanus fiet: inhumanus & elatus vice versa Magistratus aliquis, nullam apud subditos suos amorem, multo minus gloriam atque honorem consequitur. Quid enim ipsos ad rebellionem & excitandos motus contra superiores suos magis impellit, nisi morosi mores, inhumaniq; gestus suorum Magistratuum & præsidentium? Vnde maiores exoriuntur quærelæ, quam per fastuosos elatorum odiosorumque Magistratuum eorumdemq; vices agentium, sermones? Qua de re tam impatientes fiunt, vt quandoque insurgant, & arma corripiãt, nisi per morosam istiusmodi inhumanitatem, ex qua diuersimodæ intolerabiles violentiæ, molesta grauamina, alicuique periculosæ difficultates exoriri solent? Pari modo & vera pietate, relligique singulari, erga diuinum cultum, præditos ipso, esse oportet, idque non dumtaxat ratione propriæ suæ conscientiæ, verum etiam vt bono exemplo suis subditis, in omnibus publicis externisq; suis actibus, iure præluceant. Vnde etiam Quintilianus ait: qui Deum vero ex corde timet: is sane nihil temere suscipiet. Alexander Magnus, qui iure nomine isto gloriatur, & ita nomen & omen habet, suo exemplo satis superque demonstrat, quantopere regnans aliquis dominus sibi eamdem commendatam habere debeat. Postquam enim ipsum aliquando vnus ex aulicis suis grauiter offendisset, atq; de caussa postmodum ad asylum (quæ plerumq; deorum altaria in se continebãt.) sese, recepisset, ad lictorem suum aulicum megabitum literas exarari curabat, vt si commode reum loco dimouere posset, tum in vinculis eundem ad aulam suam regiam adduci curaret: sin minus, ipsum violenter à loco Sancto minime dimoueret. Talis libertas etiam Ephesi in templo Dianæ erat, ex quo nemo facinorosus, quicquid etiam mali perpetrasset, violenter eripiebatur. Sic Numa Pompilius eius rei gratia à Liuio celebratur, quod non dumtaxat diuos suos summo honore affecerit, verum etiam ceremonias, quibus Romani festa sua celebrarent, descripserit. quocirca etiam Hannibal, vice versa, ab Appiano & Plutarcho merito reprehenditur, quod, penes alia flagitia, summe blasphemus, & omnis relligionis contemptor fuerit. Quamobrem etiam Hañon Carthaginenses ad hortatur, ne videlicet tali iuueni frenum adeo

V. *Pietas & zelus erga diuinũ cultum.*

laxarent

laxarent, neque petulantiam, quæ indies in ipso adcrescebat, ipsi permitterent. Dominus itaq; regnans aliquis pietati cumprimis studeat, vtpote in quem omnes subditi oculos suos conijciant, & in eodem, tamquam iusto infallibiliq; speculo, sese contemplentur, quid nimirũ ipsos deceat, & dedeceat: nec eos imitetur, qui conciones, atque adeo vniuersum cultum diuinum, non secus, veluti diabolus S. crucem, fugiunt, sed multo lubentius venationibus, conuiuijs, ludis equestribus, ducendis choreis, siue saltationibus, alijsq; huiusmodi ludicris certaminib⁹ delectantur.

VI. Honestas & boni mores. Deniq; in regnante aliquo etiam honestas & boni mores requiruntur, quippe qui non dumtaxat aliquem amabilem reddant, verum etiam, ad conseruandam reputationem & auctoritatem, multum faciant. Et hæc sane apud Romanos Magistratus valde communis erat, qua de re etiam Maccabæi, vti lib. 1. istius historiæ legitur, cum Romanis arctam amicitiam familiaritatemque contrahebant. Sic etiam Scriptores Historici Demetrium, Antigoni filium, summopere commendant, ex cui⁹ facie singularis aliqua honestas emicuerit, quasi eum potissumum in finem natus fuisset, vt hoc modo homines, per humanitatem istam suam, quam non solummodo in facie, verum etiam in gestibus præ se ferebat, ad se alliceret. Ita quoque amabilitas & humanitas Philippi Macedoniæ Regis maxumopere prædicatur, atq; inter alia, sequens de eodem exemplum commemoratur: Nam cum aliquando Diogenes, penes alios captiuos, ad ipsum adductus ab illo, quis esset interrogat⁹ fuisset, ipse Diogenes vero, se ipsius insatiabilium cupiditatum exploratorem esse, respondisset: Rex non dumtaxat dictis eius arrisit, ve um etiam illum illico dimi ti iussit. Tyberij Imperatoris lenitas & mansuetudo in hoc apparuit, ꝙ dum ad imponendas prouinciis suis contributiones, adhortaretur, responderit: *Boni pastoris esse, tondere pecus, non vero deglubere.* Sic in Dionysio Syracusano pro singulari honestate habebatur, quod, adepto regno, nullo pretiosiori sumptuosiorique victu, & habitu, quam quibus in priuato statu vsus fuerat, sese conspicuum fecerit, sed, velut antea, in Platonis Academiam diuerterit. Omnibus itaque in regimine aliquo constitutis summæ laudi gloriæque futurum erit, si ob honestatem & humanitatem laudabuntur, quippe quæ omnibus Nobilibus & præ- *Boni pastoris officium.*

ſtantibus animis ſingularia ornamenta ſunt. Vice verſa moroſi inciuiles, & intractabiles (qui exiſtimationem reputationemq; ſuam ſeſe conſeruare exiſtimant, ſi parce loquantur paucos in conſpectum adque colloquium ſuum admittant, omnia contemnant, & naucifaciant) exiguum ſane honorem merentur, ſed de ſeipſis produnt, quod ferinæ naturæ non immerito apud Timonem, Miſanthropon, ob hominum odium, nuncupatum, in ſolitudine magis, quam apud honeſtos, humanoſque & tractabiles homines in ciuitate quapiam degere debeant.

Quales Imperij alicuius administrationi præficiendi. Heic autem quæſtio ſuboritur, an videlicet Imperiorum ſiue regiminum adminiſtratores, ſi, vti paullo ante eosdem ſic deſcripſimus, in ipſis nihil vmquam deſideretur, commode, vti quidam opinantur, perpetuentur, hoc eſt, per omne vitæ tempus in Reipublicæ adminiſtratione rellinquãtur? reſpondeo: ſi de bonis & fidelibus iſtiusmodi Regnantibus ſermo habeatur, tum commemorata iſta ſane opinio locum habere videtur: quemadmodum etiã apud omnes certum, quod malus & pernicioſus magiſtratus non in perpetuum retinendus, ſed ne diẽ quidem in tã honorifico officio, quo adeo male fungitur, tolerandus ſiet. Equidem, quantum apud me colligo, neutiquam iudico bonos ſemper in regimine ſeruandos eſſe, non ſane, quaſi honorifica iſta perpetuatione forſitan indigni habeantur, ſed quod eo ipſo neque ſibipſis, neq; etiam reipublicæ emolumentum aliquod adferant: Neque hic conſequentia, quam forſitan mihi aduerſa pars obijcere poſſet, locum obtinet, quod videlicet vel in ſeipſo, aut per accidens bonus eſſe poſſit: de accedentali ſiquidem bonitate non diſputatur, & fatendum eſt, quod modo dicta iſta bonitas facilime immutari & labi iterum poſſit: quocirca heic, vt & in cæteris rebus omnibus, periculoſa eſt mutatio. Multæ enim res in & per ſe bonæ quidem ſunt, quæ tamen non omni tempore bonæ ſunt atque vtiles. Exempli gratia: Veritas per ſe bona eſt; ſi vero inopportuno tempore inconſiderate proloquatur, tum ſępiſſime proloquenti ipſi vergit in præiudicium atq; detrimentum. Similiter & correctio per ſe bona eſt: ſin autem imprudenter inconſiderateque fiat, plerumq; ſæpius malum contrariumque effectum ſortitur. Ita etiam de Regnante, quemadmodum hoc in diſcurſu deſcriptus & depictus eſt, loquor ꝙ quidem per ſe bonus, non tamen omni

tempore

tempore fiet vtilis. Prima caussa, siue fundamentum meæ opinionis contra perpetuationem hæc est: Etiamsi regnans nō dumtaxat bonus sed etiam omnium esset optimus, nihilominus tamen minime est conducibile, quod in communione quadam in qua plures reperiuntur homines, qui ipso etiam facto boni sunt, bonus, vel etiam optumus, imperium præ illis obtineat, qui tamen ipsi per omnia sunt similes: posset enim aliquis sic inferre, quod tum optumi omnium essent infelicissimi, ꝙ nimirum nunquam honores istos adipiscantur, quos tamen, ob bonitatem & virtutem ipsorum, iam ante fuissent promeriti: Honor enim virtutis cibus iucundissimus & optimus. Qua de re etiam Cicero de Republ. ita ait: Regnans aliquis non alio respiciat, non aliunde se nutriat, nisi de suis honoribus.

Secundum huius rei fundamentum hoc est: Si nimirum multi, similis status, dignitatis, atque honoris, simul congregati sint, ex illis tamen II. III. X, aut plures perpetuo regimini pręficiantur, cæteri vero, cum contemptu quasi, prætereantur: metuendum ne forsitan apud neglectam partem diuersimodæ discordiæ, & periculosæ contentiones exoriātur, quibus denique regiminis istius administratio in certū ruat exitium. Quo melius autem malo isti occurratur, summopere est necessarium, vt omnis detur opera, quo pacto & cæteri quoque de honesta aliqua suæ virtutis mercede gaudere, sibiq; ipsis gratulari possint. Id quod Cornelius Frangipane, celeberrimus & experientissimus ille vir, oratione sua ad Donatum Venetiarum Ducem, in Republ. Venetiana maxumopere commendat dum inquit: Prudentissima ista Respublica bona sua inter omnes suos subditos pari modo ęqualiter distribuit, nequaquam vero potentiam suam vni viro tribuit, nec vnum aliquem adeo potentem fieri sinit, vt patriæ suæ libertatem ad se solum rapere audeat. Heic dominatur, siue regnat, non vnus, non pauci, non nimis multi, sed simul multi boni, pauci meliores, & vnus, qui omnium est optumus.

Tertio, perpetua aliqua potestas apud bonos æque periculosa est, & facilime in tyrannidem mutari potest. Regiminis enim assecuratio, h. e. dum aliquis sibi persuadet, imperium ab se numquam translatum iri, apud multos insolentem parit audaciam, adeo vt sæpissime, tali sub occasione, propria quæratur vtilitas, &, magno

cum

cum periculo Suæriorum totiusque regiminis, per omnimoda grauamina, ad contentiones & seditiones arripiatur occasio. Quales Decemuiratus Romanus ad quem tamen non nisi optumi eligebantur, successu temporis calamitates excitarit, de eo Liuius, & alij Historici consulantur. Intuetatur quoque Romanorum quorumdam Imperatorum historia, qui omnem potestatem ad se solos rapuerant. Principes & Domini regantes sunt homines, quorum constantiæ neutiquam nimium est fidendum. Nam de Domitiano Historiarum monimenta testantur, quod, ab initio sui imperij res præclare administrauerit: successu tamen temporis tantam sane petulantiam exeruerit, vt non dumtaxat à promiscua plebe, verum etiam à Senatu ipso tamquam *DEVS* inuocari voluerit, vt iam horrenda ipsius, quibus vniuersum Romanum Imperium tum temporis contristabat, scelera & flagitia perpetuo silentio obliterentur. de Romanis quoque Pontificibus legitur apud Platinã & Corium: Intrauit, sicut agnus: vixit, sicut leo: mortuus est, vt canis. Sic etiam S S. literæ de Ioa, Ochosiæ Regis in Iuda filio, testantur, quod quidem prima vice Rempuplicam admodum bene administrauerit, tamdem vero in tyrannum degenerarit, & eius rei gratia, à proprijs suis ministris in lecto occisus fuerit.

Quarto, perpetuum regimen, ob sequentem caussam, minime optumum censendum est: quod nimirum nos homines numquã absque zelo atque æmulatione sim⁹: fieri enim tum facilime posset, vt quispiam imperij administrationi forsitan inhiaret. An igitur tum non est multo melius, vt finem temporis illius expectet, qui illud habet sub manibus, quã ipsius mortem, post quem in sola perpetuatione, ad istud honoris fastigium peruenire minime posset? Quoties etiam boni Regnãtes vestẽ, non animum, mutant, & peiores fiunt: toties alijs ansam occasionemque præbent, vt ipsorum vitæ struant insidias quo male sano exemplo tamen omnis generis miseriæ, & scandalosæ calamitates excitantur, per mutationem tamen omnino prẹcauentur. de Sylla apud Plutarchum legitur, quod, perpetua dictatura libere, & sua sponte deposita, sese apud populum Romanum adeo amabilem fecerit, atque ita vitæ suæ prospexerit, vt etiam, licet per crudelitatem suam multorum animos ab se alienasset & grauiter eosdem irritasset, nemo ipsi violẽ-

violentas

lentas manus inijcere ausus fuerit, adolescente aliquo excepto, cuius parentem antehac necari iusserat. Vice versa Caius Iulius Cæsar, quandiu consuetis istis honoribus sese ex satiari patiebatur, omnibus gratissimus erat, atque acceptissimus, fortuna insuper in omnibus suis consilijs ipsi summopere blandiebatur. Dum vero vltra sortem suam sese extollere, & perpetuam potestatem ad se solum trahere conaretur, omnium odia in se ita conuertebat, vt tamdem etiam à Cassio & Bruto, alijsque circumstantibus, in Senatu Romano miserabilem in modum dilaniatus atque trucidatus fuerit. Nec hilum quidem valet illorum obiectio, qui prętendunt, regiminis alicuius Perpetuitatem magnam regnantium adfectionem erga illum locum, in quo regnant, parere: Etiamsi enim illud negari non possit, attamen cottidjana testatur experientia, amorē illum tamdem se eo vsque extendere, vt non amplius regnantes & imperij Administratores, sed absoluti & proprietarij Domini appellari velint: quem in finem vires suas tantopere augēt, vt non amplius, vti tamen reuera sunt, pro ministris, sed pro dominis haberi & venerari cupiant. Cuius rei exempla apud Corium Platinam, Sabellicum, Blondum aliosq; de multis singularibus tyrannis quāplurima reperiuntur, qui, Romana sede, certissimis de causis, Auignionem translata, non iam magis vicarij, sed proprietarij domini in ciuitatibus, ad Ecclesiam pertinentibus, vocari & nominari voluerunt. Qua singulari erga loca, vti paulo ante diximus, adfectione tantas sane vires adquisiuerunt vt etiam, iustis & integris Romanæ sedis exercitibus vix ijs ex locis iterum expelli potuerunt. Et hic est cœcus iste amor, eiusdemque effectus, quibus excœcati omnia sua propria esse somniant. In summa, omnia, quæ saltim ipsis oculis intueri licet, sibi vendicant administrationem nullā amplius recognoscunt, sed puti puti sunt domini, qui nemini alij rationem reddere tenētur. Et hoc sicco heic pede præterire minime potui, etiamsi multos, in malam partem id mihi interpretaturos, haud defuturos cognitum compertumque habeam. Veritatem enim loquutus sum, quæ non immerito neminem latere debeat. Concludo itaque, quod videlicet boni regnantes quandoque in tyrannos transmutentur, & aio: Si quispiam regnans, vel alicuius regiminis administrator dominum ad se pertrahit, communia bona prodige

in lautissimis opiparisq; conuiuiis dissipat, nullam, nisi in genere, rationem reddere cudit, tamquam Dominus splendidam vitam viuit, multis ministris stipatus thrasonice gloriatur, omnibus indulget voluptatibus, nemini nisi sibi soli quicquam in bonam partem interpretatur, subditos onerat, malis officialibus, atque improbis ministris vtitur. Et in summa Nero erga vniuersam prouinciam & ciuitatem ipsius fidei concreditam existit, an non, talem esse tyrannum, quisque fatebitur.

Quis igitur bonus Regnans, aut fidelis regiminis alicuius Administrator & haberi, & celebrari cupit, is ante commemoratis virtutibus summopere studeat. Quisquis vero iisdem destitutus est, is non immerito pro tyranno censebitur, neq; adeo perpetuo aliquo regimine, sed multo potius turpissimo interitu, cum omnibus tyrannis, dignus iudicabitur.

IN SECVNDVM DISCVRSVM *Annotatiuncula.*

SI quis proprie scire desideret, quotuplicia in mundo sint Imperialis consulat Aristotelem lib. 4. Polit. ca. 5. & 6. quomodo interierint, vide eiusdem lib. 3. Polit. c. 5. quis optumus regnandi modus fiet, vide eiusdem lib. 3. cap. 31, quę securissima constantissimaq; sint lib. 4. Polit. cap. 11. & 5. Polit. cap. 1 Vnde mutationes Imperiorum existant, vide eiusdem Aristot. lib. 5. Polit. cap. 10. Sic Marsilius Ficinus in suo super Platonem commentario ait, dum iustum describit imperium; Gubernatio recta, inquit, est, cum fit gratia gubernati, non gubernatoris, Et libr. 7. de Republ. Platonis expresse indicat vnde potissumum omnifariæ Imperiorum difficultates existant. Ita quoq; Cælius Rhodiginus lib. 5. cap. 1. Antiquarum lectionum omneis proprietates enumerat, quas alij, qui alios gubernare conantur, habere necessum habent. Idem quoque facit libr. 13. cap. 30. Cumq; hæc materia cum illa, quę in primo isto Discursu compræhensa est, ferme correspondeat, iccirco etiam isti, in prima illa primi Discursus annotatiuncula allegati, Auctores consulantur: quibus etiam omnes relliqui Commentatores, qui Politicis Aristotelis illustrationib⁹ suis maiorem lucem adtulerunt, coniungantur.

Distinctæ

Distinctæ quoq; aliquot Orationes reperiuntur, in quibus sane eximij aliquot Discursus de communibus & particularibus regiminibus instituuntur. Ad communem autem alicuius ciuitatis super promiscuam plebem gubernationem quod attinet, de eo lib. 1. de Disciplina cap. 4. Petri Criniti legatur, in quo certe multæ eximiæ & memorabiles admodum sententiæ allegantur. De disciplina regiminum vero Alexandri ab Alexandro lib. 4. cap. 6. dierum genialium legatur.

DISCVRSVS TERTIVS

DE ECCLESIASTICIS IN GENERE: DEINDE ETIAM IN SPECIE DE PRÆLATIS, ET IISDEM SVBIECTIS: ITEM DE CÆREMONIARIJS, Superstitiosis, Canonicis, Monachis, Fraternitatibus, Equitibus, & Concionatoribus.

Auctorũ de Relligione opiniones & definitionis varia.

IN definienda relligione, quid nimirum sit, & vnde suam trahat originem, Auctores variant. Nonius Marcellus ait, quod Relligio nihil fiet aliud quã simplex aliquis Dei cultus. Cicero de natura Deorum: Relligio, inquit, est per quam reuerenti famulitio ceræmoniæ diuini cultus exercentur. Plutarchus in vita Pauli Aemilij ait: Veteres Philosophos scientiam cognitionemque cœlestium ac diuinarum rerum relligionem nuncupasse. Festus Põpeius relligionem nihil esse aliud, quam consideratam seperationẽ earum rerum, quas aliquis facere aut intermittere debeat, asseuerat. Arnobius lib. 7. contra Gentes, relligionem synceram ardentemque inclinationem animi erga res diuinas esse asserit. Philo Hebręus eamdem obedientiam & officium diuinum, quod Deus expresse mãdauerit, nuncupat. Seruius Sulpitius vero nomen relligionis à relignando dici affirmat, quasi relligiosus aliquis per pietatis vinculum erga Deum ligatus & obligatus fiet. Quocirca etiam Lucretius hunc loquendi morem vsurpat, dum de impijs verba facit, quod videlicet relligionis vinculum soluerint & dilacerauerint, vice versa autem Massurius Sabinus, relligionem à relliquendo definit tamq̃ relligiosus omnia post se rellinquat, & à cæteris omnibus separetur.

Cicero & Aristoteles, relligionem

gionem in ciuitate, & prouincia quadam, necessariam esse asseuerant, non tantum apud Regnantes ipsos, verum etiam apud subditos. Qua de re Aristoteles in politicis suis ait: Reuerentia erga Deos magis à regente quodam, quam à cæteris, requiritur. Istiusmodi enim hominibus subditi nihil in malam partem interpretantur, patienter aliquid ferunt, ijsdemq; sese eo minus audent obponere, tamqnam à quibus cogitationes conceperint, quod à dijs tueantur atque defendantur. Hæc itaque relligio, vel erga Deum reuerentia (vti sane & ipse Aristoteles fateri necessum habet.) homini quasi à natura ipsa implantata est; id quod inde apparet: Nam cum, præter omnem spem & expectationem suam, subitaneo aliquo infortunio & periculo obruitur, in quo neque sensus neque rationem colligere potest, tunc optando & suspiria ducendo ad *DEVM TER OPTVMVM MAXVMVM* suum sumit refugium, vel ad illud, quod *DEVM* esse existimat, quasi per doctorem aliquem, qui natura ipsa est, ad quærendum diuinum auxilium institutus fuerit. Sic mox ab initio mundi relligio sese fecit conspicuam, dum bini fratres, Cainus & Abel nempe, tanta reuerentia & deuotione sacrifica sua Deo obtulerunt. Quamuis illorum vnus sacrificij sui mox oblitus fuerit, Deique immemor fratrem suum germanum perfide trucidauerit. Paullo post Enochus quoq; viam præmonstrauit, qua scilicet ratione Deus inuocari, eidemque quilibet inseruire debeat. A diluuio autem multi reperti sunt, qui relligionem diuinumq; cultum instituere conati sunt. Id fecere Mercurius & Rex Mentia inter Ægyptios. Melissus, qui Iouem educauerat, inter Cretenses; Ian⁹, & post eum Faunus, inter Latinos. Numa Pompilius, inter Romanos: Moyses & Aaron, inter Hebræos: Orpheus inter Græcos. Quamuis præterea etiam Historiarum monimenta testentur, quod Gadmus, Agenoris filius, primus fuerit, qui cultum diuinum inter Græcos inchoauerit, postquam ex Phœnicia venisset: Vnde etiam mysteria deorum ipsorum festa, imaginum consecrationem, Hymnos, Pompas, & diuersimodas ceræmonias, apud diuinum cultũ, vti quidem sibi persuadebant, vsitatas, in Græciam aduexit. Illud testatur Eusebius Pamphilus de præparatione Euangelica, quod videlicet nulla vmquam gens sub sole tam barbara atque insipiens fuerit, quæ non certa alicuius relligionis & diuini cul-

cultus de se dederit indicia. Certo itaque, vti iam modo dictum, statuendum est omnes homines à natura non solummodo ad eam duci, verum etiam quodammodo impelli. Vnde Cicero: quis autem inquit, cum suspexerit in cœlum, Deos esse non sentiat? & ea, quæ tanta mẽte fiunt, vt vix quisquam arte vlla, ordinem rerum ac vicissitudinem, prosequi possit, casu fieri putet? Intueantur quoq; Ægyptij, qui primum oculos suos ad cœlum extulerunt, & cum stupore & admiratione quadã eiusdem motus, effectus, & constellationes aspexerunt, Solem & Lunam pro Dijs habuerunt, atque Solem Osirim, & Lunam Isidem nuncuparunt, omnemq; insuper dederunt operam, vt in castitate & puritate iisdem inseruirent. Vnde etiam nulla cruenta sacrificia, sed dumtaxat fructus, arborum folia, & radices bene olentium herbarum ijsdem obtulerunt. Macrobius autem inter alia memorat, ipsos etiam extra vrbes Serapidi splendida templa in honorem extruxisse, in quibus animalium sanguinem sacrificauerint: postmodum tamen & alia sacrificia obferre inceperunt, vti apud Eusebium, de preparatione Euangelica, & Blondum, in Romæ suæ Triumphantis initio, videre est. Nimis autem heic longum foret, si omneis illorum ritus & ceræmonias enumerare conarer. Ægyptios sequuntur Phœnicii, qui ventos in aere pro diis colebant, iisdemq; tamquam superstitiosæ gentes, varii generis odorifera sacrificia obferebant. Atlantii quoque, ne alijs populis imprudentiores & stultiores haberentur cœlum adorarunt, & de eodem commenti sunt, illud cum sua Opi, cui similem diuinum honorem exhibuerunt, XLV. filios procreasse. Opim autem terram nominarunt, cuius filias, Basiliam & Pandoram nempe, simili diuino honore affecerunt. Sic Phrygii celeberrimum suum Atlantem pro Deo coluerunt, quod, tamquam Astrologiæ peritus ipsis futuras quasdam tempestates prædiceret. Iuxta illum, Euemero Historico teste, & aliis diis meliosissima sacrificia, aurea & argentea, obtulerunt. Romanorum relligionem & zelum erga ipsorum Deos Cicero in oratione ad pontifices, sequentibus verbis testatur: cum multa, inquit, diuinitus Pontifices à maioribus nostris inuenta, atque instituta sint, tum nihil præclarius, quam vos & relligionibus Deorum immortalium, & summæ reipublicæ præesse voluerunt, vt amplissimi & clarissimi ciues, Rempubl. bene gerendo,

pontifices, religiones sapienter interpretando, Rempublicã conseruarent.

Et vt heic quoque de particularibus quibusdam personis verba faciamus, Virgilius sane potiorem laudem in Æneæ pietate erga Deos suos Penates complexus est, quorum magis, quam vitæ etiam suæ propriæ, rationem habuit. Sic Lucius Albinus, pietatis ergo summopere celebratur, quod, vti in primo nostro Discursu commemorauimus, in itinere vxorem liberosque suo de curru descendere, & pedes ambulare jubebat, vt Virgines Vestales eo commodius, cum S S. relliquiis, in eodem suo curru vehere posset. De Alexandro Magno Plutarchus inter alia memorat, quod mane summo diluculo sacrificia & preces suas ad Deos peregerit. Idem etiam de Sylla Dictatore affirmat: Etiamsi enim in cæteris suis rebus satis impius & securus fuerit, nihilominus tamen, inquit ille, eumdem semper Apollinis imaginem in sinu suo circumtulisse, illamque imminentibus periculis de osculatum fuisse. De Pericle celeberrimo isto Atheniensium Oratore Historiarum testantur monimenta, ipsum antequam cathedram ascendisset, semper Deos obsecrasse, vt videlicet hoc vnum sibi largirentur, quo saltim bene premeditata & salutaria apud populum verba facere posset. Ex quibus sane colligitur, quanta videl. veterum erga putatitios suos Deos religio & reuerentia fuerit. Nam, vt Cicero lib. 2. de natura deorum testatur, cultus Dei, inquit, est sanctissimus, optimus, atque pietatis plenissimus. vt eum semper pura, incorrupta, & integra mente & voce veneremur. Ita quoq;, Arrio Philosopho teste, Epictetus in suo Enchiridio cap. 36. Sacrificare vnumquemque, ait, secundum patrios mores docet absq; lasciuia, absque negligentia, non parce, non supra facultatem.

Ad Relligiosos spectant Ceræmoniæ, vnde etiam ceremoniarij nomen suum sortiti sunt. *Ceremonia* De ijsdem Conradus Brunius in VI. libris suis copiose agit: quemadmodũ etiam Durandus, in *RATIONALI SVO DIVINORVM OFFICIORVM*, multa sane absurda immiscet quæ tamen solius Christi honori reseruanda & adaptanda sunt. Plato omnibus suo tempore solitis ceræmonijs maxime contrarius fuit: statuebat enim vero & altissimo DEO non operosis & splendidis cerẹmoniis, sed syncero humilimoque corde inseruiendum esse. Sic Hermes in suo Asclæpio non vult, vt Deus multis verbis inuccetur, nec eidẽ

odoratus

odoratus suffit⁹ sacrificetur, quippe qui non verba, sed dumtaxat cogitationes mentes, & suspiria & cordis respiciat. Minime tamen dubitandum, externas istas ceræmonias in habitu vasis, cereis, cãpanis, organis, cantibus, odoratis fumis sacrificiis, gestibus, picturis, cibis, ieiuniis &c. etiam vtilem sanctamque suam originem & vsum habere, cum per dictas istas cerœmonias homines ad pietatem & deuotionem incitentur: vti equidem in Moyse videre est, qui, illum ipsum in finem, tot, & multifarias cerӕmonias populo suo, ex Dei mandato, præscripsit, ex quibus non paucæ in Romano-catholica Ecclesia rite obseruantur & conseruantur.

Signum stellæ oculis. Deuotius ille Numa Pompilius, cui Cecinna ceræmoniarum inuentionem adscribit, eum in finem ceræmoniarum vsum romanis tantopere commendauit, vt eo facilius ad fidelitatem, iustitiã, integritatem, & bonam Imperii administrationem inuitarentur, cum alias tamquam effrænes barbaræq; gentes non adeo facile in officio retineri potuerint. Istum Numæ scopum in scutis, quæ ipse *ANCILIA* nuncupabat, intueri licet: presertim autem in Palladio, bifronte Iano, pacem, aut bellum significante: in igni quoque Deæ Vestæ, cuius constituto sacerdoti salus & prosperitas totius regni commendata erat: in distributione totius anni in XII, menses, cum distinctione dierum, quorum aliqui *FASTI*, relliqui vero *NEFASTI* fuerunt: in sacerdotum itidẽ inuestatione, quorum quidem *PONTIFICES*, aliqui, *AVGVRES* extiterunt: in tot distinctis sacrificiis, supplicationibus, ludis theatralibus & processionibus, quas dictus iste Pompilius instituit, & ab ipsius posteris, qui ejusdem fuerunt opinionis, auctiores locupletioresque redditæ fuerunt. Quid nunc de aliis ferme innumerabilibus cerӕmoniis hæc dicam, videlicet inducendis vxoribus, sacrificiis Lupercalibus, Ambatualibus, & istiusmodi similibus, quæ singula commemorare nimis longum foret, & à Trebatio Sanctæ nuncupantur.

Ceræmonia nomẽ vnde exortum. Nomen Ceremoniæ autem inde potissumum extitit, quod Lucinius Albinus, vti Liuius lib 5. testatur, Virgines Vestales, Sacerdotes omneisque res sacras Cereti saluarit: inde etiam Liuius ait, Romanos Ceretanis centennalem pacem promisisse, etiamsi cum Tarquiniis iidem Ceretani conspirassent, & vniuersum Romanorum territorium, eorumdem Tarquiniorum ope, spoliare decreuissent.

creuissent. Idque Romani eum potissimum in finem fecerunt, quod Ceretani res ipsorum sacras conseruassent, & ab interitu vindicassent. Festus Pompeius autumat nomen ceræmoniæ vel à iam commemorato loco, aut à vocabulo chare, vel charitas, deriuari. quem tamen, vti ego quidã opinor, coacta videtur deriuatio. Vt vt sit, certo certius est, Sanctas Christianasque ceræmonias constanter inuiolabiliterque seruandas, vice versa vero superstitiones ridiculas reiiciendas esse.

Iuxta illis & aliæ quædam in externa morum gestuumq; ciuilitate consistunt, quæ non dumtaxat in communis vitæ actionibus, sed & in Principum Dominorumq; aulis receptissimæ vsitatissimæq; sunt, ad quarum obseruationem peculiares etiam ceræmoniarum magistri applicantur. Ad primas equidem quod attinet multæ ceræmoniæ, affectionatæ & ridiculæ plerumq; magis stultum, quam benimoratũ quẽdam aulicum olent, atq; in monstrosis ridiculisque gesticulationibus consistunt, multos corporis motus, & pauca verba, requirentes, multas considerationes & parua emolumenta parientes. Ibi namque multi ciuilitatem suam in calceis, quidam in chirothecis ostendunt, Boccacium vndiquaque deglutire conantes. Hic salutando aliquem, collum, non secus, quam anser, exerit: alter cameli instar, ad terram inclinat & flectit genuam. Hic salus emouit, atque hoc modo Saccum Scholasticum sese suxisse manifesto ostendit: alter quatro palabras, pro hispaniolarum more, intonat: In summa vbi locorum Thrasones isti aulici modo alteri obuiam veniunt, tum aut ciuilissime, vt ita loquar, vel ignominiosisme salutari cogitur. Equidem nemo ire potest inficias, quod Veteres, attamen absque vllis adfectibus, inter omnes etiam populos, morum ciuilitate cumprimis claruerint. Nã Idumæi aliis facti obuii, ita eosdẽ compellarunt: *DOMINVS SIET TECVM.* Veri Hebræi: *DEVS TE IVVET, MI FRATER.* Thebani: *DEVS TE FORTVNET.* Romani, *SALVETO.* Siciliani: *DEVS TE CVSTODIAT.* & quæ hisce similes salutationum formulæ extiterunt. Hodierno die nil auditur aliud, nisi: *Cacio la man de V.M.* vel *Baisẽ la main Monseigneur*, aut, *Seruitor*, quas phrases adulatori aulici, tãquam eximia ornamenta, in medium adtulerunt. Etiamsi vero Veteres hodiernis quoque Ceræmoniis vsi fuerint dum aperto nuda-

nudatoque capite honestum aliquem virum salutarunt, quemadmodum, Plutarcho teste, Sylla erga Pompejum fecit: præ Senioribus surrexerunt. de equo transilierunt: de mensa surrexerunt, amicos & necessitudine sibi coniunctos osculati sunt: in exhibendis libellis Supplicibus in genua prociderunt, & pedes brachijs suis circumdarunt: Imperatori, aut alijs Proceribus manus deosculati sunt, in genua prociderunt, quemadmodum Tigranem corã Pompeio factitasse legimus: in significationem fidelitatis manus alijs porrexerunt: honestis viris è via excesserunt; tribus simul incedentibus honestiorem in medium collocarunt; porrecta manu alternatim sese in domos deduxerunt, & capita inclinarunt: aliosq; peculiaribus gestibus exceperunt; Nihilominus tamen hodierno tempore, in hocce plus mundo & ciuili mundo, ciuiles aulicique isti gestus, vel potius gesticulationes, in tantum sane excreuerunt, tamquam homines non magis homines, sed ipsi dij essent: cum aulicis istis salutatiobus quoque hodie eo processum est, vt etiam Cerdones & Sarctores subita metamorphosi domini facti sint. Immo qui hodie vix tribus in crumenula obolos instructus est, is clarus & celebris, quum tamen ignorantia præcipua pars in ipso sit.

Superstitio autem istiusmodi Relligioni è diametro quasi aduersatur, & nihil sane est aliud, quam fictitia & temeraria quædã pietas ab istiusmodi rebus exorta, quæ minime tamẽ timendę sunt. Aug. lib. de doctrina Christiana superstitionem cum omnib. suis partibus, sequentibus verbis describit: Superstitiosum, inquit, est quicquid institutum est ab hominibus, ad facienda, aut colenda idola, & creaturam (. quæ namq; prima superstitionis species, idololatria videlicet est.) vel ad consultationes, aut pacta quædam cũ dæmonibus. (. hæc secunda species.) Et ad hoc genus pertinent omnes ligaturæ atque remedia, quæ medicorum disciplina commendat. Et hæc est tertia species. Plinius lib. 28. multifarias & singulares superstitiosas quasdam hominum effictiones recenset, ex quibus quasdam hæc ordine commemorare operæ pretiũ esse duximus: etiamsi, in Discursu de Veridicis & præstigiatoribus, ea de re loquendi occasionem habebimus, vti sane ex ijs hodierno tempore adhuc multę vsu receptę sunt. Hiscę quoque addit carmina amatoria Theocriti, inter Gręcos: Catulli & Virgilij quoq; inter Romanos

Superstitio & Superstitiosi.

manos siue Latinos. Porro quoq; Cæsaris dictatoris, quod, antequā iter susciperet, ter repetere solebat Inuocationem itidem Nemesios contra omnis generis præstigia, atque veneficia. Item, de tinnitu aurium, ex quo quidam sinistri aliquid de se etiam é longinquo loqui somniant. Item, dum superstitiosi quidam credunt, sinistris sese obuiare cogitationibus, si videlicet mucore posteriora suarum aurium digito contaminent quod sinistrum omen fiet, si cuipiam forte fortuna frustum panis, vel alterius cibi è manibus labatur. Item si colum tractans aliqua fœmina alicui obuiam veniat: Item, quod sagittæ, ex alicuius hominis corpore extractæ, post inflictionem tantam virtutem habeant, vt ni ante terram tetigissent, illos inficiant, qui cum istis postmodum tangantur vti sane Orpheus & Archelaus olim tradiderunt. Item, quod inęquali recte applicato numero omnes oculorum dolores sanentur. Item quod pueruli cuiusdam detonsus crinis podagram curet, si videlicet ad infectū membrum alligetur. Item, quod omnes oculorum dolores tum euanescant, si ęgro omnibus membris claudicans quidam fiat obvius; Item, quod fœminæ eo facilius pariant, si illius cingulo, qui ipsis stuprum intulit, circumdantur: Item, quod dexter lupi sale conditus oculus quartanam febrim tollat, & quæ sunt persimiles istæ nugæ, & deliramenta anilia quamplurima, quorum, penes Plinium, & Fernelius, celeberrimus iste Medicus, mentionem facit. Montagnettus (ne & illud heic forsitan obliuione aut sicco pede prætercam) dum, in quadam ad Don Io. d' Vramonte scripta epistola, sequentes veneficias ordine commemorat, vtpote Mathonam à Segouia, Priscillam de Auilla, Laborin de Heruachios, Vracam de Ocagna, Xarandillam de Pæzza, quæ singulæ famosissimæ suo tempore præstigiatrices & veneficæ suo tempore extiterunt, inter alia memorat, quod harum postrema, Xandilla videlicet, iocosomodo ad Gueuaram dixerit: Domine Gueuara, site custodire velis, vt à nemine lædaris, tunc, post solitæ crucis signationem, primo cuiq; obuio, siue is homo, siue brutum fiet animal, dicas: *Duobus oculis te intueor, quinq; incanto te, sanguinem tuum bibo, & cortuum disseco*: quod sane nihil est aliud, nisi stulta, vana, immo diabolica quædam superstitio.

Relligioni quoque diametro quasi repugnat IMPIETAS DEIQVE contemptus: id quod itidem nihil

Impiet vel D cõtẽpt

nihil est aliud, nisi immutata opinio vel imaginatio de DEO, dum tales epicure⁹ sibi persuadet quasi nullus Deus sit, aut si sit, illum tamen non adeo malum vel iracundum, nec etiam tam dure castigaturum esse. Quemadmodum etiã ipsi Ethnici, quod videlicet istiusmodi impij improbique, homines reperiantur, suo loco & tempore conquesti sunt. Cicero lib. 1. de natura Deorum eius rei gratia diagoram, Protagoram, aliosq; plures accusat. Suetonius Cæsarem Caligulam eius rei reum facit, qui simulabat se in Capitolio cũ Ioue loqui in quo fictitio colloquio eumdem Iouem quandoque repræhendebat. Florus lib. 3 eadem de impietate Eunum quemdam repræhendit. Erat autem Eunus ille Dux manicipiorum quorumdam, qui aduersus Dominos suos insurrexerant: qui, vt auctoritatem existimationemq; suam conseruaret, nucem sulphure & ardente fomite refertam in ore suo continebat, &, inter loquendum, fumum & ignem exspirabat, qua de caussa pro Deo est, habitus. Sic Cœlius lib. 3. Phamphi cuiusdam meminit, qui, captis aliquot monedulis, easdem hęc verba, *Psaphus magnus est DEVS*, ediscenda docuit: quo facto easdem euolare permisit, & per earumdem garrulitatem pro Deo cultus est Demetrius & Alexander Magnus non amplius suorum Parentum, sed Iouis imposterum filij esse volebant. Ita quoq; Salmoneus, Aeoli filius, Deus esse contendebat, dũ sulphure & salis petra fulgur facere imitabatur: Eius autem Virgilius lib. 6. sequentibus in versibus mentionem facit, dum sic inquit:

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iouis, & sonitus imitatur Olimpi.

Ad Dei contemptum quod attinet, non solummodo Lactanti⁹, verum etiam ad huc alij Scriptores Ethnici de Dionysio memorant, qui facete admodum Aesculapium irriserit, dum ipsi auream barbam detondisset, atque sic dixisset: Non rationi esse consentaneum, vt videlicet ipsius parens (Apollo) imberbis pingeretur, eius autem filius tam horrenda barba plus deformaretur quam honoraretur. Apud Herodotum lib. historiæ suæ V. Heliogabalus similiter Deos irridet, dum Vraniam (Lunam) Soli, deo suo, in matrimonium elocat, eidemque nuptias celebrat.

Tot tantisq; autem DEI contemptibus & illusionibus tot tantæq; Christianæ Relligionis Professiones sunt oppositæ, quarum catalogũ *Diuersimoda Christianæ Relligionis.*

Professiones penes auctores sient, lite enim heic non suam facit, sed interpretis officio fungitur Londorpius.

catalogum multis ex Historijs, quantum quidem in me erit, neq; vt huic etiam Discursui aliquid desit, heic comportabo.

I. CANONICI REGVLARES *Lateranenses.*

CAnonici Lateranenses Regulares, qui Insulæ Tremitanæ, Castello Arragonio, & Baroniæ Regni Neapolitani cum imperio præsunt, ab Apostolis suam ducũt originem. Vnde Vincentius Episcopus Beluacensis, in speculo doctrinæ lib. 19. inquit: Ordo Canonicorum Regularium primo ab Apostolis, postea à B. Augustino regulariter fuit institutus. Similiter & Anthonius, parte 2. Chron. tit. 15. & Volaterranus lib. 21. ita inquiunt. Ordo Canonicus non tam ab Augustino institutus, quam renouatus: ab Apostolis enim sumpsit exordium. Benedictus XII. in extrauagante & Eugenius IV. in quadam Bulla ad Patres Frigiontæ sequentia verba vsurpant. Huius profectò, inquiunt, sacri ordinis & sancti propositi, post Apostolos, primus in Alexandrina Ecclesia Marcus, Petri discipulus, fuit institutor & conditor: Et gloriosus Doctor Augustinus eos diuinis regulis decorauit. Hæc quoq; sunt verba Roseti, Parisiensis alicuius doctoris, dum de religione Ecclesiastica, tit. XIV. ita loquitur: de ipsius Ordinis Canonici antiquitate, non ex incertis Auctoribus, reperimus, quod Ordo Canonicorum Regularium sub sanctis Apostolis est institutus, à B. Marco apud Alexandriam dilatatus, & à magno Patre Augustino instatueratus.

Iuxta illa testimonia videantur quoque in impressione Imolensi allegationes Scipionis Lancelloti, & Zachariæ Ferrerij, aliorumque, in lite quadam iuridica, quam olim hic Ordo, veluti monachi S. Iustinæ Paduæ, exeruit, in qua controuersia Pius IV. respectu ipsorum antiquitatis, pro ipsis tulit sententiam: quam tamen impij aliquot Sathanę filij, qui causis degrauissimis heic merito non nominantur, præteritis hisce diebus, in non leue Ordinis huius præiu

præiudicium, in impresso quodã à me distinctis in locis viso Calendario, impugnare, eamdemque controuersiam renouare conati sunt, dicentes, quod Canonicisti primum in reformatione Frigonaræ suum cœperint initium quod initi Papa Eugenius, in ordinatione quadam, illos ipsos plantationem nouellam nuncupasset, minime nunc consideratis, quod Alexander IV. & Gregorius X. in Bullis suis testantur, ipsos CCC. annis, ante modo dictam istam reformationem, extitisse. Ea autem potissimum noua appellatur plantatio quod in ista reformatione primum introducti fuerint. Isti autem asini minime forsitan intellexerunt, quid fiet Metaphora, & confestim, nouellæ vocabulo audito, ipsis omnes ceteros Canonicos antetulerunt, qui tamen Lateranensibus Regularibus honorem lubenter detulerunt. Similiter etiam in Bulla sententiæ Pij IV. hæc expressa verba leguntur: Ipsi Canonici fuerunt, & sunt de illis Clericis, à S. Augustino, quin imo à S.S. Apostolis instituti.

SS. BASILII, ET BENEDICTI MONACHI.

Post modo cõmemoratos Canonicos Regulares Lateranenses ordines, à SS. Basilio & Benedicto inchoati, vetustissimi. Et certo certius Ordinem S. Basilij, pro vt hodierno tempore in Græcia & Armenia floret, ab ipso Basilio etiam institutus & introductus fuerit, Anno videlicet à partu Virgineo CCCLX.

CARMELITANI MONACHI.

Carmelitanus Ordo, qui præcedentium monachorum regulæ subiecti sunt, initium suum sub Alexandro III. A. C. MCLX. sortitus est. Honorius III. vero ipsis album habitum, quem etiam num hodie gestant, constituit, ijsdemque iniunxit, vt imposterum *RELIGIOSI Domus VIRGINIS DE MONTE CARMELO* nuncuparentur, id quod factum A.C. MCCXVII. Quod autem Quidam asseuerant, ipsos ab Helia & Heliseo primum inchoatos fuisse, id nihil aliud est, quam figura, vti illud appellari posset, quẽadmodum Canonici Regulares Lateranenses suam originem à Leuitis, qui cum linteo Ephod amicti erant, sortiuntur.

ORDO MONTIS CASSINI.

Nigri monachi, qui hodierno tempore de monte Cassino & de S. Iustina appellantur, à Benedicto primum introducti sunt A. C. CCCL. qui postmodum ab Oddone, in Abbatia Cluniacensi,

A.C. DCCCCXIII, reformati, & iterum postea à Ludouico Balbo, in Abbatia S. Iustinæ Paduanæ, A.C. MCCCCX. renouati fuerunt.

ORDO CAMALDOLENSIS.

Camaldolensium Ordo, qui itidem antedictæ Regulæ subiectus est, suam à S. Romoaldo A.C. DCCCCIV. traxit originem.

ORDO VALLIS VMBROSÆ.

Vallis Vmbrosæ Ordo iisdem regulis subiacet, & primum à S. Ioanne Gualberto, Florentino, A.C. MLX. institutus est.

ORDO CISTERCIENSIS.

Cisterciensis Ordo, easdem quas priores, regulas obseruans, initium suum primo à Beato Roberto sumpsit, & postmodum à S. Bernhardo A.C. MCXCVIII. auctus est.

ORDO HVMILIATORVM.

Humiliati, qui hodierno tempore iterum sublati sunt, iisdem regulis subiecti erant, & initium siue fundationem à Iohanni Comasco, A.M CLXXXIX. acceptam referebant.

ORDO CELESTINVS.

Celestini, iisdem, ceu priores, regulis subiecti, initium suum sumpsere à Celestino V. Pontifice Maximo, qui Ordinem A.C. MCCXCVI. introduxit.

ORDO DE MONTE OLIVETO.

Albi monachi de monte Oliueto, eiusdem regulæ cultores, B. Bernhardum Senensem A. C. MCCCLXIX. vel, iuxta aliorum opinionem, MCCCLXX. aut, vti alij autumant, MCCCGVI fundatorem suum primum agnoscunt.

ORDO DE MONFERATO.

Ordo de Monferato, in Hispania, etiamsi ad Benedictinos pertineat, nihilominus tamen in Italia à nigris monachis distinctus est.

S. AVGVSTINI ORDO.

Sub D. Augustini regulam, (quã primum Canonicis Regularibus Lateranensibus præscripsit, vti supra ex sufficientibus allegationibus contra nigros Monachos demonstratum fuit, cui insuper & testimonium Celsi Maphæi in sua apologia, ac Augustini Ticinensis, in suo propugnaculo contra impugnatores dicti loci, accedit, adeo vt nemo eidem contradicere audeat.) omnes sequentes Ordines etiam pertinent,

OR-

ORDO PRÆDICATORVM.

Prædicatorum Ordinis monachi originem ſuum ſortiti ſunt à S. Dominico, qui primum Regularis Canonicus fuit, A. C. M C C XVI.

S. SALVATORIS CANONICI.

Canonici S. Saluatoris à Stephano & Iacobo oriuntur, qui ambo ſenenſes fuere, A. C. M C C CLXXVI, vel, vt alij putant, à IV. monotheletis fratribus germanis, A. C. M C C C C V I I I.

EREMITÆ.

Eremitæ, qui à quibuſdam monotheletis S. Guilielmi, S. Iaonnis Boni, à congregatione Fabaliorum, & Britinorum, qui in diuerſis Italiæ Partibus diſtinctis habitibus ſeſe ſine inde diſperſerunt, & colligendis Eleemoſynis operam dederunt, collecti ſunt, initium ſibi ſumpſerunt ſub Innocentio IV. A. C. MCCIV. vti ex quodam libro, cuius titulus *FASCICVLVS TEMPORVM*, videre eſt: ipſiſque modo commemoratus ille Papa Innocentius, vt nimirum ſub regula B. Auguſtini viuirant, & officium, pro more Romanæ aulæ, celebrarent, conceſſit, Id quod à M. Ambroſio de chora affirmatur, qui, tamquã Pater commemorati Ordinis, omnia eiuſdem Priuilegia, in ſuis concluſionibus pag. 121. copioſe deſcribit, Alexander IV. vero, Innocentij Succeſſor, illos, adhuc varijs in locis diſperſos, denuo collegit, ipſiſque, vt nigram cappam & cingulum geſtarent, mandauit, vti ex quadam bulla, quas fratres minores Bolognæ in conuentu ſuo cuſtodiunt, colligitur, cuius verba, dilectæ breuitatis cauſſa, non immerito ſicco hæc pede prætereo. Gregorius X. Alexandri IV. Succeſſor, & poſt eũ Vrbanus IV. qui per triennium dumtaxat in pontificatu ſuperſtes fuit, quemadmodum & Clemens IV. qui itidem tres ſaltim annos in Solio Pontificio conſedit, aiebant ſe ipſis, vna cum Carmelitanis, vti libro 6. de reliquis dominibus, in capitulo Religionum, depræhenditur, vſque ad aliam melioremque conſtitutionem, proſpecturos eſſe: nihilominus tamẽ, vti Chioſæ memorat, nullos amplius mendicantes Ordines tolerare decreuerunt, quam prædicatores & Franciſcanos ſiue Nudipedes, quos Clemens ille ſummopere prędicauit, quamuis monachi iſti longe ante Concilium Lugdanenſe, quod Papa iſte celebrauit, extiterint. Sunt tamen, qui prætendant, fuiſſe ipſos ab Alexandro

xandro IV. confirmatos, ex ijs autem cumprimis Ioannes Lucidus illud ipsum asseuerat. Alij dicunt, Honorium III. ipsos, iuxtaque simul & Prædicatores & Franciscanos, siue Nudipedes, introduxisse vti similiter in paullo ante commemorato Fasciculo temporum videre est. Vetustatem siue antiquitatem ipsorum diuersis in locis habitarum processionum Ordines autem eosdem satis superq; commendant, eapropter etjam vndique, vti conspicitur, Prędicatores & Minores, siue Nudipedes præferuntur.

Hæc vero Heremitanorum congregatio in Conuentuales & Obseruantes postmodum diuisa est. Obseruantes etiam postea in XI. peculiares congregationes sese diuiserunt, quæ deinceps post sub Papa Alexandro factam vnionem reformati sunt. Ordine tamen ipsos alternati in recensebimus.

ILLICERANA originem suam sumpsit à quodam M. Bartholomæo Venetiano, A. C. MCCCL XXXVIII.

CARBONARIA ab aliquo Fr. Simone Cremonensi A.C.MCCC XCIX.

PERVSINA, A.C.MCCCCXX IV.

LOMBARDICA à M. Rocho quodam Ticinensi A.C.MCCC CXLIV.

DE MONTE OTTONE dicta, à Fr. Simone Camarinensi A. C.MCCCCLX.

BATTISTELLA à Fr. Baptista A. C.MCCCCLXXXIV.

DVLCETTA à Fr. Felice Apulo quodam A. C. MCCCCXCIV.

ZAMPANA à Fr. Francisco Zãpana, Calabro aliquo, A.C. MD II.

DALMATENSIS, etjam in modo dicte anno.

PROLETANA ab Andrea Prole Germano, A.C.MDXIV.

PAVLINA à Paulo, Eremita primo, A.C. MDL.

ORDO SERVORVM.

Iuxta commemoratos modo Eremitas illos etiamnum viuunt Fratres Seruorum, qui à Philippo quodam Florentino A.C. MCC LXXXV. exorti sunt.

ORDO S. HIERONYMI.

Ordo S. Hieronymi Fioscolensis à quodam Carolo, Conte di Granetto, A.C.MCCCVI. institutus est.

ORDO S. AMBROSII.

Ordo S. Ambrosij de Nemore originem suam sumpsit ab Alexãdro Criuello, Alberto Besozzo, & Antonio Pebra Sancta, omnibus tribus

tribus Mediolanensibus Nobilibus, A.C MCCCCXXXI.

EREMITÆ S. HIERONYMI.

Eremitæ S. Hieronymi initium suum sumpserunt à Lupo de Olmedo, Hispano, A.C. MCCCC XXXIII.

ORDO APOSTOLORVM.

Osdo Apostolorum inchoatus est sub Innocentio VIII. A.C.M CCCCLXXXIV.

ORDO PAVLI.

Ordo Pauli, primi Eremitæ in Hungaria ab Eusebio Strigoniensi quodam institut⁹ est A.C.MCC XV. postea tamen commemorati istius patris regulam primum accepit sub Ioanne XXII. A.C.MC CCLXVII.

ORDO REDEMTIONIS.

Ordo Redemptionis sub Clemente IV. Barcelonæ in Hispania exortus est, A.C. videlicet MCC LXVI.

ORDO BONORVM HOMINVM

Ordo bonorum hominum principium suum nactus est à Richardo Cornubię comite, in ciuitate Bercansteđo, que XXV. miliaribus à Londino, Angliæ metropoli, distat, A.C. MCCLVII.

ORDO PRÆMONSTRATENSIS.

Ordo Præmonstratensis initium sumpsit à Notoberto Sacerdote in Loreno, Coloniensi, A.C. MCXXII.

ORDO S. BRIGITTÆ.

Ordo S. Brigittæ, in quo conuentu tam viri quam fæminæ, seorsim tamen, congregatæ, à se ipse exortus est A.C.MCCCLXVII.

ORDO CRVCIGERORVM.

Ordo Crucigerorum, cum cærulea cruce, primam suam originem à Clemente, secundo Papa, quemadmodum Fr. Marcantoni⁹ Boldus in historia sua memorat. Postmodum eodem habitu donati sunt à Pio secundo, A.C.MC CCCLX. Ex hac congregatione deinceps Hospitales S. Antonij: Item Cruciferi cum Stola, & Ordo, qui di Sassia dictus est, exorti sunt.

ORDO IESVATORVM.

Iesuatorum Ordo professionem S. Augustini quidem amplectitur, peculiarem tamen suam regulam obseruat, quam ipsi (vti Fr. Paulus Moriggia in historia sua de relligionum origine testatur.) vnus ex suis fratribus, episcopus, & postea in diuorum numerum relatus, præscripsit: qui etiam à sede Apostolica confirmatus fuit.

Primus autem huius ordinis fundator B. Iohannes Colombini, Senensis, fuit, A.C. MCCCLV. Et hi sunt omnes illi qui sub regula & professione D. Augustini victitant.

ORDO FRANCISCANORVM.

Sub regula S. Francisci omnes Franciscani Conuentuales comprænhenduntur, qui à seipsis, A.C. MCCXII exorti sunt.

ZOCCOLANTI.

Originem suam sortiti sunt à S. Bernhardino, A.C. MCCCCX II.

AMA DEI.

Ab Hispano quodam, Ama-Deo dicto, A.C. MCCCCLX. quam regulam & professionem etiam *CHLARINI*, *CHLARINELLI*, & *FORMATI* amplectuntur.

ORDO CAPVCCINORVM.

Capuccini primordium suum habent à quodam Fr. Matthæo Baschi, in Marea Anconitana, Camerini A.C. MDXXV.

CERTOSINI.

Certosini propriam suam amplectuntur regulam, quæ sane nimis stricta, & cuius auctor S. Bruno Coloniensis est, in Occidentali Francia suam sibi vendicant originem A.C. MLXXXIV.

ORDO GREGORII.

Ordo S. Gregorij d' Alega etiam proprias suas, à Patribus suis præscriptas, regulas obseruat. Ab initio quidem non profitebantur, verum Papa V. ipsos ad professionem faciundam adigebat, absque tamen suorum priuilegiorum preiudicio, & præcedentia in processionibus. Id quod factum A.C. MDXX. Ordinis huius fundator fuit B. Laurentius Iustinianus, Nobilis Venetus, A.C. MCCCCVIII. vel, iuxta aliorum opinionem, MCCCCVII.

Similiter & adhuc alij *EREMITÆ S. HIERONYMI* nullam professinem faciebant, nec singulari cuidam regulæ subiecti erant, sed solummodo laudabilia aliquot statuta obseruabant, quæ à Patribus suis acceperant. Verum commemoratus ille Papa PIVS V. ipsos eo compellebat, vt professionem, non secus quam cæteri Ordines, facere tenerentur, vti adhuc in hodiernum quoq; diem ab ipsis fieri solet. In Ducatu Vrbinatensi primum à B. Patre Pisano instituti sunt, A.C. MCCCLXXX.

ORDO S. FRANCISCI.

Ordo S. Francisci de Paola à se ipso, in regno Neapolitano, A.C. MCCCC.L. exortus est.

CA-

CANONICI S. MARCI,

Canonici S. Marci de Mantua, quadriangularem albam vittam domi, & foris in peregrinando album pileum, vi Bullarum aliquot Innocentij IV. & Honorij III. gestantes, ab Euangelista S. Marco, vti autumāt, introducti sunt, forsitan autem vti Canonici Regulares Lateranenses, quibus in omnibus ferme sunt similes.

CONGREGATIO ARMEniorum.

Armeniorum congregatio, alias S. Bartholomæi Genuensis dicta, constitutiones Dominicanorum obseruat, &, inter Liguriam, atquam Lombardiam, VI. monasteria occupat. Habitum quoque cum iisdem Dominicanis communem habent, exceptis nigris, quas gestant, patientiis.

OODO FONTIS AVELlanæ.

Ordo fontis Auellanæ originem suam à B. Ludolpho numerat, L. ferme años ante Nicolaum II. Hodie vero omnino sublatus, eiusdemque monasterium, vna cum ipsa Abbatia, Camaldulensibus est traditum, atq; tanti simul annui reditus, vt XXX. sui Ordinis monachos in eodem sustentare possint. Ipsorum primus Abbas fuit Don Petrus de Bagnoli da Bagnacauallo, qui ob eximiam ipsius virtutem & probitatem, Cardinali Vrbinati p quam gratus & acceptus fuit.

CONGREGATIO ROMItarum.

Congregatio Romitarum, della Madonna di Gonzaga, p̄mordium suum habuit sub Innocentio VIII. A.C. MCCCCXC.

CONGREGATIO VITÆ communis.

Congregatio vitæ communis, sub Gregorio XI. à Gerardo, Germano quodam, A.C. MCCCXLXVI. exorta est.

CONGREGATIO DISCALceatorum.

Congregatio Discalceatorum, quorum habitus cum Capuccinis ferme communis est, mihi hactenus, vnde videlicet suam traxerit originem, fuit incognita.

CANONICI S. SPIRITVS.

Canonici S. Spiritus, qui dumtaxat vnum monasterium Venetiis incolunt & vnum saltim membrum, S. Michaelis dictum, Paduæ habent, etiam S. Augustini regulam amplectuntur.

ORDO S. TRINITATIS.

S. Trinitatis Ordinem Fr. Iohannes quidam A. C. MCXCVII. instituit.

SACERDOTES BONI IESV.

Sacerdotes BONI IESV Rauennæ suum initium à quædam virgine, Margarita da Rusci, à quodam castello in Romania, circiter annum MD sortiti sunt.

SACERDOTES S. PAVLI DECOLLATI.

Sacerdotes S. Pauli decollati originem suam Mediolani numerant à S. Iacobo Antonio Morigia Francisco Maria Zacharia de Cremona, & Bartholomæo de Casa Ferrera, Mediolanensi quodam Nobili, ducunt. Etiamsi vero aliquot loca possideant, nihilominus tamen conuentum Mediolanensem pro suo capite agnoscunt & à templo suo cathedrali, S. Barnabæ sacro, Barnabitæ appellantur.

THEATINI.

Theatini primordium suum à Iohanne-Petro Caraffa, Episcopo Theatino, sortiuntur, qui deinceps Cardinalis, & deniq; Papa, Paulus IV. dictus, factus est. Ad eamdem autem fundationem Caietanus Tiene Vincentius, prothonotarius Apostolicus, Bonifacius Colle Alexandrinus, & Paulus Romanus officio suo minime defuerunt.

ORDO IESVITARVM.

Iesuitæ fundatorem suum Ignatium Loyolam, Nobilem Hispanum, agnoscunt, cuius Sectæ semina siue fundamenta A. C. MDXL, sub Paulo III. Farnesio, iacta sunt.

CONGREGATIO SACERDOtum Orphanos suscipientium.

Congregatio eorum Sacerdotium, qui Orphanos suscipere solent, suum ab Hieronymo Miani, Nobili Veneto, sumit initium A. C MDXXVIII.

CONGREGATIO S. SPIritus.

Congregatio S. Spiritus in Sassia Romæ, sub Innocentio III. A. C. MCXCVIII. inchoata fuit.

CONGREGATIO ALBORVM.

Congregatio Alborum cæpit A. C. M.CCCXCVI. quæ tamen in Iubilæo, A. C MCCCC celebrato, iterum sublata fuit.

ORDO VISIONIS.

Ordo Visionis in quodam Æthiopio monasterio, Brisan dicto, non procul à ciuitate Ercoco, sub dominio Barnagasso, Preto-Ioanni subiecto, sito, plusquam III. monachorum M. sustentat.

Huc vsq; igitur catalogum omnium Relligiosorum in genere, quantum quidem mihi scire licuit,

cuit, ordine & pro virili recensui. Restat itaque, vt nunc in genere quoque de ipsorum contemptui, & finali interitu, heic aliquid cõmemorem.

rdinum clesiasti rum ina, esdemq; usa 15.

Omnium relligiosorum ordinumque totalis interitus & ruina vero (vti Fr. Robertus Richardinus in peculiari quodam Capitulo preclare ea de re disserit) ex XV causis potissumum existit.

I. Quod absq; vlla discretione etiam indignas inhabilesque personas recipiant.

II. Quod nouitij non, vti decebat, diligenter, post factam probationẽ, instituantur & erudiantur.

III. Quod adhuc in tenera ætate, antequam sapere intelligant, suscipiantur.

IV. Quod præcipuam intentionem illorum, quos tamen habitu suo dignos iudicant, non diligenter examinent.

V. Quod deuotio & studia non, pro merito, curentur.

VI. Quod tam ipsi Prælati, q̃ ipsorum etiam vasalli & subditi plus iusto quandoquidem hinc inde euagentur.

VII. Quod in promotione ad gradus superiores, magis fauores, quam dignitates, respiciantur.

VIII. Quod temporalia bona maiori, quam par erat, desiderio expetantur.

IX. Quod errores in quibusdam dissimulentur, in aliquibus autem nimis rigide atque immerito castigentur.

X. Quod visitationes nimis negligenter & inconsiderate obseruentur.

XI. Est malignitas nostrorum temporum, & nimia hodiernorum hominum malitia.

XII. Quod Ordines, Capitula, & Statuta nimium augeantur.

XIII. Est ipsa iuuentus, in experientia & ignorantia Prælatorum, qui ex fauore & commendatione promouentur.

XIV. Dissimilis & iniqua prorsus administratio Prælatorum erga inferiores suos.

XV. Carnalis amor erga amicos & consanguineos extraneos, quos, de bonis Ecclesiasticis, opibus & diuitiis ditore volunt.

Hisce autem ego adhuc vnam, & forsitan illarum omnium præcipuam, additurus sum: nimium, videl. amorem Prælatorum erga seipsos, dum sibiipsis omnia errata tam facile ignoscunt, ob inferiorum errores autem nimium ad pœnam exaspernantur quo facto regiminis administratio, in tyrannidem conuertitur, subditi ad superiorum contemptum & rebel-

 lionem

lionem irritantur, atque tamdem contra eosdem, tamquam manifestos tyrranos, sine vlla con'cientia violenter pro ædere minime verentur.

Basis itaque & fundamentum omnis bonæ Ecclesiasticæ administrationis in bono prudenti, discreto, amabili, fidelique pastore consistit, contra quem cornua nō tam facile adtolluntur, vti alias insolentem, crudelem, & intolerabilem tyrannum fieri consueuit. Verum autem relligiosum Eusebius sequentibus verbis perpulchre describit: Verus relligio'us, inquit, debet esse neglector quietis, fugax voluptatis, appetitor laboris, patiens abiectionis, impatiens honoris, pauper in pecunia, diues in conscientia, humilis ad merita, superbus ad vitia.

Equestris Ecclesiastici Ordinis descriptio. Penes commemoratos istos Ordines Ecclesiasticos, & alij Ecclesiastici Equestres Ordines reperiuntur, qui sane & suas quoq; regulas, conuentusq; obseruant, simul tamen etiam Christianos fines, terra, marique, contra infideles Turcos & Barbaros strenue tuentur.

CELERRS.

Sic Romani Equites suos habuerunt, atq; adeo Romulus primus omnium illos introduxit, eosdemque Celeres appellauit, à Celere duce suos, quem equitibus istis summo cum imperio præfecit. Erant autem illorum circiter CCC. quos tam belli, quam pacis etiam tempore sustentabat. Vnde Liuius ait: Trecentos Romulus armatos ad custodiam corporis, quos Celeres nominauit, non in bello solum, sed etiam in pace habuit. Et hi postmodum, vti Plutarchus memorat, à Numa Pompilio ab officiis suis iterum remoti, attamen à subsequentibus Regib⁹ rursus introducti sunt: Nam Lucium Brutum, post Pompilij mortem, Celerum præfectum fuisse, Historiarum monimenta testantur. Festus ait ipsos etiam Trossulos nuncupatos fuisse, à loco quodam in Tuscia, quæ hodierno tempore Toscana dicitur, quem soli, absque omni peditum ope auxilio, occupauerint. Eosdem Flexumenes quoque appellatos fuisse, Plinius autor est. *Trossuli* *Flexumines.* Successu temporis vero Ordo hic Equester in tantum sane excreuit, vt etiam (quemadmodum Carolus Sigonius lib. 2, de antiquo iure ciuium Romanorum ait) non dumtaxat Senatui populoq; Romano sese ob posuerit, verum etiam magnam inimicitiam & violentiam contra vtramque illam partem exercere non erubuerit, Valeriu Maximus, Dionysius, & Festus

Festus scribunt, Tarquinium Priscum tribus centuriis (Ramnesiæ, videlicet, Tatiensi, & Luceriæ, quas Romulus introduxerat) adhuc tres alias superaddidisse, & ita Equestrem Ordinem auxisse. Illis, Cicerone teste, Censores erant præpositi, nec omnes, quicques in bello Romanis inseruiebant, ad ipsos pertinebant, sed dumtaxat illi qui, ad inseruiendum, vno equo à ciuitate conducti fuerant. Ad illud munus insuper à Censoribus eligebantur, & clauum angustum gestabant, ad differentiam Senatorum, latum clauum gestantium, vti Velleius memorat. Quo commodius etiam à promiscua plebe distinguerentur annulum aureum digitis, Plinio teste, gestare ipsis licebat. Apud Dionem legitur, ꝙ & Senatores aureum aliquem annulum gestarint. Similiter & alij hoc modo à Senatu donabantur, vt videlicet aureos annulos gestarent, qui sane non eo ipso equites illico creabantur, sed tamen singularibus etiam suis Priuilegiis gaudebant: Vti de Quinto Roscio Comœdo legitur, qui à Lucio Sylla Dictatore aureo annulo donabatur. Quo etiam munere C. Verris Prætoris Scriba, & Laberius à Cæsare Dictatore donati fuerunt. De istis autem equitibus nihil memorabile heic occurrit, quocirca de Christianis equitibus ecclesiasticis sequentia subiungere libuit.

MELITENSES EQVITES.

Ad Equestrem illum itaq; Ordinem omnium primo Melitenses equites pertinent, qui, ab initio equites Hierosolymitani, dein S. Ioannis, tertio Rhodij, & denique Melitenses, ab Insula, quam contra Turcorum rabiem etiam in hodiernum usque diem strenue & fortiter, defendunt, appellati fuerunt. Inchoatus est hic Ordo Vincentio Historico teste, A. C. MCXX: albam in pectore crucem gestat, regulamque D. Augustini obseruat, cuius equites etiam personaliter contra infideles belligerare tenentur. Qui vero omnes eiusdem ordinis initij circumstantias scire desiderat: is Polydorum Virgilium de rerum inuentoribus libr. 7. sibi lectu familiarem reddat similiter & de eiusdem ordins dignitate & rebus præclare gestis (quas singulas heic commemorare nimis longam foret.) legatur Cassanei catalogus, præsertim vero eius pars IX. consider. IV. & initium libr. 3. Fr. Pauli Morigiæ.

TEMPLARII.

Templariorum olim equester Ordo sub Balduino II. Hierosolymitano

mitano Rege suum sortitus est initium. Ideo autem isti equites eo nomine appellabantur, quod aliq̃ templi Hierosolymitani partem olim inhabitarint. S. Bernhardus regulam vitæ morumque ipsis præscripsit: sub Papa Gelasio II. floruerunt, circa A.C.MCXVII. opibus & potentia mirum in modum creuerunt, qui tamen denique, ob impiam flagitiosamq; vitam, ac nefanda facinora sua, vti aliquot Auctores huius rei testes sunt, à Clemente V. Romano Pontifice, non absque consilio, opé, & auxilio Philippi Gallorum Regis, vi iterum extirpati atque trucidati, bona ipsorum autem inter Melitenses, de Calatraua, & de Alcantara equites distributa postmodum fuerunt. Qui plura de equitum istorum historia scire desideret, legat is Platinam in vita Clementis V. Sabellicum itidem, Volaterranum, Naucleru̅m, & Syluam variarum lectionum Petri Messiæ.

ORDO TEVTONICVS.

Ordinis Teutonici Equites album vestitum, nigra in pectore cruce insignitum, nigramque interulam gestant: Mariæthumi resident, originem ducunt, Polydoro Virgilio teste, à Germano quodam, qui, occupata Hierosolima, multis sociis eodem in loco permansit. In hunc autem Ordinem non nisi Germani recipiuntur.

S. IACOBI EQVITES.

Equites S. Iacobi in Hispania, sub Alexandro III A.C.MCLXX suum sumpsere principium, & D. Augustini regulã sequuntur. Fundator ipsorum Petrus Bernhardinus fuit, rubram Carmesini coloris crucem, instar gladij formatũ, in nigro habitu gestare tenentur.

IESV CHRISTI EQVITES.

Noui Iesu Christi equites, in Lusitaniæ Regno exorti & à Iohanne XXII. A.C.MCCCXX. introducti & confirmati sunt, vt Bæthicam, tum temporis à Saracenis grauiter pressam, tuerentur atq; defenderent, eamdem, quam S. Iacobi equites, crucem gerunt. Præses ipsorum, quem illi el gran Maestro nominant, Marini, in diœcesi Siluensi residet. Abbas Allossianus autem, Ordinis Gestellini in diœcesi Vlyssiponensi, perpetuus ipsorum inspector & corrector est.

ORDO S. MARIÆ.

Ordo S. Mariæ, vel de la Merced, qui captiua redimunt mancipia, principium suum à Iacobo, Arragoniæ Rege sumpsit, cuius equi-

quites albam vestem, nigra jn pectore cruce signatam gestitant.

ORDO MONTESIANVS.

Montesianorum Ordo, Carmesini coloris crucem gerens, ab eodē Rege A. C. MCCXII. suam traxit originem, qui ambo à Gregorio IX. A. C. MCCXXX. confirmati sunt.

ORDO DE CALATRAVA.

Ordines de Calatraua sic à loco & Prouincia dicti sunt, in qua resident, & præcipuum conuentum celebrant. Locus autem iste in Hispania, è regione Æthyopū, situs & insuperabile propugnaculum est: initjum suum numerant à Sanchio III. Nauarræ, aut, iuxta aliorum opinionem, Toletano Rege, Professionem suam, veluti Cistercienses, faciunt, nigram vestem, rubra cruce in pectore distinctam, & in angulis instar liliorum formatam, gestant. Alexander, Pontifex Maxumus, omnium primus ordinem istum confirmauit, eumdemque Cisterciensium statutis subiecit. Postmodum vero, A. C. videlicet MCCCXC. Benedictus XIII. crucem eidem dono dedit.

ORDO DE ALCANTARA.

Equites de Alcantara, in Hispania, eamdem Cisterciensium professionem amplectuntur, & de Calatrauensi quodam equite suum numerant initjum. Præcipuum suum conuentum jn Castilia, non procul à ciuitate Alcantara, celebrant, & omnes de Inlustri Nobilissimaque familia oriundos esse oportet. Hispaniarum Rex ipse Equestris illius Ordinis Dux, caput, atque adeo perpetuus commendator est. Viridem crucem, jnstar IV liliorum, gestant in pectore.

ORDO S. MAVRICII ET S. LAZARI.

Equites SS Mauritii & Lazari omnium iam commemoratorum Ordinum sunt vetustissimi, quippe qui originem suam à Basilii Magni temporibus demōstrare possunt, vti id Gregorius Nazianzenus, in vita Basilii, lucidissime & comprobatum facit. Hic Ordo à Damaso Pontifice Maxumo admodū inlustris, clarus, & auctior est redditus, quod factum Iuliani Apostatæ tempore, circa A. C. CCCLXVI. Temporum injuria, vero hic idem Ordo maiorem in modum imminutus est, adeo vt etiam equites tum esse desierint: qui tamen, Pii IV. prouidentia, cura, & industria, A. C. MDLXV. iterum institutus, eidemque inlustrissimus Dominus Gianethus Castilionęus, in illius vero locum postea Dux Sabaudus à Gregorio XIII. Magnus magister creatus est.

Viridem crucem, paruula quadã cruce in medio ornatam, cum exiguis duob. viridi & albo videl. marginibus. Titulo Don' quemadmodum Melitenses titulo Fra. insigniuntur.

ORDO S. STEPHANI.

Equites S. Stephani primordiũ suum ab A. C. M. D. LXI. à Serenissimo Duce Cosmo de Medici, consentiente Papa Pio IV. numerant, regulam S. Benedicti amplectuntur, & rubram crucem in sinistro latere g. stant. Magnus ipsorum Magister Pisis habitat.

ORDO DELA BANDA &c.

Equites de la banda d'Espagna originem suam à Rege Alphonso sumunt, qui Regis Ferdinandi, & Reginæ Constantiæ filius fuit, A. C. MCCCLXVIII. Rubrum, trium digitorum latum ligamen gestitant, omnesque de Nobilissima prosapia oriundi sunt.

ORDO S. MICHAELIS.

Equites S. Michaelis aureo torque in collo sunt circundati, atq; à Ludoico XI. Galliarum Rege, primum instituti sunt.

ORDO AVREI VELLERIS, &c.

Penes ordine commemoratos istos equites etiam præterea reperiuntur equites aurei velleris, Nũciatæ, Stellæ, rotundæ tabulæ, periscelidis: Item qui Bolognæ per singularia priuilegia, & Romæ, p pecunia: Item equites aurei calcaris, qui à quibusdam Principibus, alijsque Dominis instituuntur. De quibus singulis nulla heic amplius verba faciam, nisi quod plerumq; omneis sint Nobiles nobiliumq; Priuilegiorum participes, vti inferius in discursu de Nobilibus aliquanto neruosius explicabimus.

DE PRÆLATIS.

Postquam igitur Relligiosi in Prælatos, & inferiores diuisi sint, eapropter necessum est, vt ante finem discursus huius, etiã de Prælatis aliquid heic commemorem. Huc aũt nihil quadrat melius, q̃ ipse Christi sermo, Matt. V. Vos estis lux mundi, non potest Ciuitas abscondi supra montẽ posita: neq; accendunt lucernam vt ponant eam sub modo, sed super candelabrum, vt luceat omnib qui sunt in domo. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant bona opera vestra, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. In quibus verbis duo potissimum obseruanda sunt. I. Opera ipsorum, tam interna, quam externa, quæ cumprimis bona esse oportet, vt nimirum alios bono exemplo præcedant, & eosdem ad similem Christianam, bonam honestamq; vitæ actionẽ inuitent, id quod per lucem, quam

lucere

lucere ſinant, expreſſe innuitur, & per Gregorium eximie ſequentib. verbis in Paſtorali ſuo declaratur. Lux gregis, inquit, eſt flamma Paſtoris: Decet enim Dominicū Paſtorem & Sacerdotem moribus & vita clareſcere, quatenus in eo, tāquam in lucis ſuæ ſpeculo, plebs ſibi commiſſa, & eligere quid ſe ſequatur, & videre poſſit, quid cor rigat. In SS. literis Paſtor, oculus & vigil appellatur, qui ſuę fidei commiſſo gregi ſedulo inuigilare, eidemq; ſalutari doctrina, bonoq; exemplo iure præire debeat, vt ita verba Prophetæ Zachariæ in ipſis vera fiant, dum ait: Hic eſt oculus eorum in vniuerſa terra. Et quemadmodum Athenæ, ob eximiam Reipublicæ adminiſtrationem, erant oculus Græciæ: ita quoq; aliquis Prælatus lux ſuorum inferiorum, ob ſuam diligentiam & fidelitatem, vna cum alia decenti prouidentia, appelletur. Heſiodus, priſcorum Gentilium olim Theologus, nihil aliud, niſi prouidam curam illius, qui populo præeſſe debeat, per oculum Iouis intellexit, de quo aliquo in loco ſic ait:

Cuncta videns oculus Iouis, & ſimul omnia verſans

cui adſtipulatur etiam Homerus, inquiens:

Sol, qui cuncta vides, tu ſingula qui aur... us h..uris.

Prælatus enim, ſolis inſtar, oculo inſtructus ſiet, vt quo omnem ſuorum inferiorum neceſſitatem intueatur: immo Argum eum eſſe oportet, de quo Poetæ, vigilantiæ ipſius cauſſa, fabulantur, quod videlicet centoculus fuerit, quorum ſemper aliquot, alijs dormientib. vigilauerint. Quocirca etiam in Prælatorum gratiam ſequentes verſus conſcripti ſunt:

Lumina quot quondam Iunonius Argus habebat:

Tot vigilans vigiles Paſtor ſeruabit ocellos.

Studium & vigilantia videlicet alicuius Paſtoris leonis induſtriæ ſiet ſimilis, qui ideo ante fores & conclauia Regum conſtitui collocatur aut pingitur, quod vigilantibus oculis dormiat. Vel etiam gallo gallinaceo comparetur, qui alacritatis & vigilantiæ eius cauſſa, qua exorientem diei lucem indicat, templorum turribus imponitur: qua de re elegantiſſimum Alciati Emblema heu adponere operæ pretium duximus:

Inſtantis (ait) quod ſigna canens dat gallus Ei,

Et reuocat feſſas ad noua penſa manus:

Turribus in sacris affigitur, anea, mente
Ad superos, pleris, quod reuocat vigilem:
Est Leo, sed oculis, quod dormit custos apertis,
Temporũ idcirco ponitur ante fores.

Sic & ænigma Clai Hertzb. germanicum de eodem gallo gallinaceo Lectori beniuolo heic cõmunicare voluimus:

Der Haan auff der Kirchen.
Ein Vogel hochschwebet / der nit/ als andere/ lebet/
Nach keim Thier strebet/ sich in allen Winden erhebet/
Vnnd wann die wüten / muß er dann fleissiger hüten/
Wächst in Fewersglüten / darff nichts/ als andere brüten/
Er zeugt nicht jungen/ der nie sein tag gesungen/
Wird hoch getrungen / das offt mit schalle geklungen.
Er braucht kein essen / wird von keim Thier gefressen/
Kanst jhn nit messen / weil er dir ferne gesessen.

Idem etiam ingeniosissimus & excellentissimus Virgilius in symbolo suo innuere voluit, dum inquit: Si pastores dormiunt, iam oues dissipantur. Nã si oculus dormit, tum cetera membra externorum incursibus, milleque iniurijs sunt obnoxia. Similiter & Heraclitus, rem neutiquam extenuare volens, sic ait: Homo propter oculum, & oculus propter mundũ est conditus. Apud omneis siquidem tam ipsos Prælatos, quam ceteros ipsis inferiores etiam summe necessarium est, vt videlicet ad omnia in humana hacce vita occurrentia negotia vigilantem oculum habeant. De Prælatis autẽ ante omnia requiritur vt commissum sibi gregem salutari doctrina verboque diuino pascant, iuxta triplicem Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi S. Petro factam exhortationem, dum eundem vice triplici sic alloquitur. Pasce oues meas; & Pauli ad discipulum suum Timotheum: Prædica verbum, insta oportune, importune, argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina. Mandatum autem istud diuinum negligentibus. Propheta Ieremias sequentibus verbis grauissime minatur: Vę inquit, pastoribus, qui dispergunt gregem pascuę meæ: & ideo hæc dicit Dominus Deus Israel ad pastores, qui pascunt populum meũ: Vos dispersistis gregem meum, & eiecistis eos, & non visitastis eos: Ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus Deus Israel. Per prophetam Ezechielem vero iisdem grauiora interminatur, dum sic ait: Væ pastoribus Israel, qui pascunt

cunt ſemetipſos; Nonne greges à paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod pingue erat, occidebatis: gregem autem meum non paſcebatis: Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis: quod ægrotum, nō ſanaſtis: & quod confractum, non alligaſtis: & quod abiectum, non reduxiſtis: & quod petierat, non quæſiuiſtis, ſed cum auſteritate imperabat s eis, & cum potentia, &c. S. Hieronymus vniuerſum alicuius Prælati officium paucis verbis complectitur: Tanta, ait, debet eſſe conuerſatio & eruditio Pōtificis, vt omnes motus & greſſus & vniuerſa eius opera ſint notabilia. Ita & D. Bernhardus eoſdem in Commentario ſuo ſuper Canticum Salomonis hūc in modum præclare adhortatur: dicite ſubditorum matres vos eſſe debere, non dominos: ſtudete magis amari, quam metui: & ſi interdum ſeueritate opus eſt, paterna ſit, nō tyrannica. Suſpendite verbera, producite verba: pectora lacte pingueſcant, non pure turgeant. Meminerint porro Prælati ipſos ſal terræ eſſe, ipſos ardentia lumina in candelabris ſuis eſſe, ipſos ciuitatem eſſe in alto ſitam, quæ etiam è longinquo conſpiciatur, ipſos frugiferam vitem eſſe, ex qua ſurculi vires ſuas ſugant, ipſos lucentes lampades eſſe in templo Salomonis eapropter etiam decere eos vt in omnibus virtutibus, quoad fieri poſsit, perfecti ſient, ardentes, in charitate: conſtantes, in patientia: diligentes, intemperantia: humani, in ſapientia: prudentes, in humanitate: diſcreti, in bonitate: diuites, in pietate: ornati, in ſcientia: honorati, in patientia: In ſumma ſpecula ſint omnis pietatis, & viua exempla ſanctæ, incontaminatæ, & inculpabilis vitæ. Prælatus præterea elegantiſſimum dictum Papæ Innocentii diligentiſsime non dumtaxat legat, verum etiam totum cordi ſuo imprimat, dum, lib. de miſeria humana, ſic inquit: Statim vt ambitioſus promotus eſt ad honorem, in ſuperbiam extollitur, & in iactantiam effrenatur. Non curat prodeſſe, ſed glorificatur præeſſe: præſumit ſe eſſe meliorem, quia cernit ſe ſuperiorem. At bonum facit, non gradus, ſed virtus: non dignitas, ſed honeſtas. Priores dedignatur amicos, notos ignorat heſternos: comites contemnit antiquos, vultum auertit, ceruicem erigit, faſtum oſtendit, grandia loquitur, ſublimia meditatur, ſubeſſe non patitur, præeſſe molitur, per præceps & audax glorioſus, arrogans, grauis & importunus. Ita Seneca alios regnare volenti

ſuis in epiſtolis egregiam doctrinam tradit: Refrenet, inquit, primum libidines, ſpernat voluntates, iracundiam teneat auaritiam coerceat, cæteras animi labes repellat, & tunc alijs imperare incipiat, cum ipſe improbiſſimis dominis cum dedecore & turpitudine parere deſierit. Et quid quæſo ſubditus aut inferior dicat, ſi videt Prælatum & Superiorem ſuum omnis generis in flagitijs plane inebriatum eſſe? Loquor autem heic de ijs, qui reuera tales ſunt, & vice verſa pios proboſq; ſumme veneror, quorum ſane & adhuc hodie multi reperiuntur, qui laudabilem ſanctam, & inculpabilem vitam agunt, aut ſi videat eum omnis generis errorib. implicatum, & tamquam ferocem effreneq; equum vbiuis impingat? Quid dicet, ſi ipſum in voluptatibus demerſum, in luxuria natantem, in cupiditatibus errantem & in arrogantia ad collum vſq; madentem videat? Si Prælatus aliquis viuis, vt Sardanapalus: impudens eſt, vt Diogenes, incaſtus, vt Heliogabalus ad omnia ſcelera & flagitia promptus, vt Commodus, quid, quęſo, boni de tali ſubditus ſiue inferior addiſſere poterit? Si Prælatus ipſum Deũ floccipendit, omnem pietatem irridet, diuinum cultum contemnit, veteres regulas poſtponit, nulli ex ij ſdem eſſe ſubijcit, conſtitutiones nauci æſtumat, Capitula irridet, reformationem non ſuſtinet, Eccleſiam fugit, Chorum quaſi abiurat, nulli diuino cultui intereſſe dignatur. In ſumma rebus in omnibus certiſſima de ſe dat indicia quod neque Deus, neque homines ipſi curæ ſint; & vice verſa etiam videt, quod etiam leuiſſima de cauſſa ſibi iraſcatur, nec dumtaxat iraſcatur, verum etiam minime errata ad amuſſim, quaſi trutinet, & ſeueriſſime puniat, quid tum, inquam, inferior ad enormia iſta ſuperioris ſui facinora dicat? Si miſer aliquis Prælatus craſſiori ſpecillo ſuorum inferiorum delicta intuetur, vt eo maiora appareant, ſubtilioribus vero vtitur, dum ſua errata intueri debet, inferiorum tranſgreſſionibus ſupra modum iraſcitur, ſuis vero minime commouetur: inſurgit, tamquam furioſus leo aut vipeta contra alterum, ſibi ipſi autem quouis agno eſt mitior: ſi alteri indignatur, ceu Nero, eidem crudelis eſt vti minos, irreconciliabilis, veluti Rhadamantus, irrequietus, tamquam furia quædam infernalis, de ſeipſo nihil ſane aliud niſi libertatem, moderationem, affabilitatem, humanitatem, pacem & concordiam ſimulato modo gloriatur quid tum, inquam

inquam denuo, ad ista dicat inferior? quid, quęso, in corde suo meditetur? quomodo res tam diuersas, atque adeo absurdas, inter se comparabit? Si prælatus alto otio optatoque tempore fruitur: si iucundo gratoque lecto adhæret, dum ad preces matutinas signum datur, de die autem in monasterij horto obambulat, sæpius in stabulo, porta, culina, quam templo conspicitur, in foro obambulat, politicis negotijs se immiscet. In summa sibi ipsi frenum ad omnem libertatem (alio enim nomine illud appellare nemo audet) laxat, quid tum, proh Deum immortalem, ad immanem istam impietatem dicet inferior? quæ bona exempla imitabitur subditus? Si Prælatus per diem integrum equo insidet, plura pecora, quam libros, emit, sæpius templum in stabulum, sacrarium in cibarium, & Oratorium in culinam transmutat; Item si in foro harengarum censor, gallinarum contrectator, ranarum emptor, intestinorum ponderator fit, atque adeo vndique, non in leue totius conuentus præiudicium, alienis negotijs sese immiscet, quid, obsecro, tum inferior boni de superiori suo loquatur? Si prælatus, Bibliorum loco, diuersimodus chartas tractet nugatorias, si, pro locis communibus, male consuto Iornali, pro breuiario, fragili virgula, pro canonibus, Tariffæ partitis; pro concionibus, Registris suorum creditorum, pro Theologis, Monetro & summis, quibus monasterio obligatus est, vtitur, Deum immortalem quid de hisce inconformitatibus sui superioris dicat inferior? Si Prælatus nullas in sua luxuria regulas, in libertate sua, nullum modum, nullum in voluptatibus suis, ordinem, nullam in concupiscentijs suis retentionem, nullum in auaritia sua frenum, nullamq; in conscientia sua perceptionem teneat, quid tum, amabo, boni ad sui correctionem à superiori discat inferior? Si Prælatus conuentus, aut monasterij alicuius bona in suum emolumentum conuertit, ordinem, de eius rei gratia, defraudat, commune bonum furatur, si se solum Dominum facit illius, quod debetur omnibus, si equos, reditus, bona, & domum non dumtaxat nomine, sed & ipso facto, sua nuncupat: si campos, absque præscitu conuentus, venales facit, eorumdem fructus vendit, chirographos, inscio capitulo, creditorib. exhibet, pro suo lubitu ædificat, conuiuia sua sponte celebrat, adulatoribus & consanguineis suis dona liberalissima confert, eaque inferioribus suis hinc inde detrahit, omnia conuentus bona prodige

insumit, si erga omnes fastuosus, erga inferiores suos inhumanus, in exhortationibus, inciuilis, in corrigendo puniendoque molestus, in visitando, tædiosus, in obseruando, grauis est, si vestitum deformat, si cottidiano victui aliquid detrahit, exiguam adhuc restantem libertatem opprimit, omnia occludit. & miseros inferiores ita arcte includit, quasi in spelunca & arce latronum captiui detinerentur, ipse vero solus sibi, quocunque placet, exeundi potestatem sibi arrogat, quid tũ miser inferior dicat, vel agat in extremam desperationem hoc modo adactus? Si Prælatus carnifex, in puniẽdo, Birenus, in astu, Dacus, in cædendo & trucidãdo, & Marganos, in opprimendo eorum est, qui tamen lubentes debitum ipsi præstarent obsequium, si modo ipsos pro dignitate etiã tractaret, quid, obsecro, inferior boni de ipso sentiat? Si Prælatus ignorans est, tamq̃ asinus, sesquilignũ veluti taur⁹, simplex, vt ouis, imprudẽs, ceu veruex, facile cornua tollens, sicut bubalus, si ars, prudentia, sapiẽtia & intellectus eius etiã vilissimo quoquo pretio q. emuntur, si ipsius moderatio, nulla regulã, regula, nullam formam, & forma, nullam omnino speciem habeat, sed omnia violenter peraguntur, quid tum de eo miser inferior sibi boni polliceri poterit? Si prælatus superbus est, vt Pauo, iracundus, veluti Indianus quidam gallus gallinaceus, ferox, tamquã equus, inconstans, sicut Camæleon, vorax, veluti lupus, auarus, ceu gryphus, lasciuus, tamquam vrsus, piger & otiosus, vti taxus, iratus, veluti felis, gesticulosus, sicut simia, & tamdem si Prelat⁹ iniquus & mutabilis est, tamquam mala bestia, quo tũc, amabo, miser subditus se conuertet? Sin vero nunc & subditi eiusdem farinæ essent, qualis Prælatus? Tunc chartæ lusoriæ integræ, armamentarium omnium facinorum bene instructum, & Xenodochium S. Vincentii perbelle refertum est.

DE INFERIORIBVS ET subditis.

Ne autem id fiat, omnis pius ac fidelis subditus ab honore & timore DEI faciat initium, quo facto debitus prælatis honos sua sponte sequuturus est. De Sycioniis historiarum monimenta testantur, ipsorum ciuitatem & cõmunionem summopere floruisse, quamdiu videlicet sacrum ipsorum collegium, Pastophoron ab ipsis dictum, & summum simul sacerdotem Charmium debito honore affecissent. Quamprimũ autem per subditorũ petulantiam modo

modo commemoratus ille honor sublatus iterum fuisset, tum illico etiam ipsos exitio suo eo propiores accessisse. Athenienses quoq; & opib. & fortunis mirum in modum pollebant, quandiu Archierosi non, Eleobatiden, Buzigen, aliosq; graues, præstantesq; viros, tamquam Ecclesiasticos Magistratus debito honore prosequerentur, ijsdemve debitam obedientiam præstarent. Cum autem postmodum, ex instinctu quorumdam Philosophorum, vtpote Diagoræ, Protagoræ, & aliorum, in istam opinionem incidissent nullos omnino Deos esse, mox Sacerdotum contemptus, atque adeo propria ipsorum pernicies, honoris, glorię potentiæ & fortunæ iactura sensim subsequuta est. A Numæ Põpilij tempore Romani tam diu imperium fortunasque suas summopere amplificarunt, quam diu videlicet præpositos suos Sacerdotes pro ipsorum merito condigne coluissent: Postquam autem ab isto pietatis feruore & deuotione nimium remisissent, Clodius templum & Sacra Deæ Bonæ contempsissent, fortuna etiam ipsorũ pedetentim inclinauit, donec tamdem florentissima alias ista Respublica omnino ferme iuterijsset. Pius atque fidelis subditus autem lubentissime obedientiã præstet, mandatum eiusdem sibi curæ cordiq; esse patiatur, quippe qui hac in re non hominibus, sed multo potius ipsi DEO honorem istum debitum pręstat, vti expresse S. Euangelista Matthæus testatur, dum inquit: Omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, seruate & facite: Neque etiam tam cito lassi sitis super eo, quod ipsi aut in ipsa bonitate, vel cum seueritate quadam iniungitur: sed exemplum Herculis sibi in memoriam reuocet, quẽ Iusto, iniquis certe suis mandatis citius defatigabat, quam vt ille in eorumdem expeditione fessus lassusque redditus fuisset. Pari modo fidelis iste inferior populorũ in Ischia meminerit, qui, Antonio Panormitano, lib. 2. de dictis & factis Alphonsi Regis, licet Regem suum odio prosequantur, nihilominus tamen eumdem, & tympanis & tibijs, summa cum veneratione excipiunt, eidemque exultabundi obediunt. Similiter & Apostolici præcepti haud sient immemores, quod sic habet: Obedite Præpositis vestris, etiam discolis. Fidelis itidẽ inferior pro Prælato suo semper ad Deum pias preces fundat, iuxta Apostolorum exemplum & totius communionis, Deum pro Petro captiuo orantibus, vti in Apostolorum Actis legimus: Oratio autem sine intermissione ab

Ecclesia fiebat pro eo ad DEVM. Talem intercessionem etiam Paulus expetebat, dum ad Thessalonicenses ita scribebat: Fratres, orate pro nobis.

Inferior itidem bonam de superiori suo opinionem concipiat, quemadmodũ Apostolus ad Corinthios ait: Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispẽsatores mysteriorum Dei. Neque aduersus Prælatum suum murmuret, vti Apostolus porro in commemorata ista epistola aiebat: Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt à destructo &c. In summa pio fideliq; subdito, siue inferiori humilitas, humanitas, tolerantia, obedientia, temperantia, moderatio, misericordia, charitas, diligentia, deuotio, & probitas conueniunt, queadmodum etiam omnia ista in eo necessario requiruntur. Vice versa hisce commemoratis virtutib. singulis è diametro quasi repugnat, si idem ille subditus superbus, fastuosus, arrogans, contumeliosus, leuis, libidinosus, rixosus, insidios', pertinax, obmurmurans, ferox, mirabilis & insolens fiet, quorum sane perturbato hocce nostro tempore non pauci reperiuntur. Sin itaque inferior, corruptis hisce qualitatib. instructus, malum improbumque Prælatum sortiatur, vt hoc modo vna bestia cum altera litiget, tum monasterium vere officinæ Steropis & Brontis, aut Cyclopum Speluncæ multo est conformius, quam pio alicui Religiosorum conuentui, qui tamen ambo alijs hominibus bono honestoque suo exemplo præire debebant. Si enim Prælatus stomachetur, inferior vero contra clamitet: ille minetur, hic minas nauci ęstumet: ille furibundus, hic exacerbatus fiat: ille arguat, hic contemnat, & tamdem vtrimq; à verbis aduerbera fiat processio, tum sane inciuilis duelli fit initium, quo scandaloso exemplo tam spectatores, quam etiam auditores non immerito grauiter offenduntur, deterioresque redduntur.

DE CONCIONATORIBVS.

Denique vt discursum huncce de Ecclesiasticis in genere aliquãdo concludamus, & de concionatoribus quoq; verba faciamus: illud ante omnia probe cõsiderandum est, quod videlicet verbi diuini Præconibus summum præcipuumque Ecclesiæ munus & officium incumbat, vti in Canonibus, præsertim vero Can. extra, de Hæreticis, cap. Cum ex iniuncto &c. videre est. Istius autem eminentiæ & excellẽtiæ caussa à D. Gregorio,

In Pastorali suo super dictum Hieremiæ: Prophetæ tui viderunt tibi falsa &c. Prophetæ appellantur, quemadmodum etiam ex diuino mandato tres futuras nimirũ pijs mercedem à Deo, & vitam æternã impijs autem temporales æternasque pœnas denunciant. Appellãtur quoque à Gregorio 34. Moral. Angeli, quemadmodum etiam ĩpso facto & in veritate Dei orant, vti etiam Propheta Ieremias de illis inquit: Annuntiauerunt opera Dei septem etiam Angeli, quos S. Ioannes in Apocal. sua cum tubis videt, Hugone Cardinali teste, cõcionatores in VII. Ecclesiæ statib. denotãt, qui res singulares, ex Dei mandato, denunciant. Magno itidem honore digni sunt: officium namq; suum Apostolicum est officium, in quod ab ipso Dei constituti sunt: dum inquit: *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Immo tale est officium, cui ipse Christus magno cum zelo & feruore præfuit. Vt autem muneri isti grauissimo per omnia satisfaciant, eapropter tribus potissimum rebus opus habẽt I. Ardenti erga alium charitate, II. Pia, inculpabilique vita, & III. bene fundata scientia earum rerum, quæ ipsis ad tractandum demandantur.

Omnia autem ista III. Christus breuiter complectitur, vbi de Ioanne Baptista ita ait: Ille autẽ Lucerna ardens & lucens. Lucernam illum ea de causa nuncupat, propter legis diuinæ scientiam, quæ ipsi cœlitus data fuit, vti dicitur: Lucerna pedibus verbum tuum. Ardens vero lucerna ideo nuncupatur, ob ardentem scil. ipsius amorem: Lucens Lucerna, ob synceram ipsius conuersationem, vitamque inculpabilem, iuxta doctrinam Christi, dum sic ait: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.

Hisce dotibus concionator aliquis instructus sit, & primo quidẽ ex ardenti, haud fucato, amore officii sui onus in humeros suos suscipiat, non ex desiderio aut cupiditate proprij emolumẽti, vel spe magnæ alicuius mercedis, vti sane eorũ haud pauci reperiuntur, qui ni locupletissimum ipsis arrideret stipendium, tantum onus minime subirent, sed os suum aliquando melius aperirent. Id quod tamen non eo dictum volo, quasi absque mercede inseruire debeant: Dign9 enim mercenarius, ante omnia, suam mercede, & vti scriptura porro loquitur, I. Non alligabis os boui trituranti: qua de caussa D. Hieronymus bene quodam in loco

dixit: Apostolicis viris, & Euangelizatoribus Christi necessaria vsibus nolle tribuere, sese ipsum cōdemnare est. Conciones eius, quæ pars ardentis charitatis non medioxuma, eo potissimum directæ sient, vt videlicet auditores ædificent, & fructum apud eosdem adferant, non vero vt exinde sibi gloriam atq; existumationem aliquā comparent. Vnde etiam D. Gregorius quodam in loco sic ait: Prius prædicator in cunctis, quæ dicit, solerti cura se inspiciat, ne in eo quod recta prædicat, vitio elationis se extollat: eidem etiam sequētem doctrinam tradit: Quamuis Prædicator, inquit, debeat cauere, ne ex arrogantia & inani gloria prædicet, tamen si motus recta intentione subrepat tentatio inanis gloriæ, non debet per hoc dimittere. Nam, vt Ecclesiastes Salomonis cap. XI. asseuerat, qui obseruat ventum is seminat. Id quod etiam D. Bernhardi exemplo confirmatur; Cum enim is aliquando in concione sua ab arrogantia infestaretur, ipsi in corde suo hoc modo obuiabat, vt in corde suo diceret: Nec propter te incepi, nec propter te desinam. Eadem de re Apostolus perpulchrè ait: Qui gloriatur, in Domino glorietur: non enim qui seipsum commēdat, probatus est, sed quem Deus cōmendat. Nihilominus tamen si DEO debit⁹ honor fuerit redditus, tum quis de eo honore qui virtuti proprie competit, iure gaudere potest veluti Cicero testatur: Neq; enim laudis causa, ait, rectum sequi conuenit: si tamen laus consequitur, congeminatur recti appetendi voluntas. Ingeniosissimus jucundissimusque Poeta ille non immerito sequentibus in versibus, sic inquit:

Excitat auditor studium, laudataq; virtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet.

Sic Cicero in Tusculanis suis quęstionibus ait: Honos alit artes: & omnes incenduntur ad studia gloria. Etiamsi quoque concionator aliquis existumet sese apud vnum, atque alterum doctrina sua salutari parum prodesse, nihilominus tamen eo ipso minime pusillanimis neq; negligens reddatur. Nam, vti bene Apostolus, vnusquisq; mercedem recipiet secundum suum laborem, & vnicuique fideli pastori labor atque industria eius à Deo fideliter compensabitur.

Dein⁹ concionator aliquis, vti supra quoq; commemoratum est, vitam agat inculpabilem, vt de eo vere dici queat: Quasi sol refulgens, sic ille refulget in tēplo Dei. II. *Vita inculpabilis.*

Vnde

Vnde etiam Simmachus Papa recte ait: Nemo recte monitoris personam suscipit: nisi qui actibus suis errata condemnat, & amorem innocentiæ conuersatione demonstrat. Ioannes Chrysostomus etiam perbelle ait: Bene viuendo, & bene docendo, populum instruis, quomodo viuere debeat: bene autem docendo, & male viuendo, Dominum instruis quomodo te debeat condemnare. Et S. Gregorius: Cujus vita despicitur, quid restat, nisi vt & ejus prædicatio cõtemnatur. Regius Propheta Dauid Concionatorib. seuerissimum Dei iudicium, Psal. L. indicat: Peccatori autem, inquit, dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum: si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas: os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. Ad tales etiam dicit D. Apostolus Paulus: Qui alios doces, & tamen teipsum minime doceas: qui doces: non furtum facias, & tu tamen ipse furaris. Ad quos Christus ipse satis acerbe ita apud Apostolum loquitur, dum inquit: Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis ipsi mali? Et ite. ũ, Eijce primum trabẽ de oculo tuo & postea eijces festucam de oculo fratris tui: Ita Ethnicus ille Orator Cicero oratorem suum sane ita describit, cuius sane ne Christianum quidem concionatorem pudeat, sic inquiens: Orator est vir bonus, dicendi agendique peritus. Idem alibi præcipuum eloquentiæ mẽbrum esse ait: *Docere, quod facias.* Cui rei etiam aliquis Pastor in ipsa rei veritate studere necessum habet, vt nimirum in omni vitæ suæ actione indicet quid doceat, idq; etiam ex intimis sui cordis penetralibus, neq; hypocritarum more, à quibus nos cauere ipse Christus iubet, dum ita inquit: Attendite vobis à pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. De fraudulentis nauciq; hominibus Iuuenalis quodam in loco sic cecinit:

Da mihi fallere: da iustum, sanctumque videri,
Noctem peccatis, & fraudibus obiice nubem.

Deijs quoq; nebulonibus (melius certe nomen fumiuendi isti ad haram, non ad aram, aptiores Pastores) bene dicitur quod meri sint hypocritæ, vmbræ probitatis, deaurata sepulchra, & saltim pietatis simiæ: quo astu simpliciores oues in

in nassam suam eo facilius pertrahere queant, vt credant præcones istos esse viros candidissimos, cum tamen ipso facto nequam & nebulones sint in cute. Gregorius Nazianzenus itaque in Apologetico suo præclare ait: Mundari prius oportet, & sic alios mundare: sapientem prius fieri, & sic alios facere sapientes: lumen fieri, & sic alios illuminare: ad Deum accedere, & sic alios ad Deum adducere.

III. *Scientia.* Tertio, vti supra quoq; dictum, fidelis aliquis diuini verbi præco si non perfecta, saltim tamen sufficienti scientia instructus fiet, præsertim vero ijs in rebus, de quibus tractare tenetur, &, iuxta D. Petri sententiam, paratus quoque fiet reddere rationem omni petéti de ea fide & spe, quæ in ipso est. Quo etiam D. Paulus Timotheum discipulum suum exhortatur, dum, inter alia, ad eum ita scribit: Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. Idipsum etiam Christus in figura quadam significare voluit dum V. panes, V. Moysis libros significantes, fregit, & postmodum inter populum distribuendos Apostolis suis tradidit. Similiter eumdem quoq; tam in Theologia Scholastica, quam SS. literis exercitatum esse oportet. Idem quoq; Patres, & Conciliorum determinationes exacte norit, & Philosophiæ non medio humam sane scientiam habeat, in Logicis, Rhetoricis, & Poesi itidem bene eruditus fiet. In summa, quo exercitatior in artibus liberalibus, scientijs, & cōmuni vitæ curriculo erit (quo melius grassantia inter auditores flagitia queat corrigere) tanto perfectius & melius etiam officio suo satisfacturus est. Præcipua, insuper ipsi tractanda, materia SS. Scripturæ est, vti S. Antonius tit. 19. part. 3. summarum ait: Et si aliquando, ait idem ille, ad doctrinæ confirmationem, quam ex DEI verbo satis superq; demonstrauit, etiam Ethnicorum, siue illi Philosophi, aut Historici fient, scripta atque testimonia allegare velit, id quidem nō ita facile culpandum erit: idem enim D. Apostolū Paulum ipsum fecisse legimus: & eadem de re scribit Papa Clemens dist 37. hunc in modum: Cum ex diuinis scripturis aliquis firmam regulam charitatis & veritatis susceperit, absurdum tum non erit, si etiam ex eruditione communi ac liberalibus studijs quæ forte in pueritia attigit, ad assertionem veri dogmatis conferat: ita tamen, vt, vbi vera didicerit, falsa & simulata declinet. Si quis vero integram aliquam concionē cum Philosophia, Astrologia, alijsque similibus externis artibus atque scientijs replere velit, id sane

ipsi

ipsi parum honori, nec ad ædificationem auditorum futurum est, famula namq; heram vel Reginam non præcedat. Ea de re tam scite, quam venuste ait Augustinus: Si quid veri Sibylla, aut Orpheus, aut alij Gentium vates, vel Philosophi prædixisse perhibentur, valet quidem ad paganorum vanitatem reuincendam, nō tamen ad istorum auctoritatem complectendā. Gregorius, vti videre est dist. 86. Episcopum aliquem serio obiurgabat, quod auditoribus suis Grammaticam explicaret, & tamdem exhortationem suam sequentib. hisce verbis concludit: In vno ore, inquit, non bene se capiunt laudes Christi, cum laudibus Iouis. De alio aliquo Episcopo fertur, quod Aesopi fabulas suis in concionib. explicarit, & doctrinas ex ijsdem demonstraret. Quod tamen vero atque syncero cuidam concionatori minime conuenit, quocirca etiam ab istiusmodi ineptijs omnino summoque studio abstineat. In concionibus quoq; suis nulla Apocrypha aut res incertas proferat: quemadmodum Thomas Aquinas in quadam sua epistola quemdam facete arguteque reprǽhendit, qui in concione sua affirmabat stellam, quæ Sophis in Oriente apparidisset, similem fuisse puerulo, quodque S. Virgo Maria Christi passionem & mortem cottidie septies meditaretur, cum tamen SS. Scriptura infinitis innumerabilibusque rebus alias abundet, quæ & maiori fundamento atq; emolumento auditorum proponi possent, adeo vt istiusmodi fabulæ locum heic omnino nullum obtineant. Cum primis vero caute sibi prospiciat ne res fictas veris immisceat præsertim in istiusmodi reb. Christianam fidem honestamq; vitam concernentibus, ne tota concio in suspicionem trahatur, vel pro imperitis ignorantibusque asinis, & maliuolis hominib. habeatur. Ab adulationis crimine etiam sibi maxumopere caueat, neque blandis verbis auditorum suorum errata foueat magis, quam castiget, sed nulli mortalium pareat, ni aliquādo verbis pacificis auditores suos ad subsequendam pœnam eo paratiores & patientiores reddere conetur. Similiter & ab omni arrogantia & ostentatione alienus fiet, ne apud doctos homines, illud ipsi in cōtemptum vergat, qui mox inter inscitiam & veram eruditionem bene & prudenter distinguunt. Pius & fidelis Concionator pręterea alios se ipso doctiores nullo odio, calumnijs, & clandestinis traductionib. siue conuiuijs proscindat, ex quo plerumque omnis generis intemperies, scandala, & scis-

ſciſſuræ inter auditores exoriri ſolent, quemadmodum namque ignobile vulgus ſemper malum citius, quam bonum appræhendit, atque adeo cõmunio quædam magis turbatur, immo deſtruitur, quã ædificatur. Neque, præco aliquis, rixoſus ſiet, atq; aduerſus alios paſtores forſitan inſurgat ijſdemque litem moueat, ex eo ſiquidem nil aliud, niſi auditorum ſcandaloſa ſeparatio & exacerbatio exoritur, & per ſuperfluam iſtam cõtentionem auditores confunduntur, atque nihilominus tamen cauſſa iſtarum rixarum tamdem in ipſum auctorem redundat. Neque nimis conciones ſuas amplificet, ſiquidem, vti Gregor. in homilia quadam teſtatur, alimenta, quę minus ſufficiunt, auidius ſumuntur: neq; tamen in concionando nimis breuis ſiet; Nimia namque breuitas, S. Hieronymo teſte, auidum moleſtum ſtomachoſumq; reddit. Neque inſuper nimis præcipitantur, aut tarde nimis loquatur. Nam, vti Seneca ait, pronunciatio, ſicut & vita, debet eſſe compoſita, & nihil ordinatum eſt, quod præcipitatur & properat. Superflua etiam allegata in erudito aliquo Paſtore neutiquam requiruntur, ea enim omnia auditor minime capere, nec concionator etiam arrogantiæ vitium, nimia iſta ſua loquacitate, declinare poterit. Omnia temeraria & ridicula verba quoque concionator ſummopere fugiat, ne & ipſe pro leui & nauci homine æſtumetur. Bonus ſiquidem Prædicator, quemadmodum D. Hieronymus teſtatur, prouocat populum ad luctum, & non ad riſum. Neq; etiam omnib. in locis vnam eamdemque materiam tractet præco, ſed ſecundum differentiam locorum, etiam res diſtinctas proferat, ſeſeque ad omneis occaſiones, tẽpora, & ſtatus accommodet, ne de illo dicatur, quod, tamquam medicus Empiricus, omnia vulnera vnico dumtaxat vnguento & emplaſtro curare conetur. Ante omnia autem eo potiſſimum intentus ſiet ne apud ſimpliciores difficiles ſubtileſque quæſtiones, apud eruditos vero leuidenſia argumenta proponat: Item ne res viles nimium extollat, quod quidã ſibi laudi ducunt, magnam ſeſe artem ſcire gloriantes ſi ex muſca elephantem faciant. Conciones quoque ſuas ita temperet concionator, ne peccatores de diuina gratia forſitan deſperent, &, vice verſa, impii & præfracti per DEI miſericordiam peccent. Item ne multa de nouis inconſuetis, & ex ſuo cerebro enatis rebus blateret, SS. Scripturam pro ſuo lubitu explicet, ſed multo potius communia & notoria cri-

minaa

mina prodecente modo arguat, veritatem, pro occasione temporis, loci, & personarum decenti zelo extollat, atque ante omnia ædificationem, æternamque suorum subditorum salutem promoueat. Hæc itaq; præcipua requisita sunt, quæ in bono fidelique concionatore potissimum desiderantur. Iuxta quę & illa, quę Cicero & Quintilianus in bono aliquo Oratore requirunt, probe cōsideranda sunt vtpote Natura, ars, imitatio, exercitatio, & memoria. Nam vt Horatius de natura canit:

Tu nihil *INVITA* dies facies*ve* *MINERVA*.

uralis *ina-* Ad illud tamen quod attinet, ejus rei gratia minime desperandam est: siquidem, quemadmodū Bossius in epistola quadam ait, nihil est tam omnino difficile, quod studiū pertinacieque non superet, & denique non sibi suppeditet. Et porro: si picam, aut aliam quamdam auem loqui doceas, cur nō & illud ipsum homo addiscat, qui tamen illud à natura habet, neque in strenua exercitatione illius ipsi de diuina gratia & auxilio desperandum fiet: Cuius rei inlustre habemus exemplum in celeberrimo Oratore Demosthene, qui sedula exercitatione linguā suam, aliquanto cęteris grauiorem, adeo correxit, vt etiam postmodū summa cum admiratione homines perorantem eum audiuerint.

Ars Fidelium Concionatorem ars quoque bene decorat. Etiamsi enim ante omnia eo (vt Seneca bene ait: Non delectent verba nostra sed prosint) intentus esse debeat, vt ipsiūs verba non dumtaxat gratæ sed & vtilia fient: Et etiamsi Christus apud Euangelistam Matthæum ficui maledixerit qui dūtaxat folia, nullos autem fructus proferebat: Immo etiamsi mihi aliquis exemplum Pauli Apostoli obijcere conetur, dum ad Corinthios ita scribit: Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis: & paullo post; Nos autem nō spiritum huius mundi accepim⁹, sed spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Quæ & loquimur non indoctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus, spiritualia spiritualibus comparantes, &c. nihilominus tamen concionator, auditores suos recreare volens, non potius exornata verba intueri, interim tamen animarum exædificationem obliuione sepultam relinquere debet, id quod modo commemorata dicta innuere videntur: quod autem ars minime fiet necessaria, vel artificiosus &

bene exornatus ſermo non maiorem gratiam pariat, quam intricata atq; confuſa quædam omni arte deſtituta garrulitas, id nemo, ne Apoſtolus Paulus ipſe quidem, aſſeuerare poterit. Intueatur Hieronymus, dum ad Famachium & Oceanũ ſcribit, & apparebit, quo pacto videlic. dicti illius Apoſtoli artẽ imitatus fuerit, dũ eamdẽ ſequentibus verbis referat & deſcribit: Paulum Apoſtolum, inquit, proferam, quem quotieſcunque lego, nõ mihi verba videor audire, ſed tonitrua. Legite epiſtolas eius, maxime ad Romanos, ad Galatas, ad Epheſios. Totus in certamine poſitus eſt, & videbitis in teſtimonijs eius, quæ ſunt de Veteri Teſtamento, quam artifex, quã prudens, quam diſſimulator ſit eius, quod agit. Videntur quidem eius verba ſimplicia, & quaſi innocẽtis hominis & ruſticani, & q. nec facere, nec declinare norit inſidias: ſed quocunque proſpexeris, fulmina ſunt. Hæret in cauſa, capit omne quod tetigerit: tergũ vertit, vt ſuperet, fugam ſimulat, vt occidat. Et quod ad ante commemoratum dictum D. Pauli attinet, non inquam ego, quod ſibi ipſi ſit contrarius, ſed Corinthios ſuos ita tractat, tamquam prudẽs & ſapiens doctor: & quo magis in ſua doctrina corroborentur, ipſis non humanam eruditionem & ſapientiam, ſed ſolummodo & vnice virtutem atque efficaciam ſpiritus præmonſtrat, cui etiam omne adſcribit acceptumque refert. Ad artem eius alias quod quidem attinet, illa in omnib. ſuis ſcriptis manifeſtiſſime deprehendit. Quã artificioſe enim illa coram Feſte, & Rege Agrippa vtitur dum Iudæi ſumma cum impudentia & animi indignatione, inſtarent, vt videlicet ſummo adficeretur ſupplicio: Quam modeſte atque ciuiliter prorſus iudicem ad ſuas partes pertrahere nititur? Quam ingenioſiſſime & artificioſiſſime ſeſe coram omnibus circumſtantijs excuſat? Quanta egregia vſurpat ſtratagemata? Quam certe & expreſſe argumenta & fundamenta ſuæ innocentię deducit? Vbi nam exiguus etiam artis defectus depræhenditur? Cui etiam ars iſta deſit, quid, quæſo, præclari efficiet aliud, niſi vt auditorem tædioſum, ſeipſum vero, friuolis ineptiſque ſuis declamationibus, contemptibilem reddiderit? Ecquis nam tam tædioſo oratori aut doctori abſque tædio & moleſtia alacritate auſcultare poterit, ſi videlicet male incipiat, peius pergat, & peſſime orationem ſuam finiat?

Pari modo & Imitatio in fideli *Imi[...]*

aliquo

aliquo concionatore requiritur, si enim sibi clarissimum excellentissimumque virum aliquem eligat, ipsumque mox ab initio imitari contendat, tum non dumtaxat ipse discit verum etiam successu temporis ipsi per omnia similis esse, aut fieri, sedulo ad laborat.

Cumprimis vero sese in elocutione diligenter seduloque exerceat, qua sola amabilitatem, tristitiam, lacrumas, admirationem, odium, terrorem, & omnia, quæ apud auditores suos excitare conatur, ciere potest. Et hoc idem est, quod Demosthenes innuere voluit, cum, quid in oratore bonum esset, interrogaretur, isq; respondisset Pronuntiatio, Pronũtiatio, Pronuntiatio. Hæc enim Cicero animum Cæsaris adeo commouerat, vt etiam, quamuis Ligariũ ad mortem condemnare constituisset, ex commiseratione hosti pepercerit, vitam ipsi dono dederit, & Ciceronem ea de causa summopere laudarit, quod indignationem & iracundiam suã, iucundissima & artificiosissima oratione, quam coram ipso pro Ligario habuerat, superasset. De Hegesia Oratore Girenensi historiarũ monimenta testantur, quod aliquando ciuib. suis calamitatem & miseriam humanę vitę tam artificiose proposuerit, atque adeo ingeniose ipsorum animis impresserit, vt multi etiam mori desiderauerint. Pisistratus eiusdem beneficio ad tantum honoris culmen conscendit, vt etiã, licet Athenis præstantissimo & sapientissimo Soloni aliquando contradixisset, nihilominus tamen, totius ciuitatis consensu, administrãdæ Reipublicæ præposit⁹ fuerit. Eo ipso, Cato, plus iusto seuerus, humanus minus, tãtam celebritatis famam adeptus est, vt Romanus Demosthenes diceretur, quod feroces, iugiq; impatientes, Romanos in officio contineret.

In fideli itidem pioque Concionatore bona insuper memoria requiritur vt videlicet, absque vllo impedimento & remora, de quibusuis rebus ex tempore dissertationem instituere suaque allegata, tam ex S. Scriptura, quam prophanis alijs scriptoribus deprompta, in medium adferre possit, tum enim non dumtaxat summa cum admiratione pronisque auribus diserta ipsius concio à populo excipietur, verum etiam omneis, istiusmodi diuini verbi p̃conem præcellentem, atque à *DEO TER OPTVMO MAXVMO* ciempris dotatum virum esse vno ore fatebuntur. *Memoria*

Et hæc potiora membra sunt, quæ potissumum in syncero aliquo

quo Ecclesiaste requiruntur. Notorium praeterea est, quatenus videlicet per cordatam cordato viro dignam vocem, decoros gestus vires emphasinq; verborum, immobilẽ elocutionem, faciles clarosque discursus, doctrinæ qualitatem, amabilitatem iucunditatemque vocis, bonum ordinem & inuentionem, felicemque memoriam, aliasq; accidentales partes diuini verbi præco mirum in modum commendetur, atque adeo Caracciolis, Panigarolis, Lupis, Toletanis, Voleris, alijsque eximijs præcellentibusque oratoribus æquiparetur. Si quis autem plura de tali concionatores concernente materia scire desideret, is legat Rhetoricam Ecclesiasticam Cardinalis Valerij, & Ludouici Granatẽsis, tractatum itidem Fr. Lucæ Baglionij, qui omneis ad perfectum Ecclesiastem necessario spectantes partes copiosius & latius deducunt. Hęc itaque nunc de discursu, Relligiosos tam in genere, quam in specie concernente hoc loco sufficiant.

IN DISCVRSVM TERTIVM ANNOTATIVNCVLA.

AVgustinus Steuchius Relligionem elegantissime depingit: lib. 10. de perenni Philosophia cap. 3, indicat quæ vera siet relligio cap. 12. In quibus partibus recta veraque relligio consistat, cap. 2. de religionis gradibus loquitur. Et ca. 1, inter alia satis erudite demonstrat quantæ miseriæ & calamitates videlic. ex relligionis defectu exoriantur. Franciscus Picus Mirandulanus lib. 1. de prænotione, in quo de eadem tractat materia, cap. 9. & 10. indicat vnde nimirum Relligionis nomen suam sortiatur originem, quid quoque obiectum Relligionis fiet. Marsilius Ficinus pari modo de multis ad relligionem spectantibus reb. agit, præsertim lib. 14. de Theologia Platonica. Item, Iamblichus in lib. suo, 20. quẽ de Ægyptiorum Chaldæorumq; mysterijs edidit. Lactantius Firmianus de eadem re integrum librum conscripsit, quemadmodum etiam Albertus Magnus, in lib. suo de natura & origine animæ, tract. 2. & lib. 5. Ethices tract. 3. ca. 3. Relligionem venustissime descripsit. Cęlius Rhodiginus

diginus lib 5 Antiquarum lectionum cap. 39. erudite demonstrat, vnde nimirum veræ falsæq; Relligiones exstiterint, & Astrologiæ partes primæ tribuantur.

Ad Prælatos, eorumdemque inferiores siue subditos quod attinet, Oratorium Religiosorum Gueuaræ commode legi poterit, in quo modo dicta ista materia neruose deducitur. De externo autem regimine Nauarrus, super cap. Non dicatis, legatur, vbi perpetuas quasdam Relligiosorum Prælaturas omnino reijcit.

De externis & ciuilibus Ceremonijs apud Iulium Barbaranam parte prima officina, tit. 9. perfecta reperitur instructio siue informatio. Qua de re etiam Alexander ab Alexandro libr. 2. Genialium dierum cap. 19. consulendus est.

De sacris Ceremonijs modo dictus Barbarana, in annotat. de sacris ritibus quoque scribit, & de ceræmoniis Missæ Ioannes Garerius Confessor Missagensis, & Michael Timotheus Gattiensis.

De superstitionibus late deductus, atque ex diuersimodis Auctoribus collectus discursus, in Palatio meo videatur, vbi rerum harum auidi cupidiq; lectores satis superque informabuntur.

De Ordinibus Relligiosorum legatur etiam Iohannes Lucidus, & Cassanæi Catalogus: relliqua vero ex supplemento Chronicorum, S. Antonio, Vincentio Beluacensi, Raphaele Volaterrano, alijsq; pluribus desumantur.

Ad Equestrem Ordinem nuperrimo tempore accessere quoque S. Francisci Equites, qui à Sixto V. pontifice maxumo introducti sunt. De Romano Equestri Ordine neruose & erudite scripsit Alexander ab Alexandro libro 2. Gen. dierum cap. 29. & Iohannes Rosinus in Romanis suis Antiquitatibus c. 17.

Ad Concionatores vero quod attinet, videatur de ijsdem Tractatus Panigarolæ. Ante omnia quoque (id quod pios diuini verbi Præcones, etiam absq; mea adhortatione, facturos esse nullus omnino dubito) Concionatores Rhetoricam Guilielmi Parisiensis, cujus sane eruditissima scripta nullo iure apud multos sepulta iacent, summopere sibi commendatam habeant.

DE GRAMMATICIS, LVDIMAGISTRIS, ET PEDANTIBVS

DISCVRSVS QVARTVS.

NOn pauci equidem reperiuntur homines, qui elato supercilio, inflatoque spiritu, Grammaticos tam veteres, quam Neotericos etiam, malesano sane consilio nauci æstumare & contemnere conantur, quippe quod, iuxta ipsorum opinionẽ, leuia, nulliusque pretii siue momenti tractent principia, qualia sint literæ, earumdemue formæ, syllabę, verba, puncta, aliaque id genus similia, quorum gratia nullam sane in mundo singularem gloriã reportaturi sunt. Id autem non solummodo fit ab idiotis, rerumque omnium imperitis hominibus, verum etiam quibusuis ferme in locis, & singulos apud status commune quoddam malum est. Vnde etiam Suetonius & Tranquillus scribunt, quod Grammatici olim non adeo magno in honore atque existumatione fuerint. Miseri autẽ & inscij isti homines minime sane animaduerterunt, res aliquando nullius momenti apud prudẽtes sæpissime prætiosas magnique æstumatas fuisse. Quid vilius (ait Berualdus in enarratione Persii Poetę) quam Carbunculus? quid aspectu vilius, quam rubri coloris diamas? quid contemptius, quam hyacinthus? neque tamen in mundo, iisdem lapillis, quicquam pretiosius, pulchrius gratiusque reperitur, si ad manus prudentis alicuius viri deferantur. Sic exiguæ paruæque staturæ homines quandoq; à multis habentur ludibrio & contemptui, cum tamen cordatos magnanimosque ipsos esse sæpissime depræhẽdatur. Qua de caussa Homerus de Tideo exilis quidem staturæ, est heroici animi homine ita cecinit:

Vtilior Titeus, qui, si quid credis Homero?
Ingenio pugnax, corpore paruus erat.

Sic Xantippus Lacedæmonius etiamsi ab ignobili vulgo, ob paruam corporis staturam rideretur, nihilominus tamen à Silio sequenti elogio decoratur:

Exiguus

Exiguus inerat vigor (admirabile:) membris
Viuidus, & magnus nisu qui vinceret artus.

Persius, ob exiui libelli editionem, à Martiali sequentib. in versibus similiter celebratur, dum illo sic canit:

Sæpius in libro memoratur Persius vno,
Quam leuis in tota Marsus Amazonide.

De eodem Persio celeberrim⁹ Quinctilianus ita scribit; Multũ, & veræ gloriæ, quamuis in vno libro, Persius meruit. D. Hieronymus quoque eumdem Satyricum eloquentissimum appellare solitus est. Ita Salomon Prouer. c.30. hũc in modum loquitur: IV. sunt in terrarum orbe quibusuis sapientibus longe sapientiora: Formicæ, populus exiguus, æstate victũ sibi comperant: Cuniculi, gens vilis, in rupibus habitat: Locustæ, Rege destituti, magnis tamen agminibus foras progrediuntur: Aranea manibus suis operatur, & in Regum arcibus habitat. Itaque Grammatici non ita omnino cõtemptui habeantur, quum, vti sane vulgus æstumat, de rebus non adeo magni momenti agant. Quã imbecillia enim istiusmodi fundamenta alicui videantur, tam celeberrima omnibusq; etiam modis absolutissima machina eidem superimponitur. Quare Quintilianus lib. 1. Inst. sic ait; Ne quis igitur tamquam pauca fastidiat Grammatices elementa quæ non modo acuere ingenia puerilia, sed exercere quoque altissimam eruditionem ac scientiam possit. Cornelius Nepos Grammaticum sequentib. verbis describit: Grammaticus est ille, qui diligenter, acute, scienterque possit, aut dicere, aut scribere. An autem literarum inuentio, & quomodo istæ faciundæ sient. forsitan tibi adeo leue videtur negotiũ, vt tam paucis literis, aut figuris, vti nominari possent, tot millesimæ diuersimodæque cogitationes, animiq; conceptus dilucide & expresse indicet & manifestet? Quis tam insani ac iniqui erit animi, qui Dionysium Licinum latinarum literarũ sybillarumq; non condigne celebret, cuius rei tamen gratia ipsi in Capitolio à Romanis statua erecta fuit, & de quo eximio beneficio vniuersus etiam terrarum Orbis in hodiernum vsque diem merito gaudere & gloriari potest? Quid vero Grammatica est aliud, quam istiusmodi ars & scientia, per quam omneis ferme relliquæ artes quasi referantur, & absque cuius adminiculo nemo ad alias

peruenire potest? Quid aliud est, quam, vti Isidorus lib. 1. Etym. & Franciscus Patricius libro 2. de Reipublicæ institutione ait, fundamentum & disciplina omnium reliquarum liberalium artium? Cur, quæso, Romani Grammaticis publica constituerunt stipendia iisdemque mandarunt, vt artem suam in plateis & biuijs profiterentur? Maiori sane ex parte vt ab omnibus ferme hominibus debito honore & decenti respectu prosequerentur. Vnde etiam vetus & laudabilis ista consuetudo in hodiernum vsque diem durat, quod pædagogi discipulos suos in plateis à tergo sequantur, ipsisq; omnia themata nominum vocabulorumq;, hinc inde in via occurrentiũ, reuocent in memoriam. Cur, inquam, Grammatici, vel Grammatices Professores publicis literis patentibus (Leg. Modicos) confirmantur, nisi eum potissumum in finem, quod ab omnibus, vti iam ante dictum, amentur atq; venerentur? Qua de causa etiam à Quintiliano iterum atq; iterum huncin modum celebrátur. Est necessaria pueris, inquit, iucunda senibus, dulcis secretorum Comes, & quæ vel sola in omni studiorum genere plus habet operis, quam ostẽtationis? Quur in Canonibus, distin. 38. quemadmodum etiam D. Hieron. super epist. ad Titum ait (hæc reperiuntur verba: Grammaticorum doctrina etiam potest proficere ad vitam, dum fuerit in meliores vsus assumpta? Quur, quæso, modo dicta ista verba in canonibus condignata sunt, nisi vt à singulis pro suo merito colerentur? Ludouicus Viualdus, lib. 1. de persecutione Ecclesiæ, eamdẽ (Grammaticam) tamquam præcipuam summeque necessarium scientiarum omnium primo loco ponit, vt ipsius excellentia & vtilitas omnibus studiosis recte & sufficienter inculcetur. Quintilianus illam scientiam recte & ornate loquendi, Poetarum comitem, amicam Historiographorũ nominat, eamdemq; cum suauissima quadam Musica comparat, cum distinctis suis versibus: immo auxiliatricem Astrologiæ, in Poetica descriptione motuum Cœlestium Orientis, Occidentis, Stellarum, signorumque cœlestium, nuncupat: Item domesticã Philosophię, quæstionum naturalium caussa, quas Empedocles apud Græcos, & Varro ac Lucretius, apud Latinos edidit. Quur igitur tam multa præclara de illa dicerentur, nisi tanto elogio atque præconio digna esset? Quam egregie celebratur Prometheus, qui hanc scien-

tiam

tiam omnium primo in Græcia inuenit. Quam splendide Crates Milesius (à Rege Attalo, inter secundum & tertium bellum Aphricanum, ad S. P. (Romanum missus, vt Regina ista omnium vrbium in toto terrarum orbe etiam Nobilissima & excellentissima scientia exornaretur) exceptus fuit? Quantis encomiis, & iustissimis sane præconiis, etiamnum hodie inter nos Dulcij, Bembi, Iulij Camilli, Alumni, Sansouini, aliique, qui in materna & vernacula nostra lingua certas quasdam regulas præscripserunt, iuxta quas nostrum stylum tam in loquendo, quam scribendo, formaremus, extolluntur? Iustis quoque laudibus Carolus Magnus, gloriosissimæ memoriæ Romanorum iste Imperator inuictissimus, ambabus, vti aiunt, manibus ad cœlum vsque adtollitur, quod Germanicam Grammaticam inuenerit, & ventis, aliisque rebus cœlestibus noua nomina indiderit. Sic & alii laudatissimæ illius scientiæ Professores promerita sua laude minime defraudantur, vtpote Aristarchus Alexandrinus, qui plus quã M. libros ea de re publici iuris fecit, & Didimus, qui similiter plus quam IV. librorũ M. post se relliquit: Valerius Cato qui Syllæ temporibus tanta gloria docuit, vt in laudem honoremq; eius sequentes versus fuerint compositi:

Cato Grammaticus Latina Syren.
Qui solus legit, & facit Poetas.

Verrius Flaccus, olim Augusti Nepotis Præceptor, per amicam blandiloquamq; suam docendi formulam tãtum sane effecit, vt, in eius honorem, statua eidem erecta fuerit. Caius Melissus Spoletinus, ob eximiam eius eruditionẽ, à Mœcenate manu missus, & libertate donatus est. Nicias eo ipso amicitiam Ciceronis & Pompeij nactus est: quemadmodum etiam prudentes, probæ, fidelesque matres & nutrices quæ infantes atque nutritios suos, quasi ad vbera adhuc pendentes, iuxta doctrinam Chrysippi, recte beneq; loquẽdi instituerunt, sua etiam laude neutiquam defraudandæ sunt. Ex omnib. ijs cumprimis commemorandæ & recensendæ sunt Cornelia Grachorum mater à qua sola filii isti omne illud didicerunt, quod hac in arte cognitum perspectumq; habuerunt: Ita quoque & Aurelia, Cæsaris mater: Item Attia, Augusti mater: Istrina quæ suum & Scytharum Regis filiũ Silenum in Græcia

ca lingua fideliter instituit. Ita quoque eorum Præceptorum memoria obliuione minime obliteranda est, qui ipsius fidei cōcreditos pueros in bonis moribus & liberalibus artibus fideliter instituerunt: ex quibus præcipue sunt conspicui Crassitius qui Marci Antonini filium sub sua disciplina habuit. Item Philetas Cons. qui Ptolomęum Philadelphum educauit: Vorcatius item, qui Octauium Augustum instituit: Zenodotus Ephesius, qui primi Ptolomæi filium erudiit, & plures alii, qui in hodiernum etiam vsque diem, tam priuatis in ædibus, quam publicis in Scholis, in erudienda iuuentute fidelem nauant operam, inter quos Grammati absq; vllo dubio maxumos labores sustinent, atque exinde etiam maiorem laudem merentur omnium relliquarum artium fundamentum siquidem est Grammatica, omneisque adeo literati viri à Grammaticis suam sumpsere originem: Docent enim quomodo quis animi sui conceptus propriis idoneisque verbis detegere debeat, vti illud cumprimis in Ælio Melisso videre est: quomodo proprie & expresse scribendum siet, quemadmodū Micanor Alexandrinus fecit: quomodæ literæ siue epistolæ formandæ & exarandæ sient, id quod Asinius capito præmonstrauit: quomodo versus sint cōponendi, quemadmodum Ennius Grammaticus docuit quomodo rebus omnibus vera, propria, decentiaque epitheta adtribui debeant, id quod Telephus Pergamensis præmonstrauit: quomodo historiæ scribendæ, quemadmodum Appion Alexandrinus, Herodianus, Apollodorus Atheniensis docuerunt: quomodo Orationes formandæ, vti Aelius Precontius indicauit: quomodo omnes authores recte legendi & explicandi sient, quod Lucius Cecilius Epirota, Asinius Pollio, Heracleon Ægyptius aliiq, plures docendo præmonstrarunt. Immo & illi maxumopere honore dignos esse æstumamus, qui nouitiis pueris literas & syllabas docent, donec ad eorumdem lectionem & cognitionem assuefiant. Item ii, qui postmodum eosdem docent quomodo partes Orationis à se inuicē distinguendæ, quæ nomina, Pronomina, Verba, Pręposítiones, Aduerbia, Coniunctiones & interiectiones sint. Item quomodo casus, declinationes, modos, tempora commata, cola, & alias

Gram-

Grammaticales formulas cognoscere debeant: qui omneis & singuli honore elogioque suo neutiquam defraudandi sunt.

Vice versa vero non pauci sane reperiuntur quibus certe exiguam, immo prorsus nullam laudem adtribuere potero, nec etiam mihi certo constat an inter Grammaticos, vti quidem pueri puti esse cōtendunt aut petantes, numerandi sint. Sunt autem tales, qui per integ um ferme diem in foro obambulant, vel alias in officinis quibusdam, aut alio eruditorum cœtu & lana caprina, & nullius momenti rebus Grammaticalibus rixantur, idque tanto clamorum vociferationumque impetu, tantoque zelo, vt etiam fabrum, circa incudem occupatum, offendere atque interturbare possint. Hic Pollucem, & Herculem, alii omneis Deos adiurant, qui similiter circa rixas istas Grammaticales occupati esse coguntur: quam tamen nugatoria ista contentio eo potissumū directa fiet an videlic. literæ Y. & Z. in Græcis, vel etiam in Latinis vocabulis vsurpandæ sint, an Aristotelis anima quam Entechiam nuncupat per S. aut T. scribenda: an H etiam litera, aut saltim aspirationis nota fiet, an litera X. opus quis habeat, necne: siquidem olim, loco illius, CS. vsurpatum, & pacs, Lecs scriptum est, cum tamen hodie pax & lex scribatur. Item an nomen Vlysses cum X. Vlixes, an per ss scribendum. Item, an III. dumtaxat sint orationis partes, vtpote nomē, verbum, & coniunctio, quemadmodum Aristoteles & Theodotus contendunt an autem IV. vti Stoici volunt, qui articulos à coniunctionibus distinguunt. Item, an relliquæ, quę longe post iisdem sunt additæ, etiam Orationis partes consendæ sint, quē admodum Aristarchus & Palæmon volunt. Item an Pronominum solummodo XV. vti Priscianus affirmat, an eorumdem plura, vti Diomedes & Phocas volūt, vel pauciora sint. Item an duplices literæ vsurpandæ, videlices in verbis causa, religio: dum alii scribunt caussa, relligio, an vero vna (& l sufficiant, & quæ id genus sunt alia, vtpote accentus, puncta, ortographiam, pronuntiationem, formam & figuram literarum, etymologias, analogias, præcepta, regulas, declinationes, modos significandi mutationes casuum, varietates temporum, &c. quas magno zelo tuentur, & non immerito à Luciano Samosatensi, in pecu-

liari quodam libello, quem de controuersia duarum literarum S.& T. conscripsit, irridentur. similiter & ab Andrea Salernitano, qui, in ludibrium istorum Grammatizantium, bellũ Grãmaticale artificiose descripsit. Penes illos & alii reperiuntur, qui puri puti Grammatici esse contendunt: Messala de qualibet litera peculiarẽ librum conscripsit. Beroaldus Seruium in rebus nullius momenti in scholam introducere nititur: Lucinius repræhendit Vettium quod Sabinianis, Prænestinianis & Thuscianis verbis vsus fuerit: Asinius Pollio Tito Liuio imputat, quod nimirum patriam linguam nimis oleat, atque in verbis plus iusto patauinus fiet. Palæmon Marcum Varronem, ob res Grammaticales leuiculas, omnino deuorare nititur. Quinctilianus castigat Senecã, quod paucis breuibusq; sententiis vires efficaciamque aliquot vocabulorum improbet. Valla omneis ante ipsum in genere Grammaticos castigat, qui tamen iterum à Mancinello & Poggio ꝑ suo merito castigatur. Præter commemoratos illos & alii quidam pedãtes, malarum suarum qualitatum caussa, merito apud omneis odiosi esse debent, vti videre quis poterit in pertinaci & iracundo Domitiano, Ludimagistro olim Romano, & moroso impudentique orbilio, Ciceronis tempore Ludimoderatore Beneuentario: Itẽ, in Rhennio Palamone, qui somniare audebat liberales artes vna secum exortas, ac simul cum ipso iterũ interituras esse: Item, in Leonida, Alexandri Magni Pædagogo, qui, quemadmodum Diogenes Babylonicus scribit, eumdem Alexandrum, adolescentẽ adhuc, in omnijs generis flagitijs sceleribusq; erudierit: & in quodam alio, qui à Cratete Philosopho pugnis cæsus fuit, quod suæ fidei cõcreditum aliquem puerum in adolescentia sua corrupisset. Quid heic de calumniatoribus quibusdam dicam, qui omnia corrigere & reformare conantur. Hic Platonem arguit, quod nullam in scribendo ordinem obseruet: alter, Virgilium, quod Theocritum & Homerum spoliauerit, atq; sic eorumdem plumis sese ornarit, alius, Ciceronem, quod in scriptis suis etiam nullum vbiuis obseruarit ordinem: alius, Salustium, quod coactè nimis scripserit: Alter in Terentiũ inuehitur, quod comœdias suas à Labeone & Scipione emendicarit. Ita Macrobium.

bium, ingratum atq; impudentem: Plinium, mendacem: Ouidium vero, arrogantem esse oportet. In summa nemo præteriens eorumdem virgulas & censurã subter fugere potest. Quid heic, quæso, referam de stulta quorumdam superbia, qui, vt auctoritatem sibi comparent, aliquo, ex Cicerone vel alio aliquo Poeta mutuato dicto, suam opinionem tuentur, recitando & glossando illud Magistrali sua arte explicant, adeo vt auditorũ, præ nimiis didascalorum istiusmodi inculcationibus, aures sudent, cum tamen ijsdem heic merito quis obijcere posset.

O Coridon, Coridon, quæ te dementia cepit?

Quandoque Nugiuendi stolidique isti Ludimagistri & Pedantes nimis sunt deuoti, & ex SS. literis sententiam aliquam depromunt, quam glossis suis adeo deformant, vt bufonibus etiam ijsdem sint veneno: Quid de miris, rarisque prosopopæis heic commemorem, qui ijsdem adeo insolenter incedunt, quasi omnem omnino vnico quasi bolo artes deuorauerint. Alij quando enim Perottus, Carolicius, Despauterius, Mancinellus, Priscianus, Dauid Britannus, Augustinus, Pathus, Adamus, Traiectẽsis, Magister, Telbenius, Terentius, Scopas aliique doctissimi viri foras prodeũt, quos heic, & illinc aliquantulum deplumant, illamq; deplumationem magna insolentia discipulis suis inculcant: si quis præterea eamdem ab istis emere velit, tunc dicaculi isti Magistelli vix Donati Ianua sum rudib. efferre possent. Quamobrem Cantalicius Pedantem quemdam, Branchitam nomine, ingeniosissime sequentibus versibus irridet.

Dum legit in Cathedra sapiens Branchita Poetas,
Allegat semper, pro Cicerone, Phocam.

Quanto autem melius vtiliusque esset, vt votum Quinctiliani in ipsis adimpleretur, qui sic quodam in loco, inquit: De Pędagogis hoc amplius, aut sint eruditi plane, quam primam esse curam velim: aut se non eruditos esse sciant. In quo sane bene & prudenter loquitur: nullũ enim aliquam in schola malum pestilentius, quam si præceptor aliquis seipsum minime norit, sed sibi videtur se esse aliis multo doctiorem, quum tamen is non sit, etiamsi sibi persuadeat, quod breui videlicet temporis

ſpacio pueros ſuos doctiores reddere valeat: De tali vaniloquo pedante paullo ante dictus Cantalicius, qui ſuo tempore etjam Ludimoderatoris officio functus eſt, hunc in modum de Quinctiliano cecinit.

Ille tribus brumis vix ALPHA & BETA docebat:

In tribus aſt pueros menſibus aſtra doces.

Quid, amabo: de ſtulta inanique iſta quorumdam pedantiũ grauitate heic loquar qui baculo ſuo Magiſtrali, calua, tunica, quæ non amplius, niſi V. Iubilæa vidit, magiſtrali ſuo cantu, tã in proſa, quam carmine, cum ſodalitio ſuo aliquot ſuorũ puerorum, quos ad inſolentiam enutriunt, cum latinis ſuis ſalutationibus, *Salus, Auete Domini, Saluete, &c.* cum egregia ſuperfluaque ſua reuerentia, elato ſuo ſtatu, inceſſuque, quaſi meri eſſent Tullii, cum inſolentib. ſuis lectionib. faſtuoſis ſermonib. in puerorũ ſuorũ examinib. peripateticis ſuis in ſchola obambulationibus, Gallorum Indianorum inſtar, ſeſe conſpicuos reddere conãtur? Quid porro quoque dicam ſe ſtudioſis eorumdẽ adhortationibus, quibus ſuæ fidei commiſſis diſcipulis calcar addunt, vt videl. priſcani veſtigiis diligenter inſiſtant, à Diomede ne latum quidem vnquẽ recedant, bonum aliquem auctorem, tamquam Cornucopię, aſſidue ſub brachiis, aut in caligis, ſecum circumferant; ne quoque, ſub graui pœna, ipſorũ Catholicon, Papiam, Mamotreotum poſt ſe rellinquant, & quæ ſimilia ipſorum ſunt mandata, vt hoc modo vbique locorum diligentes, curioſi doctiq; ſcholares habeantur, cum tamẽ meros aſinos enutriant, qui quidem libros geſtare, non tamen eorũdem contenta intelligere poſſunt. Quid nunc de ipſorum inſolentibus arrogantibuſque ſermonibus eloquar, in quib. omnes ſane linguas miſerabiliter confundunt, adeo vt Pedantina Grobianaque ipſorum eruditio manifeſtiſſime deprӕhendatur. Si enim quicquam ipſis garriendum eſt, latinus ſermo ipſis ſemper intermiſcẽdus eſt, ne id forſitan ſimpliciores intelligãt. Pedantinus ille Aſellus Bolognæ aliquando innuere volens, in Patria ſua tam multos eſſe exules, & proſcripros, vt verendum ſiet ipſos, facta conſpiratione, Gubernatori manus iniecturos, eumdemque occiſuros eſſe, aiebat:

bat: *Io vereo, che per le copia di quæsti essuli, vn giorno nõ venga necato, Antistite.* Alius epistolam Genuam versus exarabat, quæ ad Pharmacopolium, sub signo Lunæ, in foro vinario perferri debebat cum hac inscriptione: *Nella citta Antenorea, sul fore di Bacco al Aromataria della Dea Triforma.* Alius, meretricem obiurgare volens, sequentib. pedantinis verbis in eamdem inuehebatur: *Questa lupa,* inquit, *Romule sempre ha l'occhio a i loculi, ne mai si vede col riso Cythereo, per fin che non e della sua ingluuie omninamenta satia.* Alius hospitem suum sequentibus hisce verbis humanissimis salutare volens, aiebat: *Aue Pincerna Delphico, salue Maiestro di condimenti lautißimi: di te adiuuent, sacratio de tutti i ferculi opipari.* Ita quoque alius rusticum aliquem de itinere Romam versus interrogabat, (qua de caussa certe rusticus ille sese felicem prędicare potuisset, quod eum tam eruditus aliquis vir ex sacro suo ore compellarit) eumdemq; hoc modo alloquebatur: *Dimmi elegante viatore, quale e l'itinere Germano di peruenire alla citta di Romulo.* Et pedantinos istiusmodi sermones adhuc sane multos in medium proferre possem, verum isto garritu inutili nec lectorem, aut me amplius heic detinebo, apud quasuis enim Nationes peculiari etiam suo nomine plerumque dignoscuntur.

IN QVARTVM DISCVRSVM ANNOTATIVNCVLA.

Ammonius supra Porphirium, & Simplicius supra Physicam Grammaticam, varie, eleganter tamen, ita definiunt, dum inquiunt, quod sit peritia eorũ, quæ magna in parte à Poetis & rerum scriptoribus dicuntur. Item, Grammatica est scire confusionẽ de ipsis XXIV. literis. Albertus Magnus etjam super pdicabilia significat, qualem Grammatici loquendi formulam vsurpent, dum inquit: Grammatica sermone vtitur, prout modus inflexionum & Constitutionum intellectus simplicis & compositi complexe designatiuus existit, simpliciter vsq; eo quod sciat de significato, vtrum sit, vel non.

Dio-

Dionysius Thracius Grammaticam sequentibus verbis describit: Grammatica, ait, est peritia, scientiaque eorum, quæ apud Poetas plurimũ versantur. Charos, inquit: Grammatica est habitus, quo ex arte dictionum sensus nascitur. Chlorus, veluti etiam modo dictus Dionysius Thracius aiebat, Grammatica, ait, est cognitio earum dictionũ, quæ apud Poetas in communi vsum sunt. Marsilius Ficinus in Philæbo Platonis indicat, quid videlicet verus fiet Grammaticus, dum ait: Grammaticus ille est qui tenet quod in species vox distingui potest, & quales illæ sint, dũ ore particulatim in verba mente concepta distinguuntur. Plato in Philębo suo memorat Theutonem quemdam primum Grammaticæ inuentorem fuisse. Grammatica vero, iuxta Taurisci & Dionysii opinionem, in Artificialem, Historicam, & propriam diuiditur. Artificialis est in qua pręcepta elementorũ, literarum, partium Orationis, & Orthographicæ traduntur. Historica, tamquam incerta, reiecta est, & de rebus omnibus, Ecclesiasticis & Politicis, tractat. Propria est, quæ Poetas & Historicos proprie declarat: atq; adeo summe necessarium est, vt sciatur quomodo olim omnia verba ordine scripta fuerint. Hac de re legatur insuper, quod Petrus Victorius variarum lectionum lib. 4. cap. 3. scribit. Ad veteres quoque Diphtongos quod attinet, quarum VII. fuere, de iisdẽ Annotationes Angeli Politani in Miscellaneis suis capit. 43. videantur, qui etiam in panepistino suo elegantem neruosamq; quamdam Grammaticæ distinctionem, qualem etiam paullo ante recensuimus complectitur: In Lamia sua idem ille paucis, ast perelegantibus verbis de honore atq; dignitate Grammaticorum loquitur, dum inter alia sic inquit: Gramaticorum hæ partes sunt, vt om̃e scriptorum genus, Poetas, Historicos, Oratores, Philosophos, Medios, Iureconsultos excutiant & vertant: & porro; Nostra ætas parua perita rerum veterum, nimis breui gyro Grammaticum sensit: at apud antiquos olim tantum auctoritatis hic ordo habuit, vt cẽsores essent & iudices scriptorũ omnium soli Grammatici, quos ob id etiam Criticos vocabant. Similiter ad instructionem præceptorum & pædagogorum ꝙ attinet, de eo prima Cælii Calcagnini, ad Bartholoncarum Riccium scriptæ epistolæ lib. 12, legatur,

legatur, vbi perpulchre de re iſta loquitur. Plato in ſympoſio ſuo, de officio Ludimagiſtrorum & Pædagogorum ait, quod, inter alia, omne etiam ſuum ſtudium & diligentiam eo potiſſumum conuertant, vt pueri non cum iis, quos amarent, loquerentur. Quomodo autem ſtudioſi Adoleſcentes in Grammatica, ab ipſis etiam elementis ad integrum ſermonem & orationem vſque, erudiantur id Mallæus ſequentibus in verſibus præclare teſtatur.

Vt rudibus pueris monſtretur littera primum,
Per faciem, nomenque ſuum, dein ponitur vſus,
Tunc coniuncta ſuis formatur ſyllaba nodis:
Hincque breuis ſtructura venit per verba ligandi,
Tunc rerum vires, atque artis traditur vſus:
Perque pedes proprios naſcentia carmina ſurgunt,
Singulaque in ſumma prodeſt didiciſſe priora.

Ita quoque Plutarchus in libro ſuo, quem de ingenuorum puerorum inſtitutione conſcripſit, multa memorabilia commemorat, quemadmodum etiã Marcus Varro in quodam tractatu, De educandis pueris, ex quo Nonius Marcellus non certe mediocrẽ partem deſumpſit, in libro ſuo, quem hac de re edidit. Placutus in Comœdia ſua, cui nomen *Bacchipes*, Ludimagiſtrum quemdam, nomine Lydũ introducit, qui ibidem inter alia commemorat, quomodo videlicet Veteres Græci liberos ſuos educauerint & inſtituerint. Ad nauci-contentiones quorumdã pedantium, de lana quaſi caprina dimicantium, quod attinet, illæ apud diſtinctos Auctores reperiuntur. Præſertim vero apud Alexandrum de Alexandro lib. 1. Genialium dierum c. 21. ſuper verbis *Inuenio* & *Reperio*: Item ſupra vocabulo *Inſtratũ*: Item qualis ſiet differentia inter *Pulſare* & *Verberare*, lib. 3. Gen. dierũ c. 19. & lib. 2. Genial. dierum cap. 25. neruoſa quædam legitur deſcriptio, quatenus nimirum liberi à pædagogis ſuis inſtituendi ſint. Quo animo Virgilius erga pedantes magiſtellos adfectus fuerit, id Petrus Crinitus libro 3. de honeſta diſciplina capit. 8. ſatis ſuperque teſtatur.

DE VTRIVSQVE IVRIS DOCTORIBVS VEL IVRE-consultis.

DISCVRSVS QVINTVS.

CLarissimi etiam hui9 facultatis Doctores neutiquam doleant, nec mihi forsitan succenseant, quod ijsdem in foro meo, etiam singularem Arcum Triumphalem ipsis in honorem erexerim dũ quidem ipsos prima vice ad summum extollo, ipsisque debitum decentemque honorem lubens adtribuo: quẽadmodũ etiam huic professioni omnis honos, partim in genere, partim in specie, iure debetur. Vt igitur & ego beniuolam meam erga Ordinem istum affectionẽ & obseruantiam demonstrem, quippe quod ipse in duab. istis, Ferrariensi & Sienensi, Academiis, studio iuridico, sub auctoritate & existumatione grauissimis præceptoribus, & Doctoribus præcellentissimis, operam non exiguo duntaxat tempore impenderim. Iuxta illud nõ sum ego is qui aliquem lubens in ruborem vertat, vel, vti maliuoli aliquot calũniatores in vsu habent, nullo iure alicuius boniviri famam denigrare studeam: nihilominus tamen & ego, honesto, integro, & syncero animo præditus, turpissimos diuini alias illius studii abusus (qui nimis sane vulgares, hodiernoq; tempore apud omneis ferme plus iusto sunt frequentes, adeo vt & illos lusci vel etiam Cœci videant) sicco pede heic minime prȩterire possum. Nemo itaq; huic meo, laudabilibus in honorem vergenti, atque ex celeberrimis & præcipuis Iureconsultis collectoDiscursui cum indignatione resistat, aut repugnet. Bona itaq; illorum omnium venia, qui laudabili isti ꝓfessioni addicti sunt, ad sub manibus habentem discursum meum accessum facio, quem de ipsorum exordior elõgio. Postmodum vero eorũdem errores ideo perstringo, vt quisque videat, me plus ad ipsorum laudem, quam vituperium, inclinasse.

Leges

Humanæ leges. Leges Humanæ autem, de quib. potissimum heic mihi verba faciunda sunt, peculiares suos Auctores habent. In fide dignis probatisque quoque scriptoribus reperitur, quod eodem tempore, quo Moyses populo Iudaico diuinam legem tradidit Ægyptij quoq; peculiarem suum Legislatorem, Cecropem videlic. habuerint. Postmodum phoronæus primus Græcis leges præscripsit, quamuis Pomponius Laetus & Virgilius, eosdem Leges & statura sua à Cerere accepisse, contendant, iuxta eiusdem Virgilij versiculum:

Prima dedit Leges, Cereris sunt omnia munus.

Post Phoronæum istum etiam Mercurius Trismegistus Ægyptijs leges tulit. Postea Draco & Solon ad Athenienses, Lycurgus, ad Lacedemonios peruenit: Palamedes aũt omnium primus leges militares prescripsit. Valerius Maximus in libro suo de simulata Relligione contendit, ꝙ minos primus apud Cretenses Legislator fuerit, & Philolaum, Volaterrano teste, Thebanis primum leges præscripsisse. Equidem, vti Cicero in libro suo de Natura Deorum asseuerat, primus Legislator in Arcadia, Zoroaster, Cælio teste, apud Bactrianos, Plato, apud Magnesios, & Deucalion, apud Delphos, extitit, de quo Ouidius sic cecinit:

Non illo melior quisquam, nec amantior æqui
Vir fuit, &c.

Saturnum primum Italorum Legislatorem fuisse Virgilius sequentibus in versibus testatur, dum inquit:

Et genus indocile, ac dispersum montibus altis
Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari
Maluit, &c.

Sicquidam Auctores Magos Persianis, quorum sacerdotes fuerunt, Druides, Gallis, Zaleucum, Locrensib. Hippodamum, Milesiis, Gymnosophistas, Indianis, Belum, Chaldæis, Æacũ, Æginensibus, Phidonem, Gorinthijs, Zamolixen, Scythis, Charondam & Phaleam, Carthaginensibus, Romulum, & Numam Pompilium, Romanis leges ac statuta politica præscripsisse, qui omneis, vt modo dictis istis suis legibus auctoritatẽ aliquam compararent, leges sese à dijs immortalibus accepisse, contenderunt. Zoroaster enim populis suis persuadebat seseLe-

ges ſuas à DEO Oromaſo accepiſſe, Triſmegiſtus, à Mercurio, Charimondas, à Saturno, Draco & Solon à Minerua, Xamolixis, à Veſta, Plato, ab Apolline, Minos à Ioue, Numa, à Nympha Egeria leges ſuas accepiſſe gloriabantur: qua de cauſſa etiam à Gentilib. in magno honore habebantur. Si vero omneis acutioribus oculis intueantur, manifeſtum cuique erit omneis iſtos, vti Marſilius Ficin⁹ memorat, Moyſis Succeſſores fuiſſe, qui legem ſuam à Deo ipſo acceperit: quem etiam ita ſubſequuti ſunt, non tamen abſque ſingulari illuminatione diuina, qui eoſdem tam præclaro intellectu præ cæteris ornauit, vt lumine iſto Naturæ, reſpectu, & vrgente neceſſitate ſuorum populorum atq; prouinciarum, omneis ſuas vitæ actiones & conſilia iuxta illud conformarent. Certo ſiquidem certius, nullas omnino Leges, & Platone libro de legibus teſte, abſq; ſingulari *Dei* illuminatione dari poſſe. In ſuo Prothagora vero idem ille affirmat, quod omneis rel'iquæ Diſciplinæ & ſcientiæ à Promotheo, h. e. ab humana ſapientia & capacitate, leges autem, à ſolo Ioue per Mercurium, hoc eſt, à Deo, per ſuos nuncios, dimanent. Eumdem etiam in finem Demoſthenes ait: Omnis lex eſt inuentio, & *Dei* donum: & Cicero in ſuis Philippicis: Lex nihil aliud eſt, niſi recta, & à numine, Deorum tracta ratio. Illud ipſum etiam fatentur Imperatores in Codice, titul. de præſcriptionibus: & Canones cap. Nemo, cauſſa 16. qu. 3. vbi verba ſequentia leguntur: Leges ſunt per ora principũ diuinitus promulgatæ. Id quod etiam per dictum Prouerb. IIX. cõfirmatur, dum ſapientiſſimorum Regum omnium ſapientiſſimus Rex Salomon ita, inquit: Per me Reges regnãt, & Legum conditores iuſta decernunt. Et ſane, vti adparet, & Marſilius Ficinus opinatur, ſingulare videtur eſſe myſterium, quod cumprimis leges minoris, Ioui, Lycurgi, Apollini, Solonis, Palladi inſcriptæ ac dicatæ fuerint, quibus veluti tres perſonas, in vna diuina eſſentia, earumdemue proprietates & operationes, quemadmodum à nobis Chriſtianis agnoſcuntur & creduntur, inuenire voluerunt: vtpote per *Iouem*, diuina omnipotentia, per *Palladem*, diuinam in verbo *Dei* pa'efactam ſapientiam, & per *Apollinem*, bonitatem ſuam, cuius ope Spiritus S. aſſecuramur, & quæ tanta eſt, vt etiam *Deus Ter Optumus*

mus Maximus, tamquam ſolus omnipotens, iuſtus, atq; bonus, ſolem ſuum ęque malis, ceu bonis, illuceſcere ſinat, pluuiamq; ſuam ſuper iuſtos ſimul ac iniuſtos pluere permittat. Pari modo & alii præſtantes celebreſq; ſcriptores leges traditas ſummopere celebrant. Ariſtoteles libro de morte & vita ait: Leges vel bona ſtatuta animam vitamque alicuius ciuitatis eſſe, & quemadmodum corpus abſq; anima ſeſe minime mouere, nec viuere poſſit, ita etiam aliquam ciuitatem abſque legibus neutiquam conſiſtere, neq; conſeruari poſſe. Macrobius libr. 1. de ſomnio ſcipionis inquit: Nec exigu⁹ hominum cœtus ſine illis eſſe poteſt: & libro 1. Polit. perpulchre ait Philoſophus: Sicut optumũ animalium eſt homo, fruens lege, ſic peſſimum animalium eſt homo à Lege, & à Iuſtitia ſeparatus. Libro 1. de Secretis expreſſe dilucideque demonſtrat. quod Legum contemptus cauſſa interitus ciuitatis alicuius fiet. Ait enim Inuidia parit cōtentionem, contentio parit odium, odium parit iram, ira parit refragantiã, refragantia parit inimicitiam, inimicitia parit bellum & diſcordiam, diſcordia parit contemptum Legum, contemptus. Legum parit omnium rerum confuſionem, qua tamdem Prouinciæ & ciuitates corrui neceſſum eſt. Cum hiſce conſentit etiam Xenophon libro ſuo de Monarchia, dum inquit: quod leges omnib. in Imperiis perquam ſcient neceſſariæ, cum non dumtaxat vtilis, verum etiam ad conſeruationem tam corporis, quã animæ, maxumopere requirantur. Vnde etiam Iuuenalis, dũ in quadam ſatyra legum contemptum, qui tum temporis in vſu erat, perſtringit, omneis & ſingulos ad eorumdem obſeruantiam & obſequium hiſce potiſſumum verbis exhortatur, inquiens:

Reſpice quid Leges, quid ius, quid curia mandet?

Sic Auicenna à ſuo Commẽtatore Auerroe eius rei gratia ſummopere celebratur, dum li. 4. Ethicorum, legum ſtudium, vel exercitationem earumdem cum Philoſophia coniungit. Similiter & illud quoq; apud Priſcos vſu receptum fuit, quod Legiſlatores ſuos in diuorum numerum retulerint, iiſdem diuinum honorem exhibuerint, atque hoc modo ab ipſis accepta beneficia ipſis quodammodo recompenſauerint. Inde etiam

Eusebius à Lycurgo memorat, quod ipse etiam Apollo de eodem (Lycurgo) dixerit, nescire nimirum sese an ipsum inter homines, vel Deos numerare debeat. Belo Ninus statuam erigebat, tamquam Deo. Et de Minoe ait Virgilius, quod etiam inferni iudex fiet, dùm ait:

Quæsitorque Minos culpas & crimina discit.

Solon ab Atheniensibus, ob magnum ipsis cum legibus præstitum emolumentum, Iupiter appellabatur. Apis Legislator Ægyptius serapis, hoc est, summus Deus nominabatur, quod suis cum legibus toti Prouinciæ tam immensa bona præstitisset. Eadem quoque de caussa Platoni, ab omnibus Atheniensium sapientibus, tamquam Deo, sacrificium obferebatur. In summa omnib. ijsdem singularis imputabatur diuinitas, quod, ex singulari à DEO Ter Optumo Maxumo ipsis diuinit⁹ implantata sapientia, istiusmodi leges tulerint, quib. populi atq; Prouinciæ conseruatæ fuerint, atq; quilibet earumdem beneficio ad honestam vitam incitaretur. Sic Cicero legib. egregiam laudem tribuit, dum de ijsdem ita, inquit: Lex est vinculum ciuitatis, fundamentum libertatis, æquitatis fons, mens, animus, cõsilium, sententia, &, vt corpora nostra sine mente, sic ciuitas sine lege non esse potest. Vt enim dicam quod res est; Quo medio, obsecro, contumaces atque petulantes in officio continentur? per leges. Quo medio rebelles & seditiosi coguntur? per leges. Quo medio fures & latrones puniuntur? Quo medio omneis controuersiæ, rixæ, scandala, & diuersimodæ intẽperies tolluntur? per leges. Quo medio vniuersa aliqua Prouincia, in pace &, quiete conseruatur, mali plectuntur, & pij defenduntur? per leges. Vbi egentibus, adflictis, derelictis, viduis, orphanis, oppressis, in summa cuilibet oppresso, pro exigente necessitate, auxilio, subuenitur? per leges. Quid omnia Imperia, Regna, Principatus, aliæque Respublicæ absque legibus sunt aliud, q̃ manifesta latrocinia & exercitia omnis violẽtiæ, infidelitatis, inuidiæ, periurij, proditionis, quibus iustitia equitas, honor & integritas miserum in modum non dumtaxat premuntur, sed & ferme opprimuntur. Vice versa per legum tuitionem bonæ constitutiones cõseruantur, Iustitia locum suum obtinet, equitas

tas vbique seruatur; innocentiæ ab improbis nihil metuendum periculi, petulantia retrocedere cogitur, superborum elatorumque hominum arrogantia & potentia coercetur, miseri defenduntur, amor exercetur, virtuti præmium suum tribuitur, cuilibet honos suus conseruatur, & tamdem istiusmodi ciuitas vel Reipublicæ administratio ad cælum vsque summa cum laude extollitur. Leges præterea omnium Imperiorum præcipua ornamenta, optumaque propugnacula sunt, quibus maiori ex parte innituntur atque fulciuntur. Immo ipsa vita tam ipsorum Regnantium, quam subditorũ sunt, quib: ambo isti magis quã per terræ vbertatem, atque fertilitatem ærisque salubritatem conseruantur. Vnde etiam Cicero lib. 3. Topicorum ait: Iustitia Regentis est vtilior subditis, quam fertilitas temporis: hinc enim solatium pauperum, hinc hæreditas filiorum &c. Et hæc de legibus & Legislatoribus in in genere nunc dicta sufficiant. Iam itaque ad scopum aliquantò propius accedemus, & in specie etiam demonstrabimus, vnde videlic. Cæsarea iura & leges originem suam sortiantur. Hac in re omneis ferme auctores cõsentiunt, quod nimirum Romulus primus fuerit, qui Romanis leges prescripserit, & curiatas appellarit. Iuxta illas Numa Pompilius etiam singulares quasdam cultum diuinum & Relligionis negotia concernentes constitutiones tradidit. Illos sequitur Tullus Hostilius, qui leges Romanas locupletiores reddidit. Similiter & eiusdem successores, Annus Martius videlicet, Tarquinius Priscus, Tullus Seruilius, & denique Tarquinius superbus, quorum leges omnes & singulæ à sexto papirio collectæ & Lex papiriana nuncupata fuit. Postquã vero Reges Roma pulsi fuissent ipsorum quoque leges sensim decreuerunt, & Romani ciues, per XX. annos integros, magis antiquis constitutionib. quam perculiares leges & constitutiones quasdam regebãtur. Cum autem ipsis hæc regnandi formula minime placeret, tamdem X. Oratores ad Græcas ciuitates, Athenas & Spartam videlicet, ablegarunt, vt non dumtaxat ipsarum leges inquirerent, verum etiam easdem secum Romam adferrent, imprimis vero leges à Solone latas expetebant. Eo vsque autem Græci Romanis gratificari nolebant, donec modo dicti isti Romani ijsdẽ le-

gib. digni iudicarentur. Quamobrem & suos quoque Legatos Romã mittebant, qui vrbis statum & conditionem exactissime explorarent.

Ridicula inter sapientem Græcum & stultũ Romanũ disputatio.

Quo cum peruenissent illico ridicula quædam disputatio (q̃ Glossator Accursius sup. digest. tit. de origine iuris recenset) inter sapientem aliquem Græcum & stultum Romanum exorta est quæ non, vti alias moris, verbis, sed nutu & signis peragebatur: idque sequentem in modum. Gręcus digitum adtollebat, quo innuere volebat vnum, dumtaxat *Deum* esse honorandũ: Quo viso Romanus duos primores, simul pollicem, itidem adtollebat, quasi Græco duos oculos iisdem exturbare conaretur, nihil siquidem aliud ex Græci facto intelligebat, nisi quod sibi oculum eliminare voluisset. Vice versa Græcus, Romanum tribus suis digitis mysterium SS. Trinitatis in vna diuina essentia innuere voluisse autumabat, explicata igitur tota manum, huic *Deo* omnia cognita perspectaq; esse, significabat: Romanus vero, Gręcum sibi alapham impingere velle, existumans, ad contrariam defensionem sese præparabat: Hoc viso Græcus existumabat, Romanum significare quod Deus omnia in se contineat, & ita Romani (qui tamen in ipsa rei veritate stultus erat.) sapientiam ingeniique acumen summopere admirabatur, ac domi Gręcos suos Romanos videl. Græcorum & Solonis legib. dignos esse; informabat, quæ etiã ipsis quamprimum communicatæ, & in X. æneis tabulis compræhensæ fuerunt: quibus postmodum dicti isti X. Legati, quod easdem pro paucis æstumarent, adhuc duas alias addiderũt, qua de caussa postmodũ Leges XII. tabularum nuncupatę sunt. Hoc ipsum Vdalricus Zasius in suis scholijs, & Budæus in suis Annotationibus supra pandect. fabulam esse contendunt, quas otiosus Accursius finxerit, & legatorum dumtaxat tres, non autem X. fuisse contendunt, quamuis ab Isidoro propriis etiã suis nominib. appellentur: vtpote Appius Claudius, Titus Gemilius *Publius Sestius, Lucius Veturius, Gaius Iulius, Aulus Manlius, Publius, Sulpitius, Publius Curius, Titus Romulius, & Spurius Posthumius. Postquam igitur leges istas accepissent, prudentibus, sapientibus (vti Pomponius I. C. asseuerat) atq; eruditis viris opus fuit, qui legum istarum verum ac genuinum intelle-

tellectum explicarent, quorum Responsa & definitiuæ sententiæ leges ciuiles nominabatur, atque adeo ipsi modi, quomodo in iudiciis procedendum esset, præscribebantur, quæ legis Actiones, aut Legitimæ actiones appellabantur. Exorta autem inter Senatum & populum Romanum graui controuersia, eodemque populo in montem Auentinum cõfugiente, ipse sibi certas leges, ex quib. etiam plebiscita exorta, condebat, quæ communis plebis iura, atque tribuum iurisdictiones nuncupari possent, easdem etiam pro legibus suis habeat. Cum autẽ postmodum tanti populi copia per ignobile vulgus, eiusdemq; Plebiscita, ægre regi posset, vniuersa etiam Reipublicę administratio denique Senatui iterum tradita fuit, vnde tamdem Constitutiones suam traxere originem quæ Senatusconsulta appellantur, iuxta quæ & alij Magistrat⁹, Prætorum Iudicumque munere fungentes, Decreta sua formabant, quæ etiam eius rei gratia Edicta Prætorum, & ius Honorarium, ob honorem, qui olim Romano prætori exhibebatur, nuncupantur. Postquam vero Reipublicæ administratio tamdem ad vnam deuolueretur, Leges etjam suum nactæ sunt initium, & principales constitutiones, aut Principis placita appellata sunt. Et hæ sunt ita diuersimodæ leges cum suis initijs, & peculiaribus nominibus, quas postmodum alij in vno volumine complecti conati sunt, inter quos Cn. Pompeius, &, post illum, Caius Cæsar omnium primi exstiterunt, qui tamen, vtpote circa bellum ciuile occupati, laudabilem istam suam intentionem, in effectum deducere minime potuerunt. Tempore Cõstantini vero prioribus istis adhuc aliæ nouæ leges additæ fuerunt, idque forsitan ea de causa, quod pro imperfectis adhac habitæ fuerint. Posteri ipsorum, quemadmodum, Isiodorus testatur, quilibet de suo aliquid iisdem largiri voluerunt, adeo vt Leges istæ postea in magnũ volumen excreuerint. Quum autem in eodem omnis generis inconuenientiæ absque vllo ordine sparsim longis ambagib. depræhenderentur, Theodosius Minor meliori ordine easdem in vnum volumen coaceruari curauit, quod postea Codex Theodosianus nominatum est. Postquam vero Iustinianus Imperator veteres Codices, Gregorianum & Hermogenianum videlicet,

delicet, secundum quos modo dictus iste Codex Theodosianus formatus erat, similiter & constitutiones extrauagãtes, à Theodosii successorib. additas, conspexisset-iccirco X eximios eruditosque viros, Leontiam nimirum, Phocam, Basilidem, Thomam, Tribonianum, Constantinum, Theophilum, Dioscutũ, & Penestrinum constituit, qui ex omnibus pręcedentibus, siue prioribus Codicibus Codicem Iustinianum collegerunt, qui liber postmodum Codex à cogẽdo, vti Azon in summis suis autumat, appellatus, & eo significatum est, quod omneis homines legum potestati subiacere necessum habeãt, & sub earumdem iugum quodammodo cogantur. Atque hoc modo Codex Iustinianus, quemadmodũ celeberrimus ille IC Ian-Baptista Casalupius meminit, Anno tertio Imperij Iustinianæi, sub Consulatu Decij, Anno à partu Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi, DC.XLIX. IX. die Aprilis ab ipso Iustiniano confirmatus est. Postea eo potissumum etiam respexit, quo pacto videlic. innumerabilia volumina, quæ apud veteres in magna auctoritate in pandectis priscis absque ordine compræhensa erant, in quibus Responsa & Decisiones veterum illorum Iurisconsultorum, vtpote Vlpiani, Caij, Scæuolæ, Galli, Papiniani, aliorumque Iurisperitorum inlustrium continebantur, quorum etiam ferme duo librorum millia fuerunt, (vti Pisis conspecti sunt, & percelebres clarissimique viri Paulus Florentinus, & paullo ante dictus Casalupus testantur, quod suis temporibus Florentiæ etiam visi fuerint) in compendium redigi possent: eapropter 6. præstantissimis viris, Triboniano nimirum, tamquam Principali Directori, Constantino, Theophilo, Dorotheo, Atholeno & Therastino, & penes illos adhuc XI. alijs clarissimis viris & Aduocatis Orientalibus, vtpote Stephano, Mennæ, Prosdocimo Euthalino, Timotheo, Leonidę, Plutoni, Iacobo, Constantino, & Ioanni in mandatis dedit, vt veteres istos libros pellegerent, tantamque librorum copiam in compendium redigerent, quod etiam Anno VIII. Iustinianei Imperii, & III. sui consulatus, Anno videlicet DCLIV. perfecerunt, id quod ipse Imperator Iustinianus etiam confirmauit. Atque hoc, quem diximus, modo L. Digestorum libri collecta atque eodem nomine appellata sunt,

Codex.

Di[illegible]

sunt, quod plerumque, vti quidam asseuerant, omneis in iure occurrentes controuersiasq; disputationes dirimere soleant.

Sunt aũt modo dicti Digestorum libri in III. peculiares partes distributi, in Digestum Vetus scilicet, quod ideo ita appellatum quod præsertim vetustissima sient iura, quæ ex natura ipsa suam trahant originem qualia sunt omnis generis contractus, qui iure Gentium & Naturali introducti fuerunt. Liber autem iste albo corio ligando ideo obuoluitur, quod veterum simplicitas & naturalis puritas per illud indicetur.

Secunda Digestorum pars Infortiatum ea de caussa nuncupatur, quod aut præcipuæ & firmissimæ leges, vna cum Codicillis & Testamentis, in eo contineantur, vel à vocabulo Infortia, quod quidam chaldaicum verbum esse, & dispositionem vel constitutionem significare, opinantur: aut, vt alij contendunt, quod hæc pars olim amissa, & postmodum Rauennæ iterum reperta fuerit, quo facto etiam iura & leges aliquandiu occultatæ fuerunt. Hic autem liber nigro corio in ligatura ideo tegitur, quod de rebus tristibus, vtpote de Testamentis, Codicillis, hæreditatibus, atque adeo in genere de mortuorum bonis tractare soleat.

Digestum Nouum. Tertia pars Digestum Nouũ hac de caussa vocatur, quod in libro isto, iuxta leges XII. tabularum, noua prætorum edicta continentur atque explicantur. Hic vero liber plerumq; rubro corio in ligãdo obducitur, quod de criminalibus, rebusq; sanguinem concernentibus, acusationibus itidem, cædibus, furtis, parricidiis, sacrilegijs, eorumdemue pœnis communiter tractet.

Postquam igitur commemorati isti duo libri, Codex & Digesta videlicet, absoluti nunc fuissent, Trebuniano, Theophilo, & Dorotheo mandauit, vt videlicet ex ijsdem compendium, pro studiosis adolescentib. Iurisq; Tyronibus, adornarent, in quo etiam illud ipsum reperitur, quod tamquam singularem constitutionem, salutaribus aliis pceptis superaddidit. Cui mãdato modo dicti isti Iuriscõsulti sedulo morigeri fuerunt, libellũ istum absoluerunt, & Iustiniani Institutiones appellarunt: quæ albo & viridi corio in ligaturis ideo obteguntur, quod partim ex Digestis, partim vero ex Codice, qui similiter in liquando vi- *Institutiones.*

viridi corio obducitur, comportatæ fient. Viridi quoque prato eædem Institutiones, sunt persimiles, in quibus diuersimodæ materiæ, ciuiles, criminales, & mixtæ videlicet, reperiuntur.

Codex Iustinianem repetitæ prælectionis. Postmodum etiam per Trebunianum, Dorotheum, Mennam, Constantinum, & Ioannem, nouum codicem maturari iussit, quem Codicem Iustinianeum repetitæ prælectionis nũcupari voluit. Idque factum Anno Imperii sui decimo & quinto sui consulatus, cui tum temporis cum Paulino præfuit, Anno à partu salutifero Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi DC. LVI.

Porro Gloriosissimus & laudatissimus iste Imperator Iustinianus quoque est pollicitus, se, si videlicet imposterum adhuc alias Constitutiones promulgare velit, tum librum istum Nouellas constitutiones nuncupaturum: & existumant nonnulli esse istum librum, qui hodie *Constitutiones Authenticæ.* Constitutionum Authenticarũ, titulo circumfertur: quem librũ etiam Accursius glossis, Iacobus de Bello visu, Bartolus, & Angelus vero eruditissimis suis commentariis, Notisque doctissimis illustrarunt, quamuis Hirnerius I. V. D. & Placentinus prætendant, librum istum non à Iustiniano proficisci, quum, iuxta ipsius promissum, non Nouellarum Constitutionum titulum sortitus fuerit. Idque eo tenacius tuentur, quod postmodum istiusmodi liber cum dicto isto nomine & titulo repertus sit, in quo eædam, quæ in Authenticis Constitutiones comprhendãtur. Huius libri in Glossa Authenticarum quoq; fit mentio, & existimat Albertus de Rusatis (vti quidem Raphael Fulgosius commemorat) quod tamquam compendium ex Authẽticis, nimis alias copiosis, atq; locupletibus desumptus sit: Odofredus IC. IX. dumtaxat Collationes in eodem comprænhensas esse, asseuerat.

Liber Feudorum. Similiter & successu temporis, sub Frederico Minore, Bolognæ, ex D. Imperatoris mandato, Liber Feudorum, & omneis Constitutiones Frederici Maioris, & Minoris, vna cum quibusdam Legibus Cunradi Cæsaris, additæ fuerunt, qui liber postea decima collatio dictus fuit. Et denique vndecima quoq; Collatio, ob duas Henrici Stephani constitutiones, accessit.

Ordo librorum in Iure Ciuili. Omnes autem commemorati isti libri potissumum sequenti in ordine consistunt. Primus est

Digesta

Digesta, ex pandectis collecta. II. *Codex*, in quo IX. libri de iuribus priuatis, & III. de iure publico tractant. Tres autem isti libri singularem quemdam librum constituunt, qui volumen dicitur, in quo constitutiones Imperiales continentur, quæ tamen in scholis minime leguntur. III. Liber IX. priores Collationes in sese complectitur. IV. Constitutiones Feudales continet, & decima collatio nuncupatur. In V. deniq; libro quædam collationes extrauagantes continentur, & decima collatio appellatur, in quo sane peculiares aliquot libri compræhenduntur, qua de caussa etiam Volumen dicitur, & plerumque viridi rubroque corio à Bibliopegis obducitur, quum; vna cum quibusdam ex Codice desumptis constitutionibus, omnis generis criminales determinationes in se contineat.

Quo melius autem curiosis ingenijs satisfaciamus, ea propter numerum omnium in toto iuris corpore contentarum Legũ heic adponere libuit. In Codice, iuxta Casalupi calculum, repe iuntur tria millia sexcentæ & octo. In Digesto Veteri, duo millia, & viginti octo. In Inforтiato, duo millia, ducentæ, & triginta quatuor. In Digesto Nouo, duo millia, Nongentæ, & triginta octo. In tribus libris Codicis, quarum in Volumine Nõgentæ, & quinquaginta quatuor collectim duodecim millia, Septingentæ, & septem. Et hæ Leges Ciuiles in toto terrarum orbe adeo celebres, earumdemue virtutes ita sunt conspicuæ, vt non immerito quispiam heic cũ Cicerone, in oratione pro Aulo Cæcinna, exclamare possit: Qui ius ciuile contemnendum putat, is vincula refellit, non modo iudiciorum, sed etiam vtilitatis, vitæq; communis. Totum quoque ius ciuile, vti Baldus asseuerat, triangulari cuidam turri persimile, quæ trib. fortissimis munitissimisq; propugnaculis, quæ tribus itidem regulis Principalib. æquiparantur, septum probeque custoditum est. *Honeste* videlicet, *Viuere neminem lædere, suum cuique tribuere.* Chrysippus Stoicus aiebat: Ius Ciuile esse scientiam iusti & iniusti: Celsus vero illud ipsum artem iusti & boni, cuius merito quis sacerdos appellari possit, appellabat. Papinianus Iurisconsult⁹ illud cõmune præceptum, decretum sapientum prudentiumq; hominum, frenum maleficorum, subsidium Reipublicæ, & ad huma-

næ vitæ conſeruationem, ſummam neceſſitatem. Virtus eiuſdem ex omnibus ſuis operationibus vbique cognoſcitur. Primum, à fine. Nam, vti Cicero libro 2. de legibus, inquit, inuentum eſt ad conſeruandam ciuium proſperitatem, vrbis alicuius ſecuritatem, communé pacem atque adeo in vniuer ſi terrarum orbis commodum atque emolumentum. Secundo, ab effectu, non dumtaxat in genere erga alios homines, verum etiã in ſpecie erga eos, qui circa illud occupati ſunt: Iuxta veteres enim iſtos verſiculos:

Dat Galenus opes, dat ſanctio Iuſtiniana,
Ex aliis paleas, ex iſtis collige grana.

non ſolummodo Iuris Profeſſores locupletes reddit, verum etiam eoſdem ad ſumma honorum culmina extollit. Cum iſtiuſmodi namq; hominibus Vrbes, Prouinciæ, Regna, Imperia, atque in ſumma, omneis ſupe: inferioreſque Magiſtratus conſtituuntur. Iuxta illud quoque Iuriſconſulti C. & XXX. peculiaribus Priuilegiis donati dotatique ſunt, quorum Alexander in Digeſtis, Ludouicus Bologninus ſuper Authent. & Zabarella, Cardinalis Florentinus mentionem faciunt. Tertio, ab obiecto, hominis ſiquidem animũ, qui præcipuum eius obiectum eſt, in iuſtitia & integritate inſtituit, quemadmodum illud percelebris ille Iuriſconſultus Andreas Barbatia contra medicos eximie demonſtrat. Quarto, à ſubiecto, quod ipſa ſancta eſt Iuſtitia, de qua Ariſtoteles libro 5. Ethicorum ait: quod virtus ſit, quæ inter cæteras virtutes, tamquam Lucifer inter cæteras ſtellas, eluceat? Quinto, à virtute & efficacia ſua, efficit enim, quod homo ſuapte non dumtaxat legitimo ſuo Magiſtratui, verum etiam ipſi *Deo* ſeſe ſubiiciat, iuxta dictum LXXXIV. Pſalmi. Etenim benedictionem dabit Legiſlator: ibunt de virtute in virtutem. Ius ciuile præterea pene totum terrarum orbé informat, præſertim iis in rebus, quib. maxumopere indiget, quomodo videl. Reſpublica adminiſtranda, & vbique pax & concordia, abſq; vlla violentia, conſeruanda fiet. Vnde etiam Iuris Ciuilis Profeſſores in Canonibus, tractatu de pœnit: diſt. 2. radii ſolis nuncupantur. Iuxta illud Iuris Profeſſores etiam ſumme nobilitati ſunt per Doctoratus inſignia, quæ, in ipſo coronationis

Actu,

Actu, ipsis conferuntur, per vitam nimirum, cuius etiam, vti Lucas de Penna memorat, Amiralius Regni Siciliæ non pudet, sed eamdem habet pro summæ Auctoritatis suę indicio: per annulum in digito, quo significatur, quod ipsis Nobilissima Iurisprudentia quasi desponsata fiet: per torquem vel cingulum, quo innuitur, quod nimirum omni perfectione & plenitudine sint circundati: Per togam virilem, qua significatur, quod non solummodo suapte in pace & quiete viuere, verum etiam & aliis ad similem pacatam quietamque vitam auxilio esse possint.

...ris Ci-...is apud ...osdam ...tem-...is.

Quamuis autem ius ciuile apud rerum peritas summopere, suoq; etiam merito, celebretur atque commendetur, nihilominus tamen, à quibusdam nō pari dignitate atq; obseruantia tractatur & excipitur vti videre est in Francis, qui istius Iuris Legib. sese numquam subiicere voluerunt, quemadmodum adparet in Glossa 1. cap. de Accus. caus. 3. quæstiones. Etiamsi vero ab iisdem allegentur, non vlterius tamen earumdem valor sese extēdit, quam quatenus cum ipsa ratione cōsentiant, neque etiam secundum leges, sed multo potius iuxta ipsam rationem concludunt: quemadmodum Bald. quoque in Codicis principio testatur. Et quod magis est, Hispani non dumtaxat nullis Imperatoriis legibus vtuntur, verumetiam ante hac in toto Regno, sub graui pœna, earumdem allegationem interdixerūt, vti Oldradus consil. 69. testatur. Pari modo, veluti Ioannes Lupus memorat, ne quis corpus iuris ciuilis secum haberet, prohibuerunt.

Celeberrimi aliquot Prisci, atque Neoterici Iurisconsulti.

Iurisconsulti præterea, de celeberrimis aliquot sui Ordinis Iurisperitis vere gloriari possunt ex quibus tam priscos, quam Neotoricos aliquot heic recensere minime pigebit: vtpote Guarnerium, ab Odofredo Lucernam Legum dictum, Bulgarum, Martinum, Placentinum, Ioannem Azonem, Accursium Rogerium, primæ summę collectorem, Hoffredum Beneuentanū, ipsius discipulum, Ioannem Bassianum Cremonensem, qui Pandectas in summam contraxit, Lotarium, Iacobum Baldouinium, Odofredum, Guilielmum Durantæum, speculatorem dictum, Iacobum Balaisium Dinū Mugellium, Iacobum de Arena, Cinum Pistoriensem, Bartholomæum Butrigarium, Nicolaum

de

de Matarellis, Casparum Caldarinum, Rinierum Foroiuliensē, Lapum Castilionium, Bartolum de Saxoferrato, Angelum Perusinum, Franciscum Tigrinum, Richardum de Saliceto, Petrum Ancaranum, Antonium Butrium, Ioannem Imolam, Paulum de Castro, Ludouicum Pontanum, Nellum de sancto Gemiano, Iacobum Aluarotrum Paduanum, Nepotem de monte Albano, Christophorum Porcum, Aretinum &c. Ex Neotericis autem Decium, Imolam, Iasonem, Bosium, Zabarellam, Cortem, Alciatum, Menochiū, Laurentium Massam, Venetianum Secretarium, (qui, iuxta alias prçclaras scientias, in hoc ciuilis iuris studio mirum in modum excellit, cuius excellentissimi ingenii fructus propediem sperantur, cuiusq; consilia à Venetiana Republica magni certe æstumantur.) Rebuffum, Mantuam Roncogallum, Follerium, Cœcinum, Riminaldum Bertazolium, Angosciolum, Cannesium, Brechium, Tiraquellum, aliosq; pene innumerabiles, qui magna cum ipsorum laude, hoc in studio sese conspicuos reddiderunt.

Doctorelli, & Rabulæ rens. Nihilominus tamen inter illos maior Doctorellorum numerus reperitur, qui, instar cultrorū Marsupiario Norimbergensium duodecennario numero vendi possent, quiq; non altas domes çdificant, sed plerumque in conclaui infimo, ob crassam suam ignorātiam, commorantur: rabulæ videlicet, qui sane multa verba, absq; tamen viribus, multumq; iusculi, nullam autem carnem in forū adferunt, in praxi sua simplices & satis stupidi, quibus cum lictoribus, carnificibus, restibus, & patibulis multum intercedit commercii, non secus ac medicastris nonnullis cum fistula sua vrinaria & Clysteriaca. Pari modo & rabulæ isti bene sciteq; castrare possunt. Nam si numis bene instructum aliquem rusticum nacti sunt, tum ipsius crumenulam longe melius, quam omneis in tota Prouincia castratores, exhaurire possunt. Tacebo heic quatenus nimirum Nobiles litigantes, pauperculas itidem viduas, & derelictos orphānos seducant, adeo vt ipsis etiam minimum verbum suæ pragmatices duplo persoluere necessum habeant, etiamsi omnem suam substantiam, adeoq; propriam suam carnem & sanguinem eo conuertere debeant. Alto quoq; heic silentio ipsorum defensiones,

nes, vel multo potius auxilia, præter eo, quæ habent in Testibus, Glossis, & allegatis suis Legibus, adeo vt ne sudor quidem suum corium tam late expandat quam leguleii isti forenses Rabulæ verba sua vsq; dum illa, iuxta votum desideriumque suum, in suum cogant ordinem: Quo facto, tum demum innumerabilibus insipidisq; suis Allegationibus clientes suos artificiose retinere possunt in officio, Lubentissime quoq; hoc eodem in loco de ipsorum præcedentibus & subsequentibus, quos tam antrorsum, quam deorsum ad aulam, vel iudicium properantes libentissime conspiciunt, de signis & indicijs itidem, quæ dum procurando partibus suis inseruiunt, coram iudicio dare aliis solet, verba facerem, vereor autem me sinapi plus iusto adeo turbaturum esse, ne nihil amplius, quam acesotam quis queat odoratu suo adsequi, id quod tamen, quippe, qui huic iuridico studio ex centro cordis mei & faueam, & semper benecupiam, & ne forsitan facultatem istam insectantes Medici risu diffluant, vel in morbum incidant, non libenter facturus sum. Sufficiat itaq; quod calcaria ipsis aliquanto acutiora facta ipsorumq; gallæ, ne plane, in cœnum stercusq; incidant, aliquanto fortiores melioresq; redditæ fuerint.

IN DISCVRSVM QVINTVM ANNOTATIVNCVLA.

IVlius Barbarana legum studio singularem aliquam laudem in III. suæ officinæ parte, adtribuit, quæ, quum huic materiæ inseruiat, lectu cumprimis est dignissima. Pari modo Ioannes Baptista Bernardus in Philosophiæ suo seminario multa complectitur, quę tam legibus in genere, & legibus ciuilibus in specie plurimum inseruiunt. Quocirca libri istius possessor, crebra istius lectione, mirabilem inde vtilitatem percipiet. Sic Cœlius Rhodigin⁹ leges etiam summopere extollit, in libro suo Antiquar. lect. cap. 19. Similiter etiam Cælius Calcagnius in quadam epistola ad Matthæum Matignum, Qui vero Legum Ciui-

lium encomium exactissimum scire & audire desideret, is modo commemorati Auctoris orationem, operibus suis insertam, hac de re legat: quemadmodum etiam longus & elegans quidem celebriorum aliquot Iurisconsultorum Catalogus apud Mantuam reperitur.

DE CALENDARIORVM SCRIPTORIBVS.

DISCVRSVS SEXTVS.

HOc in loco breuem aliquẽ Discursum, de omni eo, ꝙ Calendarii alicuius Auctori siue scriptori necessario sciendũ est, instituo: quamuis alias istiusmodi res ex Romanis Breuiariis, aliisque similibus libris, adeo hodierno tempore notæ sunt, vt etiam pauci reperiantur homines ad quos non aliqua dumtaxat rei istius notitia peruenerit: Nihilominus tamen vera atq; genuina informatione quandoq; destituuntur, qua ad verum intellectum eo melius peruenire possint.

Temporis peculiaris distributio. Ante omnia itaq; scitu summopere necessum est, quid videlicet tempus fiet, nimirum iuxta definitionem descriptionemq; Aristotelis nihil aliud quam numerus, vel modus mobilis supremi corporis cœlestis, quod sol secum deducit ab ortu ad occasum vsq;, & vice versa, ab occasu ad ortum vsq;; ex quo tamdem Naturalis aliquis dies existit.

Sic Tempus in diuersimodas partes distribuitur, in annos scil. quorum vnus XII. menses, vel CCL. Septimanas, diemque vnum, aut CCCLXV. dies, & VI. ferme horas complectitur. Mensis continet IV. Septimanas, & aliquanto plus, Septimana VII. dies: dies, XXIV. horas: quadrãs diei. VI. horas: hora vna, LX. minutas: minuta, 80. secũdas: Secunda, LX. Vncias. Atq; hoc ipso modo aliquis, cum isto numero, per 60. in infinitum procedere poterit. Alii illud, (tempus) alio etiam modo diuidunt, dum post horas punctum ponunt, quod X. momenta, momen-

mentum, XII. Vncias Vncia vero XL. atomos continet, qui postmodum non amplius diuidi poterunt.

Deinde etiam ſcire aliquis neceſſum habet, quomodo videlicet Anni diſtinguantur, & recte quoq; diſtribuantur: quid etiam Annus Solaris, Lunaris, & Annus Magnus ſiet. Annus Solaris, qui etiam Annus Romanus dicitur, illud ipſum eſt tempus, in quo Sol integrum Zodiacum, & omnia iſtius XII. Signa Cœleſtia percurrit, donec ad punctum iſtud reuertatur, à quo prius ſuum ſumpſit initium. Id autem fit, iuxta Alphonſinum calculum, CCCLXV. diebus, V. horis, XLIX. minutis, & XVI. Secundis. Annus Lunaris, illud dicitur tempus, in quo Luna, q̃ proprium ſuum tenet curriculum, dictum iſtum Zodiacum percurrit, id quod, ſecundum eumdem Alphonſinum Calculũ, fit, CCCLXV. diebus, V. horis, XLIX. minutis, & XVI. Secundis. Menſtruus quoq; Annus illud tempus appellatur, quod inter ambas coniunctiones Lunæ cũ Sole intercidit, quoq; XXIX. dies, XII. horas, XLIV. minutas, & III. Secundas in ſe continet. Tertio, Annus Lunaris totum tempus XII. Splendorum Lunarium, in communi aliquo anno, aut XIII. in Anno Emboliſmali. Annus, XII. ſplendores Lunares cõtinens, CCCL. dies complectitur, adeo vt Annus Solaris pene XI. dies magis habeat. Sin vero XIII. ſplendores Lunares in eo reperiantur, qui Annus Emboliſmalis appellatur, tũc CCC LXXXV. dies complectitur, & hoc modo Annum Solarem, XIX. diebus ſuperat. Et exiſtimant nonnulli iſtiuſmodi Annum Moyſi à *Deo Ter Optumo Maxumo* reuelatum fuiſſe. In noſtro autem Calendario ſolummodo Annum Solarem obſeruamus, relliquos autem nihili curamus.

Magnus. Annus Magnus, ann⁹ eſt Platonis, qui quadraginta nouem annorum ſolarium millia in ſe complectitur. Alii triginta ſex annorũ millia memorant: quorum tamen bini anni non multi eſſe poſſunt.

Diſcretus Alius quoque annus eſt, qui annus diſcretus appellatur, & in ſe illud tempus continet, quod quilibet Planeta pro ſe habere neceſſum habet, donec per totum Zodiacum curſum ſuum abſoluat.

Emergens Tamdem etiam aliquis annus, annus Emergẽs dicitur, qui tamen nihil eſt aliud, quam tempora, vel communis ann⁹, à quo

 alias

alias, memoriæ caussa singularis alicuius casus, numerari solet principium: exempli gratia, quãdo Græci in Historiis suis annorum suorum numerum à prima Olympiade, & Christiani suum à partu virgineo salutifero numerant.

Bissextilis Porro quoq; sciendum quod annus Bissextilis trecentos, sexaginta sex dies in se contineat, siquidem tres diei quadrãtes, qui ab annis communibus restant, in eodem conueniunt, atque ita vnum adhuc diem magis constituunt.

IV. Anni Tempora. Communis etiam Annus in quatuor pecularia tempora diuiditur, in Vernum scilicet, Æstiuum, Autumale, & Hyemale, quę IV. anni quadrantes nuncupantur.

Ver. Prima pars calida est, humida & sanguinea, qua hominis ætas puerilis significatur, & iuxta Mathematicorum supputationem, ad XXI. annum vsque durat, in quo humanus sanguis perfectas suas vires adipiscitur.

Æstas. Secunda, Æstas nimirum, calida, sicca, atq; cholerica est, qua iuuenilis ætas innuitur, quæ ab anno vigesimo secundo, suum sumit initium, & vsq; ad annum XLI. durat, in quo Cholera decrescit.

Au[tumnus] Tertia, Autumnus videlicet, frigida, sicca, atq; melancholica est, per quam Virilis ætas significatur, & ab anno XLI. vsque ad annum LX. durat, in quo vir optumo suo intellectu integrisq; viribus fruitur.

Hye[ms] Quarta, Hyems scil. frigida, humida, & Phlegmatica est, & humanæ senectutis indubiũ est, indicium, qua homo omnib. in corporis virib. deficit, & ab anno sexagesimo, vsq; ad mortem suam, tædiosus, morosus est atq; difficilis. Quatuor autem ista nunc à nobis ordine commemorata tempora in sequentib. tritis, ac scholasticis versiculis complectur:

Festum Clementis hyemis caput est orientis,
Cedit hyems retro Cathedrato Simone Petro,
Ver fugat Vrbanus, æstatem Symphorianus,
Id tibi, quod restat, Autumni tempora præstat.

Astronomi IV. ista tempora, iuxta IV. Zodiaci quadrantes denominant, quæ etiam sequentibus in versibus continentur.

Zodiaci caput est Aries, & Veris, & Anni.
Æstatis cancer, Autumni pendula Libra,

Incipit

Incipit ex imo pluuialis Hyems
Capricorno.

Quo in mense, & quali die quoque IV. illa tempora initium suum sortiantur, id sequentes versiculi:

Sexto Idus Martis Ver surgit, pridie Idus
Iuni Æstas. Ipsis Septembribus Idibus almus
Profert se Autumnus. Bis Sena Luce Decembris
Mortales stringit hyemali frigore Bruma.

Ver & Autumnus initium suum sortiuntur, quando Sol Circulum Æquinoctialem attigit, id quod vno in anno bis fieri assolet, Decimo nimirum die Martij, in quo Vernum tempus incipit, & XIII. die Septembris, vbi Autumnus inchoatur, quæ duo sunt Æquinoctia, in quibus dies atq; nox æqualem habent longitudinem; Æstas & Hyems vero initium suum sortiuntur, quamprimum Sol ad Tropicum Caneri & Capricorni peruenit, quod fit, 12. Iunij in ipsa Æstate, vbi etiam longissimus habetur dies, qui Solstitium Æstiuale appellatur: & hyeme 12. die Decembris, in quo longissima nox habetur, & solstitium Brumale nuncupatur. Proprium, verum, atque genuinum Solstitiorum Æquinoctiorumq; tempus autem subsequentibus in versiculis comprehenduntur.

Solstitia efficiunt duo, Cancer cum Capricorno,
Sed noctes æquant Aries, & Libra diebus.

In IV. istis præterea temporibus etiam 4. pecuniares ieiuniorum dies obseruantur, quorum tempora atq; dies sequens indicat versiculus:

Post Pen. Cru. Lu, Ci. fiunt ieiunia trina.

Qui versus sequentem in modum explicatur: Quod nimirum tempore æstiuo ꝓximo die Mercurii, post Pentecostes festum, primum. In Autumno, die Mercurij, post sublationis crucis festum, secundum: In hyeme, die Mercurij, post Luciam, tertium, & Verno tempore proximo, post Cinerum Mercurij diem, quartum ieiunium existat.

Necessarium quoq; est, quo nimirum tempore Nuptiarum celebrationes differantur, nempe à prima Aduentus Dominica, vsque ad Epiphaniæ. Similiter à Dominica Septuagesimæ, vsque ad quasimodo geniti, & ab Ascensione Christi, vsque ad Trinitatis. Item quo tempore vir

ſibi ab vxoris congreſſu temperet, nimirum in conſtitutis diebus feſtis, ieiuniis, & proceſſionibus, ad minimum per tres dies ante communicationem: Item quando vxores partui vicinæ, ne iſto Coitu forſitan ad abortum aliqua detur occaſio: In 6. quoque ſeptimanis puerperii, & tẽpore fluxu menſtrui ſeminis laborantium.

Similirer & feſtorum vigiliarumq; inſtitutio probe obſeruetur, quo videlicet die cuiuslibet menſis coincidat, quemadmodum etiã ſingula iſtiuſmodi feſta omnibus in Breuiariis officiiſq; Romanis ſummo ſtudio conſignata ſunt.

Dies Caniculares. Dierum Canicularium præterea ratio habenda eſt, præſertim vero earumdem initium & finis. Nominantur autem à Canina Stella, dicta Canicula, cœloq; medio, eiuſdemque ferme centro vti Aſtronomi prætendunt, ſita: cuius calor, acceſſu ſolis, adeo augetur, vt exinde ſæpius periculoſi ardentiſſimique morbi oriantur atq; per nimium iſtum calorem canes, aliaq; bruta animalia quandoq; in rabiem furoremq; vertantur. Canicularium, vero initium & finis ſequentibus in verſiculis comprehenduntur.

Incipiunt Iuni Pridie Idus Caniculares,
Et pridie Nonas Septembris fine reſultant.

Anni mundi ad Natiuitatem Chr. Operaie pretium quoque erit, quot anni, à mundi initio, ad Natiuitatem vſq; Domini & Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti, numerentur. In quo tamen apud ſcriptores varie, diuerſimodæq; opiniones & ſententiæ reperiuntur, ex quibus omnibus quilibet optumas certiſſimaſq;, pro lubitu ſuo, ſeligat. Rabbi Naaſon, in Cyclo ſuo Paſchali, annorũ tria millia, ſeptingentos, & ſeptem numerat. Rabbi Abraham in Cabala, tria millia, ſeptingentos, quinquaginta octo. In vulgaribus Iudæorum Chronicis annorum tria millia, ſeptingenti, & ſexaginta reperiunt: Iuxta Hieronymi & Bedæ Calculum, tria annorũ millia, Nongenti, quinquaginta octo reperiuntur. Ioannes Lucidus tria millia, Nongentos, & ſexaginta annos numerat. Abbas Vrſpergenſis, tria millia, nongentos ſexaginta duos. Theophilus ad Autolycum tria millia, Nongentos, ſeptuaginta quatuor. Carolus Bouillus, tria millia, Nongentos, octuaginta nouem. Ioſeph⁹, Mathatiæ filius, quatuor millia, centum, & tres. Odiaton Aſtronomus

mus quatuor millia, trecentos, & viginti. Cassiodorus, quatuor millia, sexcentos, Nonaginta septem. Origines super Matt. quatuor millia, Octingentos, & triginta. Epiphanius, Episcop⁹ Salaminensis, quinq; millia, & viginti nouem. Paulus Crosius, quinque millia, quadringentos, & nouem. Philo Iudæus quinq; millia, centum, nonaginta quinque. Isiodorus Hispalensis quinque millia centum, & nonaginta sex. Eusebius, quinq; millia centum, & nonaginta nouem. Ioannes Nauclerus, quinq; millia, ducentos, & vnum. Albomazar Astrologus, quinque millia, trecentos, & viginti octo. Augustinus quinq; millia, trecentos, & quinquaginta tres. Iornandus quinque millia, & quingentos. Suidas, V. millia, & Octingentos. Philastrius, Episcopus, Brescianus, quinq; millia, octingentos, & vnum. Alphonsus, Hispaniarum Rex vero, sex annorum millia, Nongentos, & Octuaginta quatuor recenset.

Similiter & Solis, Lunæque diuersimoda accidentia probe notanda, distinguendaque sunt. Primus itaque mensis dies est, si videlic. Lunę cum Sole facta fiet coniunctio, diuersisq; nominibus plerumq; insignitur, Nam & Coniunctio, Coitus, Nouilunium, Interlunium: Priuatio & Silentium Lunæ, aut Luna Silens, Item Luna intermestris, vel intermestriũ, &c. nominatur. Primum etiam diem, quando nimirum Luna apparere incipit, vel, iuxta aliorum opinionem, si in sextili è regione Solis consistit, Lunam cornutam, falcatã, nuncupant donec medium occupet & tunc Luna media, & semilunium appellatur. Sin vero latius progrediatur, & in medio intumescere soleat, tunc Luna inflata dicitur. Decimo quinto die Plenilunium, aut Totilunium nuncupatur. Crescente etiam Luna, vno in latere, aut duobus cornibus mucrones sortitur, intumescit in medio, vsq; tota impleatur. De crescente vero Luna altero latere in probi forma eo magis magisq; attenuatur, vsque dum ad Solem inclinet, & quo facto amplius non conspicitur. Luna autem plerumque iuxta mensem, in quo finitur, nuncupatur, secundum tritum istum versiculum:

In quo completur mensi Lunatio detur.

Sin vero duo splendores Lunares in vno mense finiantur, tunc primus Luna Embolismalis, secundus vero iuxta sequentem

men-

mensem denominatur, & tum ista Lunæ cum Sole coniunctio non ad tum præsentem, sed multo potius ad subsequentem mensem pertinet. Exempli gratia, si illud fiat in Ianuario, tunc illa non inter Ianuarium, sed subsequentem Februarium numeratur; & illa quæ M. Februario fit, inter Martium, non Februarium refertur.

Septimanæ distributio. Porro quoque Hebdomas, aut Septimana, vel Sabbathum appellatur, idq; propter 7. dies, qui in eadem complectūtur. Illi autem dies apud Gētiles & Ethnicos peculiaria sua nomina à 7. Planetis sortiuntur, quibus singulis sua quęlibet etiam dies adscribitur: Prima videlicet Soli, quia relliquarum est præcipua: Secunda, Lunæ, Tertia, Marti, Quarta, Mercurio, Quinta, Ioui, Sexta, Veneri, & Septima, Saturno: Idque tanta etiam superstitione, quasi quilibet forsitan Planeta in sibi adtributo die peculiarem aliquam operationem habeat, & liberi, in eodem nati, iuxta eorumdem Planetarum ꝓprietates siue qualitates necessario informentur. Apud Hebræos omnes dies Sabbathi appellantur, & à primo, die Solis videlicet, omnes reliquos ordine numerare solent. Primum siquidem ipsum Sabbathum, secundum, Primam Sabbati: Tertium secundum à Sabbatho & ita subsequentes omnes numerant, vsque dum ad sextum, qui apud nos dies Veneris, numerando perueniant, & in quo Sabbatum suum celebrant. In Christiana, vice versa, Ecclesia, prima, dies, Dominica: altera, Feria secunda & ita subsequenter vsq; ad diem Sabbati proceditur, qui Feria septima nuncupatur.

Ita, porro, & dies Naturalem, vigintí quatuor horas continētem, in quibus dies atque Nox comprænhenduntur, & artificialem diuiditur; qui à Solis ortu, vsque ad eiusdem occasum numeratur, reliquum vero nox appellatur. Denuoque dies in matutinum, meridianum, & vespertinum tempus distribuitur. *Diei dem Diui[sio].* Nox autem in septem partes diuiditur. In Vesperam videlicet Crepusculum, Conticinium, Intempestam, Gallicinum, & Diluculum, vel Auroram, quę cum primis Relligiosorum hora atq; tempus est.

E... diu... inc... Dies ab aliquot diuersis populis etiam diuersimode inchoatur vti idipsum à Iohanne Paduano in Calendario suo satis neruose indicatur. Romani à puncto mediæ noctis diem inchoant

choant, & ad sequens mediæ noctis idem ad punctum continuant, adeoq; ipsorum dies totum tempus, à media nocte scil. ad sequentem mediam noctem, cõplectitur. Ægyptii, Itali, & Bohemi ab vno solis occasu, vsque ad alterum, diem suum incipiunt. Athenienses, Arabes, Germani, alijque Astronomi, in genere à puncto meridiano, à meridie, ad meridiem, diem suum inchoant. Persiani, Babylonij, Græci, & Norici cum ortu solis diem incipiunt, quos etiã ignobile vulgus sequitur, & diem ab ortu, vsque ad solis occasum, incipit. Similiter in diuersis actionibus, diuersimode etiam ab vno tamẽ populo dies inchoari solet. In celebrationo diuinorũ officiorum enim dies à præcedenti vespera suum sumit initium. In faciundis bellorum induciis, ab ortu solis dies inchoatur. In ieiuniis & esu carnium media nocte dies incipit, vti videre est in Glossa sup. caus. sept. quæstione prima, super capitulo: Nihil Ecclesia itidem in genere diẽ media nocte incipit, considerando, quod lux, omneis homines illuminans, eodem isto in puncto exorta fiet.

len bus nis. In Romano, aut Latino Calendario quidam dies Calendæ, aliquot Idus, & nonnulli Nonæ appellantur id quod apud ipsos peculiaris mensium est diuisio, & diem primum cuiuslibet mẽsis Calendas nominant: Septimum, aut quartum vero Nonas & decimum quintum Idus. In quibus autem mensibus id fiat, (hæc enim nomina non in singulis vno in die coincidunt) illud, sequentibus in versiculis,

Sex Nonas Maius, October Iulius, & Mars:

Quatuor at reliqui. Tenet Idus quilibet octo.

declaratur, quos etiam studiosi Adolescentes, in latinis literis exarandis, tamquam singulare ornamentum, merito obseruare debent.

Idibus præteritis, Calendæ denuo & iuxta sequentem mensem numerantur. Exempli gratia: Primus dies Martii appellatur Calendæ Martiæ. Secundum sextum nonas Martias nominãt. Tertius, Quintus Nonas Martias dicitur, & ita descendendo vsque ad sextum, quem pridie Nonas, Martias & 7. quem Nonas Martias nuncupant. Hasce subsequuntur Idus, ab octauo videlic. vsq; ad decimum quintum Martii. Et dies Octauus, Octauus Idus Martias, & ita subse-

sequenter, vsque ad decimum quartum, qui pridie Idus Martias dicitur, & decimum quintũ, qui Idus Martiæ appellatur. Deinde Calendæ Aprilis numerantur, in quib. decimus sextus dies decimus septimus Calendas Aprilis nuncupatur, & ita subsequenter, vsque ad vltimum, nimirum XXXI. diem Martij, qui pridie Calendas Apriles appellatur. Et hęc prisca Romano-Latina dierum mensium denominatio, quæ ab eruditis, tam iunioribus, quam senioribus, hodierno tẽpore obseruatur. Notandum præterea venit, quod etiam aliquot dies, à mirabilibus quibusdam casibus accidentalibus, mirabilia quoq; nomina sortiantur. Quidam enim dies stellares ideo appellantur, quod ijsdem nauigatio marina intermittatur. Quidam, dies prælia-res, quod quidam Reges & Principes in ijsdem prælia sua inchoent, vti videre est in Turcis, quis Gregorij diem, ad ineunda sua cum Christianis prælia, elegerunt. Alij, intercalares, vel Bissextiles, nuncupantur, quod dies sint in 12. anni mensibus superstites. Alii, Solstitiales dicuntur si Sol Tropicum cancri, vel Capricorni attingat, vti supra indicauimus. Quosdam, Æquinoctiales nominant, verno & Autumnali scilicet tempore, quando dies noctesque sunt ęquales. Quosdam, Caniculares quamdiu canicla sub Solis radiis commoratur. Aliqui, Fasti appellantur, quod in ijsdem iudicia exerceantur: alii vero, Nefasti in quibus iudicia intercludũtur. Quidam, Festi, in quibus feriæ habentur. Quidam, Feriales, in quibus labores continuantur. Quidam, intercisi dicuntur hac de caussa, quod in istis diuinus cultus horis matutinis peragatur, à meridie vero alia negotia expediantur. Quidam dies Comitiales appellantur in quib. Romani conueniebant, & magistratus suos, vel Reipublicæ Administratores, eligebant. Pari modo & dies Ægyptii habentur. Decem nimirum, in quib. Ægyptus à *Deo Ter Optumo Maxumo* X. distinctis adflictionib. punita est. Infelices, infortunatique autem dies isti ideo appellantur, quod, quamuis id etiam sine superstitione haud fiat, plerique autument, si videlicet eo die in morbum incidat, tum ægre vita salua eumdem posse euadere: & iterum si ijsdem dieb. aliquis quid incepte:, tum plerumque illud infelicem exitum sortiri. Quilibet autem mensis duos istiusmodi

modi dies complectitur, quorum tempus & horæ in subsequente tabula conspiciuntur.

TABVLA ÆGYPTIORVM DIERVM EORVMDEMVE HORARVM, IN QVOLIBET *mense occurrentium.*

IN
- Ianuario 1. hora 11. & 25. hora 6.
- Februario 4. h. 8. & 20. h. 10.
- Martio 1. h. 4. & 28. h. 2.
- Aprile 10. h. 10. & 20. h. 11.
- Maio 3. h. 6. & 25. h. 10.
- Iunio 10. h. 10. & 16. h. 4.
- Iulio 13. h. 11. & 22. h. 11.
- Augusto 1. h. 1. & 31. h. 7.
- Septembri 3. h. 3. & 21. h. 4.
- Octobri 3. h. 8. & 22. h. 9.
- Nouembri 5. h. 8. & 28. h. 5.
- Decembri 7. h. 1. & 22. h. 9.

Bissextio

ITa quoque scitu summopere necessaria est de aduentante, Anno Bissextili, id quod per sequentem regulam commode explorari poterit. Anni sumatur numerus, exempli gratia M. DC. XVII. & idem per 4. diuidatur, tamdiu donec nihil amplius supersit, & tunc Bissextilis depræhenditur: Si autem aliquid in residuo maneat, tunc nullus istiusmodi annus futurus est. Idque in cęteris omnibus anni numeris obseruari poterit, de quo sequentes circumferuntur versiculi:

Anni diuisi Domini per quatuor æque,
Monstrant Bissextum qua ratione scias.

In Anno Bissextili, porro, vnus dies magis, quam alias in communi aliquo anno reperitur, qui Februario, tamquam relliquorum breuissimo, additur, quem diem sequentes versus commonstrant:

Bissextum sextæ martis tenuere Calendæ,
Posteriore die celebrantur festa Matthiæ.

Cyclus, & litera Solaris.

Porro etiam Cyclus & litera Solaris indaganda & inuenienda sunt, id quod plerumque per sequentem informationem fieri solet. Primo obseruandũ, quod cuiuslibet septimanę diei singularis quædam litera fiet addita, ab A, nimirum vsq; ad G. ex quibus illa, quæ in diem Solis coincidit, Solaris litera nuncupatur. Hæc autem Litera singulis quibusque annis, duplicibus potissimum de caussis, immutatur, quemadmodum Ioannes Stœflerus in Calendario suo memorat. Primum enim communis aliquis annus trecentos sexaginta quinque dies complectitur, qui, cum 7. diuisi, quinquaginta duas Septimanas, vnumque diem constituunt. Sunt autem litterarum istarum VII. A. B. C. D. E. F. G. videlicet, quibus omneis totius anni dies consignantur. Quemadmodum autem primo Anni diei litera A. præponitur, ita modo dicta ista litera quoq; in vltimam anni coincidit. Quemadmodum autem illud omni tempore vnum diem in septimanam eo latius extendit, ita quoque Solaris litera singulis annis literam vnam vertere necessum habet.

Altera, istius immutationis caussa ab Anno Bissextili oritur: Communis siue vulgaris enim annus trecentos sexaginta quinque dies, & sex horas in se complectitur, qui quatuor annorum spacio integrum diem constituunt. Hic autem dies in anno Bissextili ad vigesimum quartum Februarii diem collocatur, & litera illius diei non immutatur, sed, ob Matthiæ festum bis ponitur. Quocirca ad sequentem diem Dominicam alia quoque litera sequi necessum habet, quę postmodum in omneis reliquas istius anni dies Dominicas recidit, atque ita Annus Bissextilis duas habet Solares literas. Exinde Cyclus, vel Solis circulus suam trahit originem, qui tamen nihil est aliud, quam viginti & octo annorum tempus, atq; hoc nomine tam à Græcis, quam Latinis, appellatur, non quod Sol isto tempore totũ suum cursum absoluat, sed quod in istis viginti & octo annis omneis Solarium literarum mutationes tam in Bissextilibus, quam aliis etiam vulgaribus annis, pristino suo statui restituatur. Nam, vti Ioannes Lucid⁹ memorat, postquam septem

ſeptem, dies in vna Septimana complectantur &ſingulis ſaltim quadriennijs Biſſextilis annus, adpareat, ſeptem eum quatuor multiplicantur, exinde colligitur, quod in illinc exorientibus, viginti & octo annis omnis iſta mutatio, vti ſupra quoq; dictũ, iterum immutetur. Si quis etiam Solis Circulum ſcire deſideret, tunc nouem nonas ad Annum Domini, quem habes ſub manibus, & tunc iſtum numerum integrum per octo & viginti diuidas ſi iccirco tibi nihil reſtet amplius, tunc vltimum Cycli numerum pro tuo quotiente æſtumes, & tunc XXVIII, reperies. Sin autem tibi aliquid reſtet, tũc illud tibi numerum, quantum in Circulo Solis ſiet, indicabit: quæ operatio ſequentibus in verſiculis compræhenſa eſt:

Annis adde nouem Domini, partire per octo
Viginti Cyclus ſic tibi notus erit.

Ex iſto Cyclo litera Solaris, vel Dominicalis, oritur: ad cuius inuentionem ſubſequens tabula vſurpari poterit: cuius declaratio, aliquo exemplo, quod ab An. M.D.LXVIII. incipit, hunc in modum ſequitur.

D.	B.	A,	G.	F.	D.	C,	B.	A.	F.	E.	D.	C. A?
C.			E.				G.				B.	
G.	F.	E.	C.	B.	A,	G.	E.	D.	C.	B.	G.	F. E.
	D.			F.				A.				

HÆ in Tabula ſingulis annis litera Solaris & Dominicalis reperitur, idque ſequentem in modum. Primæ enim literæ D.C. Anni Milleſimi, Quingenteſimi, Sexageſimi Octaui ſunt ſubſequens, nimirũ B. Anni Sexageſimi noni litera ſolaris eſt. Et ita ſubſequẽter, vſq; dum ad annum iſtum perueniatur cuius litera ſcitu deſideratur: Litera enim, in quam anni numerus incidit, etiam iſtius anni litera Solaris eſt, quæ ſi ſola ſit, tunc etiam annum communem, ſiue vulgarem denotat: Sin vero duę ſint, tunc alicuius anni Biſſextilis eſt indicium; atq; tum prima

 ſupre-

ſuprema videlicet, vſque ad D. Matthiæ Apoſtoli diem: altera ſubſcripta autem ad anni finem vſque durat.

Sciendum eſt præterea quid Indictio, Cyclus Lunaris, Epactæ, Nouilunium, aliæque iſtiuſmodi res ſint. Ad indictionem quod attinet, illa per ſequentem Regulam inuenienda & cognoſcenda eſt. Nihil tamen aliud. Indictio iſta denotat, quam XV. annorum tempus, quorum numerus in ſingulum annum coincidit, ab vno quidem vſque ad XV. alternatiuo modo, & demũ ab initio iterum incipit. Exempli gratia An. C. M. D. LXVIII. Indictio erat XI. quam ſequebatur XII. in LXIX. XIII. in LXX. XIV. in LXXI. XV. in LXXII. Anno LXXIII. autem ab initio iterum incipiebatur, & indictio eſt I. atque ita ſubſequenter vlterius progreditur, vſque ad annum ſcilicet, quem quis ſcire deſiderat. Sin vero quis præterea vno in anno ſcire auet, quanta ſiet indictio: tunc tria ad annum Domini addantur, & cum XV. diuidantur: quod tum reſtat, indictionis illud eſt numerus: Sin vero nihil omnino remaneat, tunc Diuiſor, XV. nimirum, ille eſt numerus.

Cyclus, vel Circulus Lunaris quem Noſtrates circulum Decemnouennalem nominant, ille eſt numerus, qui in Calendariis poſitus omnibus menſibus nouam Lunam ſignificat. Circulus Decemnouennalis autem ideo vocatur, quod numerus eſt de XIX. annis, quorum vnus numerus vnicuique Anno, vſq; ad XIX. additur, & deinde rurſum à prioribus ſuum ſumit initium. Hoc, Iohanne Paduano teſte, Methon Athenienſis inuenit. Si vero Cyclum, vel Circulum Lunarem in vno aliquo anno ſcire velis, tunc adde vnum Domini anno, quem habes ſub manibus quem poſtmodum per XIX. diuidas, & tunc, quod reſtabit, iſtius anni Gelus Lunaris erit: Sin autem nihil omnino remanebit tunc diuiſor, XIX. videlicet, circulus eſt Lunaris. Reperto hunc in modum numero, vnum eidẽ ſuperaddas, & tunc quoq; ſubſequentis anni Cyclum, aut circulum Lunarem habebis, quo modo etiam ad XIX. vſque progredi, & dum denuo à prioribus initium facere poteris.

Epacta nihil eſt aliud, quam 11. dierum numerus. In ſolari ſiue vulgari ſiquidem anno Luna cum Sole duodecies ſeſe cõiungit, & dies 11. à 13. ſplendoribus Lunaribus, remanent, qui

tum

tum epactæ appellantur. Eo ipso autem sequentem in modum procedītur. An. C.M.D.LXVIII. sunt Epactæ 12. subsequente an. adhuc 11. superadduntur, quæ summatim 23. efficiunt. In tertio, priorib. adh. c 11. accedunt, quę summatim numero 34. plus quam integrum splendorem lunarem efficiunt: Itaque 30. illis subtrahuntur, & tum 4. remanēt, quæ Epactæ istius anni sunt. Sunt igitur epactæ, vti expresse videre est, aliud nihil, quam accidentalis, & mutabilis aliquis numerus, qui anno superadditur, in quibus singulis diebus lunæ vetustas inquiritur. Probe quoque notandum est, quod, si Epactæ ad 19. peruenīant, tum solummodo, neque alias, 12. addi oporteat, si quis sequentis anni epactas scire velit, tunc ad eumdem, iterum XI. remanebunt.

Nouiluniculum per modo commemoratas epactas sequētem in modum reperitur. Nam, si quis Epactarum fiet certior, tunc omnes primi dies, eorum mensium addantur, qui ab isto prioris anni mense pręterierunt: isti numeri tum adduntur, & 30. subtrahuntur, & tunc numerus residuus proprie illum diem indicat, quo amborum luminum Coniunctio fieri solet. Si vero numerus 30. transcendat, tunc detrahendum denuo, & residuum iterum à 30. subtrahendum, vbi nihilominus numerus diei & coniunctionis remanet. Exempli gratia: Scire aueo, quo Ianuarij die A.C M.D.LXIII Nouilunium coincidat: Pono itaq; istius anni epactas, quæ sunt 25. Hisce 11. superaddo, quæ Calendæ vel primi dies sunt, qui à præcedentis anni Ianuario, vsq; ad pręsentem, effluxerunt. Summatim ergo 36. habeo, à quibus 30. ita subtraho, vt nimirum 6. remaneant Hęc 6. autem iterum à 30. subtraho, & tum 24. remanent: Aio itaque quod Nouilunium A.C.M D LXIII. ad 24. Ianuarij diem coincidat. Sin vero quis in aliquo mense Lunæ vetustatem scire desiderat, tunc illius anni epactis Calendæ, aut primi dies addātur, qui à primo die Martii ad illum mensem, in quo versatur, effluere: Hisce similiter addas numerum dierum mensium, vsq; ad illum, in quo Lunæ vetustatem scire volueris: Hosce numeros addendo summatim collige & reperiet, quot videlicet dies Luna luxerit. Si vero iste numerus 30. numerum excurrat, tunc 30. iterum subtrahas, & tunc residuus nume-

rus Lunæ ætatem tibi demonstrabit. Quomodo autem festũ Paschatos, aliaq; mobilia festa, per Epactas inuenienda sient, id in alijs Calendariis omnibus videre poterit. In quibus illa omnia adeo expresse demonstrata sunt vt lectorem beniuolum, heic amplius detinere minime necessum æstumauerim.

Quo melius autem Calendaria intelligantur, sciendum est, Romanos, vti Ioannes Stœflerinus in Calendario suo 34. Propositione memorat, distinctis temporibus triplicia etiam Calendaria edidisse, quorum Macrobius 1. Saturnal. & Solinus libr. de mundi mirabilibus meminerunt. Primum fecit Romulus, in quo ann⁹ dumtaxat 304. dies & decem menses in se complectatur, quemadmodum modo commemorati Auctores vlterius testantur. Illis siquidem temporibus singuli populi singulis etiam vtebantur annorum numeris, quorum tamen nulla apud omneis certitudo reperiebatur, nisi apud solos Aegyptios: Arcades enim, Iohanne Lucido teste, annos suos in tres menses diuidebāt: Acarnanes sex in anno mensibus vtebantur. Græci vero ad anni sui complectionē, CCCLIV. dies vsurpabant: vnde etiam postmodum Romulus exinde sumpta occasione, vt anni computatio in certitudinem meliorem redigeretur, annum in CCCIV. dies & X. menses distribuit: de quo Ouidius in Fastis suis ita cecinit:

Tempora digereret cum conditor Vrbis in anno,
Constituit menses quinque bis esse suo.

Postquam igitur annũ hoc modo constituisset, eumdem putatitio suo Parenti marti sacrum esse voluit. Et hoc primum Romanorum fuit Calendarium.

Secundum, à Numa Pompilio institutum est. Postquam enim animaduertisset Romanorum Calendariorum cum Solis cursu non per omnia exacte cōuenire, & duos adhuc menses deesse, quinquaginta dies superaddidit, existumans duo ista lumina curriculo suo tum melius inter se conuenire posse: cuius rei ante dictus quoque Poeta in ijsdem istis Fastis, lib. 1. mentionem facit, dum ita inquit:

At Numa nec Ianum, nec auitas præterit vmbras,
Mensibus antiquis addidit ille duos.

Quem in finem autem mutationem istam instituerit, de ea videatur

deatur Ioannis Lucidi tractatus de vero die passionis Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi.

Tertium Calendarium à (Iulio Cæsare dictatore suum habet initium, qui illud omnino iuxta Solis curriculum direxit, ipse siquidem, tamquam bonus Astronomus, quemadmodum Iulius Firmicus de eo testatur, bene vidit, quod Numæ Calendario aliquid adhuc defuerit. Quocirca veteri numero adhuc X. dies superaddidit, & annum in CCC.LXV. dies distribuit. Verum cum & eo ipso negotium nondum satis confectum esse videretur, quod Sol, ad absoluendum suum curriculum, adhuc VI. horis indigeret, eapropter cõstituebat, vt singulis quadrienijs in Februario, adhuc vnus dies vlterius numeraretur, vt hoc modo dictæ istæ 4. horæ singulis 4. annis complecterentur. Et itaque iste annus Bissextilis, quo in hodiernum vsq; diem adhuc vtimur. Iam vero, de anno videlicet M.D.LXXXIV. Romano-Catholici alio nouo, à Romano Pontifice Gregorio XIII. reformato, atque circa X. dies retro posito Calendario vtuntur. De quo si quis plura scire desideret, is legat Iohannem Paduanum, Ioannem Lucidum, Iohannem Stœflerinum, Franciscum Maurolicum, Iosephum Zerclinum, Cardinalem Cusanum, aliosque Auctores pene innumerabiles, qui de anni reformatione & nouo, siue Gregoriano Calendario, aliquanto latius scripserunt.

IN DISCVRSVM SEXTVM
ANNOTATIVNCVLA.

IOhannes Baptista Egnatius in Racemationibus suis cap. 21. de VII. Septimanæ diebus eleganter differit, qui cum hac ipsa materia egregie conuenit. Similiter & Iohannes-Thomas Freigius libro XIV. quem de Theorica Solis inscripsit, & in Phergia sua Lunæ, omnia ad hanc materiam pertinentia tam breuiter ac erudite profert, vt, an elegantius de re ea agi possit, omnino dubitem. Sic Alexander ab Alexandro quorumdam populorum anni computationes, libro tertio, Genial. dierum ca-

pite vigesimo quatto, exactissime describit: ad quos rei huius cupidos Lectores allegatos volumus.

DE CHIRVRGIS.

DISCVRSVS SEPTIMVS.

Chirurgiæ initiũ. CHirurgia, quæ ab antiquis temporibus, vti apud Cornelium Celsum ab initio libri sui septimi videre est, admodũ fuit celebris, & iuxta vulgarem opinionem potiorum scriptorum eius mentionem facientium, originem suam à Priscis Ægypti Regibus desumit, cumprimis vero ab Api, qui etiam, ob eamdem scientiam, apud subditos suos in magno honore atque existumatione fuit habitus. Clemens Alexandrinus, vero eamdem adhuc vetustiorem esse contendit, & ab vno, qui longe ante Apim: istum vixerit, Mizraus dictus, Chami filius, adque Noe nepos fuerit, suam trahere originem asseuerat; qui etiã omnium primus Ægyptum inhabitarit, & à cuius nomine Prouincia ista Mizraim in lingua Ægyptiaca dicta fuerit. Primus vero, qui de Chirurgia aliquid scripsit, Aesculapius, Græcus atq; celeberrimus quidam Philosophus fuit: quos subsequuti sunt Pythagoras, Empedocles, permenides, Democritus, Chiron, Pæon, & alii quã plures, quorum scripta nõ dumtaxat interierunt, verum etiam eorumdem nomina penitus ex hominũ memoria euanuerunt. Plinius inter alia refert Arcagatum quemdam Romæ eamdem artem primũ exercuisse, ob crudelitatem tamen suam, quam in patientes, brachiorum, pedum, aliorumque membrorum mutilationibus & decussionib. absque vlla condolentia exercuerit, breui in tantum Romanorũ odium incurrisse, quod ipsum nõ dumtaxat carnificem appellarint, verum etiam denique omnino trucidarint, & per ciuitatis plateas eumdem ignominiosissime traxerint. Quo facto Chirurgia, eiusdemque cultores, adeo contemptim habiti, vt etiam artificium istud per publicũ edictum prohibitũ fuerit: quod etiam adeo multos per annos

ma-

manu tenuerunt, inque suo valore conseruarunt, quod etiam nullum in vrbe artificem Chirurgicum amplius tolerauerint.

Nomen Chirurgiæ autē Græcum est vocabulum, quod à χεὶρ & ἔργον deriuatur, atq; coniunctim manualem operationē significat, eoque innuitur, quod Chirurgia istiusmodi medicina fiet, quæ tactu manuum in carne, neruis, & ossibus alicuius patientis perficiatur atq; applicetur. A medicis tertium medicinę instrumentum appellatur. Primum siquidem est *DIÆTA*: secundum, *POTIO*: & tertium Chirurgia ipsa vti Galen⁹ in suo Commentario de regimine Acutorum, & Damascenus in Aphorismis suis indicant.

Duplex deinde quoque Chirurgia reperitur, quarum prima indicat, quomodo videlic. mollibus & mediocribus membris, applicanda sint remedia. Altera, quomodo dura solidioraq; mēbra curanda sint. Mollia mediocriaquè membra sunt, caro, nerui, cuticula, & aliæ istiusmodi molliores humani corporis partes, duriores autem sunt ossa & cartilagines.

In vtrisque, immo omnibus istis prudens & expertus aliquis Chirurgus manu prompta atq; agili laborare necessum habet, atque (quemadmodum Iohannes de Vico in practica sua Chirurgiæ docet) iuxta alias ad ipsū pertinentes conditiones atque proprietates, hilarioris iuuentutis fiet, aut tamen ad minus iuuenilem istam ætatem minime transcēdat, vt hoc modo in manu reperiatur promptior. Singularem quoque in loquendo humanitatem prę se ferat, humanis & iocundis siquidem verbis nō solummodo apud patientem se reddit amabilem, vt eo facilius eum admittat, sed etiam certam eo citius recuperandæ valetudinis ipsi spem facit. Iuxta illud quoq; plurimum interest, vt laborantibus videlicet persuadeant, quod manus ipsorum minime respuant, etiamsi aliquantulū dolor ingrauescat, sed medicamenta & applicata remedia suam prompte & patienter sustineant, qua in re maxuma sane pars artis; & patientis conseruatio sita est. Pari modo & fidelitas, prouida cura, & discretio in Chirurgo aliquo ante omnia requiruntur. Talibus enim dotibus instructus aliquis Chirurgus non dumtaxat nullo cum pretio comporandus, verum etiam apud quosuis auctoritatem & ꝓmotionem sibi conciliat. Vita, &

corporis ſanitas enim, quouis in vniuerſo terrarum orbe theſauro multo eſt pretioſior: & ea de cauſſa non tam facile cuiuſuis Medico-Chirurg fidei atq; curæ committitur, niſi quis ipſius induſtriæ, diſcretionis, atque humanitatis certo ſiet certior. De aliis rebus, huc ſpectantib. heic non multa verba faciam: videl. vt manus promptas, non tremulas, in re etiam leuiſſima, habeat: Ita quoque acri viſu ſiet prædi-tus, & cordato virilique animo neutiquam ſiet deſtitutus, non tamen inſtar carnificis, neque etiam nimis lenis & mitis exiſtat, quum iſtiuſmodi artifex ægro alicui plus damni, quam vtilitatis adferat: Similiter etiam peritorum celebriumq; Chirurgorum familiaritatem ſectetur, probas ipſorum diligenter obſeruet, iiſdemque probe & diligenter intentus ſiet, vt, ſucceſſu temporis, ipſi per omnia ſimilis & conformis fiat: & quæ id genus ſunt alia, quorum à Celſo in Chirurgia ſua, & ab Aliabo, commentario primo, admonentur. Ineuntem & tyronem quemlibet Chirurgum quoque ſummo ſtudio admonitum volo, vt videlicet omnem ſuam operam atq; diligentiam eo conuertat, quo celeberrimorum, qui vmquam in arte & profeſſione iſta exſtiterunt, Chirurgorum doctrinam imitetur, neque nouos atque imperitos Empiricos, plus clamantes, quam medentes, ſibi, cum proprio etiam ſuo damno, familiares reddat: Vita humana ſiquidem vt itidem Simon Genuenſis vere dixit, non cuiuis imperito Medicaſtro committenda eſt. Chirurgum præterea etiam ingenioſum & acutam eſſe oportet: Bonus namque intellectus, ingeniq; perſpicacis acumen artem ſummopere iuuat & commendat.

Ars & officium eius in eo potiſſumum conſiſtit, vt coniunctum in humano corpore ſegreget, & ſegregatum iterum cum corporis coniungat: hoc eſt, ſuperflua reſcindat, &, abſque doloris præceptione, omnem putrefactionē prohibeat. Id quod fit aperiendo, conſolidando, mortificando, purgando, carnē procreando, diuidendo, ſecando, vrendo, venas ſecando, exſiccando, & obligando, æremq; prohibendo, vna cum vſitatis iſtis defenſiuis, omniſque generis neceſſarijs remediis, doctis exercitatiſque Chirurgis ſuapte notiſſimis. Ad iſta mala tollenda & ſubleuanda peculiaribus etiam inſtrumentis, vtpote No- Ar[s] offi[cium]

uacu-

nouaculis,ferris,scalpellis,acubus, diuersis forpicibus,premulis,limis &c,vtuntur,quæ omnia ferme Iulius Pollux in Onomastico suo ordine recenset. Similiter & Andreas de cruce Chirurgorum istorum labores, circa quos occupati sunt, maiori parte ex commemorat: quales crines detendere, barbas radere, phlebotomiam exercere, vulnera obducere, ligare, vlcera emollire, eadem aperire, plana reddere, purificare, &c.

Vulgaria, quibus plerumque vtuntur, remedia de vnguentis sunt: vtpote, vnguentum Ægyptiacum in forma solida. Vng. Basiliconis. Vnguent. Magistrale cum succo lotrę. Vng. Plantaginis. Vng. Camphoræ, in forma liquida, Vng. Apostolicũ. Vng. mixtum. Vng. de minio. Cerotum capitale. Cerotum Aquilonis Magistrale. Cer. de hysopo. Cer. de Betonica. Oleum itidem Benedictum, Ol. de ouis, Ol. Hypericonis. Oleum Amygdalinum, de dulcibus scilicet & amaris amygdalis. Ol. Laurinum. Ol. Rosarum, violarum, ruthæ, Iuniperis, Therebinthinæ, Lini, &c. De simplicibus: Mirrha, Bolus Armenius, Thus, Mastix, Aloe, Sanguis Draconis Alumen, Petracum, Mel Rosarum, &c. De aquis destillatis, Aquam Endiuiæ, Lupulorum, Boraginis, Absynthij, Vitium, Apostematum, &c. De omnis generis Electuariis, Diacatholicum, Diaprunum, Electuarium Mesues: Diaciminum, Diacassia, &c. De Pillulis, Aggregatiuas, Communes, aureas, fœtidas, hieræ. Item, Pil. de Turbith. de Rhabarbaro, de Hermodactilis, de liquiritia, &c. De Syrupis, Syr. Rosarum, Acetosæ, violarum, &c. Ad pinguedinem vsurpant pinguedin. Gallinarum Caporum, Vrsorũ, anserum, anatum, procellorum. Et penes omnimoda confectionum medicamenta, vsurpant etiam diuersimoda balnea, Clysteriis, suppositoriis, scarificationibus, & id genus aliis, quæ exigentibus morborum, vulnerumq; qualitatibus, scite & prudenter adplicare possunt. Ipsorum curationi potissimum cõmittuntur, omnis generis apostemata & vlcera, siue calida, siue frigida, aut cholerica ista sient. Ipsis quoque ad curandum committuntur Herpes, S. vel Lazari ignis, mentagra, carbunculi, Anginę Tonsillę, Astmata, Herniæ, Mariscæ: membrorum contusiones, & mutilationes, omnis generis vulnera, scabies, adeoq; ipsis etiam morb. Gallicus, quæ

ipsis omnia in emolumentum cedunt, licet à fœtoribus istiusmodi etiam ipsa Natura abhorreat, nihilominus tamen ista Chirurgis grati acceptique odores, & cum voluptate quasi circa fœdita illa curāda occupati sunt Etiamsi quoque ad nasum vsq; in sanguine & sanie hæreant, nihilominus tamen firmus sanusque ipsorum stomachus illas cruditates, omnes bene poterit concoquere. Vbi etiam ipsis neutiquā impedimento esse volumus. Et Glaucias vetustus iste Chirurgus manus suas, quandiu volet, in fœtida morbi Gallici scabie teneat: Criobolus digitos suos, etiam ad talos vsque, putridis vulneribus immittat, vti sane iam olim, magna cum laude, apud Regem Macedoniæ Philippum fecisse legimus. Sic, per me, Fiorauantus in ante: posteriorique parte cerota sua illinire potest, & vbi alias illud fieri necessitas postulauerit. Ita quoque M. Franciscus de S. Marco vnicuique nates cum Betonica inungat: Marianus scabiem hæreditariam mendicis in Xenodochiis sanet. M. Guilielmus de Rauenna cuilibet petenti mystacem cū Gallicano aliquo suo vnguento illiniat, quos rancidos fœtidosque istiusmodi labores ipsis minime inuidebimus, scholamque cum perpetua quadam prouisione ipsis trademus, adeo vt omneis & singuli aperto ore & naso sese in tam nobili (scilic.) odore recreare possint. Id tamē non eo intellectum volo, quasi commemoratas istas personas contemnam: sed in ipsorum in dumtaxat gratiam, qui peritos celebresque Chirurgos sese esse gloriantur, nihil amplius tamen possunt, quam stercora turbare, & patientes, saltim priuati sui emolumenti caussa, longo tempore distinere, summopereque etiam gaudere solent, si quis aliquanto cæteris locupletior, atq; ditior, in auaras ipsorum manus incidat, minime cogitantes, quā fideliter videl. artem suam probа iam testatamque facere debeant, sed solummodo quomodo patientibus suis marsupia euacuare, eorumdemue tumore quodammodo ad se pertrahere valeant. Alias in ipsa rei veritate fateri certe necessum habeo, ꝙ omneis paullo ante à me ordine cōmemorati viri egregij & percelebres Chirurgi fuerint, quémadmodum etiam ipsorum successores & discipuli aliqui, vt pote: Franciscus Vitigatus, Iohannes-Andreas Grandis, Ioannes-Franciscus Buranus, Franciscus

Castel-

Castellius, Lælius Rama, Venetus; Ioannes Baptista Regulus, Franciscus de Atimis, Thomas de terra noua, Victor Calbius, Prosper Borgaruccius, percelebris aliquis medicus, alijq; quàm plurimi. Et hæc de Chirurgis in genere dicta sufficiant. Si quis autem plura hac de materia scire desideret, quomodo videlic. omnimoda vulnera alijque periculosi morbi varie, diuersis in corporis partibus sanandi atque curandi fient, is legat diariū Empyrium Hieronymi Crassi, vbi sufficientem & peramplam sane informationem deprahendet. Ad omnis generis vlcerum obductionem atque curationem quod attinet, de ijs, Vidi Vidij, Florentini, Commentaria in Hippocratem de fistulis & vulneribus consulat.

De Chirurgia autem in genere videantur & legantur Alafrācius, Iohannes de Vico, Guilielmus de Rauenna, Floraciantus de miraculis, & alii: Non abs re vero fore arbitror, si quis Horatij Mori, Florentini Medici, tabulæ, huic scientiæ plurimum inseruientes, sibi familiares reddiderit, quas ex operibus Ioannis Fagauitji, celeberrimi alicuius Chirurgi, in vnum corpus redegit, in quo sane omnia ea comprahenduntur, quæ ad perfectam alicuius Chirurgi scientiam spectare videbuntur. Etiamsi vero Chirurgi de nulla alia laude gloriari possent, hic tamē sufficiens sane honor ipsis esset, quod nimirum ipsorum professio à Regibus suum sumat initium, atque etiamnum à Regibus, Principibus, vtriusq; sextus, excoletur, qui certe, iuxta laudabile veterum exemplum, ipsi manibus suis vulnera contrectare, curare, & sanare minime erubescunt. Cuius rei gratia ingeniosissimus ille Poeta Ariostus de Angelica, Regis Cataiæ filia, honorificam mentionem facit, quod dilectissimum suum Medorum, tum temporis lethaliter vulneratum, ipsa curauerit, &c, Deo propitiante, fauenteq;, pristinæ suę sanitati restituerit dum inter alia, sic cecinit:

E riuocando à la memoria l' arte,
Ch' in India imparò gia di Chirurgia,
(Che par che questo studio in gulaparte
Nobile à degno; è di gran laude sia
E senza molto riuoltar di charte
Ch, il padre a i figli hereditario il dia.)

Si

Si dispose operar con succo d' herbe, | *Ch' à piu matura vita lo riserbe.*

IN SEPTIMVM DISCVRSVM.
ANNOTATIVNCVLA.

CHiron inter Veteres & Celeberrimos Chirurgos numeratur, à quo vulgare dimanat Prouerbium, *Vulnus Chironicum*, id quod de periculoso admodum corporis damno intelligitur, ad quod non imperitus quidam Epyricus, sed peritus excellensque Chiron requiritur. Pari modo & Machaon celebratur, quod Philoctetem sanasset, qui tamen ab ipso Hercule, per Hydræ sanguinem infectam sagittam vulneratus fuerat, de quo etiam apud percelebrem Chirurgum Baptistam Piam lib. 4. Elegiarum prouerbium, Cura, Machaonia, quod tum temporis de insperata quadam curatione omnium in ore circumferebatur, exortum est. Sic Critobolus etiam non medioxumam quidem laudem est promeritus, quod Philippum Macedonia Regem sanauerit, eidemq; sagittam ex oculo traxerit, idque tam artificiose, vt etiam facies ipsius nequaquam deformata fuerit: vti Q. Curtius libro octauo, de reb. gest. Alexandri M. & Plinius lib. 2. ca. 37. testantur.

DE

DE PROGNOSTICANTIBVS EORVMDEMVE ASSECLIS, ET requisitis alijs.

DISCVRSVS OCTAVVS.

PRognostiantium, & practicātium nomine omnes illos, qui, cœlestem motum prætendentes non dumtaxat tempestatum mutationes, verum etiam omnis generis futuros insperatosque casus annunciare conantur: vtpote Natiuitatum Directores & fictores, quique, quid alicui in tota ipsius vita contingere & obuenire debeat, prænunciare non erubescunt, cum tamen ipsi nesciant, quid ipsis insequente die, vel etiam hora proxima, queat contingere. De istiusmodi, Nugiuendulis hoc in discursu meo verba facturus, & simul demonstraturus sum, quo fundamento & ordine videlicet nitantur, qui hodierno tempore Astrologus sese iactitant, quum tamen multo potius Extralogi & impudentes mendaces, & non, vti sane falso gloriantur, Mathematici sed, quemadmodum Italus loquitur, Matti, Matti, hoc est, ipsis stultis stultiores depræhendantur: immo illos ipsos stultis stultiores reddunt, qui ipsis fidem habent. Dū enim eximii Doctores & esse & haberi isti cupiunt, simpliciores & ignorantiores sunt ipso Mag. Cyrillo, & D. Gratiano de Bologna.

Horum vaniloquorum, Sociorem Scopus autem eo potissumum directus est, vt stultos credulosq; homines ære emungant, & vanam sibi nominis sui gloriam comparent, quippe, qui iam ante sciunt, quod in pago quodam Empyricus Theriacam suam corruptam, scabiei pediculorumque vnguentum multo citius vendat, & circumstantes habeat, quam optumus quisque doctor, & ditissimus etiam Pharmacopola in celeberrima, quadam vrbe. Cum etiam ipsorum merces venales hinc inde facile extrudantur, & absq; vlla molestia, passim locorum diuēdantur, ipsi quoque animaduer- *Scopus, ad quem collimant.*

T tant,

tant, quomodo ipſorum Prognoſticha omnib. in plateis proclamentur: (videlicet:Nouum, Nouum Calendarium,Nouum Nouũ Prognoſticon,iuxta Meridianum huius, vel iſtius vrbis, per Clariſſimum &celeberrimũ Aſtrologum,qui tamen propria etiam in ſua patria pene ignoratur,formatum.) eapropter non leue quidam illud eſſe autumãt, quod videlicet ſibi ipſis,perCalendarium, & Prognoſtichon, immortalem ſui nominis gloriam comparent: nauci tamen æſtumantes quod plus dedecoris, quam decoris &honoris exinde reportent.O miſerum T. vel, ad minimum,N.(loquor ſiquidem cum vno, cæteros in ſacco geſtante,) qui non animaduertas, quod aliquibus dumtaxat paginis Chartaceis, in vniuerſo ferme terrarum orbe, pro tuo merito irridearis. Turpis ſiquidem aliquis vocatiuus,compoſito ad terram (.ſi quod etiam habeat.) pallio ſuo, & optumum ſuum vnguentum (bonum tuum Calendarium & Prognoſtichon.) mirum in modum laudat,adeoque ex te ipſo facit vlulam,vt eo facilius ab adcurrente&circumſtante plebe nauci ęſtumeris,ludibrio habearis, & turpiter irridearis; attamen Calendarium, nobilis tua ſemieffigiens,cum Aſtrolabio lateri tuo adiuncto in frontiſpicio iſtius tui Calendarij mirifice exornat, qnaſi per omneis dies vitæ tuæ, & tamquam ab ineunte ætate in eodem ſtudio te exereuiſſ[illegible]s: vel eidem tuo Calendario, Zodiacũ cum omnibus ſignis cœleſtibus inſculpi curas, adeo, vt ſimpliciores non aliter exiſtument, quam quod totus in aſtris caput inter nubila condideris, atque hoc modo ipſis,tibique ignotam artem non ſatis admirari poſſunt. Ah, mi Domine Doctor,honorem iſtũ, qualem, qualem etiam, quæſo, perpendas: huius, vel alterius cuiuſdam ciuitatis eſt Phiſicus, atque ſimul practicantis alicuius vices ſuſtineres: Cum imperfecto Calendario tamen tuo ita ſtipatus incedis,non ſecus quam Oberndorfii quomdam reſidẽs ille Cuntzius ruſticus, cuius tamen Prognoſtichon tuum forſitan longe antecelleret. Verum enimuero, quid, obſecro tum fieret,ſi fortaſſis DominiDoctoris manus in ipſo ſacco depræhenderentur? Quali,iterum,atque iterum te obſecro, honore te dignum reris, ſi Noſtradamo ſuas tabulas,Sarauezzæ,methodum,formam,Veronenſi alicui pictori, verba, Scanno Bolog-

[illegible]enſi,

nensi, exemplum Lucæ Gaurico f...eris, atque adeo vt malesani omneis te proclum in Cathedra, vel Albarognum, inter populum communemque plebem, æstument, quem tam eruditum esse ferunt, vt etiam aliquãdo ouem pro asino inspexerit? Nimis incedendo gloriaris cum præclaris istis allegationibus ex Halii, Albumanaare, Messaalaco, Lipoldo, Guidone Bonato, quorum tamen præclara scripta nũquam à te visa, multo minus lecta sunt. Similiter abs te aliquãdo auditur, quid nimirũ Ptolomæus in Almagesto, Alpetrag⁹, Thebithus, Auen zra, & M. Benodanus de infortunato aliquo anno, cum tamẽ, quid, vice versa, felix bonusque fiet, forsitan ignores? An vero autumas, te hominum oculis glaucoma obiecturum, palpumq; ijsdem obtrusurum, quasi omneis in ære, atque terra, artes solus deuorasses? An non multo potius animaduertis, quod omneis circũstantes, te Nasutulo, multo Nasutiores, Calendarium & Prognostichon tuum, atque adeo te ipsum multis cachinnis excipiant, & artificiose, pro tuo merito, irrideant? Hic illud (Calendarium) epistolium nugatoriũ, omnis generis mendaciis refertum, nominat: alter ridet, & caput mouet, tertius legit, vel cantillat illud clara voce, non secus, quam lectionem aliquam scholasticam: In summa quilibet, tuo cum Calendario, peculiareis etiam sibi quęrit delitias. Mox pro felici nouo peregrinari cogitur tuum cum Prognosticho Calendarium, vt etiam experi habeant de quo gaudeant: atq; adeo singuli, longe, propeque degentes, te vno mirifice delectantur. Si enim de signis cœlestib. tibi verba faciũda sunt, & de Tauro loqueris, tum plebs, te verum aliquem bouem vel Taurum ad forum spectaculi gratia, ductũrum esse, autumat. Si de Libra tibi sermo faciund⁹, tum farctores farciminum venientes tibi numulos librarios inuidere nolunt. Si de scorpione, tum & tibi ipsi ab illius ictu metuendum est, aut tamen ad minimum ab ijs, qui crassam tuam ignorantiam subolfaciunt, pro stulto, & quidem non immerito, habeberis, atque ita multo vehementius & ærius, quam ab aliquo scorpione, læderis. Si de Sagittario loqueris, tunc omneis, ad contrariam defensionem sese præparantes, te Peanum Scholasticum merito ex aduerso petunt. Cum Capricorno ipse te cornutum facis. A-

pudCancrum, nihil omneis tibi optant melius, quam vt ipſe ab eo deuoreris. Apud Aquarium, vt ſufficiat tibi elementum illud & ſaltim per horæ quadrantem in eodem tibi commorandum eſſet, vt ita, quemadmodum in Iudęis in balneo ſuo frigido, nullus amplius crinis in te appareat. Sin vero tibi de piſcibus loquēdum fiet, tum omneis ſani te madidum vaniloquumque piſcatorem eſſe vociferant. Si itaq; per illud rete tuum Aſtronomicum, numos fortaſſis venari volueris, illud ſane, qualis qualis etiam ſors ingruat, æquo animo ferendum eſt. Heic autem mihi videtur, quaſi te ſtomachantem indignabundumque (iſtiuſmodi namque hominibus cor cito tangitus, ipſisque D. nimis prope adiacet) audiam, & mihi obiicientem, quod te artemq; tuam ita contemnam: Equidem nō eo inficias artem iſtam liberalem apud præclara ingenia in magno honore eſſe, atque ab ipſis etiam Regibus cultam veneratamque fuiſſe, cuius etiam hodierno adhuc tempore nemo, ſiue dies, ſiue inops ille ſiet, pudeat. Quocirca, mi amice, ne tātopere mihi immerenti ſuccenſeas. Artem in vero ſuo vſu ego nequaquam contemno, neque eiuſdem cultoribus iraſcor, ſed multo potius ambabus, vti aiunt, ad cœlum, & ſuo quidem merito, eamdem adtollo: hoc autem dolet, quod tu, tuiq; ſimiles, vix viſo Calendario, & pellectis Clariſſimorū virorum Ephemeridibus & tabulis, vobis videamini, quaſi totam artem vno bolo deuoraueritis, atque adeo, ni ſtercora veſtra in publicis officinis venalia proſtarent, tunc crepare neceſſum habeatis. An non autem tibi ſufficit, quod ex aliis tabulis Eclipſin quamdam in Calendarium tuum collocaueris, quæ certe omnem tuam dignitatem & honorem tenebroſum facit & obnubilat. Nec etiam tibi ſufficit, quod Lunæ reuolutionem ad calculum reducas, aut multo potius ab aliis reductum calculum in tuum Calendarium colloces, ne forſitan cerebelli in capite tuo fiat reſolutio, ne ſtulteſcas, cum iam ante ſtulteſcere inceperis. Si igitur curſum & adſpectus Saturni itidem ad calculum reducere debeas, tunc omnino in Melancholicum aliquē ſtultum euaderes, quo cum nemo tractare poſſet. Facto igitur labore vtere fruere, nec cerebelli tui, imminutio, vel capitis fractio tibi metuenda erit. An non autem ꝙ vides, tuis cum Aſcenden-

dentibus in tua sapiētia plus iusto, nimis sapias? Cum tuis Dominatis, per proprios tuos humores tibi imponatur imperiū? Cum Influentijs, ignorantia & stultitia plane immergaris? cum figuris diuersimodas in species, mox in anserem, mox in asinum transmuteris? Cum coniunctionibus, te plane simplicibus ad S. Vincentium adsocies? Cum Retrogradis, in cancris gressum incidas: Post diuersas mansiones Phantasias tuas singulis momētis commutes? In oppositionib. autem minime cognoscis, quod quiuis se tibi opponat, & te, vna cum Calendariis & Prognosticis tuis, stultum, immo asinum esse, asseueret? Parcam tamen tibi quodammodo: præsertim cū Calendariis, practicis siue Prognostichis opus habeamus. Sit sane ita, nihilominus tamen Nasutuli, qui curiose isti rei plus, q̃ Breuiario suo inuigilāt, hoc modo tractandi sunt. Manet tamen semper vetusta ista consuetudo M. V. D. quocirca te aliquanto cautius informabo, quomodo videlicet, ne dolus tam cito detegatur, te hac in re præstare debeas, atque simul vniuersalem istam caluo-excusabilem regulam: *Astra non recessitant, sed inclinant*; tibi probe inculcatam volo. Etiamsi enim heic minus iucundus spiret Zephyrus, vti tuum habet Calendarium, nihilominus tamen spirat alibi, & non credens ista, currat ad Antipodes. Sed ad rem.

Signa Septentrionalia & Meridionalia. Planetarum itidē omnium.

Egregium autem te Prognosticantem & practicantem tum præstabis, si prius Septentrionalia, nimirum Arietem, Taurum, Geminos, Cancrum, Leonem, Virginem: & Meridionalia, vtpote, Libram, Scorpionem, Sagittarium, Capricornum, Aquarium, & Pisces, signa cœlestia rite noueris. Hęc autem cum consuetis suis signis tibi notanda atque distinguenda sunt. Dein' quoque Planetarum Ordo tibi quoque haud incognitus esse oportet, qui videlic. supremi, medii, & Infimi quibus etiam isti characterib. à seinuicem seiungendi sient. Sunt autem Planetæ Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius & Luna, quæ tritis ac vulgarib. suis signis notantur. Ita quoq; & masculina, ac fæmininæ mobilia, fixa, & cōmunia signa te nouisse oportet. Item quæ tarde, & quæ celeriter ascendant: quæ etiam ignita, terrena, ærea & ęquea sient. Item, q̃ Planetæ felices & infelices, benefici, aut perniciosi, esse iudicentur, cum certis eorumdem

horis. Et te insuper prædicabo Astrologum, si videlicet noris, ꝙ horis Saturnalibus ferrum, stannum, plumbum, diuersimoda, metalla, lapides, & nigri panni emendi sint. Noueris quoque quando horti excolendi, & omnis generis doli contra hostem excogitandi sient Vice versa tibi itidem sciendum est, quod sub eodem Planeta Phlebotomiæ, Scarificationes, medicamentorum adplicationes, cum piscatoribus & Aucupibus commercia, murorũ instaurationes, vestimentorum sectiones, nouorum induitiones cum amicis colloqnia, vel eorumdem visitationes, minime conducant. Item si scire tibi contigit, quod in & sub horis Iouis pecuniam permutare, omnis generis commercia inchoare atq; opificia exercere, præsertim ad argentum, quod attinet, discolores pannos emere, pontes extruere, Ecclesiastica ædificia inchoare, Dominorum itinera incipere, nauibus itinera perficere, medicina vti, sanguinem mittere, pacem stabilire, equos arma emere, texere, arare, serere, & quæ sunt id genus alia negotia vtilia atq; necessaria ꝑficere fiet conducibile. Similiter quando nouerit, quod sub Martis horis conducat equos & arma emere triremes mari committere, itinera bellica, terra marique, instituere, rubrosque pannos emere: minime autem conducibile fiet inimicitiam serere, amicitiã contrahere, contractus cum aliquo inire nisi cum fabris, coquis, pistoribus, & figulis. Item si scire tibi contigerit, quod horis solis conducat omnis generis aurea vasa emere, circa aurum occupatum esse, cũ Monarchis & Magnatibus colloqui, munera siue officia inchoare, itinera bellica incipere, flauos aut gibuos pannos emere: & quod vice versa malum fiet sanguinem mittere, vxores ducere & nouam familiaritatem siue amicitiam contrahere. Item quod in horis Veneris conducibile fiet pretiosos lapillos, annulos, aliaque ad mundum muliebrem spectantia coemere, vxores ducere, vxorum virginumque familiaritatem sectari, albos equos & vestimenta emere, medicina vti, sanguinem mittere, cum Reginis Nobilibusque fœminis sermones miscere. Quod itidem in Mercurii horis conducat omnis generis picturas, statuas, frumenta, discolores vestes, serica & bombycina emere, vxores ducere, earumdem familiaritatem sectari, medicinam adplicare, sanguinẽ mittere. peregrinati, mercaturã

exercere, omnis generis arma cœmere circa diuersos colores occupatum esse, virides vestes induere, texere. Item, quod in, & sub Lunæ horis non abs re fiet, mel, oleum, ficus, castaneas, nuces, amygdala, linum, canaben, frumentum, carnes, sues, omnisque generis pecora, quæ ad vitæ sustentationem necessario requiruntur, emere diuersimodos dolos excogitare, variisque technis atque fraudulentis artibus rem promotam velle: non conducibile vero esse, quod fundamento carentia negotia hoc tempore expediantur.

Tertio, te etiam atque etiam laudabo, si Lunæ cursum, qualitatem, operationemq; bene intelligas, vtpote quod si videlic. lugescit, modo vsq; ad mediam noctem spectetur, si vero decrescit, à media tum nocte ad matutinas vsq; horas splendeat. Plena autem integram per noctem lucet, atq; tum temporis in oppositione Solis consistit. In Nouilunio splendor eius omnino non videtur, atque tum in coniunctione solis adquiescit: vbi per integrum triduum non conspicitur, nimirum die primo, vbi accessionem facit, secundo, vbi se Soli coniungit, & tertio dum omnino renouatur. In plenilunio plane contrarium, prima die in vltima parte secundi quadrãtis: Secunda die, in toto suo plenilunio: tertia die, sub initium defectionis, vel quadrantis tertii. Pari modo eiusdem Lunæ species & figurationes te probe scire oportet, quemadmodum illæ à Iohanne Damasceno libr. 2. de fide Orthodoxa eleganter admodum descriptæ sunt. Prima est cum Sole coniunctio: si recta nimirum sub Sole consistat: Secunda, illius est augmentatio, si XV. pars à Sole recessit. Tertia, vbi Luna exoriens nuncupatur, & primum videri incipit. Quarta, dum ipsius cornua illam aduersus Solem ꝓtrudunt: vbi Luna Monoides, falcata, aut cõmunis appellatur: quod quidem bis in singulo lunari lumine fieri assolet, nempe in crescẽdo, de quo iam dictum, & dein in decrescendo, vbi cornua sua à Sole auertit. In ambobus sexaginta partibus à Sole consistit. Quinta, Luna dimidiata dicitur Id quod similiter bis, in crescendo, & decrescendo scilicet, fieri consueuit: vbi nonagesimis partibus à Sole commoratur. Sexta, Luna Gibbosa appellatur, si nimirum completio in medio intumesce e ncipit: atq; tum temporis C. & XX. partibus à Sole reces-

recessit. Septima, Luna est perfecta, ipsumque plenilunium, quando nimirum C. & LXXX. partib. aut gradibus à Sole consistit.

Solis ortus in quolibet mense.

Quarto, te minime etiam cõtemnam, si Orientem Solem videlicet intelligas, quomodo & quando nimirum in quolibet mense oriatur, & hac de re eleganter & prudenter noris disserere: qua de re hac informatione multo fies eruditior. In I. nuario XV. horis, & XIV. minutis, post illius occasum, iterum oritur, & dies tum vna minuta & XIV. Secundis fit locupletior, & minus duabus minutis tamdem ad finem suum properat. In Februario XIV. horis & XX. minutis oritur, & duabus minutis, atque quadraginta tribus secundis augetur. In Martio etiam XIV. horis, ac duab. minutis, crescit duabus minutis & sex secundis. In Aprili vndecim horis, & viginti sex minutis, atque tribus minutis adcrescit. In Maio horis IX & quinquaginta octo minutis: adcrescit minutis duabus & quinquaginta octo secundis. In Iunio VIII. horis & quinquaginta IV. minutis: adcrescit vsq; ad minutas XVI. & Secundas XXVI. Decrescit deinde quoque vsque ad finem commemorati mensis Secundis XXXVI. In Iulio VIII. horis, & quadraginta quatuor minutis: decrescit vna minuta & secundis XVII. In Augusto horis nouem & XXIV. minutis: decrescit duabus minutis, & quadraginta secundis. In Septembri XII. ho is, quadraginta septem minutis, decrescit duab. minutis & quadraginta secundis. In Octobri, duodecim horis, decem & nouem minutis, ac decrescit minutis tribus. In Decembri 14. horis quinquaginta nouem minutis: decrescit à duabus, vsque ad minutas viginti. Deinde iterum adcrescit.

Quinto etiam te non adeo æstumabo stupidũ, si propriè noris, & affirmare certo possis, quãdo videlicet Sol quodlibet signum Zodiaci, in quolibet mense, ingrediatur. In Martio Arietem ingreditur die vigesimo primo Calendarij, reformati siue Gregoriani, iuxta, quod etiam prior iste calculus ab ortu Solis directus est. In Taurum, XX. Aprilis. In Geminos, vigesimo primo die Maij. In Cancrum, duodecimo Iunij. In Leonem, vigesimo tertio die Iulij. In virginẽ, vigesimo tertio Augusti. In Libram, XXIII. Septembris. In Scorpionem, XXIV. die Octobris. In Sagittarium XXIII. Nouem-

uembris. In Capricornum, vigesimo secundo Decembris. In Aquarium, XX Ianuarij & in Pisces decimo nono Februarij.

Iuxta illa omnia porro & scire oportet, Solarem te Lunarem Circulum, Indictionem, Epactas, literam Solarem siue Dominicam, signa prohibita & id genus similia, quorum supra, in Discursu de Calēdariorum scriptoribus, copiosa facta mentio.

Sexto, tua laude quoq; neutiquam defraudaberis, si proprie significaueris, quando videlicet quodlibet anni tempus, iuxta morem Astrologicum, suam sumat originem. *Ver* nimirum 19. Martij horis XIV. & VI. minutis. *Æstas* XXI. Iunij. *Autumnus* XXII. Septembris. Et *Hyems* XX. Decembris, in hora IIXX. & minuta XIII.

Pari modo & signorum cœlestium Trianguli tibi probe noti sient, quatenus videlic. in primo, vtpote Ariete, Leone, & Sagittario, quæ signa sunt ignita, dum ascendunt, bonum fiet circa metalla occupatum esse, vias aut pontes aquis imponere, equos probare, tabellarios emittere, thesauros quærere, fossas euacuare siue purgare, & alia istiusmodi negotia expedire. In secundo Triangulo, scilicet Ariete. Virgine, & Capricorno, quæ terrena signa in ortu suo bona, omnis generis labores rusticos inchoare, bona immobilia, agros, ædes, &c. emere, ligna cædere, ædificare, ægros metiri, & alia id genus negotia expedire. In tertio Triangulo, geminis nimirum, Libra & Aquario, quæ ærea signa itidem bona sunt, in ære negotia perficere, arbores disponere, naueis & triremes adornare, mare transnauigare, aucs venari, &c. In quarto Triangulo, cancro videlicet, Scorpione, & Piscibus, vtpote signis aqueis, conducit pisces capere, balneis vti, molæ frumentum inferre, aquas ducere, & alia id genus negotia in aquis expedire. Si præterea, Astrologicarum Regularum beneficio istius horæ Dominum reperire poteris, tum non immerito pro Magistro in Israele habendus eris.

Postquam etiam mansionum Lunæ significationes ad humana expediunda negotia spectantia, exacte noueris, & prudenter de ijsdē disserere potueris, quemadmodum illæ à Ioanne Paduano, & Baptista de Rebertis in obseruantionibus suis Astrologicis eleganter & neruose descriptæ sunt, tunc sane eruditionem tuā *Mansiones Lunæ.*

V satis

satis superq; testatam facies. Exempli gratia: Si Luna in prima mansione, quæ in vigesimo gradu Arietis inchoatur, & ad tertium gradum Tauri sese extendit, tum conducibile est peregrinari medicamentis, præsertim laxatiuis, vti. In secunda, quæ à tertio gradu Tauri ad XVI. vsq; se extendit, conducit mercaturam exercere, in mari nauigare, societatem contrahere. In tertia, quæ à XVI. gradu ad XXIX. dicti Tauri durat, non conducibile peregrinari, nauigare, & societatem contrahere, sed bonum omnis generis domestica animalia emere. In quarta, quæ à vigesimo gradu Tauri suum sumit initium, & ad X. gradum atque LII. minutas Geminorum vsque sese extendit, conducit serere, nõ autem vxores ducere & mare transnauigare. In quinta, à commemorato decimo gradu Geminorum ad XXIII. & XLIII. minutas, sese extendente, conducibile, liberos ad scholã mittere, vxores ducere, cum fœminis coire, peregrinari, & medicamentis vti. In Sexta, quæ sese exinde ad sextum gradum, & triginta quinque minutas Cancri extendit conducibile, bellum inchoare (*Lundorpiana autem sententia pacem colere, & concordiam stabilire, nõ Christiano homine & nomine indignas, contentiones & rixas serere:* rixari, forẽsia, aut alia molesta, perniciosaque negotia tractare. In septima, sese ad XX. modo dicti Cancri extendente, cõducibile arare, ruri operam dare, serere, noua vestimenta induere, (*id quod semper præsertim summa vrgente frigoris vehementia, conducibile esse arbitror*) non autem vtile transmare currere vel nauigare. In octaua, quæ se ad secundum gradum, decem & septem minutas Leonis vsque extendit, bonum est mendicamentis & nauigijs vti. In nona, ad decimum V. gradum, & nonam minutam dicti illius signi vsque durante, omnia negotia tractatu sunt difficilia, excepta frumenti inuersione, omneis, vti aiunt vermiculos prohibente. In decima, quæ sese ad XXVIII. gradum, & trigesimam minutam dicti signi vsque porrigit, nuptias celebrare, cæmentare, agriculturæ operam dare, non autem proficisci conducibile. In vndecima, quæ ad vndecimum gradum Virginis, vsque durat, insitioni, plantationi studere conducit, non item medicamenta adplicare, vel seruos manu mittere. In duodecima, ad vigesimum tertium gradum: & quadragesimam tertiam minu-

minu-

minutam dicti illius signi vsque durante, conducibile inserere, plantare, matrimonia contrahere, minime autem transæquor nauigare. In decima tertia, quæ sese exinde vsque ad sextum gradum, & XXXV. minutam libræ extendit, omnia ea bona, quę in pręcedente XII. commemorata sunt, vbi simul conducibile Magnatum procerumque fauorem adipisci, non autem peregrinari expediet. In decima quarta, ad decimum nonum gradum, & vigesimam sextam minutam durante, vtile erit medicamentis vti, seminare, plantare, viduas in vxores ducere, peregrineri autē periculosum. In decima quinta, quæ exinde ad secundum gradū & minutam decimam septimā, scorpionis extendit, conducibile erit fontes fodere, eosdem expurgare, omnis generis fossas ducere cellas facere, minime autem peregrinationes profuturæ sunt. In decima sexta, quę ad decimum quintum gradum, & minutam nonam dicti istius signi durat, peregrinari, vllos contractus aut pacta inire, nigra vestimenta induere, & medicamentis vti, minime expediet. In decima septima, ad XXVIII. gradum durante, vtile est propugnacula & munitiones extruere, domos aut ædificare, vel emere, officia rite ordinare, aut inchoare. In decima octaua, quæ exinde ad decimum gradum, & quinquaginta duas minutas sese extendit, omnia ea, quæ in præcedente commemorata sunt, commode atque vtiliter expediunda erunt, exceptis contrahendis matrimonijs, & instituendis peregrinationibus, nisi eæ perficiantur in æquore. In decima nona, sese ad decimum nonum gradū, & quinquagesimam secundam minutam dicti illius signi vsque exerente, rixari, litigare, belligerare, & manus conserere conducibile erit (id quod tamen mihi nemo sanus persuadere poterit) mare autem & flumina traiicere neutiquam proderit. In vigesima, quæ exinde vsq; ad VI. gradum, & triginta quinque minutas Capricorni sese extendit, bonum vtiliq; est pecora emere, nō vero feras venari, multo minus fœminas in matrimonium ducere. In vigesima prima, quæ ad decimum nonum gradum, & viginti sex minutas vsque durat, ædificare, seminare, agros emere, cum principibus & procerib. colloquium instituere, conducibile erit, non vero matrimonia contrahere. In vigesima secunda, exinde sese ad secundum

gradum & decimam octauam, Aquarij minutam exerente, medicamentis vti, peregrinationes instituere, noua vestimenra induere conducibile. In vigesima tertia, ad decimũ quintum gradum, & decimam nonam minutam vsq; durante medicamentis vti & peregrinari, non autem pecuniam deponere, conducibile erit. In quarta & vigesima, quæ ad decimum octauum gradum commemorati signi sese exerit, bonum erit omnis generis præparationes actionesque bellicas inchoare, medicamentis vti, minime autem peregrinari, plantare, & inserere. In vigesima quinta, quę exinde vsque ad decimum gradum, & quinquaginta duas minutas piscium sese extendit, bonum erit bella gerere versus Meridiem & Occidentem peregrinationes instituere, & ædificare. In vigesima sexta, sese ad vigesimum tertium gradum, & quadraginta tres minutas commemorati signi vsque extendẽte medicamentis vti salutare, omnes vero aliorum negotiorum expeditiones periculosæ. In vigesima septima, quæ exinde ad sextum gradum, & trigesimam quintam minutam sese extendit conducibile erit seminare, contrahere cum aliquo, merces protrudere, matrimonia inire, non vero pecuniam deponere vel alteri subministrare. In vigesima octaua, sese ad decimum nonũ gradum, & viginti sex minutas, dicti illius signi, vsq; extendente, omnia quorum in præcedenti mentionem fecimus, sunt cõducibilia, trans æquor autem (certo certius.) nauigare periculosum.

In istiusmodi mansionibus & earumdem distributione vero etiam Adspectus Planetarum erga Lunam tibi probe obseruandi sunt, multum enim isti tibi emolumenti adferent postquam illi constiterint. Exempli gratia: Si â Saturno intuebitur, tum seminare, vel mercaturam exercere non conducit. Si à Marte conspicitur, contentiones, rixæ, discordiæ, & omnis generis inconuenientiæ grassabuntur. A Ioue, omnia prospere feliciterq; procedent. A Sole, præsertim cum Adspectus quadratus adparet, inter Magnates & proceres rixosæ contentiones exorientur. A Venere diuersa scelera & flagitia hinc inde grassantur. Si à Mercurio, tum commercia, & omnis generis merces fideliter prospere succedunt.

Sexto, pro nõ contemnendo etiam habeberis Astrologo, si

aut

aut ex Calendarijs, vel aliis quibuſdam Regulis Mathematicis tantum ſane obſeruaueris, quod aliquid de ſtellarum fixarum ꝓprietate, atque adeo cuiuslibet ſigni natura, in genere, intellexeris. Exempli gratia: Aries quidem calidæ eſt naturæ, ab anteriori tamen parte humidus, quum ea in parte aliquot ſtellæ conſpiciantur quæ naturam lunæ in ſe habent. Ex altera parte calidus eſt, atque diuerſimodos morbos, contagioſas lues, ariditatem grandinem, & tempeſtatem denotat. In medio, ventos & pluuias excitat, ob ſtellas, quas illo in loco habet, eiuſdemque cum Luna ſunt naturæ. Medio circa Taurũ conſiſtunt. Pleiades, quæ etiam ſunt ſtellæ fixæ, & ventos, terræ motus, aquarum inundationes & imbres excitant. Anterior Geminorum pars frigida eſt & humida: poſterior vero humida admodum & perniciosa. Poſterior pars Cancri aerem incendit, nubes commouet, & terræ motus excitat. Integrum Leonis ſignum vehementer eſt calidum, præſertim à poſteriori parte. Pari modo & poſterior pars Virginis, ſeptentrionẽ verſus, pernicioſi eſt caloris: verſus Meridiem admodum humidæ, atque adeo Saturninæ eſt naturæ, quocirca ijs in locis ingentes tempeſtates excitat. Totum Libræ ſignum inconſtantis eſt naturæ. Sic & vniuerſum ſignum ſagittarii vehementes ciet ventos, turbat aerem, & à tergo pluuiam irritat. Id autem plerumq; verſus Meridiem efficit: verſus Septentrionem autem ad calorem inclinat. Totus Capricornus humidus eſt, ꝑſertim à parte verſus Meridiem. Vniuerſus Aquarius frigidus eſt & aqueus. Piſces frigidæ & ventoſę ſunt naturæ; cumprimis autem in medio grandines cauſſant, cum naturam cum Saturno communem habeant.

Mutatio natu & ſignorum cœleſtium

Plurimum quoque ſeptimo, te o[illegible]bit, ſi noris quo pacto videlicet ſigna cœleſtia naturam ſuam quodammodo immutent idque iuxta ipſorum motum in circumferentia, adeo vt calidæ naturæ ſigna quandoq; frigida, & humida aliquando ſicca reddantur. Cumprimis vero artem tuam mirabuntur, ſi videl. temporis regulas Aſtrologorum memorię ſedulo mandaueris, & ſcieris quando Planeta quidã ex vno ſigno alterum ingreditur, tunc plerumq; tempeſtatem immutari, præſertim vero, ſi inferiorum vnus aliud ingrediatur ſignum, pluuiam excitari. Item,

quod boni Adſpectus Planetarum ſibi inuicem oppoſiti plerumq; iuxta naturam ſuam, aerem ſereniorem reddant, mali autem, vice verſa, eumdem turbidum efficiant. Item, quod māſiones Lunæ aerem mutare, & in futurum tales effectus cauſſare poſſint, quatenus nimirum contra vnum aut alterum conſiſtāt. Iuxta Regulā Alchindi vero calidi Planetæ ſunt Sol & Mars: Frigidi, Saturnus & Venus: Pluuiam efficientes, Venus, Mercurius, & Luna. Sic Saturnus, Mars, & Mercurius tempeſtates procreant. Item, quod Coniunctiones, Oppoſitiones, & Quartæ Solis & Lunæ etiam peculiares in aere diſpoſitiones cauſſentur. Quā de multas eximias vtiliſſimaſque regulas apud Baptiſtam de Rubertis, in Obſeruationib⁹ ſuis Aſtrologicis reperire poteris quemadmodum etiam apud alios Auctores, qui tam in Romana, quam Italica lingua de cauſa & immutatione æris & tempeſtatis ſcripta ſua poſteritati grate communicarunt.

Vera & genuina Prognoſticha.

Hiſce, itaque, & ſimilibus iſtiuſmodi obſeruationibus Calendaria, Prognoſticæ, & alia id genus indicia ad ipſam Natiuitatem quoque formari poſſunt, quamuis huic arti nō tantopere innitendum ſiet: ſiquidem tam incerta atque adeo in conſtans eſt, tam quam ipſiſſima Luna, adeo vt multi ſtolidi per phantaſticos iſtiuſmodi Calendariorū ſcriptores ſæpiſſime fallantur. Si quis autem ipſam veritatē, abſq; vllo defectu atque labe, ſcribere conetur, is ſequentibus certiſſimis infallibilibuſq; demonſtrationibus cumprimis innitatur, videlicet: Inſequens annus trecentos, ſexaginta quinque dies continebit. Annus Menſe Ianuario ſuúm ſortietur initium, & duodecim poſt mēſes, vel quinquaginta duas Septimanas curſum ſuum deniq; iterum abſoluet. Planetæ conſuetum naturalemq; ſuum curſum retinebunt, diſtinctis autem temporibus calor, frigus, pluuia, & ſerena tempeſtas coincident. Talis erit annus, in quo cibo, potui, ſaltationibus, feriis, laboribus, ſeminationibus, & tamdem meſſi indulgebitur: interim tamen multa duræ ceruicis capita properabunt ad interitum. Fæminæ iuuenculæ concipient, atque tamdem, non abſque dolore & periculo, parient: morbo diu vexatæ, morientur, aut, non ſine miraculo, priſtinæ ſuæ valetudini reſtituentur. Magnates & Proceres hoc anno dominabuntur,

vice

vice versa vero rustici ipsis parere tenebuntur. Bella sanguinisq; profusiones non absq; tormentorum displosionibus & verberibus transigentur: Bonum vinum multos hilares ebriosque reddet: In celebrandis Nuptijs aut conuiuiis patinæ, cantharí, &c. patientur vitra vero non omnino integra ad hospitem reuertentur. Circa Bacchaalia, vel potius & melius Quadragesimale tempus, stultorum infinitus reperitur numerus, & milites recentes desiderabunt belli Duces siue Dominos: Pyratæ mare plerumque infestum reddent: Vagabundi, errones, & peregrinantes sese reddēt conspicuos: Clerici lubenter itineri sese committent: Mercatores, Monopolæ, & Vsurarii auidē lucrabuntur: Scholares libenter otiabuntur, & adolescentes cum iuuenculis iocabuntur: Apud Stolidos Thrasones, & incautos imprudentesque fumiuendos Alchimia in magno habebitur pretio, scortatores cum meretricib. congregabuntur, & inflati cristas erigent. Cædes atque latrocinia inter amicos coincident: blasphemiæ deierationes apud nautas, aurigas, lanios, & quosdam nequam pistores admodum frequentes erunt. Mendacia & figmenta hospitum carponumque carissima erunt obsonia: attamen multis interim crescēt cornua antequam eius rei fiet certior. Quibus sane Prognosticis nemo vnquā errare poterit, sed vice versa, omneis hodierni nimis curiosi Astrologi cum mendacissimis suis Prognosticis, ieiunis nulliusq; pretii sententiis, arrogantibus & leuibus indiciis, superbis elatisq; allegationibus, &c. tamdem confunduntur. Atque hoc modo finio: Nam hic iubet Plato quiescere, & iam sufficiat quod Astrologuli isti in vniuerso ferme terrarum orbe ludibrio habeantur atque vilipendantur.

IN DISCVRSVM OCTAVVM ANNOTATIVNCVLA.

CArdanus in libro suo de varietate ostendit, quo videlicet pacto quis de statu, fortuna, aut infortunio futuri alicuius anni cõiectare vel diuinare possit, id quod iure ad hanc Prognosticantiũ Professionem pertinere arbitramur etiamsi ipsius regula manifesto falsa deprehensa fuerit, dum, inter alia, asseuerat: Planetas nobis fortunam, vel infortunium largiri diuitem aut inopem, lætos, vel tristes facere posse: quemadmodum etiam eidem Ian-Iacobus Vacherus lib. 3. Secretorum cap. primo adstipulatur: atque hodierno etiam tempore, tam inter eruditos, quam indoctos, multi sane reperiuntur, qui eamdem sententiam amplectantur, superstitiosæ isti prætensioni plus, quam ipsi etiam veritati credunt, neq; sibi persuaderi patiuntur, quod Cardanus, eiusdemque complices & Adstipulatores, mentiti fuerint. Sciant autem istiusmodi Phantastici nugatoriique spiritus, Sixtum V. P. P. Bullam contra Astrologos hunc potissimum in finem renouasse, quo melius temeraria, audax & insana ipsorum præpostera sapientia retunderetur.

DE

DE NOTARIIS

DISCURSUS NONUS.

NOtariatus officium & Professio per se honestũ & præcellens quoddam munus est, vti videre est in Codice lib. 1. 2. tit. de primicerio: & doctor quidam Gallicus, Guilielmus de la Ruille dictus, lib. 3. de iustitia & iniustitia testatur, dum inter alia eximium illud dictum Syracidis: In manu Dei potestas hominis est: & super faciem scribæ imponet honorem, &c. egregie introducit & explicat. Notarius enim persona est publica, sine qua Iudicis officium non facile exerceri potest. Apud Iurisconsultos (vti Iohannes de Platea, & Orlandinus in sua Summa memorant.) varijs diuersisque nominibus appellantur, vtpote *Notarij*, quod omnis generis negotia ciuilia notando consignent: *Tabelliones*, quod olim id in ligneis tabulis fieri solebat: *Scriniarij*, quod Instrumenta, ab ipsis institutæ, in scriniis custodiri soleant: *Librarii*, quod res, ipsis occurrentes, summo studio atq; diligentia ponderare & considerare teneantur: *Scribæ*, quod ad scribendum semper promptos paratosque esse oporteat. Id quod etiã omnes studiosos Adolescentes decebit, quoq; meo (inquit Garzonius) olim præceptori M. Philippo Hariuolio adeo placebat, vt etiam suos discipulos diligẽtissime ad idem faciundum instigaret, qua de caussa etiam in eruditos viros euadere cogebãtur, etiamsi illud toti terrarum orbi inuisum fuisset. Appellantur quoq; *Protocollistæ*: Item, *Serui Publici*, quod requisiti cuilibet inseruire obligati sient, *Graphiarii* itidem. Vdalricus Zasius in Dig. tit. de orig. iuris eosdẽ summopere extollit, vt & alii quoq, Doctores celeberrimi, si idonei, omnibusque proprietatibus & qualitatibus, quæ potissumum ad istiusmodi munus requiruntur, dotati donatique sint. Non enim illud, vti ab initio diximus leue, sed honestum, grauissimũque certe est officium cuius quidem maxumopere interest. Instituuntur autem vel pontificia,

aut Cæsarea potestate & auctoritate, idq; vel mediate, vel immediate. Liberos quoque, nulla mancipia, legitime natos, nullos spurios, neque nimis leues ipsos esse oportet, qui, præstito prius consueto iuramento, & legitime examinati, ad illud munus admittantur, quemadmodum Augustinus de Ancora lib. de potestate Ecclesiastica testatur. Nostiensis autem vult quod Notarii, vt de ipsorum fidelitate hoc modo eo minus dubitetur, sequentem in modum iuramento obligari debeant. Primo, vt, requisiti, super eo, quod vident & audiunt, syncerum Instrumentum, absq; vlla falsatione & dolo, perficiant. Secundo, ipsorum fidei concredita negotia nemini aperiant, sed sub fido silentii scuto penes se retineant. Tertio, scientes super contractum aliquem vsurarium nullum instrumentum instituant. Quarto, ad omnia honesta negotia requisiti, prompti paratiq; semper præsto sient. Quinto, Requirentes debita fidelitate & amore prosequantur. Et denique, Sexto, Cōmissum sibi officium fideliter, absque omni partialitate, odio, inuidia, vindicta, ira, formidine, alijsque id genus adfectibus, exequantur.

Ad eosdem quoq; pertinent diuersimodi contractus, in genere, emptiones itidem, venditiones, concessiones, pollicitationes, obligationes, pacta, Renuntiationes, Ratificationes, Condonationes, Denuntiationes, Testamenta, Legata Codicilli & collectæ, sponsalitia, donationes, citationes, securitates, probationes, appellationes: omniaq; Instrumenta, quocunq. etiam nomine appellentur: Inuocatio & imploratio videlicet diuini nominis, Annus Domini, indictio, dies Mensis, nomē Romanorum alicuius Imperatoris aut Pontificis, vel Magistratus illius territorii, locus, tam in genere, quam etiam in specie, in quo Instrumenta condita, testes quoque, nomen Notarii, cuius filius, & vbi natus fiet, & qua auctoritate munus illud gerat, & denique etiam illius sigillum, ꝙ vna cum ipsius nomine, tam est necessarium, quod ille, qui in re leuicula etiam illa mutare conetur, pro falsario æstumetur, quēadmodum in codice, tit. de Assessoribus expresse videre est, & Baldus ac Lanfrancus similiter testantur. Id quod tamen non in locis omnibus, præsertim vero Narbonæ, obseruatur. Et hæc de generalibus. Qui autem plura scire desiderat, is legat libellum, *Formulare Instrumentorum* nuncu-

patum, & Tractatum, *De instituendis Notariis*, vna cum *speculo artis Notariatus Leonis Spelun.ani.*

Notarii vero quidam (de reis non innocentibus, heic loquor) singulari macula coinquinati, sese cumprimis faciunt notorios, vt apud Sant' Antonium par. 3. Summæ titul. sexto, videre est: dum aliquando, inquam, ex ignorantia, festinatione, vel multo potius infidelitate nulli⁹ pretii Instrumentum faciunt, quod vel est confusum, aut minus integrum, idque ex defectu vsitatarum solemnitatum, quib. postmodum Requirentes aut impediuntur, vel damno afficiuntur: quibus denique omnis generis diuturnæ controuersiæ, litisque contestationes magno periculosoque damno partium, excitantur. Sæpenumero etiam scienter, in emptionibus, solutionibus, vel Testamentis falsa Instrumenta perficiunt, atq; adeo, mala cauteriataque, cum conscientia malitiose contra datam fidem iuramentumque suum agunt: quandoq; etiam innocentes homines, tamquam testes, seducendo ad partes suas pertrahunt; idque dumtaxat exigui alicuius emolumenti & vtilitatis gratia, quam ab improbis, rixosisque hominibus sibi pollicentur. Quandoquidẽ scripta partibus conducibilia, clanculum occultant & penes sese retinent, vt hoc modo petulantis iniquique hominis alicuius, hisce artibus & fraudulentis technis malam suam caussam tueri conantis, desiderio satisfaciant: quemadmodum etiã Legata propter pias caussas sæpissime, eius rei gratia naufragium patiuntur & omnino occultantur. Aliquando etiam, licet videant iniustum contractum concludi, vti plerumque apud eos fieri solet, qui in monasteria nolentes volentes detruduntur, atque ita contra propriam suam voluntatem, bonis suis hæreditariis renuntiare coguntur, vel etiã coactis sponsalibus: aut Testamentis eorum qui, intellectu suo destituti, non amplius legitime testari possunt iniustis istiusmodi requisitionibus præsto sunt, atque hoc modo exiguum dumtaxat emolumentum priuatum Iustitiæ & æquitati longe anteponunt, conscientiam, datam fidem, & iuramentum suum omnino nauci æstumantes. Ad vsuraria Instrumenta quandoque non inuiti etiam accersuntur, quæ ita formare possunt, vt exinde non exigua certe vtilitas ad hæredes suos redundet, neque isto in ne-

gotio, rebus ſuis non inuigilant. Sin vero aliquando Inſtrumentum perficiendum ſiet, quo inuidiam ſibi metuere neceſſum habeant, proh Deum immortalem quot ipſis, tum caligæ purgandæ ſunt? Omni tempore ſiquidem, etiam otioſiſſimi, deſtituti ſunt, & alium quẽdam percelebrem virum, vel ſimplicium ſubſtituunt, qui otioſus ſibi non tam caute poſſit proſpicere. Sin quoq; egenæ alicui perſonæ inſeruiendum ſiet, quę dicere poſſit: *aurum, & argentum non habeo*, vel viduæ, aut relicto alicui orphano, Tunc *Dominus non eſt domi*, & famulitium tam ſcite ſubornatum, aut artificioſe iſtiuſmodi homines, qui non ſunt de pane lucrando, à forib. heri ſui arcere & alio repellere poſſint.

NB.

Der Herr iſt nicht da heim.

Arrige heic aures Pamphile, qui laboranti, aut debuiſti, ita ſuccurrere noluiſti, ſed, proh pudor, aureis tuas, ad egentis literati viri lamenta, ambabus quaſi manibus quandoq; obturaſti, atque adeo, te non Chriſtianũ eſſe, reapſe ſæpenumero oſtendiſti. Nam vt bene Ignatius epiſt. ad Magneſios Et decet, inquit, non modo vocari, *ſed etiam* eſſe, *Chriſtianos. Nam non dici, ſ. d* eſſe, *beatum facit. Arrige demum aureis Pamphile, & , ſi ſapis, ſtomachum lupinum exue.)*

Vbi autem opes in promptu, tunc & illi quoq; ſunt promptiſſimi, aliquot milliaribus ſeſe peregre euocari lubenter patiuntur, atque adeo pecuniam magis appetunt, quam mel vrſus, fabas Cremonenſes, & rapa Lombardi. In ſumma plerumq; optumi cenſentur Notarij, qui ex vna cauſſa controuerſa, nouam controuerſiam elicere homines aduerſus partes cõtrarias artificioſe incitare, cauſſas ſcite immutare, Teſtamenta falſare, omnis generis fallacias doloſque prætendere, vrgente etiam neceſſitate falſum iuramentum præſtare, falſe ſcribere; atque nullis laboribus parcere poſſunt, vt ſtruendarum inſidiarum agilitate, excogitandorumque dolorum velocitate quiſpiam ipſos ſuperet. Nullum enim Teſtamentum Inſtrumentum, Chirographum, aut aliud iſtiuſmodi teſtimoniũ tam eſt certum, quod non perrumpere valeat, præſertim apud homines, quibus crumenæ turgent. Ibi enim deeſt clauſula, illic Nullitas, heic appa:et aliqua falſitas: Et ſi nihil omnino deſit, tamen aliqua obſtat exceptio, qua Inſtrumentum in ſuſpitionem trahi, aut tamen aduerſæ partis Notarius confundi poſſit. Illic tum ne latum quidem vnguem cedunt, & iurant, (pro forma tamen) ſe citius Notariatui vale dicturos, quam paſſuros eſſe, vt ipſorum candor & integritas

gritas

gritas fo:sitan in dubium vocetur. Verum enimuero ægris & laborantibus (sanos enim heic nullo modo tangimus) Peliscium satis superq; humectauimus, Deus ipsis ad purgationem suam benedictionem largiatur. Nunc ad alios properandum nobis est, ne forsitan, te tam diuturna nostra emansione, nobis moræ culpam imputent.

IN DISCVRSVM DE NOTARIIS ANNOTATIVNCVLA.

QVi omnia Notariat⁹ requisita scire desiderat, is libellum Ioannis Andreæ, quem *Ordo iudiciarius*, inscripsit, sedulo perlegat: illinc enim, juxta alias particularitates, etiam formulas omnium Actuum Iudicialium, apud ipsos visitatas reperiet.

DE MATHEMATICIS, in genere.

DISCVRSVS DECIMVS.

PYthagoras, celeberrimus ille Philosophus, (vti Cœlius Rhodiginus lib. 4. antiq. lectionum de eo commemorat.) atq; vna cum ipso adhuc alii, ante, & post ipsum, viri percelebres, affirmat, hominem ad perfectam Philosophiam, aut verę summęque veritatis cognitionem, ad q̃ nihilominus naturæ impulsu incitatur, absq; Mathematicæ disciplinæ, cognitione peruenire haud posse, sed per eamdem, tãquam certos gradus (sin ad exoptatam perfectionem transilire velit.) ad altiora scandere non cessum habere. Hæc autem disciplina Græco nomine Mathematica, aut Mathesis (quod, Isidoro teste, tantum sane significat, quasi

quasi ſcientia doctrinalis) ideo appellatur, quod, vti Anatolius quidem exiſtimat, dum omnes aliæ artes, & ſcientiæ à ſeipſis quodammodo compræhédantur, Mathematica ſola Doctoré aliquem requirat, qui aliquem informet, omneiſque difficultates, ſpinas, aculeataque dumeta è via remoueat. Vnde etiam Cicero libro 1. de Oratore ſcribit, quod Mathematica, iuxta occultam artem, circa alta, obſcura, & admodum ſubtilia occupetur. Id quod multa demonſtratione minime indiget, quum illud ipſum propria experientia ſatis ſuperque teſtetur, & quanto eſt ſubtilior, obſcurior, atque difficilior, tanto magis bona feliciaque ingenia in eadem ſe exercét. Plato eamdem artem ſummopere excoluit: ſimiliter & Albertus Magnus, atque Boetius Seuerinus: qui etiam ipſo facto depræhenderunt, quam alte videlicet ſeſe hominis ingeniũ poſſit extollere, & quantopere illis, qui eamdem ſedulo excolant, ſenſus atq; intellectum acuere poſſit: in quo ſane exiſtumant, nullum pene hominem nominari poſſe, qui de eadem ſcientia vel minimum etiam non participauerit. De Ariſtippo Socratico legitur, ꝙ aliquando apud Rhodum Inſulam naufragium fecerit. Poſtquam vero ex maris fluctibus cum quibuſdam ſuis comitib. ad littus enataſſet, inibiq; figuras quaſdam Mathematicas, in arena conſignatas conſpexiſſet, ſic eoſdem compellaſſe: Eſtore, o viri populares, bono animo: Fortuna ſiquidem ad talé nos reiecit Prouinciam, in qua homines liberales artes amplectuntur. Exinde etiam Veteres plerumque anſam occaſionemque ſumpſerunt, vt etiam de alicuius hominis ingenio iudicauerint, præſertim poſtquam intellexiſſent ipſum ad artem iſtá facile inclinare, eamdemq; abſque ſingulari labore poſſe compræhédere. Vnde Alcinous Platonius dicere ſolebat: hominem abſque intellectu Matheſeωs, nudiorem eſſe infátibus, & pauperiorem Cinclo. Nam, vti etiam Plato in Epimenide teſtatur, ad indagationem explorationéque rerum naturalium, aliarumque ſcientiarum omnium, ſummopere eſt neceſſaria: Lib. 7. de Republ. affirmat: præcipuam illam partem eſſe, quę ad diſciplinam militarem pertineat, ſine qua illa difficile poſſit conſiſtere. De eadem præſtantiſſimus ille Mathematicus Albubatharus quoque ait: Veteres eamdem nõ ha-

habuiſſe vſque ad tempora Ariſtotelis: atque adeo, vnanimi omnium eruditiſſimorum virorũ conſenſu, Euclides Princeps, vel ad minimum Reſtaurator illius æſtumatur.

Sunt autem Mathematicę, vel Matheſeως, potiſſimum IV. ſpecies, vtpote: Arithmetica, Geometria, Muſica, & Aſtrologia, quæ etiam ab ipſo Ariſtotele lib. 6. Metaph. cap. 1. Speculatiuæ appellantur. Obiectum alicuius Mathematici eſt conſideratio quantitatis in obſtracto, q̃ in intellectu à materia ſeparatur quæ eſt, Linea, ſuperficies, anguli, & numeri, aliæque quantitates. Sunt etiam eiuſdem ſcientiæ in ſummo gradu certitudinis, vtpote, quæ ex certis demonſtrationibus probari poterunt, vti Ariſtoteles multis ſane in locis luculentiſſime teſtatur. Olim nonnulli ex mera ignorantia, quemadmodum in Aulo Gellio libro 1. Noct. Att. videre eſt, quibuſdam Chaldæis, Veridicis Chiromanticis & Pyromanticis hoc nomen indiderunt, eoſdemque Mathematicos appellarunt, quorum etiam Iuuenalis Satyr. 4. hiſce verbis meminit: *Nota Mathematici generis tuã, &c.* qui tamẽ illi ipſi Mathematici ſunt, de quibus Cornelius Tacit. libro 1. Annal. inquit: quod, tamquam infames, facinoroſi, atq; famoſi homines Roma expulſi fuerint. Illud tamen, veris honeſtiſque Mathematicis nequaquam turpe eſt, neq; etiam in eorumdem vergit præiudicium. Inter quos, tam Veteres, quam Neotericos, Dominus Marcus Antonius de Gandino, Nobilis Triuiſianus, non dumtaxat honeſtum, verũ etiam præcipuum ferme locum obtinet, quem, ob eximiam eius artem, ſcientiam, & Nobiliſſimas virtutes, in memoriam huc adponere volui.

DE

IN DISCVRSVM DECIMVM ANNOTATIVNCVLA.

MAthesis à Proclo sup. lib. 1. Euclidis cap. 12. iuxta Pythagoricorum opinionem, in 4. disciplinas distribuitur, Arithmeticam, videlicet, Musicam, Geometriam, & Astrologiam. Ammonius autẽ supra Porphyr. & Plato, in Phileto, aliam distinctionem sequentibus verbis faciũt: Mathematicæ omnes duorum generum sunt: Aliæ enim sunt, quæ à vulgo tractantur, sc. practicæ; Aliæ, quæ à Philosophis, nempe contemplatiuæ. Sirianus in Metaph. indicat, ad'ꝙ Mathematica sit vtilis, dum ait: Mathematica doctrina est præparatio quædam, veluti in imaginibus exercentibus animam ad per se intuitiuam exemplaris attingentiam. Idem facit quoq; Iohannes Grammaticus sup. lib. 1. de anima: Mathematices introductio, inquit, plurimum cõfert ad diuinas substantias contemplandas. Similiter, & Themistocles lib. 1. Physſ. tex. 33. ait: Mathematicas disciplinas, & auctionem numerorum & temporis, qui non agnoscit, videtur ne vestibulum quidẽ Philosophiæ naturalis ingressus. Inuentionẽ autem Mathematices Arist. libr. 1. metaph. paucis hisce verbis sic describit: Mathematicæ artes, ait, circa Ægyptum primo substiterunt, vbi gens Sacerdotum ijs vacare iussa est. Pari modo quoque Alexander Aphrodisæus in sua Methaphysica ita scribit: Mathematicæ vt primum ab otiosis hominibus, sacerdotibus scil. Ægypti, inuentæ fuerunt; sic ipsarum otium requirit. Certitudo quoque harum artium ab Auerroe lib. 2. metaph. com. 16. indicatur, dum inquit, Mathematicæ demonstrationes sunt in primo gradu certitudinis, quas sequuntur Naturales. Et libro 1. Poster. text. 90. Mathematicæ, ait, non habent in se errorem, nisi accidat eis fallacia materiæ: quia intellectus manifestat earũ differentias, vt sensus rerum differentias, quas scit actu. Ammonius sup. Porphyr. indicat, quod subiectum siet Mathematices, vbi ait: Mathematicus tractat ea quæ partim materiæ coniuncta, partim à materia auulsa sunt. Iohan. Grammaticus sup. lib. 1. de

anima

anima tex.16.ita inquit: Mathematicus non circa omnes formas versatur, sed tantum circa illas, quæ à materia separari possunt. Franciscus Patritius libr. 2. de Repub. necessitatem artis huius sequentibus in verbis indicat, dum scribit: Mathematicas scientias iuuenes discere debent turpe enim est, & hebetis ingenij ea ignorare. quæ singulis quibusue horis necessaria sunt. Eũdem in modum & Proclus sup. lib. 1. Euclidis, artis huius vtilitatem sequentibus verbis indicat, Mathematicæ ad Philosophiam vtiles sunt, & Theologicæ appræhensionis intelligentiam præparant. Et Plato admirabiles de Diis sententias p mathematicas formas nos docet. nec non ad Politicam Mathematica est vtilis. Ita quoque de eadem scientia ait Alcinous ca. 7. mathematicorum consideratio est præludium ad diuinorum contemplationẽ. Bessarion Cardinalis lib. 4. in calumniatorem Platonis Mathematicæ, inquit, intelligibilium rerum imagines sunt, vt vmbræ Naturalium, & ideo vtiles sunt. Sic Cæl. Rhod. lig. 4. Antiq Lect. ca. 30. Mathematices encomium eleganter depingit, ad quem eius rei cupidum lectorem ablegatum volumus.

DE PROCVRATORIBVS, Aduocatis, & Litigantibus partibus

DISCVRSVS VNDECIMVS.

SI quis in genere loquatˀ, tunc etiam à Doctoribus, & Legibus ipsis Procuratores & Aduocati inter se inuicem miscentur, & vnum pro altero officio sumitur, quemadmodum illud apud Guilielmum, in speculo Rubricæ de Salario, & in Dig. de variis & extraordinarijs cognitionib. leg. 1. Aduocatos, videre est. Si vero in specie de ijsdem sermo fiat, tunc multifariam à se inuicem Procuratores & Aduocati discernuntur, veluti celeberrimus

mus Iuriſconſultus Iaſon, ſupra ante dicti Guilielmi ſermonem, indicat: vbi tamdem demõſtrat Procuratorem & Aduocatum, quidem vnum & idem, Aduocatum tamen illum eſſe, qui coram iudice verba faciat, & partes ſuas tam loquendo, quam ipſis etiam Legibus, aut ſtatutis, defendat. Et ſi quis, vti modò commemoratus Doctor pretendit, proprium genuinumque intellectum verborum obſeruare velit tunc Procuratoris certe officium, alterius reſpectu, multo eſt inferius, quod honorificum & auctoritate conſpicuum munus eſt, adeo vt etiam Aduocatus aliquis, tamquam perſona honeſtior & præſtantior, Procuratoris officio fungi minime teneatur, quemadmodum Bartholus in C. Tit. de Decurionibus, & Gl. magna ſup. C. Tit de Tabulariis l. 10. Lege Generali indicant. Similiter etiam Aduocati ab ipſis Legibus ſummopere commendantur, dum Honorati ab ijſdem appellantur, vti videre eſt in C. tit. de offic. ciuil. iud. l. 1. ipſorumque ſtipendium Honorarium nuncupetur, quod à ſuis Clientibus, vel partibus in honorem ſuæ defenſionis accipiant Alias quoq; fortiſſimis & fidelibus militibus æquiparantur, qui non tam fortiter, quam fideliter, partium cauſſas tueantur, vti adparet in C. titu. de Aduocat. diuerſ. iudic. Lege Aduocati. Nuncupantur etiam Sacerdotes, vti videre eſt in ff. titul. de Iuſt. & iure. lib. 1. idque forſitan hac de cauſſa, quod ſibi Clientum ſuorum cauſſas non ſecus curæ cordique eſſe patiantur, q̃ Sacerdotes animas ſuarum ouium, verbique diuini auditorum. Aſcanius Pedianus veteres Aduocatos apud Romanos ita deſcribit, quod talis Legumperitus, vel Doctor legum fuerit, qui protectori, quem Romani patronum nuncupabant, Leges, quib. partium cauſſas tuebatur, ad manus tradiderit, vel eumdem neceſſaria protectione defenderit: Ex quibus etiam colligitur, qualis videlicet, inter aliquem Aduocatum, & protectorem, differentia olim fuerit. Carolus Sigonius, de antiquo iure ciuili Romano, inquit, q̃ patritii à Romulo in communis plebis patronos conſtituti fuerint, atque Clientibus, populo Romano videlic. imperauerint, vt, in honorem ſuorum patronorum, ſingulis diebus mane ante ipſorum foreis comparere, eoſdemque exinde curiam vſq; illincque iterum in domos ſuas co-

comitari deberent. Pari modo ad Coloniarum, Societatum, atque Tribuum protectionem ciuitatis Romæ ordinati erant veluti Dionys. Halicarnas. in Romulo, & Cicero, pro Sylla, atq; in Philippicis memorant: Ex quibus Cicero, in modo dictis Philippicis, de Antonio cumprimis conqueritur, quod Puteolanos vehementer presserit, hac sola de caussa, quod Cassium & Brutum in protectores suos elegissent. Similiter & Suetonius, in Augusto ait, Bononienses à multis temporibus sub Antoniorũ protectione degisse. Id etiam ad hodiernum vsq; diem in Romana curia obseruatur, ꝙ Illustrissimi Cardinales protectores & defensores constituantur. Exinde etiam Farnesius Regnorum, Arragoniæ, Lusitaniæ, & Poloniæ, Cardinalis, Gesualdus, Neapoleus, Cardinalis Madrucius Germaniȩ protector nominatur, & sic insequenter Principum, Ciuitatum, atque monasteriorum, ad sedem Romanam pertinentium, defensores constituti sunt: quo officio cum fideliter fungantur, eapropter etiam à suis clientibus non tam honorantur, quam locupletantur. Plerumque autem illud obseruari solet, vt, vbi de communi vtilitate clientum agitur, bonum publicum priuato semper anteponatur, ne forsitan, loco ꝓtectionis, oppressionem, magno cum dedecore atq; ludibrio, caussentur. Pompil. Gram. de rerum & verb. significationibus, omnes illos Aduocatos appellat, qui vnico modo, in rebus iudicialibus, suam operam impendunt. Marcus Tullius, in oratione pro Aulo Cluentio, Aduocatos, patronos, & Oratores vnius esse generis affirmat, de quibus etiam Asconius scribit, quod ante bellum ciuile raro ex ijsdem quatuor reseruati fuerint. Post ciuile autem bellum, & ante publicationem Legis Iuliæ, numerum ad XII. vsq; processisse, vt hoc modo caussæ eo maiori auctoritate peragerentur.

Hodierno nostro tempore, in rebus arduis, multi Aduocati vsurpantur, vti videre est in foreñsi controuersia inter Canonicos, Regulares Lateranenses, & S. Iustinæ nigros monachos, vbi, ex parte modo dictorum monachorum, Gelasius, pluresque alij, ex parte Canonicorum autem, Imola, Lancelottus, vna cum multis alijs complicibus, constiterunt, quorum omnium nomina in Actis, typis publice

diuolgatis, & definitiua sententia: quam Pius IV. pontifex maxumus, in Canonicorum fauorem, tulit, leguntur.

Syndicorum officium.

Aduocatorum autem officium non per se honestum, & partibus vtile, sed &, quo melius ipsis subueniatur auxilio, summe est necessarium. Cumprimis vero Aduocato in magnum honorem vergit, eiusdemq; magnum est meritorium, si videlicet, iuxta consilium Alberici, pauperibus, viduis, & orphanis fideliter succurrat, atque gratis inseruiat, vnde etiam Hostiensis, in summa sua colum. 4. fideles Aduocatos ipsorumque merita multis Relligiosis præferre solet: eosdem etiam Rodericus, celebris & antiquus ille Iurisconsultus, tantopere extollit, vt hæc de ipsis verba ferat in medium: Iustitia, inquit, procul dubio periret, si deesset, qui iustitiam allegaret. Hæc insup de caussa quoque omni honore digni sunt, ꝙ Christus, Dominus & Seruator noster, non dumtaxat illo nomine in terris & Christiana Ecclesia insigniatur, (vnde etiã S. Ioannes Epistola 1. cap. 2. de eo inquit: Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum, & Beda, in homil. sua supra Marcũ: Filius, ait, vt formam hominis impleret, obsecrandum patrem putat pro nobis, quia Aduocatus ipse est.) verum etiam, quod ipse Aduocati munere & officio ipso facto fungatur, dum Lucæ XVII. Mariam Magdalenam, contra fastuosum elatumq; Pharisæum, eiusdemque inflatas cogitationes defendit: similiter & aduersus Martham Luc. X. & murmurantes suos discipulos, Matth. XXVI. quemadmodum etiam dum mæchã contra Pharisæorum accusationem tuetur, Iohann. VIII. & suos tamdem contra Iohannis discipulos & Pharisæos, Luc. V. & VI. quemadmodum etiam auctoritate & existumatione præstantissimi, sanctissimique viri eodem munere fideliter & laudabiliter functi sunt: cumprimis vero S. Ambrosius, qui Romæ per XI. annos integros Aduocatorio officio functus est. Pari modo & S. Germanus Episcopus Parisiensis, S. Lipardus, B. Leonardi frater Germanus, B. Iuo Brittannus, & alii pene innumerabiles, qui olim magna sui nominis fama atque gloria eodem munere laudabiliter functi sunt. Nostro seculo eumdem istum statum honorificum summopere cõmendarunt & exornarunt, Nobilissimus atq; Clarissimus

Grit-

Grittus, Venetianus, Camillus Triuisianus, Bonfius Paduanus, Philettus, Silueste, Sebastianus Brauus, Crassus, Contarenus, Tertius, Sonica, Gigas, Finettus, Bellegnius, Iohannes Baptista, Besaluius, Iacobus Magdalena, Sarrauallensis, Lodoicus Antonius Salernitanus, Volpius Vincentius, Peregrinus, & alii plures, qui ad hodiernum vsq; diem in diuersis Italiæ ciuitatibus vices istas sustinere minime erubescunt.

Quemadmodum igitur status iste p se honorificus, ita quoque in honore atque existumatione colendus & conseruandus est, idq; non tam interno, quam externo modo. Interne, vera fidelitate & integritate, ne videl. per auaritiæ & infidelis doli vitia, aliqua macula forsitan inquinetur, vti sane sæpenumero etiam honestissimi status atque officia, improborum hominum caussa, qui illegitimo modo ijsdem gaudere conantur, contemnuntur, atq; nauci æstumantur. Externe vero, honesto atque decente habitu & vestitu, qui Aduocato alicui non tam apud Iudicem, omneis etiam circumstantes singularem honorem atque auctoritatem conciliat, iuxta sequentem istum versiculum.

Hunc homines decorant, quem vestimenta decorant.

& secundum Kuppelhardinos istos versiculos, quorum etiam Santonius & Cassaneus mentionem faciunt:

Vir bene vestitus, pro vestibus, esse peritus
Creditur à mille, quamuis idiota sit ille:
Si caret veste, nec sit vestitus honeste,
Nullius est laudis, quamuis sciat omne, quod audis.

Demosthenem, antequam nominis sui fama atque eruditio omnibus innotuisset, atq; pro eximio percelebrique Oratore habitus fuisset, insigni pretiosoque vestitu vsum fuisse fertur. Postquam autem apud omneis passim ingentem nominis sui famã consequutus fuisset, sensim à splendido isto vestitu desiisse, & viliorem honestiorem tamen vsurpass. Quod neutiquam cõtemnendum repudiandumque exemplum quiuis Aduocatus non immerito imitari debet: si etiam, penes modo dictum honestum habitum, graui atq; præsentaneo quoque vultu à Deo Ter Optumo Maxumo dotatus atq; donatus esset, eo maiorem certe respectum atq; existumationem

tionem sibi apud quosuis compararet: Pulchra enim atque decora facies per occultum quemdam Naturæ impulsum apud omneis & singulos non immerito respicitur, ni alias turpis dedecorosaq; aliqua macula improbi alicuius animi turpiter commaculetur: quemadmodum Iurisperiti de Papiniano, acutissimo isto Iurisconsulto perhibent quod nimirum ab Imperatore Iustiniano, in Proœmio digestorum, summopere laudatus, atq; commendatus fiet, quod tã corporis, quam animi eximijs præstantissimisque donis exornatus fuerit. Egregia forma insuper apud Alexandrum IC in tanta sane honore atque existumatione fuit habita, vt etiam postquam quædam Nobili genere nata, deformi, tamen facie, ignobili & pauperculo, ast formosissimo cuidam iuueni, matrimonium promisisset, postmodum vero, ignobilem familiã & egestatem istius iuuenis prætendendo, promissum istud rursus irritum facere voluisset, suaserit, Nobilem istam ad seruanda promissa adigendam compellendamq; esse, quum illius Nobilitas & diuitiæ per iuuenculi illius formositatem compensata atque retributa fuerit.

Ante omnia autem Aduocatus aliquis eo potissumum spectare debet, vt veluti etiam supra monuimus, Clientis sui partes fidelissime tueatur, sano ipsis consilio occurrat, ipsorum salutem commodumque promoueat, veritatem non occultet, neq; alio detorqueat, honesta synceraque negotia tuenda suscipiat, &c., ni istis per omnia satisfacere possit, doctissimo Iurisperitissimosque viros in consilium adhibeat, suspectam quamdã caussam tueri ne sibi nimium tribuat, sed eamdem sibi curæ cordique esse patiatur, in cuius defensione non temporale lucrum, mercedem, aut honorarium, sed vnice & solummodo Iustitiam & Æquitatem respiciat. Similiter etiam cũ aduersæ partis Aduocatis synceram minimeq; suspectam familiaritatem alat, eosdem neque nimis laudet, neq; etiam nimium vituperet, atque adeo ita de Clientis sui sub iudice pendente caussa cum ijsdem colloquium instituat, vt exasperata forsitan aduersa pars eo melius iterum reconciliari & flecti posset. Coram iudicio quoq; ab omni clamore sibi temperet, & dumtaxat ea loquatur, quæ ad caussæ promotionem facere videantur, atque adeo absque vlla in-

indignatione, cōtentione, mendacio, calumniis, & periurio, certis allegationibus, veris infallibilibusq; testibus caussam commodissime, & quantum quidem fieri poterit, ad exoptatū finem perducat. Erga iudicem sese debita cum reuerentia & modestia semper exhibeat, ciuiliter officiosissimeque eumdem salutet, decente cum respectu coram eo consistat, modeste & considerate coram illo loquatur, omnem, libero homine indignam prorsus, adulationem cane & angue peius deuitet; partibus quandoque irascentem bonis verbis humiliter mitiget; Clientum suorum caussam intrepide proferat; omnem aduersæ partis calliditatem detegat, obuiandoq; prudenter eamdem anteuertat: Eiusdem aduersæ partis propositionem & inspersionem cum silentio & patiētia audiat. In summa, gestibus, verbis, vultu, lingua, & oculis adeo sese gerat, ne forsitan Iudicis indignationem, tam erga seipsum, quam Clientes suos, irritet atque prouocet.

Non vulgaris autem heic exstitit lamentatio, quod nimirum istiusmodi Aduocati, ijsdem excellentissimis proprietatibus instructi, albo coruo plerumq; rariores existant: vice versa vero multi improbi perniciosissimiq; homines isto in officio sese omnis generis turpibus, inhonestis, atque dedecorosis artibus tueri conentur, adeo vt vbique, & omnibus in iudiciis miserabiles, deplorandæque certe quærelæ passim exaudiātur. Romani Veteres peculiarem legem tulerāt, in qua prohibitum erat, ne quis Aduocatus vnicum etiam Salarium laboris sui postularet, multo minus acciperet: quæ tamen postmodum, intercessione Appij Claudij, non quidem omnino sublata, aliquantulum tamē iterum moderata atq; mitigata fuit, ne fortassis iuniores, qui istiusmodi caussis, forensibus operam suam impendebant, tædiosi redderentur atq; hoc modo caussas suas aliquanto negligentius tractarent. Ex iis omnibus autem Antipho Ramnusius primus olim exstitit, qui Aduocationis suæ, mercedem postulauit, vti Franciscus Patritius libro 6. de Reipub Institutione memorat: quos postmodum & alii Græci Oratores imitati sunt, vsque dum consuetudo ista etiam ad ipsos Latinos peruenisset, Et ni hodierno quoq; tempore quorumdam Aduocatorum (de reis heic, non vero de Iustitiam & Æquitatem amantibus verba

Lex Cynthia.

facio.) manus oleo pecuniario prope inungantur, pro iisdem bona oppignorentur, quod plus, quam commuuia statuta requirunt, mercedis accipere debeant, eo non tam facile adduci possunt, vt nimirum pauperculum quemdam in tutelam clientelamq; suam recipiant: Immo quidam perfrictæ frontis homines, qui etiam de silentio suo mercedē postulare minime verentur: & quemadmodum nihil absque pecunia, loquuntur, ita quoque pecunia tum potissumū opus est, si taceant: Idque fortassis, iuxta exemplum Demosthenis, qui aliquando Aristodemū Comœdiarum scriptorem interrogabat, quantum videlicet sumeret, vt fabulam aliquam ageret, is autem, talentū, responderet: tunc Demosthenes, se silentio suo multo magis accepisse affirmabat. Et quidem non immerito ipsis, vt tacerent, danda esset pecunia. Infidelium Aduocatotum lingua siquidem tā est perniciosa, vt cliens quispiam vix inuiolabilis permanere possit, si eadem suo more vti incipiant. Iuxta illud, quod plerumq; Clientibus suis palpum obtrudant, & glaucoma ipsorum oculis obiiciant, ne videlicet dolum tam facile animaduertant, caussamque nimis extenuant, eamque facile obtineri posse affirmant, cum tamen eamdem interim vltra annum suspendant, antequam ipsam in Iudicio proferant. Sin vero Lis ad forum delata nunc fiet, proh Deum immortalem, quod millesimæ tūc negatiuæ suspensiones, contraria testimonia, multifariæ prolongationes aliaque obstacula reperiuntur quib: miserrimi Litigantes etiam ad despe:ationē vsq; impelli possent: nihilominus ipsorum pecunia ne bonum quidem verbum meretur, sed multo potius tristi supercilio ininspiciuntur, sed, ni curuos inflexosque habeant digitos, ipsis dorsum sæpe numero obuertitur. Sic Alanus in Ecclesiæ grauaminibus indicat, quam artificiose videlic. caussarum patroni Clientes suos decipere, bona, vana tamen, spe quam diutissime lactare, atque cum aduersis partibus colludere possint. Nam etiamsi manifesto videant, quod caussa obtineri nequeat, nihilominus tamen miseros simplicesque homines seducunt, magnāque suam industriam, fidelitatem, & acutum intellectum summopere deprædicant, cum tamē ipsis nil aliud, nisi meræ imposturæ, & vana verba expectanda sient:

fient; Integrũ ſiquidem per annum quandoque de vno etiam vocabulo (quod ea de cauſſa ab ipſis in medium allatum eſt.) litigant, donec illud rite definiérint, & vel hanc aut aliam in partem interpretati fuerint, quum tamen illius intellectus meridiana etiam luce clarior adpareat: Interim tamen de miſerorum Clientum corio luditur, qui Ducatos, aureos, coronatos, thaleros, &c. non abſque lacrumarum profuſione erogare conantur. Sin' interlocutoria coincidant, tum magnis certe laborib. longoque demum tempore ad verum genuinumque intellectũ reducuntur. Sin ad definitiuam perueniatur ſententiã tunc partes aduerſæ, vel etiam ipſi Clientes, qui cauſſa ſua ceciderunt à patronis ſuis ad appellationem & reuiſionem adhortantur, eum potiſſumum in finem, vt denuo partes rixandi habeant materiã, & tum Patroni vere de ſe gloriari poſſint.

Gloria Victoris præda futura mea eſt.

quemadmodum ille coruus aiebat dum leonem cum apro dimicare videbat. Clienti namq; interea nulla reſpirandi, quies conceditur, pecuniam erogare ſemper neceſſum habet, vbicunque etiam illam accipiat, donec ad extremam tamdem redigatur inopiam, atque ipſi cantetur *Requies.* Quandoque nullas omnino Leges amplius in ſui emolumentum proferre poſſunt, atque dum demum cœlum terramq; miſerum in modum confundunt, aut conuitiis rem agere incipiunt, donec meliꝰ quiddam coincidat: ſæpenumero falſi adornantur teſtes, aut flexibiles ſcrupuloſæque petitiones in medium adferuntur, ſuper quibus Clientes aut deierare, vel dubias reſponſiones dare neceſſum habent, atq; adeo non tam ſuam, quam ipſam etiam Clientum animam ſummo inuoluunt periculo. Sin etiam, præterea, alicuius Clientis prolata & eorũdem fundamenta ordine audire ipſiſque vel bono aliquo verbulo, aut itu, IV. dumtaxat paſſib. longo, patrocinium ſuum præſtare debeant, tunc multis ſeſe negotiis excuſare artificioſe norunt, atque ad id non dumtaxat multæ preces, ſed & Ducales nummi non pauci requirũtur, vt hoc modo aliquantulum emolliantur: Etiamſi quoq; tunc aliquid in humeros ſuos recipiant, nihilominus tamen proh dolor, id taliter qualiter perficitur. Quandoque

doque, si cum Iudice priuatus aliquis sermo, ad ipsum melius informandum, habendus fiet, tunc sane nimis altum sapiunt, & eo minus timent, sed plerumque adfines, cognatos, & amicos subornandos censent, atque seipsos tempore destitui prætendunt, eum potissumum in finem quod vnus Coruus minime sufficiat, sed clienti plures istiusmodi hospites nutriendi fient, qui relliquias miseri clientis sub sequenter consumant. Atq; hoc modo Procuratores, & Aduocati ambobus quasi pedibus miserorum Clientum bonis insiliũt, & tunc impudentissimus, fallacissimus, & fraudulentissimus optumus censetur, eumque improbi & nequam homines potissumum eo magis expetunt, q non veritatem, sed fucatum obtectumque dolum quærunt, & qui sæpennmero in forensibus negotiis plus subsidii inueniunt quam pauperculi alicuius iusta legitimaque caussa. Quocirca & vere credere & affirmare possum, quod Sidonius, de iniquis improbisque istiusmodi Aduocatis, nil, nisi idsissimam veritatem scripserit, dum de illis ita inquit: In accipiendo sunt Harpiæ: in defendendis suis Clientib. imagines: in rixando, bestiæ, in intellectu, Marpesiæ cautes: in iudicando, viri lignei, in partib. suis instigandis, & incendiis inter ipsos excitandis, Aethna: in condonando & ignoscendo (quando videlicet clientes forsitan ex impatientia aliquanto darius loquantur.) Adamantes, aut ferra. etiamsi per ignem auri flaui emolliantur: in humanitate, putduli: in iocando, vrsi: instruendis dolis, vulpes: in arrogantia & superbia sua, Tauri: & tamdem in deuorandis suis Clientibus, Minotauri, qui nemini, quantus quantus etiam ille fiet, parcuut. Et hi quidem iniustitiæ Sacerdotes suorum Clientũ caussas summo studio suspendunt, & semper aliquid addunt, modo vt moram eo longiorem faciant; illico tædiosi morosiq; reddnntur: clientum petitiones & rogationes obliuione mox sepeliunt; controuersias forenses emunt, dolosos quærunt arbitros: intercessiones vendunt, sententias inuertunt, de lana caprina summis contendunt viribus: de magni momenti negotiis quouis etiam pisce sunt nutiores, dies iudiciales differunt, auri clangorem lubentissime percipiunt, oculis auribusque illud sitiunt, in quo Argi oculos, Briarei manus, & Sphingis vngues habent: iu-

tant insuper, vt Laomedon, fallunt, vt Vlysses, seducunt, vt Sinon, infideliores sunt Thracib. & ferociores crudelioresq; Scythis. In Summa ita comparati sunt, vt primo quouis intuitu non immerito formidabiles adpareant.

Verum enimuero quid heic de miseris Litigantibus dicam, qui interea, dum pseudo Aduocatorũ istorum consilia sequuntur, certo sibi persuadent, quod aliquid in iure, suo obtinere velint, & nihilominus tamen vitã, adeoque omnem suam substantiam impendunt, immo perdunt. Litigare quidem heic nihil est aliud, quam cordi perpetuo gemendi dare materiam. Quid enim, quæso, solatij, spei, aut lætitiæ ipsis rellictum est, quam vt ex diuitiis in certam ineuitabilemque paupertatem, ex lætitia, in mæstitiam, ex libertate, in miserabilem seruitutem incidant? Si enim antehac liberales exstiterunt, & bonis suis hilari animo vsi sunt: nunc pollicẽ, vti aiunt, in manu continere, expensis derogare, auaritiæ inhiare, immo proprio suo corpori necessaria subsidia detrahere coguntur. Si pacifice, atque quiete antehac vixerunt, nunc interne & externe, vndique mirum in modum coangustantur. Qua ratione siquidem miser aliquis cliens, siue Litigans non redderetur pusillanimis, si quotidie crumenam toties euacuare cogatur? Ad hoc Doctor coronatos decem, Notarius ad illud, sex, Aduocatus quatuor, sibi dari postulant, tabellarii iudiciales, Lictores, Pedelli, Ianitores, Calefactores, &c. vero etiam quisque suam partem sibi dari desiderant. In summa omneis & singuli simul quasi conspirarunt, vt clientem miserum totum deuorare velint atque adeo ipsum, non secus, q̃ canes, corui, & vultures cadauer aliquod, inuolant. Alii prætendunt litigantes magnos esse peccatores, cum tamen certissima experientia longe testetur contrarium. In superbia enim delinquere nequit, diuersis siquidem curis cogitationibusq; obrutus, demissis oculis pedes suos intuetur, adeo vt in ipso nihil, nisi mera humilitas, adpareat. Similiter & nullius auaritiæ insimulari poterit, nimium enim pro pseudo-patronis erogare necessum habet, adeo vt ne denarium quidem ad propriam suam necessitatem sibi quandoq; reseruare possit. Multo minus Acedia vel pigritia ipsi imputari poterit, tantũ otii siquidem ipsi haud

haud permittitur, singulis momentis enim ferme circumcursitare necessum habet: Mox ad Aduocatum, mox ad Procuratorem, mox ad tabellarios iudiciales, mox ad curiam se recipit, mox omneis vrbis angulos quasi circumcursitando perreptare, & testes conuocare cogitur: & si aliis, vel propriis negotiis forsitan occupatus fiet, tum, ijs omissis, Aduocatorum, non suæ, vtilitati prospicere cogitur, ne forsitan caussa sua negligatur, & in mora fiet periculum. Gulæ idem multo minus indulgere potest, ab Aduocatis & Auxiliatoribus enim suis ita deplumatur, vt, post habitis palato alias adaptatis ferculis opiparis, quandoque sicco pane, vel nuda etiam mappa cōtentus esse oporteat. Nec Luxuria ipsi fortassis damnū aliquod inferet: tantis enim intentus est negotiis, tanta molestia hinc inde discurrit, vt à Luxuria ipsi nihil periculi metuendum fiet. Si porro istiusmodi Litigantes ab ira & inuidia immunes essent, tunc sane haud immerito ꝓ sanctis haberentur hominibus. Sed cum æque sient homines, & humani ab ipsis nihil alienum, eapropter ab ira ad impatientiam, atque indignationem aliquando, & quidem haud immerito, miseri impelluntur: Hinc Aduocatis sępenumero vera sua nomina tribuunt, Notario, & Procuratoribus, immo sæpissime ipsi etiam Iudici, dira quæq; imprecantur, vtpote, quod Leges minime manuteneantur, Doctores rectissima curua, & curua rectissima facere. In summa omnia transuersum eunt, non secus quam Ferrariensia tormenta ante Rauennam. Immo, nacta leuidensi dumtaxat occasione, ipsi Deo, omnib. sanctis millies ferme etiam in vna hora imprecantur. Pari modo & ab inuidia vehementer vexantur. Patrociniū aduersæ suæ partis siquidem cōniuentib. oculis neutiquam intueri, multo minus tolerare possunt vt quicquam ipsis iure tribuatur, omniaq; ipsis aduersantur, quæ modo istis conducibilia esse videantur, siue in verbis, factis, aut gestibus illud fiet, omnia illa siquidem à felle expelluntur, & cor aduersus dictam istam aduersam suam partem exacerbatur. Omnia ipsorum cōsilia eo potissumum diriguntur quatenus nimirum accusationes recte & sufficienter notentur: ꝙ aduersæ parti non tantum temporis concedatur, vt auctores, quos vsurpare necessum habet, recte alligentur, aduersæ partis pe-

petitiones denegentur, suæ probationes, vice versa, acceptentur, testes decenti modo audiantur & examinentur, Processus ordine deducantur, relationes probe optentur, caussa sua promoueatur, suspectus iudex recusetur, &, caussa ipsis repugnante, iusto tempore appelletur, Acta reuidantur, & denuo ab initio inchoentur. Interim ex altera parte ipsis quoque strenue laborandum est, vt videlicet peccuniam conficiant, quo melius fidem suam apud creditores liberare possent: & ibi demum Clientes omnium miserrimi ad vendenda & oppignoranda bona coguntur, donec ad Xenodochium sese recipere necessum habeant, ioibique extrema inegestate, impatientia, &, quod omnium grauissimum, & merito deplorandũ, desperatione moriantur, atque in perpetuum interitum reijciantur. Ægyptii olim X. dumtaxat adflictionibus, vtpote sanguine, ranis, insectis, muscis, locustis, tenebris, vlceribus pestilentialibus, horrenda tempestate, lepra, & internecione primogenitorũ suo um grauiter quidem puniti sunt: Litigantes autem multo grauius plectuntur, primo & vltimo siquidem natos, immo omneis suos liberos, absque vllo subsidio, deferere coguntur, quum Harpyæ istæ fœdo suo contactu non dumtaxat omnia sua bona inquinarint, verum etiam secum alio transportarint. Soli omnium mortalium incedunt, negliguntur ab omnibus, quod nihil amplius habeant in residuo, à singulis habentur contẽptui, haud aliter quam leprosi, cum & à propriis suis amicis & sanguine iunctis negligantur, atque nauci æstumentur. Immo, quod intolerabile prorsus onus, omnis generis tempestates, obiectiones, & id genus alias acerbissimas inuectiuas æquo animo patienter ferre necessum habent, quum omneis ipsorum reditus euanuerint, & crumena à grandine tacta fuerit.

Omnes quoque ad ipsorum conspectum fugiant, non secus atque pestifera lue infecti essent. Si ipsi aliquem intueantur, tunc illico sese ab ipsorum conspectu se subducit, ne forsitan ab ipso aliquid petant, vel consistens & alio sese propripere non valens, cogitat quibus videlicet verbis ipsis petitionem suam denegare possit. Pari modo perpetuis degunt in perturbatissimis tenebris, nemo ipsorum curam habet, atque adeo opus foret vt locustis,

custis, vel auenario stramine vescentur, muscæ & pediculi ipsorum frequentes atque adeò fidissimi sunt Comites. Iuxta illud, ob Aduocatorum suorum conspectum, obmutescunt, eorumdem gratiæ atq; clementiæ sese subiicere necessum habent, qui etiam cum minimo, quod restat, ipsis ægre benefaciunt. Interea irridentur ab omnibus, nemo ipsorum sortem deplorat, sed plerumque, vt fit, perturbatus tristisq; ille status ipsis multo potius vitio vertitur, atque adeo duobus Euristheni, & Procli fratribus germanis æquiparantur, qui, dum viuebant, inter se litigabant, atque ita litis istius contestationem hæredibus suis post se rellinquebant. Item, Vetulæ isti Protemaidi, cuius Diogenianus meminit, & de illa inquit, quod totam vitam suam rixando & litigando traduxerit, neque sibi vmquam persuaderi passa fuerit, vt ab istiusmodi cōtentionibus abstinuisset. Item, alicui Hyperbolo, qui æque tam rixosus atque contentiosus fuerit vt prouerbium; *Vltra Hyperbolum*, ab eo originem suam traxerit. Vel Parno cuidam, qui, ob amissam Scaphulam, cum omnib. contendebat, vnde itidem sequens enatum adagium: *Disceptator ob Parni scaphulam*: quod de ijs dici vulgo solet, qui plerumque de lana caprina dimicant. Atque, commemorato modo, misellí isti Clientes damnum cum ludibrio simul reportant: in quo & ego, dum astutiores fiant, atque in caussa legitima partem vel mediam, aut etiam minus, accipiant, quam tam periculoso salo Iuridico vela sua committant, ipsos nunc rellinquo.

IN DISCVRSVM VNDECIMVM ANNOTATIVNCVLA.

AD Aduocatos, quod attinet Cælius Calcagnius in Tractatu suo de rerum & verborum significationibus, supra vocabulum Patronus, ait, quod Relatiuum fiet, atq; in correlatiuo suo aut coangustatum, quem Patronus defendat, aut Libertum cõplectatur. Quem in modum etiam olim Prusias, Bithyniæ Rex, capiti suo pileum, quem Liberti gestare solebant, imposuit, atq; Romanum populũ tanto honore dignatus est, vt eumdem Patronum suum nuncupauerit. Eadem in significatione loquitur, & Vlpianus, dum ita ait: Patroni appellatione & Patrona continetur. Ad Litigantes vero, quod attinet, de ijsdem Aristoteles libro 4. Ethic. cap. 6. ita inquit: Litigiosi sunt, qui nullam sui rationem haberi putant, ne molesti sint. Quod autem ad litigationes plerumque ansam occasionemq; det id Plato, libro de Legibus, Dialogo quinto, sequentibus verbis indicat: Lites, inquit, vbi multę, & iniuriæ multæ vbi sunt, ibi & ciues inter se non sunt amici, &c.

DE CHYMICIS

DISCVRSVS DVODECIMVS.

MAgna Scholæ Chymicę auctoritas, quã eiusdem Professores, eorumdemq; Asseclæ, omnibus ferme in locis, Prouinciis, atque Ciuitatibus, tam apud locupletissimos, Nobilissimos, atque inquam ferme, celeberrimos Doctissimosque homines, sibi comparauerant: ipsorumq; tam speciosa argumenta, quam, ad artis suæ tuitionem prætendebant, ansam occasionemq; olim mihi præbuerunt, vt eamdẽ armata, quasi manu propugnarim, & seuero admodum studio illos ipsos contemptui habuerim,

rim, & repræhenderim, qui Geberis Officinam & Laboratoriũ ingredi, Arnaldi sectam profiteri, Collegium Raimundi augere, & Christophoro Parisiensi (qui omneis, vt ita loquar, aurei erant viri.) subscribere noluissent. Infelix tamen multorum eorumdem successorum, animum meum omnino ita perculsum abiectumque reddidit, vt etiam exinde mihi firmiter, certissimisque ex fundamentis, infallibiliter inculcauerim, falsam erroneamque illam esse artem, cuius Professores miserabiles, instrumenta inutilia, Impensæ perniciosæ, labores irriti, desideria cæca, spes falsa, pollicitationes mendacissimæ exstiterint atq; adeo tota officina nihil fiet aliud, quam certa præparatio ad pediculosum Xenodochium. Et quemadmodum aliquis per tam multifaria exempla eorum, qui insatiabili prorsus desiderio ditari cupiebant, atq; nihilominus tamen tempus, fortunas suas, honorem, Intellectum, immo corpus & animam frustra insumpserunt, haud immerito perterrefactus est, ita & ego vix animũ recolligere, atq; priorem meam pene amissam, vocem ægre iterum adipisci potero nisi præstantissimo isto Chymicorum auro potabuli, quod, vti quidem sibi persuadent, etiam ipsos mortuos resuscitare potest, & delirantibus sapientiam & intellectum mirifice restituit, rursum efficiat atque ita admiranda eius virtute atque efficacia vires amissas recolligam. Attamen exili & balbutiẽte adhuc sermone partem magnæ illius laudis & gloriæ, quæ Professioni isti imputatur, heic ordine recensebo, ne forsitan aliquis existumet, me adeo trepidum, vel etiam suspectum esse, vt, etiam absque consideratione tot pulcherrimorũ exemplorum, quibus partes suas tueri solent Chymici, eadem non exornare debeam, nec etiam velim. A quibus tamen nihilominus veritatem dicere, & indicare teneor, quatenus videlic. miselli isti homines luto, vel potius pice, sapientiæ sese contaminarint, oleis inunxerint, in fumo assati, in somno vigiliisq; debilitati fuerint, atque adeo tempus, bona atq; fortunas suas vt ingentes labores & molestias heic sicco pede prætereamus, infelicissima in Schola Gilgilidis & Morieni (qui discipulis suis multo fuere astutiores.) miserabilem in modum temere insumpserint.

Omnes ij, qui Chymiæ, quẽadmo-

admodum Græco nomine appellatur; vt quã aduersati sunt, vel in hodiernum vsque diem adhuc aduersantur, nullo alio fundamento aut ratione nituntur, quam eadem, qua Thomas Erastus probatus & eximius iste Medicus in libro suo de metallis, sese etiam tuetur, quod nimirum ars nullo modo aliam formam facere, quodq; vna aliqua species, quam proxime etiam illi coniuncta fiet, per naturalem aliquam viam, neque artem, transmutari possit. Quod argumentum tamen apud Chymicos eo minus habet virium quã fugax ipsorum Mercurius. Nullo modo siquidem animaduertunt, quod ars, in & pro se ipsa ita considerata nullam formam efficere possit, in quo eiusdem sunt opinionis: Iuxta illud etiam ipso facto demonstrare possunt, quod ars, quæ naturam imitatur, facilime formam introducere possit: Quod in Chymia fieri solet; in qua ars & Natura tam sapienter & prudenter simul, siue coniunctim, laborant, seseque secundant, vt etiam formæ, quam alii stupidi atq; ignorantes Laboratores tanto desiderio, tam diuersimodis indagationibus, considerationibus, atq; speculationibus adhuc quotidie, frustra tamen, quærunt, certiores fient.

Ad permutationẽ siue transmutationem specierum autem, quod attinet; vnius omnino (Chymici) sunt sententiæ in speciebus perfectis, & essentialiter differentibus inter se: Exempli gratia, homo, vrsus, Leo, &c. qui nullo modo in aliam formam transmutari poterunt. Interea tamen itidem demonstrare possunt, quod imperfectæ species, quas Natura ita produxit vt saltim per maius, aut minus, separetur, facilime in aliam formam transmutari, plenariam suam perfectionem, nempe per artem peruenire possint. Id videre est in omnibus perfectis metallis, quæ etiam, per leuiculam aliquam artem, ad meliorem perfectionem rediguntur.

Similiter & adhuc alius quispiam Philosophus Ægidius Romanus videlicet, hanc ipsam artem impugnauit, idq; in aliquo Quodlibeto, in quo hoc potissimum argumento contra eosdem vsus est: quod nimirum natura ipsa, cum certis, præpositis, determinatis, vel certa aliqua mensura circũscriptis suis Principiis, omni tempore in omnib. suis operationibus procedat inter quæ Principia, caussam effi-

cientem, materialem, & locum Philoſophus iſte intelligit: & quemadmodum, inquit, equus ab equo generatur, & non ab alio quodam animali, vbi quidem equus, vel caballus, cauſſa efficiens; ſanguis equæ autem cauſſa materialis, & ipſius venter locus eſt, in quo Generatio, atque alias nullibi, perficitur: ita quoque innuit, quod etiam metalla ſolummodo in terra, & nō, extra illam, per vllam aliam artem, in vitris, deſtillatoriis, igni, aut aliis id genus rebus, generentur.

A quo tamen Chymici neutiquā deterrentur, ſed multo potius prætendunt, quod quemadmodum apes, muſcæ & ranæ, tamquam creaturæ imperfectæ, generentur ſi ad id idoneam naturam ſortiantur, idque abſque vlla loci differentia, cuius etiam non adeo multum interſit: ita quoque fieri cum metallis imperfectis, quæ, ſi modo idoneam ſortiantur materiam, & per decentem calorem concoquantur facile & omnibus in locis generentur. Atq; veriſimile eſt, quod etiam ipſe Ariſtoteles eiuſdem fuerit ſententiæ, vbi lib. 4. Meteor. de quibuſdam concoctionibus loquitur, & tamdem inquit: Nihil intereſſe an videlicet illa in naturalibus, vel artificialibus vaſis fiat, modo ſi accedat cauſſa primaria & efficiens. Verum mihi heic videtur, quod Auerroes libr. 1. de generatione animalium ca. 1. ſignificet quantum videlicet hac in re Chymici errent dum exiſtumant, artem idem, quod Natura, poſſe efficere, cum tamen cauſſæ naturales & artificiales longe inter ſe inſeiunctæ atque ſeparatæ ſient. Verum iſthæc allegatio Chymicis pro mero fumo habetur: ſiquidem ſe demonſtrare poſſe deierans, quod videlicet cauſſæ diuerſæ in ſpecie etiam naturaliter, in vna, eademque ſpecie operentur. Exempli gratia, motus, lux, & ignis iſtiuſmodi ſunt res, quæ in ſpecie ſeparatæ, & diuerſæ etiam naturæ ſunt: nihilominus tamē prima duo tertium efficiunt, atque per motum & lucem ignis producitur, quemadmodum etiam alias ignis ex aliis rebus, diuerſæ ſpeciei, lapidibus videlicet, ligno, ferro & id genus aliis, elicitur. Iuxta illud & Ariſtotelem quoque libro 7. Metaph. adſtipulatorem habēt, dum, inquit, quod inter illas res, quæ arte comparantur, quędam naturalia principia retineant, quorum adminiculo ſeſe, ad præfixum ſcopum artis mouere poſ-

possint, quemadmodum in Medicina & agricultura videre est, vbi sane ars magnum ab arte capit subsidium, cum tamen aliæ vnice & solummodo per artem comparentur vtpote domicilia, aliaque ædificia, quæ dumtaxat artis beneficio exædificantur. Sanitas itaq; non tam per artem quam naturam ipsam conseruatur, quamuis introductionis causæ separatę vel diuersæ fient, Cur itaq; aurum & argentũ non æque comparentur, etiamsi heic Natura & ars caussæ sint diuersæ? Eo ipso etiam Petrus Bonus, Ferrariensis medicus, commotus est, vt Chymicorum parti se adsociauerit, cum vidisset quod Chymiæ aduersarii tam debilibus, infirmis, atque adeo nullius momenti argumentis interentur, & nihilominus tamen Arabico Principi libro 3. de Anima, adstipulari cogerentur, quod nimirum multæ adhuc aliæ artes atque disciplinæ inueniri & addisci possint, quæ ad hodiernum vsque diem sepultæ atque incognitæ fuerint, quod ipsarum caussæ ignorentur: inter quas etiam Chymicas numerauit, quod de ijsdem admodum dubitauit, atque ideo in Algazelem, qui affirmare conabatur, quod metalla per Alchymiam transmutari possent, inuehitur, dum inquit: Veritatem docere, diuturna experientia temporisque longitudo poterit. Verisimile itidem est, quod etiam Plinius Chymicis non adeo male cupiat, dum lib. 33. cap. 4. memorat, quod Cæsar Caius ex auripigmento pretiosissimum aurum effecerit, quod tamen vero & naturali, quo ad pondus, non simile fuerit. Similiter & Suidas, dum inter alia recenset, veterum Ægyptiorum, quos de arte ista siue auro, argentoque faciundo, conscripserant combussisse, ne forsitan Ægyptiali Princeps, qui tum temporis huius artis beneficio admodum potentes atque locupletissimi fiebant, Romano Imperio resisterent vel repugnarent. Sic Iohannes Fernelius, celeberrimus ille Medico-Philosophus testatur, quod Alchimia non tantopere contemnenda sit, & quod ipse, per hanc artem, bonum & perfectum aurum fecerit, atque adeo in libro suo de occultis rerum caussis demonstrat, quem in procedendo modum obseruauerit, & quomodo etiam alii sese ista in arte gerere debeant. Nec itidem heic eximium istum Astrologum Iulium Firmicum sicco pede prætaceam, qui ante

M. CC. annos tempore Constantini vixit: Hic lib. 3. c. 15. ad Mauortium Lallianum scribit, quod, si Luna in nono loco Horoscopi consistat, Genitura nocturna & domo Saturni videlic. homines, illo tempore nati, inclinationem atque desiderium ad Alchimiam habeant, adeo vt sibiipsi cœlum sufficiens sibi polliceatur argentum, modo de industria sua nihil remitteret. Vnde etiam Indiani, Iohanne Pico Mirandulano teste, Alchimia cœlestis, atque diuina ars appellatur: quemadmodum etiam Baldus Perusinus, celeberrimus ille Iurisconsultus, in Commentario suo super vsus feudales (modo Alexander Farra in Socrate suo non mentiatur.) eamdem Philosophici & perspicacis intellectus inuétionem nominat. Similiter etiam Ioannes Andreas, in Additione sua ad speculum tit. De crimine falsitatis, Chymicos summopere commendat, & de illis ait, quod per magisterium & artem suam ex metallo quodam exiguo carum & pretiosum aliquod efficiant. Panormitanus, cap. 2. de sortilegiis, pro certo affirmat, quod, per Stellarum influentiam, herbis atque lapidibus, insignem virtutem habentibus, leuidense quoddam metallum in aliud, multoque pretiosius transmutari possit: siquidem omnia metalla vnius dumtaxat speciei sient, & ab vno saltim Principio, Sulphure & Mercurio videlicet, promanent. Fernelius libro 2. de abditis rerum caussis inter alia, de lapide Philosophico loquitur, transmutationem metallorum adprobat, & quoque commonstrat, quo modo Elixir diuinum pręparandum sit, cuius virtutem & operationem tamdem sequentibus Augurelli versiculis concludit:

Ipsius vt tenui proiecta parte per vndas
Aequoris: argentum si viuum tum foret æquor
Omne, vel immensum verti mare posset in aurum.

Iuxta illa omnia Naturæ etiam non adeo aduersatur. Si namque videamus, quod videlicet per artem, in natura fundatam, viua animalia, vtpote scorpiones, lacertæ, & alia id genus animalcula, per corruptionis operationem, produci possint: Cur obsecro, pro incredibil haberemus, si etiam in metallis, quæ tamen animalculis istis longe imperfectiora sunt, istiusmodi simile

simile produceretur? Si verum vt, quemadmodum Martialis ait, ozimum, sæpiuscule seminatum, tamdem in serpillum transmutetur, &, vti Iosephus lib. 7. de bello Iudaico testatur, arena in Belo fluuio, non procul à Ptolemaide, omnia, quæ tangit, metalla, in vitra transformet: Cur, inquam, alicui incredibile videretur, quod beneficio Alchymiæ, per naturam operantis, vnum in alterum metallum transmutetur? Quid multis, cum ipsam experientiam apud Arnoldum de Villanouano testem habeant Chymici, qui non ex auditu, sed de se ipso scribit, quod, Alchymiæ beneficio, quasdam partes puri excellentisque auri sibi comparauerit.

Certo itaque certius, & ex supra commemoratis testimoniis abunde liquet, quod Alchimia istiusmodi ars fiet, quæ non solummodo admirabilis, verum etiam certa adpareat. Vnde etiam non tantum à tot eximijs viris summopere commendatur, sed etiam in copiosa præstantissimorum librorum supellectile de eadem agitur & tractatur. Inter Auctores istos præ cæteris celebriores sunt Rosinus, Alkindus, Morienus, Gilgilides, Christophorus Geber, Pytagoras, Raimundus, Arnaldus, Auicenna, Albertus Magnus, Aristoteles, Pantheus, & Augurellus. Ex libris in promptu habentur: Ænygmata Arislæi, Turba Philosophorum, Practica Mariæ Prophetissæ, Liber trium verborum, Secreta Calidi, filij Iazici, Allegoria Merlini, Racaiditus de secreto lapidis, de materia lapidis, semita Semitæ, Candor Buccinæ, Correctio fatuorum, Aurora surgens, & id genus alii, qui partim, adhuc manuscripta latitant.

Vt vt fiet, nihilominus tamen in multis, Scholæ isti addictis, tam lamentabilis tragicusque sane exitus depræhenditur, adeo vt non immerito ea de re summopere mirandum fiet. Omnis itaque gloria, certitudo, sapientia, & sperata diuitiæ, tamquam fumus & leuis aliquis vapor euanescunt, quibus ipsorum substantia in nihilum redigitur, & nihilominus accidentia ipsorum cogitationum vitia prauaciores firmioresque depræhenduntur, quam vllo vmquam tempore alias extiterint. Cum eorundem vita quomodo comparatum fiet, ex eo partim id videre est, quod extrinsecus fumo,

calore,& ſudore,intrinſecus vero ſpe, pollicitatione, atque irrequieta vanitate laborioſam vitam agant. Crumena ipſorum ex Camæleontis corio confectũ eſt, quod plus ſpiritus & venti, quam pecuniæ in ſe contineat. Mirum iccirco nullum eſt, quod à Iohanne XXII. Pontifice Maxumo, in extrauagante contra Alchimiam, miſelli homines nuncupentur, dum de illis ita, inquit: Spondent, quas non habent, diuitias, pauperes Alchimiſtæ. Atque de ipſis bene dici poteſt, quod Demetrius Phalaræus de aliis pauperculis hominibus, atque diuerſimodis ipſorum conſiliis, quodam in loco dixit.

Quod capiendum, inquit, illis erat, minime cæperunt, & interim amiſerunt, quod poſſidebant. Immo vix vmquam à quoquã recenſeri poterit, quantas ipſi moleſtias, anxietates, laboreſque vigiliis, emendo, vendendo, mutuo ſumendo, & bona oppignerando ſuſtinere neceſſum habeant, cum tamen nihil amplius habeant ſub manibus, quam inordinarios temerarioſque ſumptus, miſeriam, & inopiam, ad quam tamdem rediguntur, quando ipſos tot vanarum indagationum, peruestigationum, vanæque ſpei tædet, & videre coguntur, quod omnia ipſorum bona deſtillata ſient.

Quo facto, tum verba Pſalmi recitare, vel potius ſecum muſſitare, neceſſum habent. Ad nihilum, ad nihilum redactus ſum quia neſciui. Toto die circa nouas inuentiones, libros, ſecreta, profeſſus, & artes miſere & effictim occupati ſunt, ac ſibi certo perſuadent, quod Mercurium ſuum ferreis pileolis, aut Thorando, Linaria maiore, aliiſque herbarum virtutibus, vel vrina, aut deſtillato excremento alicuius puerulі ruffis crinibus, infuſione Opii, cum Arſenico, Salenitro, Salgemma, vel vnguento bufonis, aliiſque id genus rebus, aut mortificare vel ligare velint. Quo minus vero credant fugax atque inconuincibilis ſtultus vno ſaltu, quaſi Nigromantica arte inſtructus eſſent, ex deſtillatorio prorumpit, atque admixtas materias, ſal, pulueremque tormentarium ebullire, atque tamdem artificium tamdiu intonare ſinit, quam diu velit. O ſtultam ſcholam, atq; infelicem officinam, in qua plus materiei, quam ſapientiæ, in qua aliquis, ſummo cum laboribus & moleſtia, opes fortunaſque

nasq; suas dissipare, tempus perpere, vitam onerare, bonam famam violare, & extenuare, homines fatuos facere, falsas monetas consignare atque tamdem Canabino equo in cœlum equitare discit.

Heic insuper infamis ista scientia Rosciani & Roscini, Turbæ Alfidij, & Iohanniccii discitur, quæ dumtaxat figuris, Characteribus lineis, metaphoris, notis, punctis, Prophetijs, parabolis, & ænigmatibus adeo descripta, atq; depicta est, vt eamdem nullus Oedipus, vel Sphinx, vmquam queat dissoluere.

Ibi enim sale adipeque carens Grammatica mirabilium nominum discitur, quæ etiam ipsum Diabolum in stultum commutare possent. Illinc enim ipsius Magister Augustinus Phantheus virtutem transmutatiuã pulverem, lapidem, terram vnquentum, corneum caput, Elixir, quintam essentiam, & quæ admirandorum istorum nominum sunt similia, appellat. Artem ipsam, qua illud impetratur, Achymiam, Chymiam, Calcecumiam, Voarchadumam vocat; Subiecta artis, animam, crassum corpus, tenue facileque corpus, nuncupat. Materia agile, velox, fugax, durum, molle, purum, mixtum, occultum, & inoccultum reddit. Processus fiunt suffitu Antimonij, Arsenici, Calcanti, Hispanicis Ferretis, Lytargirii, Marchasytis, Metallinis, Adamantibus atque Solaminis: Oleis itidem lini, salis petræ, sulphuris, &c. cum terra quoque, picta de Callidonia, Thutia, Sargalla: cum liquorib. variis cum salsamentis, vtpote Salalkali, Salpetræ, Salgemma, Salnitrum, Salcatinum, Salembroth, Sal Indianum, &c. Cum vrinis de hominibus, asinis, tauris, fœminis menstruis, &c. Et ridiculorum istiusmodi tot tantaque deliramenta sunt, vt vix filius quispiam sapientiæ ea omnia recensere possit.

Hinc enim sales dignoscendi idque tam raris monstrosisque nominibus, quasi diabulum quis incantare velit, videl. Baurath, Borax, Coagulum, Chomeryson, Hyle, Elebroth, terra potentialis, vitrum Pharaonis, &c. vna cum Tincar, quod materia prima totius artis est. Heic quoque Argentum viuum, vel Mercurium, iuxta admiranda alboq; coruo rariora ipsius nomina, cognoscere quis oportet, videlicet aqua, azoth, cor Saturni, Euphra es, Fauonius, Phlegma, Occidens, Albumen Oui, Sper-

Sperma, vnguentum, &c. Heic metalla, iuxta illorum statum & qualitates, nominandæ veniunt vtpote pura, sana, segregata, calcinita, separata, disposita, sicca, argentum perfectum: calcinatio quoque, melancholia, incineratio, incarnatio, nigredo luna, fœmina, bos, gallina, hypostasis, aliaque figurabilia nomina plura, quæ omnia in Cornucopiæ reperiuntur, & de quibus Diomedes, Priscianus, & Calepinus satis superque disputare possent si illas recte vellent intelligere. Ibi quandoque aliquis cerebellum suum destillat in inuentione tot coagulationum, electionum, mundationum, mixtionum, corruptionum, alterationum, sublimationum, augmentationum, diminutionum, infrigationumque, &c. & quæ centena adhuc in destillando, balneando, aperiendo &c. grauamina occurrunt. In Summa Chaos diuersimodorum laborum tibi discendum, & omnia ad officinam istam aurifabrariam spectantia instrumenta tibi coemunda sunt, donec tua pecunia, ex Marsupio sese proripiat, & numquam videlicet reuersuram esse, tibi certo polliceatur. Post Herculos autem ex antlatos labores, anxietates, atque molestias misellus ille Chymicus corragatis humeris vno oculo bene lutatas probeque munitas Chrysolas, altero vacuum crumenam intuetur, atque perturbato tum corde dicere poterit: *Infixus sum, Infixus sum in limo profundi, & non est substantia, &c.* ac tamdem, vti supra de Litigantibus quoq; mentionem fecimus, aut in aliquo Xenodochio vel extrema tamen inopia atque egestate moritur. Non immerito igitur Alchymia Raimondi, vel Arnaldi, quemadmodum & Creberi, laudatur: sed caue, caue, inquam, ne eidem manum adiicias. Non omnibus enim datur adire Corinthum.

IN DISCURSUM XII.
ANNOTATIUNCULA.

INter omnes eos, qui vmquam Alchymiam, ejusdemque Requisita, strenue defenderũt, Ioannes Licinius, non est postremus, cuius argumenta breuiter repetuntur ab Hieronymo Cardano lib. X. de varietate scientiarum cap. 1. vbi etiam particularitates quasdã nasutulorum quorumdam Chymicorum recenset. Thomas Erastus, vice versa, in libro suo de metallis, omnia ipsorum fundamenta, ex multis alijs libris collegit, & similiter grandem superstitiosamq; adquirendarum diuitiarum vanitatem refutauit. Si quis autem plura de vana ista scientia scire desideret, is legat Thesaurum Philosophiæ: Item, Lumen Luminum Arnaldi Villanouani: speculum Chymicum Bacconis: Effrem Monachum: Lignum Vitæ Barcesci Correctorium Richardi Angli, Tauladanum, aliosq; qui in discursu hocce allegantur. Similiter etiã nuperrime libell⁹, sub nomine Ioannis, Pici Mirandulani, cuius titulus, de conficiendo auro, diuolgatus est, in quo eadem materia neruose tractatur, ad quem eius rei cupidum lectorem ablegatum volumus.

DE ACADEMIIS ET Doctoribus.

DISCVRSVS XIII.

Academia vocabulum vnde sic dictum.

NOmen Academiæ ab amœnissimo elegantissimoque, quodam loco, vnico, & breui quidem, milliari ab Athenis sito suam sumit originem, sic dicto ab Academo quodam, vti Diogenes Laertius, in vita Platonis, eiusdem mentionem facit. In eo postmodum Plato, celeberrim⁹ ille Philosophus natus est, atq; inibi postea Gymnasium suum, excoluit, quod deinceps Academia, eiusdemq; Discipuli & Platonici, & Academici dicti fuerunt, nomenque illud omnibus ijs in locis, quæ inhabitarunt, retinuerunt, & quoque Athenis, vbi paullo post duæ Scholæ institutæ fuerunt, Lycæum nempe & Academia, quarum Lycæum prima, siue superior, Academia vero, secunda siue inferior nuncupata est. Posteriorem, Academiam videlicet, Speusippus verus Platonis Discipulus obtinuit, Lycæum vero Aristotelis discipulis remansit, qui postmodũ quod in Scholis suis obambulabant, & interea inter se inuicem disputabant, peripatetici nuncupati fuerunt. Et illæ præcipuæ tũ temporis apud Græcos scholæ extiterunt. Exinde igitur Cicero qui itidem Platonicus, commotus fuit, vt prædium suum (non procul à lacu Auerno & Puteoli sitũ, atque amœnissimo saltu circundatum, in quo sæpissime sese cum Musis suis oblectabat.) Academiam & elegantissimas suas quęstiones eodem in loco scriptas Academicas, appellauerit. Hinc etiam postea & illud exortum, quod ad hodierna nostra tẽpora vsque almę celebresq; scholæ omnibus in Prouinciis Academiæ nominentur, præsertim vero illæ quæ à Regib. Principib. aliisque Proceribus institutæ, atque Priuilegiis aliisque Concessionibus clementissimis ita fultæ fuerunt, vt non dumtaxat iis abunde prospectum fiet, verum etiam ipsi, sese Academico Albo inseri, & inter Claros siue Academicos recenseri, minime erubue-

rubue-

rubuerint. Eia age inter Academias Italicas, de quibus heic vnice & solummodo loqui constitui, Affidatorum Academia Ticini præcipua est, ob clarissimorum virorum copiam, qui omni tempore in eadem floruerunt. Similiter & vetustissima Inthronatorum, Academia Senensis. Academia Eleuato um Ferrariensis, ex qua Cælius Calcagnius, & Bartholomæus Ferrinus, duo præstantissimi viri prodierunt. Academia Philatætorum, ex qua Albertus Lollius, Alphonsus Calcagninus, Galeazius Gonzaga, Hercules Bentiuoglius, Hercules Estensis Comes, Thomes Calcagninus Comes, Lilius Giraldus, Biceius, Pigneus, vna cum permultis aliis, summæ inferiorisque conditionis viris, qui postmodum summa cum ipsorum gloria Rempl. literariam plurimum iuuerunt.

Pari modo Academia Inflammatorum Patauii, vnitorum Venetiis, aliæque Florentiæ, Bolognæ, Perusis, aliarumque celeberrimarum, florentissimarumque ciuitatum in Italia, in quibus omneis liberales, Nobilissimęque artes omnibus fermę ex nationibus summopere excolútur, quæ licet quandoque magno numero ijs in locis frequentes fient, nihilominus tamen bona vbique disciplina semper conseruatur. Isti etiam Academici tanto celebriores sunt, si videlicet Nobili genere orti, vel alias bonæ famæ sint; ab artis suæ præstantiam, magnam exinde gloriam laudẽque sibi comparauerint, vt fuere Bembus, Aristus, Molza, Varchius, Trisinus, Ptolomæi, Benazzanus, Iassus, Picus, Capellus, Cinthius, alijque quamplurimi, qui ipsos subsequuti sunt, atque ad hodiernum vsq; diem ipsorum locum, vicesq; scribendo docendoque, summopere exornant atq; cohonestant: Inter quos etiam Dominus Iohannes Baptista Pigna & Farra hisce temporibus magnam nominis sui famam passim gentium excitarunt, vt multos ex eosdem ordine sicco heic pede prætercam, qui æque, ceu illi, per diuolgata sua scripta, in toto ferme terrarũ orbe summam laudem atq; gloriam consequuti sunt. Et tales Clarissimi viri plerumque non immerito nobilitantur, atque ob accuratam diligentemque liberalium artium professionem, bonos mores, integritatem vitæ, industriã, acutissimum ingenium & intellectum, quibus alijsque virtutibus quamplurimis Academiis magnum sane ornamen-

tum decusque adtulerunt: qui etiam, tamquam diuersimodis variisque virtutibus ornati condecoratique Academici suo quidem merito ab omnibus philomusis vtroque, vti aiunt, pollice ad cœlum vsq; extolluntur: cum vice versa, ij, à quibus Academiæ dumtaxat perturbatæ atq; oneratæ fuerunt, ab iisdem non immerito, tamquam nauci & perniciosi homines, relegandi sient: qua de re suo loco, de studiosis videlicet, plura dicturi sumus. Ad Academica officia, quod attinet, Doctoribus & Professoribus Academicis Varchius in oratione sua ijsdem eleganter optat obsequiosos pedellos, industrios nuncios, curiosos præsides siue prouisores, exercitatos Cancellarios, eruditos censores, sapientes Consiliarios, Prudentes Consules diligentes & fideles lectores, atque Professores. Cumque heic omnia ipsorum requisita compræhendantur: eapropter discursum hunc concludere, & ad alias professiones properare præstat sententia.

IN DISCVRSVM XIII. ANNOTATIVNCVLA.

ALexander ab Alex. lib. 3. c. 6. Genialium dierum de celeberrima schola Atheniensi mentionem facit, idque sequentibus verbis: Quæ in Attica fuere Gymnasia, tria maxime memorantur, Licæum, Gymnasium, & Academia. F. Gabriel Buratellus lib. 6. de hominis felicitate vbi, inter alia veteres etiam Academicos cum Neotericis comparat, ait: Academici noui à Veteribus ita dissentiunt, vt facilius sit omnem arenam numerare, quam eorumdem conciliare sententias.

DE ARITHMETICIS

DISCVRSVS XIV.

DIſciplinæ numerorum, vel ars numerandi ſecundum GeorgI PurbachI in Algorithmo ſuo opinionem, ab Arabibus primum inuenta eſt, & à Græcis Arithmetica appellatur, ab Arithmos, quod numerum ſignificat. Inter illos autem, quemadmodum Iſidorus lib. 3. Etymol. teſtatur, Pytagoras primus eam artem docuit; quem ſequutus eſt Nicomachꝰ, qui illud, quod Pytagoras poſt ſe relliquerat, aliquanto dilucidius explicauit, donec tamdem iſta profeſſio etiam ad Latinos tralata fuerit, de qua poſtmodum Apuleius & Boetius neruoſiſſime & copioſiſſime ſcripſerunt. In hac autem Mathematica ſcientia commemoratus iſte Pytagoras eo vſq; tamdem peruenit, vt per illam etiam ad Theologicarum cœleſtiumq; rerum indagationem acceſſerit, de quo Ouidius ſic cecinit:

----Iſque licet cœli regione remotus
Mente Deos adÿt: & quæ natura negabat
Viſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit.

De hac quoque arte Franciſcus Patricius libro 2. de inſtituenda Repub. ait, quod videlicet ad omnes alias artes atque profeſſiones ſummopere ſiet neceſſaria, in quib. cottidie numerandum eſt, etiamſi illud digitis etiam peragi debeat. Omneis ſiquidem artes, tam Mechanicæ, quam Intellectuales, circa numeros occupatæ ſunt. Iodocus Clichthoneus in quadam epiſtola introductoria, ſuper Arithmeticam Iacobi Fabri, hanc artem omnibus aliis Mathematicis diſciplinis longe præfert: Illa ſiquidem viam præparat ad Muſicã, Geometriam, & ad omneis relliquas, quocunq; etiam nomine illæ appellentur. Plato in Epimenide, eamdem vocat principalem, & ſumme diuinã inter omnes ſcientias liberales & contemplatiuas: cumque aliquando interrogaretur, quibus de cauſſis homo pro ſapientiſſimo prudẽtiſſimoque animali haberetur, reſpondit:

dit: maiori ex parte ideo, quod numerare posset. Huius resp. nsionis meminit etiam Aristoteles qui ipsius fuit discipulus, in problematibus suis. Pytagoras quoque ait, naturam numerorum omnibus rebus sese immiscere, eiusdemque cognitionem esse rectam veram que sapientiam, quę cum primis diuinis, perpetuis, & semper constantibus pulchritudinibus conuersetur, & quarum participatione, omneis aliæ res ornentur.

Vnitas. Per Vnitatem, Deum vnicum sempiternamque in creata sapientiam intelligebat. Idem faciebant Xenophanes, Parmenides, Socrates, & Plato, qui ipsum sequuti sunt, illudq; ab ipso didicerunt. Diogenes Areopagita scribit, omnes numeros in vnitate esse compræhensos, quemadmodum etiam omneis numeri in eadem, quasi conglutinati sunt. Iamblechus in suis mysteriis scribit: Mercurium Trimegistum, in cōmentariis suis de reb. diuinis, Vnitatem omnibus cæteris rebus, vnam essentiam habentibus, antetulisse. Athenagoras Philosophus Atheniensis, in Apologia Christianæ Relligionis, quam ad Romanorum Imperatorem Antoninum, & postea ad commodum perscripsit, demonstrat, quod nimirum vnicus Deus sit, idque cum auctoritate Lysidis & Obsidis, qui Pythagoricorum sectam sequebantur. Ex quibus primus, Lysides videlicet, ait: Deum esse numerum ineffabilem: alter, Deum excessum esse, cum quo maior numerus, minorem, tamquam sibi proximum, superest, nempe Vnitas. Summus enim numerus X. est, à quo IX. proximus est numerus, & cum vnitate tamdem superatur.

Quo melius autem vis, necessitas, & dignitas numerorum recte intelligatur atque intueatur, eapropter ante omnia consideretur, quid hac de re dicat Boetius, nimirum quod omneis in toto terrarum Orbe res in ijsdem consistant: siquidem, quemadmodum scriptura loquitur, Sap. 11. Deus omnia fecit, in numero, pondere & mensura. Itaq; etiam eo minus mirandum est, quod olim Pythagorici dixerint: omnes res factas esse numeris, veluti Aristoteles lib. 1. Metaph. cap. 3. de iisdem testatur. De eo loquitur & Macrobius lib. 1. de somno scipionis cap. 23. dum, inquit: Corpus & animam certa quadā determinatione & proportione numerorum, coniunctα esse. De Pythagoricis Proclus, super Timæum

mæum Platonis, affirmat, ipsos quadruplices, numerorum sortes potuisse. Prima illa est, quæ in Musica reperitur, & in poetarum versibus, qui etiam certa quadã proportione & numero finguntur, quam vocalem numerũ appellarunt. Secunda, ille est numerus & proportio, iuxta quam creata compositaq; corpora ꝓcreantur, quam numerum naturalem nuncuparunt. Tertia, ille est numerus, qui in anima, omnibusque eiusdem partibus, reperitur, quam numerum rationalem vocarunt. Quarta, ille est numerus, qui in Deo & Angelis reperitur, & numerum diuinum illum vocitarunt.

De particularibus vel singularibus numeris multi etiam Auctores in specie scripserunt. Psellius ait Monas, siue vnum, significare pacem, amicitiam & bonitatem eo, quod in Arithmetica non possit diuidi. Arist. libr. 5. Metaph. cap 6. Vnum, inquit, rerum omnium est initium: & lib. 23 c. 8. ait.

Vnum significare Deum ipsũ quemadmodum etiam Dionysius Areopagita libro de diuinis nominibus cap 4. testatur; siquidem, vti ex SS. Scriptura discimus, vnus & vnicus est Deus, qui omnia creauit, eademque in hodiernum vsque diem adhuc conseruat. De eadem ista Monade D. Cyprianus in tractatu suo de simplicitate prælatorum, eleganter scribit, quem, qui volet, consulat. De Pythagora itidem affirmatur, quod vnum, identitatem: duo autem, diuersitatem significare.

II. Vnde Alcmeon Crotoniates, qui tempore dicti illius Pythagoræ vixit, duo multiplicatem vocat, quæ omnibus in reb. tamquam diuersitas, appareant, qua ista conseruentur, & hæc est cõtrariorum illa pugna Empedoclis, cuius Aristot. lib. 1. Metaph mentionem facit. Eodem quoq; isto intellectu *Vnum* à Zaratha, Pythagoræ præceptore, *Pater*, & *Duo Mater* nuncupantur, quum vnum & duo tria efficiant: qui primus numerus est compositus quo SS. Trinitas, *Deus Pater*, *Deus Filius*, *& Deus Spiritus Sanctus*, videlicet, innuitur. Ex numeri istius fructu atque vtilitate etiam Tetrastia siue numerus quaternarius, existit, qui à Pythagoricis perpetua semperque fluens scaturigo omnium rerũ, vel ex quo res omnes suam sortiãtur essentiam, vocatur, per quod etiam ineffabile Dei nomen Tetragrãmaton significatur, quemadmodum illud à Deo ipso Moysi traditum

ditum & manifestatū olim fuit. Alias Veteres apud poetas vnū zeua appellabatur, & *Ioui*: Duo autem Hera dicebatur, & *Iunoni* adtribuebatur. Iouem vero vocabant materiam, & Iunonem formam: atque hoc modo cum dicto modo duplici, numero materiam & formam, in quibus omnia consistunt, innuere volebant.

III. TernariusNumerus, tamquā valde admirandus, non immerito summopere veneratus fuit. *Deus enim Trinus in personis, & vnus est in essentia.* Christus etiam ter in horto, ad patrem preces suas fudit: Per tria, quemadmodum Trismegistus ait, totum cœli terræque ædificium conseruatur: vtpote, per copulationem, separationem, & distributionem. Magi in *Persia* tria capita toti terrarum orbi imposuerunt, Oromassim videl. Mitrim, & Ataminim, id est, *Deum, Mentem, & Animam.* Orpheus dicere solebat. Omnes res in tria sese diuidere patiuntur, in principium videlicet, medium, & finem. Similiter & Aristoteles, lib. 1. de cœlo, inquit, quod omnia sub ternario numero cōpræhendantur: qua de re etiam Ausonius integrum libellum conscripsit, eumdemque Gryphum appellitauit.

Numerus Quaternarius, talis est numerus, qui ad hominis animam pertinet, id quod Architas Tarentinus in libro Sapientiæ demonstrat, in quo eleganter & copiose quidem disserit, & IV. terminos, ad perfectionem hominis pertinentes, collocat. Primus est, Sapientia diuina, per quam homo ad contemplationem & considerationem primarum Idearum extollitur: & hominis Intellectus est tamquam Sol in mundo, oculus in corpore, & vita in ipsa anima. II. est Organica dispositio & sapientiæ illius capacitas. III. Appræhensio illius, qua eo vsq; peruenit, vt inter diuinam & humanam sapientiam vix separatus fiet. IV. terminus est reductio animæ ad diuinam vnitatem.

Quinarius numerus Vulcano dedicatur: Bonitatem tamen denotat: vnde etiam Moyses in V. primis diebus creationis ita ait: Vidit Deus, quod esset bonum.

Sextarius, bonitatis perfectionem & plenitudinem significat, quapropter Moyses in VI. creationis opere verba aliquando

do immutat dum inquit: Erant valde bona.

Numerus Septenarius, numerus infinitus & symbolum est victoriæ: atque adeo Deus Ter Optumus Maxumus eodē præfiguratur, quemadmodum Philo Hebræus, in libro de mundi opificio, testatur.

Octonarius, primus numerus est cubicus, qui ex duob. ex se ipso multiplicatus, & in se ipsum iterum reflexus, exoritur, & prosperos successus denotare dicitur.

Numerus Nouenarius, pro Angelico numero æstumatur.

Denarius numerus perfectus numerus, & idea omnis plenitudinis siue perfectionis est.

Ex commemoratis igitur hisce omnibus quiuis sanæ mentis colligere poterit, quam videlic. numeri virtutem, operationem, & significationē habeāt: quemadmodum etiā Boetius & Themistius istis tantum sane tribuunt, vt autument, quod nemo ferme, absque illorum scientia, recte Philosophari possit. Eumdem ferme in modum ait quoque Auenzoar Babylonicus: Ille, inquit, rite omnia nouit, qui scit bene numerare: atque adeo, non tamen absque singulari superstitione, apud credulas duntaxat mulierculas & magistellos quosdam Nasutulos, sed & percelebres aliquot Ecclesiæ Doctores, quanta scilicet vis & efficacia inæquali numero adscribatur, videre licet: præsertim autem apud Originem sup. cap. 7 Genes. Franciscum Georgium in Problem. Tom. 1. Sect. 2. qu. 85. Galenum itidem & Hippocratem, vbi de diebus Criticis, vel decretoriis, expresse inquiūt quod inæquales numeri æqualibus longe sient efficaciores in rebus omnibus, id quod demōstrant in febribus, quæ semper inæqualib. diebus homines infestare soleant. Similiter & in Pilulis, quæ sumptæ & deuoratæ inæquali numero, fortiores & efficaciores operationes semper habeant. Vnde etiam Virgilius inquit: Numero Deus impare gaudet: quo innuere & significare voluit, quod talis efficacia à Deo ipso istiusmodi numeris imposita fuerit. Plato, in Timæo & Macrobius, libr. 1. de somno scipionis, asseuerant, quod videlicet inæqualis numerus viro æqualis autem fæminæ comparetur: Et quemadmodum rebus in omnibus vir fæmella fiet fortior & efficacior, ita quoq; cum inæquali numero, respectu æqualis, comparatum esse. Vegetius,

tius, in libris suis de re militari, etiam in bello fossas inæquali numero distribuendas esse affirmat Vice versa vero Matthæus Luttias, celeberrimus quidam Medicus in libello vel dialogo quodam de diebus Decretoriis scribit, quod mutatio, quæ in dieb. istiusmodi coincidat, non numeris, sed morborum naturę ad scribenda fiet, id quod etiam multis argumentis atque rationibus eodem in loco demonstrat.

Quid igitur de Cabalistis heic in medium proferam, me omnino latet, q. per numeros, multas nominorum diuinorum virtutes indicare conantur. An autem illud numeris adscribendũ fiet, illud, vt credam, numquam induci potero, etiamsi Rabbi Hatzados, in libro suo de Secretis reuelatis, illud magno studio affirmare conetur. Sic veteres singulari quodam modo in digitis, eorumdemue articulis, numerare consueuerunt, quemadmodum Beda, libro 1. cap. 1. de natura rerum, testatur. Plinius lib. 7. memorat, Romanos, ante Cypherarum inuentionem, annum Romanorum consulũ clauis, in curia parieti adfixis, denotasse. Idem quoque de Thracibus affirmat, quod dies suos fortunatos albis, infortunatos vero, atris lapillis, quos in olla, vel alio quodam vase ad id reseruarint, consignasse: idq; præcipuus ipsorum fuit numerus, quo edocti sunt, quot videlicet felices, vel infelices dies in tota sua vita habuissent, quo respexisse etiam videtur Persius, dum Satyr. 3. ita ait:

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo.

Petrus Gregorius Tolosanus in sua syntaxi asseuerat: Veteres olim Arabicis Cypheris numerasse, quemadmodum etiam in hodiernum vsque diem quibusdam in locis reperitur. Hodierno autem tempore Latinorum Cypheras omnib. ferme populis notas, vsuque receptas esse, notum est: qua de re etiam peculiares aliquot Auctores scripserunt, Boëtius, nimirum, Psellius, Diophantes Græcus, Martianus, Capella, Isiodorus, Faber Stapulensis, Orontius, Buteo, qui de Arithmetica copiose satis scripsit, Ioannes Scheubelius, in Algebra sua, Ioannes de Muris, qui Arithmeticam Boetii redegit in compendium, Ioannes Linerius, Prosdocimus, Patauinus, Bernhardus Salignacus, Andalus Niger Genuensis, & quam plures alij.

Vt

Vt autem heic de Arithmetica aliquid in ſpecie dicamus, ſciendum equidem eſt, illã in practicam & ſpeculatiuam: aut in cognoſcentem & agentem diuidi. Cognoſcens iterum in duplices numeros diuiditur, ſimplicem & diuerſum videlicet. In numero ſimplici tredecim reperiuntur diuiſiones.

Prima abacus ipſe eſt vnicus numerus eiuſdemq; figuræ, nimirum 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. quas Veteres digitum appellabant.

Altera eſt decimorum, aut 10. 20 30. 40. vſque ad 90. quæ articulus dicebatur.

Tertia eſt centenorum, vtpote 100. 200. 300. 400. vſque ad 900.

Quarta milleſimorum, vt 1000. 2000. &c. vſq; ad 9000.

Quinta, à 10000. vſque ad 90000.

Sexta, à 100000. 200000. vſque 900000.

Septima Millionũ 1000000. 2000000. vſq; ad 9000000.

Octaua, Decem millionum 10000000, 20000000. vſq; ad 90000000.

Nona, Centum Millionum vtpote 100000000.

Decima, videl. mille millionum ita ſcribitur 1000000000.

Vndecima, Centum millionum millia ita depingitur 100000000000.

Duodecima, C. millionum M. ita exaratur 100000000000. Et hoc modo in infinitum, vſq; ad numerum innumerabilem, proceditur, quæ tamen heic, exempli loco, ſufficiant.

Altera diuiſio, numerus diuerſus dictus, quæ omneis alios numeros, eorumdemque differentias, complectitur, iterum tripartito diuiditur. Primo Numeri, qui à Mathematicis numeri per ſe dicuntur: dein' Numeri ad alterum: Tertio Numeri multiplicati. Numerus per ſe iterum diuiditur, in numerum proprium & Geometricum. In numero proprio duplicia continentur, nimirum par, & diſpar, & cum pari & pari, æqualis: par inæqualis, & inæqualiter par: diminutus, ſuperfluus & perfectus. Et ſunt priores tres illi, qui à Veteribus Arithmeticis pariter par, pariter impar, & impariter par, dicti fuerunt Numerus Geometricus Linearis eſt, ſuperficialis, circularis, Triangularis, Quadratus, congruus, incongruus, Solidus, Cubus, Pentagonalis, Hexagonalis, Heptagonalis, Octogenalis, Enneagonalis, & id genus alii. In numeris ad alterum reperitur pro-

portio, rationem quę in primam & secundam distribuitur.

In prima ratione, vel modo est proportio, & proportionalitas: communis & propria. In propria vero est, proportio rationalis & irrationalis: In rationali est æqualitas, & inæqualitas: In inæqualitate, est maior & minor: Maior autem est vel simplex, aut composita: Simplex est aut multiplex, aut supra particularis, aut supra partiens. In multiplici reperitur duplum, triplũ, quadruplum, & ita subsequenter. In supra particulari certa reperitur pars, pars videlicet aliquota, sequialtera, sesquitertia, sesquiquarta, &c. In supra partiente inuenitur suprabipartiẽs, supratripartiens, supraquadripartiens, &c. Proportio composita iterum in duo membra diuiditur.

Primum, appellatur multiplex supraparticularis, & tenet duplam, sesqui alteram, & ita subsequenter vsque in infinitum.

Alterum vocatur multiplex supra partiens: atq; continet duplam suprabipartientem, duplam supratripartientem, triplam supra quadripartientem, & ita subsequenter. Idq; omne in proportione inæqualitatis maioris reperitur.

Altera, minor pari modo, quemadmodum maior, distinguitur, & hæc dumtaxat est differentia, vt, loco verbi supra, in maiore, heic vocabulum sub vsurpetur.

Iuxta VI. vulgares istas proportionalitatis species adhuc aliæ quædam reperiuntur, quæ ab ijsdem separatæ sunt: ideo etiam supra diximus, quod pari modo in secundam aliquam rationem diuidatur, quæ etiam VI. proportionalitatis species in sese complectitur, vtpote conuersam, permutatam, coniunctam, disiunctam, inuersam, & æqualem.

Sequitur nunc diuisio tertia, in qua numeri multiplicati, quæ integros, & fractos numeros, radices, quadratas, cubicas, relatas, pronicas aliasq; plures complectitur: similiter & omneis regulas earumdemue ꝑcessus, nimirum Regulam Detri, permutatorias compagniales aliasque regulas, quæ ex ijsdem suam originem sortiuntur: Item, Regula quinque, Regula Elcaitaini cum dispositione simplice aut dupla, &c. Practica Algebræ & Almacabalæ, &c. quæ omneis

ad

ad Arithmeticam cognoſcentem & ſpeculatiuam pertinent.

Hanc ſequitur Arithmetica actiua, vel agens, quæ Arithmeticis demandata eſt, vbi diſcitur numerare, addere, ſubtrahere, multiplicare, diuidere, & quæ ſunt id genus alia requiſita, de quibus tam in ſcholis, quam libris ſtudioſa, eiuſque artis cupida, iuuentus eruditur. Hac de materia ſcribunt Purbachius in ſuo Algorithmo, Michael Siffelius, Ioannes Myndanus, in Tractatu ſuo de Minutiis Phyſicis: Cumprimis autem ante omneis iſtos inter Neotericos, ſummo ſtudio legendi ſunt Petrus Borgius, Lucas Borgius, Leonhardus Piſanus, Nicolaus Tartalia, Franciſcus Caliga, Franciſc. Felicianus, & alii plureis.

Quam eximie autem hucuſque Arithmetica commendata & laudata fuit, nihilominus tamen Plato de eadem aſſeuerat, quod primum à Cacodæmone quodam hominib. inter ludendum præmonſtrata, & indicata fuerit: Vnde etiam Lycurgus, Lacedæmonienſium Legislator exquiſitiſſimus & celeberrimus, eamdem, tamquã pernicioſam artem ex Republica ſua relegauit, quod magnam laborioſam- que ſpeculationẽ requirat, quibus homines à maioris momenti & importantiæ rebus detineantur, & quandoque, ob rem leuiculam, nulliuſq; omnino momenti, magnam periculoſamq; concertationem excitent. Sunt enim & Arithmeticis quoq; vehementes ſuæ controuerſiæ & diſputationes, nimirum, qui numerus præponendus ſiet, par vel impar videlicet: qui numerus pfectiſſimus ſiet, tria, ſex, vel decem: Item, qui numerus æqualiter par appellandus, atq; volunt Euclidem in huius deſcriptione grauiter erraſſe. Iuxta illa, ex eadem quoque omnis generis ſuperſtitiones, in certis fundati numer s, exoriuntur: vtpote eum quidam coniectare volunt quando alicui, & quidem ante, vel poſt moriendum ſiet, idque ex perſonarum nominibus propriis, quorum literis ab ijſdem peculiares numeri adduntur. Ex illis etiam literis diuerſimodi oriuntur doli atque impoſturæ, vti videre eſt, in verberonib. iſtis verberabiliſſimis, falſiſque Luſoribus, qui tamdiu impoſturis ſuis ſeſe exhilarare ſolent, donec tamdem in furcam adigantur. Tacebo heic Tetraſtiam Pythagoræ, quæ quidem inter myſteria numeratur & tamen nihil omnino eſt aliud, quam turpiſſi-

mæ quædam impostura: Similiter & quædam artificiosa veneficia, quæ itidem circa certos aliquos numeros occupata sunt: Et forsitan heic multis optandum, vt famosissimo isti Amplistidi essent similes, qui vltra V. numerando procedere amplius non potuit. Et hæc de Arithmetica, in genere, & in specie, nunc dicta sufficiant.

IN DISCVRSVM XIV.
ANNOTATIVNCVLA.

AMmonius supra Porphyrium Arithmeticam sequentibus hisce verbis describit: Arithmetica est, disiunctæ per se quantitatis cognitio. Iohannes Grammaticus lib. 1. post. cap. 7. de eadem ita ait: Arithmetica est de consonantibus rationib. disputare; & libr. 1. Phys. eiusdem excellentiam hisce potissimum verbis indicat: Arithmetica, inquit, omneis scientias Mathematicas præcedit. Ita quoque Plato lib. 2. de Repub. eamdem summopere extollit, dum inquit: Arithmetica maiorem laborem & discenti & tractanti exhibet, quam aliæ scientiæ. Eiusdem vtilitas vero libr. 7. de Republ. hisce verbis indicatur: Arithmeticæ omnis ars, & omnis scientia cogitur, esse particeps, & paullo post: Arithmetices disciplina vtilis multis modis est, & egregia, si quis cognoscendi, non cauponandi, gratia, illam amplectatur: Et iterum, Arithmetici, qui natura sunt, ad omneis, vt ita dicam, disciplinas, acuti sunt: Et qui tardi, si in hac exerceantur, etiamsi nullam aliam vtilitatem capiant, acutiores tamen, quam antea fuerant, redduntur. Partes autem Arithmeticæ à Proclo lib. 1. super Euclidem hunc in modum recensentur: Arithmetices ait, tres sũt partes, linearum, videlicet Planorum, & solidorum numerorum, consideratio. Similiter quoque Angelus Politianus, aliquanto latius & copiosius in Panepistomene suo, de eadem re tractat. Secreta Arithmetices lib. 1. Secretorum Iohannis Iacobi Weckeri reperiuntur: Eiusdem autem Inuentio Sidoniis adtribuitur, veluti Cælius Rho-

Rhodiginus memorat libro 10. cap. 34. Antiq. lect. Si quis vero de eiusdem excellẽtia plura scire desideret, is legat aliquot modo dicti Auctoris capita lib. 12. in quo ferme, meræ istiusmodi res, ad Arithmeticam pertinentes, pertractantur.

DE MEDICIS

DISCVRSVS XV.

MVLTI inconsideratissimæ mentis homines reperiuntur, qui, magis ex maliuolo odio, quam ignorantia, venenatissimam suam linguam contra excellentissimum & pretiosissimum Medicorum, Collegium exacuunt: atq; adeo operæ pretium sese facturos autumant, si ob quorumdam Medicastrorũ crassam inconsiderantiam & ignorantiam, omneis legitimos verosque Medicinæ Professores contemnant, nauci æstumantes quod per Nobilissimam istam disciplinam, tot præstantissima ingenia aliis non solummodo operam suam sedulo vtiliterq; nauarint, verum etiam eo ipso ad summa honorum dignitatũque fastigia, hinc inde euecti fuerint. Quemadmodum igitur odio inebriati & pene suffocati sunt, ita quoque omneis sermones illorum, qui Medicinæ non adeo bene cupierunt, in vnum quasi fasciculum collegerunt, atque iisdem non dumtaxat ipsam artem scientiam, verum etiam ejusdem Doctores & Professores contemnere, calumniari, aut ad nimirum suspectos reddere conantur. Inter alia vero plerumq; cum Socrate caussam suam tue[ri] satagunt, qui apud Platonem incrementum Medicorum in bene aliqua constituta Republica fieri vetat: Item, quod Cato Plinio teste, medicis aditum ad Romam interdixerit, quum periculosos perniciosoque homines illos esse iudicaret. Item, quod Arcades olim nullos omnino Medicos aut medicinam tolerauerint, sed solũmodo, medicinæ loco tempore verno, lacte, præsertim autem Vaccino, vsi fuerint. Item, quod Lace-

Lacedæmonij, Babylonij, Ægyptii, Lusitani, quemadmodum Herodotus & Strabo testantur, Medicos relegarint, & ægros suos in forum portari curarint, vt hoc modo transeuntes, qui eodem morbo laborassent, modo commemoratis minus valentibus, adplicatis significatisq; suis remediis, succurrerent. Item, quod Seneca testetur, medicos olim apud omneis passim, in tanto contemptu fuisse, vt etiam honesto alicui viro in preiudicium existumationis suę cesserit, si seruum, de medicina in minimo etiam sollicitum, in ædibus suis tolerasset. Item, quod Romanorum Imperator Hadrianus in agone quæstus de medicis fuerit, & ita dixerit: Medicorum me turba perdidit. Item, quod Ausonius, vir alias literarum peritissimus, ægri alicuius sanitatis restitutionem non arti medici, sed multo poti⁹ fortunæ tribuerit. Hisce & similibus obiectionib. friuolis friuolam suam caussam tueri conantur, quæ tamen nulla omnino responsione dignæ sunt: Meridiana siquidem luce clarius est, quod imperiti quidam aselli & Empirici istiusmodi obiectionibus tangantur. Quidam etiam, manifestissima quadam contradictione medicinam, omniumq; medicamentorum vsum, à Veteribus medicis olim præscriptum, reijcere volunt, cũ tamen ipsa constansque experientia, multo melioribus rationibus, quam quib. isti contemptores sese tueri putant, testetur, quod non dumtaxat ipsa Medicina, verum etiam eiusdem Professores & cultores omni honore digni sient, atque etiam apud omneis passim, in magno pretio habiti fuerint. Inter quas sane non pro medioxuma censenda est, quod *Deus Ter Optumus Maxumus* medicinam ipse crearit, atq; adeo medicum honorari non contemni, præcipiat, vt expresse illud apud Syracidem cap. 38. legitur. Honora medicum, propter necessitatem enim creauit eum Altissimus. A Deo omnis est medela, & à Rege accipiet donationem. Disciplina medici exaltabit caput eius, & in conspectu magnatum collaudabitur. Altissim⁹ de terra creauit medicinam, & vir prudens nõ abhorrebit illam. Græci, apud quos medicina primum innotuit, atque eam ipsam ob caussam, in magno honore atq; existumatione semper fuit habita, eiusdem inuentionem ipsorum DEO Apollini consecrarunt, id quod etiam non abs

qu

quecauſſa factum eſt: Omnium primus ſiquidem ille herbarum vſum indicauit, & confuſam antehac medicinam in certum ordinem redegit: qua de cauſſa illum pro Deo coluerunt Græci, quod id non abſq; ſingulari diuina illuminatione, haud fieri potuerit. Apollo autem iſte tam quam *Deus*, ab Ouidio hunc in modum introducitur, dum inquit:

Inuentum medicina meum eſt, opif. xque per orbem
Dicor, & herbarum ſubiecta potentia nobis.

Sic eius quoque filius Aeſculapius per eamdem artem & ſcientiam ita celebris eſt redditus, vt non dumtaxat pro eiuſdem inuentore verum etiam Deo habitus fuerit, quod iſtiuſmodi ægros, de quorum ſanitate tamen omneis deſperabant, priſtinæ ipſorum valetudini reſtituiſſet, atque quaſi mortuos iterum reſuſcitaſſet: quemadmodum etiam fabulæ de illo affirmant, quod hoc poſtremum in Hyppolito, & Androgeo minois filio, comprobatū fecerit, eapropter propertius ſequentes de ipſo cecinit verſiculos:

Et Deus extinctum certis Epidaurius herbis
Reſtituit Patriis Androgenea focis.

De eodem quoque Q Serenus Samonicus ſequentibus in verſiculis ſic loquitur:

Tuq; potens artis, reduces qui tradere vitas
Noſti, atque in cœlum manes reuocare ſepultos.

Volunt tamen Nonnulli, vti ſane Plinius libro 7. memorat, quod Chiron, Centaurus, atq; pro Saturni filio æſtumatus, Achilliſque præceptor, huius tam Nobiliſſimæ ſcientiæ inuentor fuerit, atq; omnium herbarum virtutes & efficacias exactiſſime perſpectas cognitaſque habuerit. Alii autumant hunc inuentionis honorem Ægyptiis deberi, vtpote quib. Homerus eamdem etiam ſequentibus in verſibus adtribuat, dum ſic ait:

Fertilis Ægyptus rerum medicamina iuxta
Optuma multa, ſimul deterrima, plurima profert.

Soranus Epheſius vero inuentionem Apollini, amplificationem correctionemque Æſculapio, & perfectionem Hippocrati ſimpliciter adſcribit, dum inter alia, ſic inquit: Medicinam Apollo quidem inuenit, ampli-

ficauit Æſculapius, perfecit autem Hippocrates.

Medicinæ præſtãtia. Huius autem artis præſtantia quadrupliciter manifeſta fit primum, ab obiecto, quæ ſunt cauſæ rerum naturalium quæ à Medico conſiderantur, & iuxta illum, quem ars præmonſtrat, & requirit, finem diriguntur. Quo-*Phyſica.* circa etiam Phyſicæ tanto quaſi amicitię nexu copulatur, vt non immerito ſcientia appellentur, etiamſi Fernelius, medicus alias præſtantiſſimus atque celeberrimus, illud non admittat, & in procemio ſuo expreſſe arte͂ nuncupet, idq; auctoritate Hippocratis, ab initio libri ſui de diebus decretoriis.

Similiter etiam Auerroes in Collectaneis ſuis eamdem artem appellat, dum inquit: Medicina eſt ars factiua ratione & experimento inuenta, quæ tum ſanitatem tuetur, tum etiam morbum depellit. Vice verſa Herophilus, in illius definitione expreſſe nominat ſcientiam, Medicina, inquit, eſt ſcientia ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum.

Iſta autem contentio, an videlicet medicina ars vel ſcientia ſiet, huc neutiquam pertinet, æque tam minus, quam vana iſta controuerſia de præcedentia, num videlic. medicus Iuriſconſultum præcedere debeat, quæ aliquando à Duce Venetiarum facete deciſa fuit, quod nimirum hac in re ille proceſſus ſequendus ſiet, in quo fur ad furcam ducitur, & fur præcedit, carnifex vero eumdem à tergo ſequitur. Itaque arrogantiam iſtam, tamquam ſtultam de lana caprina contentionem non immerito ſuo loco relinquo, & nunc affirmo, quod medicina ſupra omnem modum neceſſaria atq; vtiliſſima ars ſiet, quemadmodum etiam vita & integra corporis valetudo omnibus rebus, quæ hoc in immundo mu͂do & haberi & exoptati poſſunt, longe anteferenda eſt.

Quid enim, obſecro, opes, otium, voluptas, atque adeo totius huius mundi præſtantia atque excellentia hominem aliquem iuuat, ſi æger lecto adhæreat, atque bonis iſtis omnibus neutiquam vti frui poſſit? Aut qua, quæſo, voluptate afficitur, ſi perpetuo in cruciatu atq; dolore decumbat, ſeque vix huc illuc mouere poſſit? Quomodo denique infirmus vel quieſcere, conſolari, aut pacari poterit, niſi, iuxta Deum Ter Optumum Maxumum, ad ſe veniente͂ medicum intueatur, qui ipſi ſpem faciat,

faciat, quod implorata ope diuina, breui ad pristinam suã valetudinem reuersurus fiet? Quapropter non immerito exoptata dici poterit, medicina cuius ars dici poterit, medicina cuius solius beneficio eger summopere consolatur, eiusdem melancholia & tristitia pellitur, cor & spiritus recreantur, atque homo morti tamquam ex faucib. iterum erumpitur. Si etiam felicitas, vel summum bonum, Epicuri, Aristippi, Sophoclis, Aristophanis aliorumq; in corporis animiq; voluptatibus, vti sane rationi videtur, consisteret, tunc certè morbo correptus aliquis omnium erit infelicissimus & miserrimus, atque, vice versa, ille omnium fortunatissimus in vniuerso terrarum orbe erit, qui, ope medicinæ sanitati suæ restitutus fuerit, eamdemq; ad decrepitam sanitatem quietamque mortem vsque conseruauerit: Pretiosissimum, beatissimum, carissimumque thesaurum igitur secum asportat medicum, qui non immerito auro & argento etiam à principibus & proceribus longe antefertur, omniaque huius mundi bona, gazas, opesque multum antecedit.

4. Medicina porro etiam ad Logicam fundatur, idque per discursus suos rationales, quib. antequam adplicetur, effectus suos demonstrat. Similiter etiam partem operationis suæ medicina à Rhetorica sortitur, si videl. celebris doctusque aliquis Medicus ægrum blandis, atq; dulcisonis sermonibus alloquitur, vt potiones eo lubentius, non cum fastidio & nausea, sed singulari quasi cum lætitia bonaq; spe imbibat: cuius sane non parum interest. Medicamenta siquidem eo ipso non solummodo grata acceptaque, verum etiam efficacia atq; salutaria redduntur, dum, vice versa, morosi inhumanique alicuius medicastri vel Empirici aurum potabile, inuito ægro infusum, exiguum, vel omnino nullum fructum emolumentumq; sortiatur. *Rhetorica.*

Pari quoque modo medicina ab Arithmetica iuuatur, cũ non dumtaxat certe quædam doses ad eamdem pertineant, verum etiam, vti quidem in febrib. videre est, dies & horæ numerandæ sunt. *Arithmetica.*

Musica itidem suum in medicina locum honorificum, vsumque obtinet, & quidem non dumtaxat contemplatiua, per quam contraria certa quadam mensura inter se inuicem tem- *Musica.*

perantur, & magna harmonia in temperatura ista existit, verum etiam Actiua ipsa, id quod equidem summopere mirandum est Theophrastus de Sciatica, infra spinam dorsi hominis vehemẽtissimo morbo testatur, quod ope musicæ subleuetur atq; mitigetur. Marius podagræ dolores ejusdem musicæ beneficio, leniri asseuerat. Historia vero de Saule ex ipsis SS. literis nota est, cuius morbus æque mirum in modum leniebatur, si Dauidem Cytharam pulsare audiebat.

Geometria. Sic & Geometria medicis etiam inseruire cogitur, quando videlicet ægris arterias tangunt, atque ex eiusdem ita patientis statum atque morbum explorant.

Astrologia. Astrologia itidem ijsdem manus auxiliatrices porrigit, dum Lunæ cursum, & distincta anni tempora in medicamentorum adplicatione obseruant.

Theologia Theologia quoq; alicui medico erit necessaria, non solummodo, quod ipsius officium in *Dei Ter Optumi Maxumi* verbo, vbi supra demonstrauimus, fundatum siet, verum etiam quod tamquam homo Christianus, ęgris siue patientibus suis humanam fragilitatem, imbecillitatem, atque adeo ipsam mortalitatem in memoriam reuocet, eosdemque ad: & exhortetur vt sese, in euentum, cum Christo in tempore reconciliant.

Ex quibus omnibus apud quosuis sanę mẽtis facilime colligitur, quanto videlicet studio atq; honore fidelis aliquis medicus colendus, & quanta, vice versa, improborum hominum, hominis nomine prorsus indignorum, maliuolentia siet, qui eumdem contemnere naucique æstumare conentur.

Quum vero inter ipsos & Empirici aliquot reperiantur, q dumtaxat experientia quorumdam suorum remediorum innituntur: Item Methodici, qui solummodo morborum essentiá, absque vllo temporis, loci, ætatis, naturæ, atque firmitatis ægrorum respectu, considerant: Item Dogmatici & Rationales, qui equidem ipsam experientiam minime contemnunt, rationem, iudicium, & discretionem tamen etiam vsurpant, &c. iccirco sciendum est, quod commemorata isthæc omnia de postremis hisce intelligenda sient vtpote quorum studio & industria medicina summopere illustrata, atque ad istiusmodi sanè perfectionẽ reducta est, vt eidem ferme nihil amplius addi

queat;

queat: Quapropter & illi laude sua neutiquam defraudandi, sed summo honore potius afficiundi sunt. Et quidem Æsculapius, iuxta Isiodori opinionem, primus medicinam Empiricam inuenisse dicitur: Plinius vero eandem Acroni Agrigétino tribuit, quam postea Philinus Cous excoluit, quemadmodum & Serapion Alexandrinus duo Apollonij Antiocheni parens videlic. atq; filius, Glaucius, Mēnodot⁹, Sextus, Heraclides Tarentinus, vna cum magna Latinorū cohorte, inter quos Marcus Cato, Cneus Talgius, Pomponius, Lætus, Cassius, Felix, Auntius, Cornelius Celsus alijq; plures exstiterunt.

Methodicam medicinā, eodem Isiodoro teste, Apollo reperit: Alii Themisonem Laodiceum nominant, quemadmodum etiam à Galeno, eius rei gratia, multis in locis communitatum inuentor appellatur. Hos postmodum sequuti sunt Thessalus Thrallianus, qui tempore Neronis vixit & magna insolētia atque audacia omneis relliques medicos, qui ante ipsum fuerunt, contemnere haud erubuit: immo tam elati fuit animi vt etiam sepulchro suo, quod viuus sibi fieri curauerat, inscripserit, quasi omneis medicos superasset. Mnaseas preterea, Dionysius, Proclus, & Antipater: In qua tamen secta minime concordes fuerunt, quapropter Olimpiacus Milesius, Menemachus Aphrodisæus, & Soranus Ephesius ab ijsdem sese segregarunt.

Dogmatica & Rationalis.

Ad Dogmaticam & Rationalem medicinam vero, quod attinet, illam, absque vlla controuersia atque contradictione, Hippocrates Cous inuenit, qui etiam eius rei gratia medicorum Princeps nuncupatus fuit: Illum sequuti sunt Diocles Charistius, Prassagoras Cous, Chrysippus, Hierophilus Chalcedonius, Erasistratus Chius, Mnestheus, Athenæus, Asclepiades, Bythinius, Prusias & longo tempore post etiam Galenus, qui Hippocratem multo, quam omneis alii, diligentius imitatus est, & medicinam cognitionem caussarum, notitiam signorum, qualitatem rerum, & diuersarū habitudinem graduumque corporum reduxit. Ad hunc omneis hodierni medici confugiunt, atq; Hippocratis & Galeni auctoritate nituntur, eosdemq; probatissimos certissimosq; esse autumant: etiamsi adhuc Arabes, Auerroes & Auicenna videlic.

delicet, aliquot successores ad hodiernum vsque diem retineant. Similiter etiam medicina per peculiares & distinctos suos Professores summopere illustratur, qui, ob eximiam eruditionem dexteritatemque suum, digni sunt vt heic honorifica ipsorum fiat mentio. Inter alios tamen Suidas Aristogin:m Thasium celebrat, qui Antigoni Regis Macedoniæ tempore floruit. Sic Crinas Massiliensis pari modo à Plinio laudatur, qui patriam suam, de artis suæ lucro muro circumdedit, & nihilominus etiam magnas opes atq; diuitias post se relliquit. Machaon, Escæ filius, à Veteribus summopere commendatur, cuius Baptista Pius in Elegia quadam sequentibus verbis meminit: Cura Machaonia maior & ista manu est.

Herodotus quoque in Thalia sua Ocularii cuiusdam mentionem facit: Cælius vero de Philone quodam refert, quod remedia, siue medicamenta ipsius Pharmaca diuina, & cœlestia remedia habita fuerint. Et quamplurimorũ istiusmodi Inlustrium medicorum, tam apud Veteres, quam Neotericos scriptores crebra fit mentio. Penes istos, nulla vmquam apud me obliterabit obliuio, qui nostro tempore aut vixerunt, vel etiam num viuunt & medicinam summa cum ipsorum laude exercuerunt & professi sunt, ex quorum numero sunt Cardanus, Paternus, Staphanellus, Bellacatus, Trincaualla, Capa di Vacca, Mercurialis Forojuliensis, Fallopius, Niger, Comascus, Seccus, Saxonia, Aquapẽdens, Barbarus, Tiberius, Orsus Placentinus, & quam plureis alii, qui in celebrioribus vrbibus magnam vbique nominis sui famam gloriamque consequuti sunt: Et hi quidem præstantissimi Viri medicinam non dumtaxat scriptis suis eruditissimis, verum etiam praxi sua ingeniosissima, adeo commendarunt & extulerunt, vt etiam Phydiæ Minerua non tantopere laudata, atque celebrata vmquam fuerit.

Diuiditur autem medicina plerumque in Naturalem conseruatiuam, causalem, iudicialem, & Remedialem; & à Græcis appellantur, Physiologica, Hygiæna, Æthiologica, Simiotica, & Trapestica.

Prima complectitur elementa, temperamenta, humores, partes corporis, facultates, actiones, & spiritus,

Secunda, consideratĩonem æris,

aëris, cibi, potus, motuum, somni, vigiliarum, pinguedinis, macilentiæ, omniumq; adeo perturbationum animi.

Tertia, caussas externas & internas continet, similiter & concausas, morbos, eorumdemque casus accidentales, & Symptomata.

In quarta, in genere omnia signa, peculiares crasses vel mutationes; Item dies Critici, vel Decretorii, indicia, intercidentia. Item iudicia ex vrina, exerementis, sputo, imprimis vero arteriis, complectuntur.

In quinta, continentur diæta, medicamentum atque Chirurgia. Sub ipso medicamento autem comprehenduntur talia remedia, quæ ori infunduntur, vtpote Gargarismi, Collyria, omnis generis curationes, atque Clysteræ. Habent insuper medici etiam alia media & remedia, quibus morbi expelluntur. Oriuntur autem morbi plerũq; ex contrariis; in humano corpore existentibus humoribus, vtpote sanguine, felle, Melancholia, & Phlegmate: quapropter etiam in omnibus suis libris eosdem impugnant, diuersimodaque remedia indicant contra Epilepsiam, Pleuritin, Hemicraneam, Cephaleam, vertiginem, Scotomiam, Lytargiam, Phlegmonem, Syncopen, Maniam, Catarrhum, Aposthemata, morbum Hepaticum, Paralysin, Stranguriam, Dysenteriam, Colicam, pestem, Cancrum S. Antonij ignem morbum S. Lazari, & id genus alios, qui omneis & singuli medicis curandi sunt, quorsum etiam omneis suos textus, Cōmentarios, Tractatus, Aphorismos, Prognostica, Regimina, Interdictoria medicinalia dirigunt, atque reperiuntur omnis generis Pharmaca & Antidota: quibus ad tollendos morbos medici vtuntur videlicet Cassia, Syrupi, Pillulę, diuersimodo in vnum composita medicamenta, Dietæ, potiones, confectiones: Vnguenta itidem, Collyria, Electuaria, Throchisci, Emplastra, Epithemata, Ventosæ, fomenta, linimenta, Phlebotomiæ, Decoctiones, Distillationes, Gargarismi, Odores, Suffitus, Suppositoria, Clysteræ, & alię res similes, quas dilectæ breuitatis ergo, heic nō immerito sicco pede prætereo, quas cōmemorare singulas nimis longum foret.

Habent porro & peculiares quasdā suas doses, vtpote quasdam cum granis, quasdam cum scrupulis, quasdam cum drachmis,

mis, quasdam cum vncijs, quasdam cum semilibris, quasdam cum libris integris. Si etiam remedia scriptitent, tunc ne Ana quidem deesse cogitur, quę duo etiam semper & omni tempore coniuncta sunt: nisi quoq; semper Agaricum, vel Diagridium, Polypodium, Draganthum, Rhabarbarum, Scammoneam, Colocyntida, Stæchada, Mirobalanos in promptu & ad manus quasi habeant, tunc nihil præclari ab ipsis geri posset, sed istiusmodi remedium vltra X. miliaria sorderet, non secus, quam si Magister Grillus illud præparasset.

Et hæ de encómio medicorum nunc sufficiam. Ignoscant autem iam heic mihi boni Domini, si folium semel vertā: nam & vestri errores quoque non sepeliendi sunt. Homines siquidem & vos quoq; estis, qui morbis vestris peculiarib. laboratis, & Clystera quandoque ipsi indigetis, potissimum de ingredientibus, vtpote Betonicis. Quot enim, obsecro Mydæ vel asinina capita reperiuntur, (artem aliosque peritos præstantesq; medicos heic non intelligimus.) qui medicinam profiteri conantur, quam tamen ne in minimo quidem ipsi intelligunt? Si enim Crocota Doctorali amicti incedant, & magnum gestent in pollice annulum, tunc optumi, qui vmquam fuerunt, Doctores perhibentur, etiamsi ipsos lateat, quomodo videlicet tres pilulas vnam in scatulam recte includere debeant. Incedunt præterea *Medicastri* isti, tamquā Galenum omnino deuorassent, cum tamen ne ipsum quidem *Matthiolum* in vernacula sua, aut Pandectas Pharmacopolarum intelligunt. Auicenna, & Albumazar ab ipsis egregie quidem allegantur numquam tamen ipsos conspexerūt, multo minus intellexerunt. Væ itaque illis qui in ipsorum vngues incidunt, & in quibus probationem suam experiri conantur, tales siquidem plerumque cito moriuntur, & nihilominus Domino Doctori grandem mercedē persoluere cogūtur. Quot, amabo, domus ipsorum probas, vel probationes, lugent, in quib. non reuera medici, aut Doctores, sed multo verius decoctores, immo carnifices ipsi existerunt.

Sæpissime enim quidam ex Tonstrina Doctorali, pelliceo pallio sese inuoluit, & tunc illico eximius fit Chirurgus: si hoc procedat, mox insignis existit

Me-

Medicus, & plus, si modo vellet.

Quandoq; quispiam ex Pharmacopolio sese subducit, & cõfestim bonus fit Physicus. Aliquoties alicuius Doctoris Ianitor à Domino suo artem didicit, vel hæreditario accepit. Quoties, quæso, multi apud se ipsos cogitant, vel etiam optant, vt videlicet *Deus Ter Optumus Maxumus*, pestem prouinciæ alicui immitteret vt & exinde vberior ad ipsos messis redundaret? Quã artificiose quidam suæ curæ cõmissos patientes & ægros detinere norunt, dum occupatissimi scil. depositoque pallio, circa ægrum cursitant, non vt illico cõualescat, sed multo potius vt crumenam ipsius exhauriat? Et cum sępius quidam exiguis simplicibus infirmo succurrere possent, nihilominus tamẽ merum aurum potabile, hoc est, pretiosa composita in promptu adesse oportet, quæ vel ipsi domi præpararunt, vel in Pharmacopolio, cuius redditur particeps, eadem magno pretio confici curarunt. Taceebo iam, quod forte nonnulli reperiantur, qui prægnantibus viduis fœtum expellere & corrumpere conentur. Istiusmodi quoque reperiuntur sæpenumero homines, qui, pecunia corrupti, proceres quosdam ipsorum consilium & auxilium implorantes, veneno tollere audeant, quemadmodum Pirrhus, Leo Pontifex Maxumus, Carolus Caluus Romanorum Imperator, alijque plures istiusmodi Sicarios in aulis suis aluere. Quid nunc apud Plebeios fieri existumes, vbi hæreditates, inimicitiæ, matrimonia, & id genus alia coincidunt, & quandoque quispiam nullis parciat sumptibus, vt intentionis suæ compos reddatur, reperiret ne talis aliquem medicum, qui, pecunia conductus & corruptus, eidem, ad explendum cordis sui pestilens desiderium, operam suam locaret? Proh Deum immortalem, sæpissime quidam tali potione & medicina vtitur, quæ ipsi omnino sufficiunt, & ad Cœmiterium certũ iter præparant. Non immerito igitur Plato in Critone ea de re conqueritur, quod videlic. Soli medico hominem occidisse impune fiet.

Heic autem forsitan mihi vitio verti posset, quod tam Germane de istis reb. loquar: certa indubiaq; tamen fiducia teneor honestos animos ea de re neutiquam offensos fore: Eo ipso siquidem neque synceri candi-

dique medici, neque etiam legitime pmissa medicina heic carpuntur, vtpote quos, quemadmodum etiam haud immerito fit ab omnib. summopere prædicem, suoque honore & mercede omnino dignos esse autumem: sed dumtaxat heic loquor de Mydæ siue asininis quibusdam capitibus, quæ ex audacissima temeritate homines, non secus, quam feras tractent bestias, in quib. sæpissime venenum aduersus suum probatur antidotum.

IN DISCVRSVM XV.
ANNOTATIVNCVLA.

FRanciscus patritius lib. 2. de Republ. cap. 3. inuentionis Medicinę sequentem in modum meminit: Medicinæ inuector, inquit, fuit Apis Ægyptiorum Rex, qui, ob saluberrimum hoc inuentum, in Deorum numerum relatus fuit: & Æsculapius de ea primus scripsit. Marsilius Ficinus, in libro suo: de vita cœlitus comparanda, ait: Medicina omnis exordium vaticinijs habuit. Plato Dial. 1. de Republ. inter alia indicat quur videlicet inuenta fuerit, dum inquit: Medicina ideo inuenta est, quia corpus prauum est, & non suffi it ipsi, vt tale sit, ideo co[illegible]moda illa suppedit[illegible]re debet. Sic quoque Patritius lib. 2. de Rep. itidem significat, quomodo videlic. medicina diuisa siet, cum inquit: Medicina in tres partes diuisa est: vna, quæ victu, altera quæ medicamentis, tertia, quæ manu medetur. Plato in Gorgia suo, quid medicina siet, sequentibus verbis indicat: Medicina, inquit, est ars, quia eius, quem curat, naturam considerat: causam eorum, quæ facit, & singulorum horum rationem reddere potest. Alexander Aphrodisæus, lib. de sensu & sensato eius principia hisce verbis indicat: Medicinæ principia, ait, sunt ea, quę à Philosopho de natura tradita sunt. Sic Albertus lib. 1. Ethicorum finem illius hisce verbis indicat dum ita inquit: Medicinæ finis est Sanitas. Marcus Antonius Natta pij fidelisq; medici officium, lib. 5. de pulchro, hunc in modum indicat: Medi-

ci boni, ait, dent operam, vt ægrotantibus prosint, si queant: si nequeant, vlteriorem prohibeant lapsum. Sic & Iulius Barbarana, parte 3. officinæ, multas ad medicinam pertinentes spectantesq; caussas significat quemadmodum & Telesius, qui etiam multa noua dogmata Physica inuenit: ad quos beniuolũ, eius rei cupidum Lectorem ablegatum volumus. Plura quoq; de ead re Paracelsus suis in libris reuelaturus & explicaturus est.

DE CANONISTIS ET Summistis.

DISCVRSVS XVI.

QVemadmodum, iuxta vulgarem Iurisconsultorũ cõsuetudinem, veluti prooemium Digestorum testatur, alicuius rei ordinaria tractatio ab origine inchoanda est: ita quoque & idem heic facturus sum, eiusdẽque origine intentionis meæ ꝓpositum nunc inchoabo, vt ita vetus ista cõsuetudo à me quoque rite ordineque obseruetur. Aio itaque, quod veri genuinique Canones, vel Leges Canonicæ, originem suam non aliunde sumant neque etiam sumere possint, nisi à *Deo Ter Optumo Maxumo solo*, à quo, tamquam inexhausto bonitatis fonte, omnia bona dona, & sapientiæ riuuli vbertim promanant. Vnde etiam D. Augustinus vere quodam in loco dixit, quod Leges Traditionesq; Humanæ, de Auctoritate & potestate Magistratus, subditorumque obsequio, hominib. ab ipso Deo traditæ fuerint.

Quanto autem magis id nos de ijs Legibus & Traditionibus fateri oportet, quæ nobis in suo verbo, postmodum autem per fideles suos ministros atque Apostolos explicatæ, atque ad diuersos inter homines coincidẽtes casus directæ sunt. Nonnulli existumant, (si quis proprie de ipsarum primordio loqui velit) illas mox in terreno Paradyso suum sumsisse initium, postquã Deus ipse primis nostris paren-

tibus, de cognitione boni & mali, Legem tradidisset, de qua etiam postmodum Dominus ipse iudicium exercuit. Alii quoque concedunt, ipsas quidem in Paradyso suum habuisse initium. Dum vero *Deus* voluntatem suam de incarnatione filii sui Angelis reuelasset atq; manifestasset quosdã ex ijsdem illud summopere commendasse & prædicasse, quosdam vero diuino isti decreto sese opposuisse, atq; adeo iusto Dei iudicio ex Cœlo imum in barathrum, detrusos fuisse. Alii volunt, ex Mosaica Lege easdem exortas esse, quam Deus ipsemet Moysi tradidit, atque simul tam Morales, quam Ceræmoniales Constitutiones, (vti ex Leuitico, Numeri, ac Deuteronomio videre est) tradidit.

Et tamdem alij existumant, quod primum sub Christiano Imperatore Constantino Magno cœperint, atque sub quo, post tot diuersimodas perpessas persequutiones crudelissimas, Christiani aliquantulum respirauerint, Cõcilia celebrauerint, atq; omnimodas tam vitæ, quã doctrinæ caussa tum temporis exortas controuersias conciliauerint. Quæ Conciliatio etiam scripto compræhensa, & postmodum Canones, hoc est, certæ regulæ, iuxta quas in casibus similib. directorium haberi possit, dictæ sunt. Reperiuntur tamen etiam adhuc alij, qui prætendunt, quod Leges non tum temporis suum sumpserint exordium, sed etiam in Veteri Testamento exstiterint: quocirca easdem quidem, ex Veteri illo Testamento suum numerare initium, in nouo tamen ad perfectionem istam, in qua hodierno tempore cernuntur, peruenisse.

Concilia etiam in Veteri Testamento in vsu fuisse, id ex Numerorum XVI. capite constat, vbi legitur, quod improbi aliquot homines contra Moysem & Aaronem insurrexerint, & concilium contra eosdem coegerint. Similiter illud quoque ex peculiaribus aliquot Historicæ Euangelicæ locis liquet, q; Iudæi priscis, istis temporibus Concilia & Conuentus celebrauerint: Idque etiam à Pharisæis & Scribis obseruatum fuisse, p̃sertim exorta inter ipsos controuersia SS. literæ testantur. Pari modo & Christus ipse credẽtium suorum concilia confirmat & ad probat, dum Mat. 18. ita inquit: Vbi duo aut tres in nomine meo cõgregati fuerint,

ibi

ibi ero in medio eorum. Ex quibus Domini verbis postmodum Apostoli potestatem sibi sumpsere, vt VII. distincta Concilia coegerint.

I. Dum conuenerunt, & Iudæ proditoris vacantes vices supplere voluerunt, in quo conuẽtu D. Petrus, tamquam caput & Princeps Apostolorum, verba fecit, quemadmodum in primo Actorum Apostolicorum capite legitur.

II. Celebrarunt, dum IIX. Diaconos, qui, loco viduarum ad Apostolorum mensas administrantium, inseruirent, elegerunt, veluti in VI. Actorum capite videre est.

III. Dum Apostoli inter se inuicem cõsultarunt de missione Petri & Iohannis versus Samariam, vt hoc modo etiam ipsi Samaritani Spiritum S. acciperent, vti ex VIII. ca. Actor. videre est.

IV. Concilium celebratum fuit (vti Actor. XIV. legitur) in abrogatione Ceræmoniarum Legalium.

V. Cum Paulus, vti Actor. cap. XX. adparet, Mileti Seniores & Curatores Ecclesiæ Ephesinæ conuocaret, & informaret, quomodo imposterum plebi rite, legitimeque præesse & eidem commode prospicere deberent.

VI. Quemadmodum eorũdem Actorum cap. XX. testatur, Hierosolymis celebratum est ad eximendam isto in loco suspicionem, quam quidam contra D. Paulum conceperant vbi etiam Pauli purificatio decreta fuit.

IIIX. Apostoli habuerunt (vti Papa Clemens I. in Decretalibus suis, & Leo in quadam epistola ad Augustum testãtur) in Apostolorum diuisione, vbi ante ipsorũ digressionem symbolum Apostolicum comportarunt, iuxta quod simul, vti Nonnulli tradunt, adhuc XL. Canones condiderunt, quemadmodum etiam isti in principio Conciliorum Generalium, ordine cõmemorantur. Et tamdem, iuxta diuersas diuersorum hac de re opiniones, verisimile videtur, quod SS. Apostoli, ac vna cum illis quidam Martyres & Episcopi LXXXV. præcipuos Canones vsque ad Papæ Syluestri tempora, fecerint, vti in Decretorum distinctionibus facile colligitur. Ex quibus omnibus manifestum est, quod etiam ante Constantini Romanorum Imperatoris tempora multa ac diuersa celebrata fuerint.

Concilia: quemadmodum Papæ Victoris tempore vnum Ephesi, alterum, Romæ, & tertium Cęsareæ in Palæstina de quibusdam diuersis ritib. & Ceræmoniis Ecclesiasticis, celebrata fuerunt, veluti Historia Ecclesiastica testatur.

Postea quoque, Cornelii & Dionysii PP temporibus Historiæ Ecclesiasticæ lib. VI teste, etiam adhuc alia quædam instituta sunt. Et denique ex Decretorum distinctionib. itidem adparet, Marcelli Papæ iussu atque mandato, vnum quoque fuisse institutum.

Canones Conciliorum Vniuersalium

Ad Conciliorum Vniuersalium Canones vero, quod attinet, qui, vti constat, à plerisque recepti sunt, certo certius est, ꝙ illi, etiamsi ante dicta ista Concilia eorumdemque Canones in valore suo fuerint, sub & post Imperatorem Constantinũ suum sortita sient initium, vbi quemadmodum etiam supra inter alia commemorauimus, Ecclesia, post tot multifarias perpessas ærumnas atq; persequutiones, iterum aliquantulum respirare & concilia instituere potuit: in quibus consultationibus etiam omnis generis epistolæ, Decreta, atque Regulæ traditæ fuerunt, quæ non tam doctrinã, quam ipsam etiam Clericorum vitam concernebant. Similiter & nouæ quandoque constitutiones, necessitate vrgente, fieri oportuit, quæ partim ex Veteri Testamento, partim vero ex ipsis Apostolorum traditionibus desumptæ fuerunt.

Postquam vero istiusmodi Canones Decreta, Epistolæ Decretales, Dogmata, Mandata, Traditiones Apostolorum, Auctoritates Patrum, aliæque huius generis constitutiones Canonicæ adeo cumulatæ fuerint, vt non dumtaxat exinde magna confusio exstiterit, verum etiam adeo obscuratæ fuerint, vt vix intellectu adsequi potuerint, ea propter monachus quidam, nomine Gratianus, Petri Lombardi, Sententiarum Magistri, frater Germanus, easdem, in studiosæ iuuentutis gratiam, collegit, istumque suum laborem Collectaneum concordiam cõfusorum & diuersorum Canonum appellauit, quibus insuper egregia aliquot ex SS. Scriptura deprompta dicta atq; testimonia adiecit. Etiamsi vero quidam adhuc alii, ante illum, eumdem laborẽ in se receperint, ex quibus Isiodorum, Iuonem, Carnutensem, Hugonem, Catalanum, qui ex Iuonis opere con-

conscripsit compedium, & Fulgentium Carthaginensem numerant, & Epitomen quamdam Decretorum Sanctorum Patrũ iuxta laudabile exemplum Brocardi Episcopi VVormatiensis, collegerint nihilominus tamen Gratianus noster cęteros omnes longe antecellit; vtpote, qui distincta Concilia, Decreta SS. Patrum, Epistolas, vel Canonicas Institutiones Romanorum, Pontificum collegit, aliaque, ad tollendas coincidentes diuersimodas cõtrouersias, regendamque Christianam aliquam communionem, ex singularibus aliquot Legibus, & quibusdam celeberrimis Doctoribus desumpsit, atq; ita Decretorum librum conscripsit.

Postmodum quoque decretales, lib. 6. Clementinæ, & Extrauagantes Cõstitutiones, quas Gregorius IX. vna cum alijs quibusdam Institutionibus Canonicis, Concilijs, & Epistolis Decretalibus, quas partim ipse fecit, partim ab ipsius Diacono M. Raimundo, comportatæ sunt, An. C. M CC. XXI. vno in libro compræhensæ sunt. Aliquot etiam post annos, An. C. M. C . XCVIII. Bonifacius VIII. librum VI. vna cum quibusdam alijs casibus adiunctis, in complementum priorum Decretalium, diuolgari curauit. In Concilio Viennensi quoq; postmodum, videlicet A. C. MCCCXI. Constitutiones, Clementis V. sancitate sunt, quæ sane ab ipso nomẽ perfectionem vero suam à Iohanne XXII. adeptæ consequutæque sunt. Omneis autem relliquæ Constitutiones Papales & Extrauagantes, post Gregorium IX. factę, auctoritate carent, ijs solummodo exceptis, quæ post sextum confirmatæ fuerunt, vti in procemio illius libro sexto & glossa finali videre est.

Ad Allegationes, quod attinet, etiamsi apud alios Auctores sufficiens reperiatur informatio quemadmodum etiam inter alios Haloander in specie de Abbreuiationibus Canonicis libellum peculiarem conscripsit, nihilominus tamẽ heic de eadem ista materia quædam adijciam. Vbi cumprimis notandum obseruandumque est, quod inter III. præcipuas libri Decretorum partes, prima per distinctiones, capita, & paragraphos allegetur altera, per causas & quæstiones, vbi in causis numerus nominatur, causæ ipsæ tamen silentio prætereuntur, quæstiones vero ipso cum numero allegantur, *Allegationes.*

ex-

exempli gratia, si quis dicat: Prima: quæstione secunda, id sane tantam est, quasi caussa 1. quæst. secunda.

Sin autem subdistinctiones allegentur, quæ in dicta ista parte secunda, in XXXIII. causis complexæ sunt, tunc Titulus & Distinctio appellari solet: Exempli gratia; de pœnitentia, distinct. 1. hoc est, Titulo de pœnitentia, dist. 1. Tertia pars, quæ V. distinctiones in vniuersum compræhenditur, commemoratum ante in modũ allegatur. Iuxta illa Libri Decretaliũ quoque primum per Titulos allegantur, in quibus etiam vocabulum extra reperitur, quo innuitur, quod dicti isti Tituli, excepto lib. 6. reperiantur, quamuis alias dictum istud vocabulum minime necessum fiet: Si enim Liber Sextus allegatur, vel Clementinæ, tunc libri nomen titulo semper additur vtpote: lib. 6. vel Clement.

Habent quoque omneis isti Libri Decretales peculiaria sua capita, Paragraphos, aliasq; certas suas partes: vbi quidem in allegatione numerus capitis nominatur, aliquando tamen numerus iste omittitur & solummodo prima verba capitis nominãtur: vtpote, de Sponsalibus Dilectus. Si præterea etiam adhuc aliud quiddam, ex eodem capite allegetur, quod vel inter ante commemorata verba, vel supra illa inueniatur, tunc dumtaxat supra, vel infra eodem tit. scribitur, atque tamen titulus quandoque minime nominatur.

Ad cęteros libros Canonicos denique, quod attinet, librum sextum Clementinas, & Extrauagantes videlicet, omneis illi supra commemorato modo allegantur, excepto, quod vna cũ titulo & capite etiam libri nomen exprimatur & nominetur. In Clementinis vero numerus capitis loco, ponitur, vtpote, Clementina prima de iudiciis, vel Clementina quoniam de vita & honestate Clericorum, idẽ est, quod cap. 1. Clem. tit. de iudiciis, aut cap. Quoniam Tit. de vita & honor. Cler. Et hanc sane professionem multi Eruditissimi Clarissimiq; Viri scriptis suis luculentissimis illustrarunt, nimirum: Dominus de S. Gemiano, Innocentius Papa, Alanus, Ioannes de Imola, Ioannes Andreæ, Ioannes Monachus Cardinalis, Hugo Zenzelinus, Guilielmus, de Monte Lauduno, Franciscus Zabarella, Iohannes de Turre Cremata, qui Decreta

summo

summo cum studio explicauit. Similiter & Archidiaconus Cardinalis Alexandrinus, cognomento Praepositus, Nicolaus Abbas, cognomento Panormitanus, Baldus, Antonius Butrius, Philippus Decius, Andreas Barbatius, Raphael Fulgosus, Corsettus, Guido, Guilielmus Durandus, cognomento speculator, Lappus Castalio, Ioannes Calderinus, Odofredus, Goffredus, Ioannes Antonius de S. Georgio, Taucredus, Dinus, Gomezius Hostiensis, Henricus Bouius, & alii qui expositiones, Interpretationes, Glossas & Adiunctiones ad textus Originales, & Abbreuiaturas conscripserunt, & magno cum honore, atq; emolumento studiosae iuuentutis typis diuolgarunt: Ex multis aliis, quos commemorare omneis & singulos nimis heic longum foret, etiam reperitur Ioannes Diaconus, Hispanus, q Gratiani Decretum in summas redegit. Item I. B. Casaluppus, qui Decretales Gregorianos summis illustrauit. Item M. A. Cuccus, qui Institutiones Canonicas conscripsit. Vsurpantur insuper in iure Canonico multae peculiareis summae vtpote summa Rosella, pacifica, Raimundina, Pisanella, Astensis, Antonina, Bernardina, Petri Casuelis, Rainerii, Caietana, Angelica, Tabiena, Syluestrina, Iacobi Cuiacii, Sauonarolae, Monardina, & aliae quam plurimae, in quibus omneis, in vniuerso corpore Canonico hinc inde dispersae, materiae facilime reperiuntur, atque quibus omnimodis in casibus, tam iudicialibus, quam conscientię aliquis quam commodissime vti poterit. Inter omneis vero istos Nauarrus, Medicina, Berardutius, aliique Moderni Scriptores, qui ad eamdem istam materiam operam suam cocarunt, summopere excellunt.

Ad omnium illorum meliorem intellectum vero Institutiones Iustiniani qs merito audiuisse oportuit, in quibus multi termini & vocabula, quae in Legibus Ciuilibus quoque vsitata sunt, complectuntur, Item earumdem commentatores, vtpote Fabrum, Christ. Porcum, Iasonem Aretinum, & alios: cũprimis autem Titulum de Actionibus, & dein in vt quoque iure Titul. de rerum & verborum significatione: Regulas item Iuris, & hac in materia, iureciuili scil. Decium, & in Canonico Dinum, & Iohannem Andreae, vtpote qui copiosissime Titulũ

istum explicarunt. Ex primis istis Lectionibus discitur quoq; Practica & Vsus Terminorum, cuius hoc in studio potissumum interest.

Optumi vero Decretorum Doctores sunt Ioannes de Turre Cremata, Archidiaconus, & Cardinalis Alexandrinus: supra V. libros Decretalium vero Panormitanus, Antonius Butrius, Felinus Decius, Innocentius, Ioannes Andreæ, Archidiaconus, Petrus Ancharanus, Petrus Morosinus Cardinalis, & Comezius. Super Sextum Dominicus de S. Geminiano mirum in modũ excellit. Super Clementinas scripsit & excellit Iohannes Andreæ, Zabarella, Imola, & Speculator, vtpote, qui in vtroque iure, tam in Theoria, quam praxi, summam legenti, vtilitatem confert. Reperiuntur itidem vtilissima aliquot Iuris Vocabularia, videlic. Dictionarium Bertachini, Corseti, Alberici, vna cum Collectario, & summa Hosti nsis, in quibus omnibus materię Canonicę breuiter ac summariter explicantur.

Iuxta illud quoque SS. literarum lectio summopere necessaria erit, atque vtilis, præsertim vero si quis Principia Theologica aliquo modo rite cognouerit memoriæque probe mandauerit, quæ plurimum emolumenti adferent rebus fidem, sacramenta & conscientiam concernentibus: cuius rei gratia & summam Alexandri d' Ales, S. Bonauenturam, S. Thomam, & Richardum supra quartum sententiarum, Scotum, Dionysium Carthusianum, &c. commode aliquis legere poterit.

Huius Professionis, vtilitas vero exinde depræhenditur, quod nũ dumtaxat coincidentia mũdana siue Politica negotia componat, verum etiam ad Ecclesiasticas expeditiones vsq; sese extendit, quomodo videlicet adfectus coercendi sient, quomodo homo sese cum Deo reconciliare, proximum fideliter diligere, & tamdem vitam beatitudinemque æternam consequi & impetrare possit.

In eadem quoque Professione nobis præmonstratur, quomodo nimirum liberi Dei fieri, vitam nostram Christiano modo, & iuxta Christi typum, conformare, omnes status Virginitatis, Viduitatis, & Matrimonii honeste inchoare, Iustitiam Vniuersalem, & Particularem, Distributiuam, & Commutatiuam conseruare, constans in Ecclesiam regimen introducere,

re, Dei, Magistratusque præcepta seruare, omnia peccata, scelera, atq; flagitia diligentissime euitare, omnique virtuti atque pietati studere debeamus. Omnibus omnium ordinum hominibus inseruit, perfectis bono salutarique succurrit consilio, imperfectis bonam informationem, malos reprobosque vehementer castigat: In summa tutissimum, munitissimumque est propugnaculum contra omneis illorum incursiones & impetus, qui Ecclesiam impugnare vel lędere conantur.

Cumprimis autem, (quemadmodum etiā in Procœmio ff. circa fin. In decret. 6. & Clementinis memoratur) ad id confert, ꝙ multæ ac diuersimodæ cottidie incidentes quæstiones facilime dirimantur, quæ tamen alias nimium perplexæ, aut etiam omnino indecisæ rellinquerentur.

Non solummodo quoque vtilis, verum etiam summe est necessaria, vtpote per quam pax & Iustitia tuentur atq; defenduntur, sine quibus alias vniuersus terrarum orbis currui necessum haberet. Sublata siquidem Iustitia, nil sane aliud, nisi omnis generis malitia, violentia, & ruinosa confusio expectanda esset: Imperia in tyrannides, Regna, in latrocinia, atq; adeo vniuersa humana vita in molestiam intolerabilem, anxietatem, atque calamitatem præcipitaretur.

Si preterea etiam dignitas ꝓfessionis illius recte considerari debeat, tunc certe sufficientissime aliquis, ad eamdem colendam, diligendam, exercendamque instituitur. *Iuris Canonici eiusq; cultorum dignitas.*

Intueantur enim omneis aliæ Leges, Græcis à Ptolomæo traditæ, vel illæ, quas Mercurius Ægyptijs tradidisse fertur, aut istæ, quas Solon Atheniensibus præscripsit, vel illæ, Lacedæmoniis à Lycurgo latæ, aut etiam illæ ipsæ, quas Romani à Numa Pompilio acceperunt, & nullæ tum vetustiores reperientur, q̃ commemoratæ istæ Leges Canonicæ, quæ non ab hominibus sed â *Deo Ter Optumo Maxumo* ipso, vti tam in Veteri quam Nouo Testamento videre est, traditæ fuerunt: Ab origine mundi enim suam sortiuntur originem Locus, in quo traditæ perhibētur, est Paradysus, Promulgator earumdem vero fuit ipse *Deus*. Finis, vt lapsa creatura iterum ad creatorem suum reducatur. Materia autem nihil sane est aliud, quam Dei præceptum, eorumdem declaratio & expositio per

Prophetas, Christi informatio & doctrina, & tandem beata SS. Spiritus institutio. Eidem tam Theologia, quam etiam Philosophia moralis inseruire necessum habet. Quocirca Gregorius in Procœmio Epistolarum Decretalium recte & vere asseuerat; Leges ideo fuisse traditas, vt homo honeste viueret, alterum non læderet, & suum cuiq; tribueret.

Si quis autem de dulcissimis suauissimisque huius Professionis proprietatibus, plura scire desideret, is locupletissimum Iohannis Antonij Pagani, Veneti, discursum legat ex quo aliisque præstantissimis Auctoribus, ea de re tractantibus, partem aliquam mutuatus sum. De Conciliis vero, qui plura nosse cupit, is legat Ioannem de Turre Cremata, qui itidem, penes alios, præclara etiam quædam dubia & quæstiones non solummodo introducit, verum etiam decidit, qui tamen meis cum Discursib. minime concordant. Pari modo legatur etiam summa sacrosanctorum Conciliorum Ioannis Bartholomæi Caranzæ, quæ huic materiæ cumprimis inseruit, quemadmodum omneis, huic Professioni addicti, fateri tenebuntur.

IN

IN DISCVRSVM XVI.

ANNOTATIVNCVLA.

IVlius Cæſar Tintus nuperrimo tempore tabulas & introductiones quaſdam in ius Canonicum edidit, quas huius Profeſſionis Studioſi ſibi familiares reddere minime grauabuntur.

Ad Concilia quod attinet, videatur, de iiſdem Tractatus Iacobi Naclanti Epiſcopi Chioggiani, vbi quæſtionem: An Decreta Actaque Generalis alicuius Concilij neceſſario Papæ confirmationem exigant decidit: Similiter & Titulum XXXI. Compendij Diſputationum Ioannis Boderij, Lugduni Pariſiorum impreſſum: Annotationes itidem D. Raphaelis Comenſis, Canon. Reg. Lat. De poteſtate Concilii, in libro ſuo, quem Malleum hæreticolum nuncupauit.

DE NOBILIBVS

DISCVRSVS XVII.

IN hoc meo Diſcurſu multos tenuioris vtilioriſq; ſortis homines detegam, qui corraſſis aliquot Obolis, & ſerico veſtitu incedentes criſtamque in pileo geſtantes, violenter quaſi Equeſtres Domini eſſe nominarique geſtiunt.

Emunt enim Nobilitatis Inſigniorumque literas, atq; tam Nobiliſſime omneis ciuitatum angulos perreptant, vt in ore ſient omnium, & digitis, quaſi monſtrentur: id quod tamen ipſis minime in honorem, ſed multo potius in ſummam ipſorum vergit ignominiam, præſertim cum de iiſdem paſſim prædicetur, quod ipſorum Aui, vel ipſi etiam parentes abiectiſſimæ contemptiſſimæque ſortis homines exſtiterint, atque exinde

tota ipſorum familia adeo inquinata commulataque ſiet, vt ipſi etiam tam atri incedant, tāquam iam iam ex fumoſa claudi Vulcani officina ex Brontis, & Steropis, fratrum ſuorum, manibus ſeſe proripuiſſent vel ſubduxiſſent. Tales, inquam, Nobiles heic à me detegentur, quāuis mihi ab ipſis exigua ſane gratia expectanda ſiet. Ni tamen ſiniſtre rem intelligant, in ipſorum cedet emolumentum ſi videlicet veram Nobilitatem ſibi commendatam habuerint. Ex diuerſis ſiquidem fundamentis & fide dignis auctoritatib. nunc demonſtrabo, quæ vera Nobilitas, & quo pacto iſta conſequenda vel impetranda ſiet, ex quibus, ni violenter naſo ſuo in luto hærere velint, diſcent, ſe, ni aliam decorioſorem honeſtioremque vitam agant, à vilioris tenuioriſque fortunæ hominibus omnino nihil differre, qui de Nobilitate ſua parum aut omnino nihil certe gloriari poſſint, ſed multo potius indies, & magis magiſque ludibrio contemptui habeantur immo hinc inde paſſim audire coguntur, agreſtem quamdam caſam ipſorum fuiſſe Palatium, in quo nati educatiq; fuerint, quodq; mulgendis vaccis, in fuliginoſis ſuis domicilijs, alijſque ſimilib. ſub-ruſticis laboribus, ludorum Equeſtrium militariſque diſciplinæ loco operā dederint, & quæ id genus alia ſunt abiecta negotia, quorum equidem recenſione rubori, & confuſioni exponuntur, ſi iſtiuſmodi ruſticitatis opera, ad retundēdum ipſorum faſtum, ipſis obijciantur. Tales miſelli Nobiles, quid Nobiles & Nobilitas ſient, ipſi ignorant.

Si autem heic melius erudiantur, & quomodo ad eamdem perueniatur, probe informentur, tum abſq; vllo dubio de humilitate ſua eo melius reddentur certiores: Contraria enim, teſte Philoſopho, ſibi inuicem oppoſita, magis illuſerunt.

Iodocus Clittonæus, in ſuo de Nobilitate Tractatu, aſſeuerat, quod Nobilitas in genere ſiet excellentia, honor, atq; præſtantia alicuius familiæ. Bartolus Iuriſconſultus in Codice inquit: Nobilitas eſt honor & dignitas, quam vel Leges, vel Principes in aliquem cōferant. Boetius lib. 3. de Conſolatione Philoſophica ait: Nobilitatem eſſe certam laudem, vel certum etiam honorem prædeceſſorum, quam fortibus atq; Inluſtribus ſuis factis ſibi comparaſſent.

Landolphus, ſecunda Clemen-

metina, & Bonus de Cortili duo Iurisconsulti celeberrimi affirmant: quod Nobilitas dignitas siet alicuius familiæ, quæ à Maioribus in legitimos suos liberos propagetur: id quod ea de causa isto in loco additur, quod illegitime nati, vel spurij, ab hæreditate ista nobili excludantur. Apud Iurisconsultos vero p Nobilitatem certa subintelligitur, præeminentia, qua aliquis à plebecula ignobili discernitur, quemadmodum in Iuris Institutionib. de iure naturali §. Interim, videre est.

Quandoque etiam Nobilitatis vocabulum contrario quodam Intellectu sumitur, veluti S. Hieronym. de Heluidio Hæretico testatur, dum inquit: Nobilis factus est scelere: id quod etiam de Laide Corinthia intelligitur, quæ à Demosthene, ob vnum Concubitum, X numorum M. petebat, vnde Nobile Scortum ab Aulo Gellio lib. 1. Noct. Att. appellatur: Idem etiam Titus Liuius de Cannarum ciuitate asseuerat, inquiens: Nobilis illa clade Romana locus est.

In quibus vocabulum Nobilis pro gloria vel nomine sumitur, quod aliquis probrosis facinorosisq; suis fact.s sibi comparat, vel quod ex aliquo infortunio exoritur. Nobilitatis quoque nomen ipsis Nobilibus tribuitur, veluti Budæus sup. Pandect. indicat, atque cum notissimo nomine Gentilhuomo cōuenit, quemadmodum in Republica Venetiana cernitur, vbi Gentilhomo, etiam Nobile, vel Nobilis, &, vice versa, Nobilis Gentilhomo nuncupatur, etiamsi alias in genere lubentius Nobili, vel Nobiles, quam Gentil homo appellari velint, cum tamen vice versa, Galli Gentilshomes, quam Nobles nuncupari malint.

Sin vero res acutius aliquanto intueatur, Nobilis & Gentilhomo vnum prorsus & idem est, & apud Romanos, ij Gentiles vocabantur, vti apud Ciceronem, in Topicis, & Boetium, videre est, qui paria habebant nomina, ab honestis parentib. nati erant, quorum Maiores nulli seruituti subiecti fuerant, & in familiis suis omni tempore honestam nominis sui famam cōseruauerant, veluti Bruti, Scipiones, Fabij, Marcelli, atque hodierno quoque tempore Vrsini, Colonesii, Farnesii, Sauelli, & alii Itali Nobiles. Apud Gallos autem Valesii, Borbonij, Tremouglii, Vindocini, & quam plures

plures alii, quos heic recensere singulos nimis longum molestumq; foret.

Differentia. Celeberrimus iste Iuris consultus Bartholus, Leg. 1. col. 7. Cod. de dignitatibus Nobilitatem in tres distinctas species diuidit, primam vocat, Nobilitatem Theologicam, vel Supernaturalem: secundam, Naturalem: & Tertiam, Politicam.

Nobilitas Theologica. Nobilitas Theologica, vel Supernaturalis, hominibus à summo totius mundi Domino tribuitur, si in fide & obsequio sese apud illum gratum, acceptumque reddat, quemadmodum etiam ipse pollicetur, 1. Samuel. 2. dum inquit: Quicunque honorauerit me, glorificabo eum: Qui autem contempserint me, erunt ignobiles: cui Bartoli addit, quod istiusmodi Nobiles non tam bene dignoscendi sient, nisi id fiat per relationem, quemadmodū in scholis illud appellatur: iuxta dictum Ecclesiastici Salomonis, cum ita ait: Nescit homo, vtrum amore, an odio dignus fiet: Quæ doctrina ex SS. Bonauentura, & Thoma desumpta est, quam etiam, vna cum Bono de Cortili, allegat, qui in Tractatu de Nobilitate, Magistrum Sententiarum quoque Libro 2. citare solet.

Altera Nobilitatis species, Naturalis dicta, iuxta modo cōmemorati Bartholi opinionem dupliciter consideratur. 1. In tali intellectu, quemadmodum vocabulum Nobilis etiam brutis animantibus, siue bestiis, adtribuitur: vtpote Leoni, de quo fertur, quod omnium animalium sient Nobilissimi: Inter volucres de Fulcone affirmant, vnum altero nobiliorem pręstantioremque esse: & præsertim aliqua Falconum species reperitur, qui ob naturæ suæ bonitatē, Gentil. aut Nobiles dicuntur. Talis etiam inter canes obseruatur differentia.

Postea quoque consideratur Nobilitas, quemadmodum in specie, & iis solummodo hominibus tribuitur: & vocabulum naturalis tum distinctam per legem, aut rationem naturalem significat; de hac Philosophus lib. 1. Ethic. cap. 4. ait: Nihil aliud, quam virtus, vt materia, determinant seruum & liberum, Nobiles, & ignobiles. Id quod tamen non de omnibus virtutibus in genere intelligendum est, sed de iis dumtaxat, quod quibusdam datum, vt aliis idonei impe-

impetent: non autem de iis, quo aliqui ad subiectionem idonei redduntur, quemadmodum illud ex lib. 1. Polit. cap. 9. notum est, Itaque Nobilitas isto intellectu aliud nihil est, quam capacitas earum rerum, quæ ad Superioritatem & Imperium pertinent.

Tertia, Politica Nobilitas dicta, illa proprie est, quæ supra qualitas & honor dicta fuit, qua aliquis à Principe suo donatus est, atque, ea de caussa, ignobili Vulgo longe antefertur.

Panormitanus vero, cap. Venerabilis Colum. 2. post principium de præbendis, aliam adfert Nobilitatis diuisionem in medium, Nobilitatem Generis, & Nobilitatem animi videlicet: quæ autem nimis est frigida & ieiuna, cum expresse quis videat quod non omneis species Nobilitatis in illa cõpræhendi possint. Rem vero Felinus aliquanto melius tangit, dum in Codice III. Nobilitatis ponit species. prima, Stirpis & Sanguinis est Nobilitas. II. Nobilitas virtutis, quæ à Stoicis summa & vera Nobilitas æstumata fuit. III. Mixta Nobilitas, dum stemma & sanguis conueniunt, quæ etiam à plerisque non immerito pro vera Nobilitate censetur.

Plato Nobilitatem in IV. species diuidit.

Prima illa est, quæ à parentibus & maiorib. ob res suas præclare fortiterq; gestas, transit ad hæredes.

Secunda, etiam à parentibus & maioribus oritur, cum illi aut Principes, vel Domini, aut alias in Reipublicæ administratione & gubernatione constituti fuerint.

Tertia itidem à Maioribus, qui, ob eximiam suam eruditionem, vel fortitudinem in armis, nobilitati fuerunt.

Quarta, illa est, quam quis sibi ipsi, per fortitudinem & præstantiam suam, adquisiuit. De hac Iohannes Chrysosthomus ita ait: Ille clarus est, ille sublimis est, ille nobilis: ille tunc integram suam nobilitatem putet, si dedignetur seruire vitiis, & ab eis superari. Eiusdem opinionis etiam est Poggius Florentinus in tractatu suo de nobilitate.

Aliam quoque diuisionem Aristoteles lib. 4. Polit. facit & nobilitatem in IV. species distribuit.

Prima est diuitiarum, quæ à diuitiis suam sumit originem.

Secunda, stirpis, quæ à Maioribus propagatur ad hæredes.

Tertia, Virtutis, quam quis per virtutem fortitudinemque ſuam adipiſcitur.

Quarta, ſcientiarum & diſciplinarum, quæ ſtudio & diligẽtia in literarum ſtudijs, alijſque artibus neceſſariis comparatur & adquiritur: Nec cuidam fortaſſis interdictum ſiue prohibitum eſt, vt nobilitatem ſuæ patriæ ſibi arroget: quę tamen nullibi magni pretii, æſtumatur: quemadmodum etiam Seriphius aliquis Themiſtocli patriam ſuam obiiciebat, eumdemque compellabat, quod nimirum numquam tam celebris extitiſſet, niſi Athenienſis is fuiſſet: Ad quæ autem Themiſtocles ipſi hoc modo reſpondebat: Neque tu, inquit, ſi Athenienſis eſſes, clarus extitiſſes, neque ego, Si Seriphius eſſem, ignobilis: quibus innuere volebat, quod non reſpectu præſtantis ſuæ patriæ, ſed, virtutis eruditioniſque ſuæ cauſſa, tantam nominis ſui famam, laudem, atque gloriam fuiſſet conſequutus.

Pari modo cum & Anacharſi aliquanto obiiceretur ipsũ Scytham natum eſſe reſpondebat, veluti Diogenes Laertius teſtatur: At nihil, ait, mihi quidem probro eſt Patria, ſed Patriæ tu.

Ad illam nobilitatem autem quod attinet, quam quis à parentibus, vel Maioribus, ſuis, ob eximiã ipſorum virtutem, laudemque fortitudinis, hæreditario adeptus eſt, magni quidem illa æſtumanda, & recta vetuſtaque Nobilitas cenſenda eſt. Iſti tamen non tantopere innitendum eſt, quaſi aliquis, vt plerumque à rerum imperitis fieri aſſolet, de illa gloriari aut triumphare, quaſi velit, conſiderando quod, quemadmodum Boetius libro 3. de conſolatione Philoſophica recte dixit, parentum gloria peregrinum bonum ſiet, quo ſane apud poſteros colerentur: liberi autem illud ſibi tribuere minime poſſent, ni celebres ſuos parentes in virtute atque integritate imitentur: &, abſq; vllo dubio, multo eſt melius, ſi quis, ob propriam ſuam virtutem, celebratur, quam vt nihil habeat, quo ſe exornet, quam bonam prædeceſſorum, Maiorumq; ſuorum famam nominiſq; exiſtumationem, quam ille multo magis commaculat, quam commendat, quemadmodum etiam Cicero Saluſtio exprobrat: Ego, inquit, Maioribus virtute mea præluxi, tu vero tuis probro es, & ignominiæ. Similiter etiam Marcus apud Saluſtium

ſtium ita ait: Mihi ex virtute mea nobilitas cœpit: quem in finem Seneca quoque præclare ſcribit Epiſt. 44. Animus altus nobilem facit, non atrium plenum fumo ſis imaginibus. Iuxta, quod tamen etiam Baptiſtæ Mantuani opinio nautiquã floccipendenda eſt, dum ita inquit: Magnum eſt virtutis adiumentum claris ortum eſſe parentibus.

Alexander Magnus per gloriam patris ſui Philippi ad virtutem, tantaque præclaræ facinora inſtigatus eſt: Scipio Minor, per Scipionis Maioris gloriam: Octauius Auguſtus, per celebrẽ Iulij Cæſaris præſtantiam. Qua de cauſſa Cicero ſuis in officijs non tam ſcite, quàm vere dixit: Optima hæreditas, ait, à patrib. traditur liberis, omnique patrimonio præſtantior, *Gloria virtutis, & rerum geſtarum*, Cui etiam Platio adſtipulatur: Gloria parentum, inquit, natis eſt præclarus magnificuſque Theſaurus: Vnde etiam Fauſtus Poeta Regius ſic ait:

Eſt aliquid clarus, magnorum ſplendor Auorum,
Illud poſteritas æmula calcar habet.

Valerius Maximus inter alia lib. 2. commemorat: Veteres olim in conuiuijs ſuis talem obſeruaſſe conſuetudinem, quod Seniores, menſæ accumbentes, non tam ſua, quam Maiorum ſuorum præclara præſtantiaque facta Lyra decantauerint, vt hoc modo iuniores, ſeniorum auſcultatores, etiã ad ſimilem virtutem, præclaraq; facinora incitarentur.

Alexander Magnus apud Achillis tumulum lacrumari incipiebat, quod putaret, ſe ipſius præclara facta non imitari, vel ipſi parem fieri poſſe. Vice verſa etiam Iulius Cæſar pro fuſis lacrumis deplorabat, quod, conſpecta Alexandri Magni imagine in tanta Senectute tam iuueni Heroi nondum pręeſſet. Themiſtocles dicere ſolebat, quod p Trophæa Militiadis ſibi Somnus adimeretur. Leonhardus Aretinus, in aliquo, de actibus ſui temporis, libello, fatetur, quod ipſe, conſpecta Franciſci Petrarchę imagine, ad inſatiabile quaſi liberalium artium deſiderium impulſus fuerit. In Summa Veterum exempla mirum in modum ad commouendos liberos poſteroſque ſunt efficacia, vt nimirum Maiorum laudabilibus veſtigijs & ipſi quoque aliquando laudabiliter inſiſtant: quocirca etiam Æneas filium ſuum

Afcanium ita apud Virgilium alloquitur & exhortatur:

Difce, puer, virtutem ex me, verumque laborem,
Et Pater Æneas, & Auunculus excitat Hector.

Apud Arioftum Meliffa Rugierum rubori dare & confundere conatur, quot videlicet fefe, per Alcinæ amorem, ita capi & feduci paffus fuerit, atque adeo tot præftantiffimorum fortiffimorumque virorum memoriam ex animo depofuerit, inquiens:

Queſto eben veramente alto principio,
O, de ſi puo ſperar che tu ſia preſto:
A fartivn Aleſſandro, vn Guilio, vn Scipio,
Chi potea, chi me, di te mei creder quæſto?

Sic quoque in Maccabæorum libris legitur, quo pacto nimirũ fortiffimus ille Heros Matathias filios fuos ante obitum adhortatus fuerit vt maiorum fuorum veftigiis infifterent, idq; fequẽtibus verbis: O filij, inquit, æmulatores eftote Legis, & date animas veftras pro Teftamento Patrum, & mementote operum Patrum, quæ fecerunt in generationibus fuis: & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum.

Hæcq; Stirpis nobilitas pofteris etiam tãtam quidem prærogatiuam emolumentumque parit, vt fi illorum duo, qui eruditione & fcientia, officiis quoque & dignitate inter fe pares effent, nihilominus tamen alter, nobili genere ortus, alteri, abfque vlla confideratione, præferetur: quemadmodum illud L. geHonor. Dig. de honoribus videre eft.

Iohannes de Platea etiam expreffe vult, vt videlicet, in officiorum diftributione, nobiles plebeis femper præferantur, vti illud quoque omnibus in Legibus non folummodo moris & vfitatum eft, verum etiam in ipfa Sancta Scriptura confirmatur.

Quemadmodum enim olim Nobilitas, cumprimis fpectata fuerit, id non dumtaxat in Moyfis Deuteronomio reperitur, vbi mentionem facit, quod Sapientiffimos Nobiliffimofque Iudices conftituiffet & elegiffet, fed etiam lib. 1. Samuel. cap. IX. vbi etiã ipfe Samuel nobilis appellatur, idq; ratione officii fui Prophetici: Similiter & libro 2. Sam. cap. XXIII. vbi Abifai, Ioabi frater, nobilior, & hoc nomine,

mine, præ duobus suis fratribus honorifice appellatur. Ita legitur quoque in libro Syracidis c. X. Beata terra, cuius Rex nobilis est, quod etiam est testimonium prærogatiuæ, quæ nobilitati in Regimine aliquo Posit, competit.

Sic etiam Iosephus de Arimathia, Marci XV. & Luc. XIX. celebratur, quod personę suæ gratia, nobilitatus fuerit, quo significabatur, quod etiam in ipsius sepultura vaticinium Esaiæ cap. LIII. impletum fuisset. In Actis Apostolorum itidem cap. XVII. fit mentio, quod per illam D. Pauli concionem, conuersa est ad Dominũ multitudo magna de gentilibus, & mulieres nobiles non paucæ, multi gentilium ad Dominum conuersi sint, &c. Ita & Aristoteles lib. 3. Pol. cap. 6. Nobilitatem summopere cõmendat, & tamdem sequentib. verbis sentẽtiam suam concludit: Nobilitas apud omneis in honore habetur, idque non sine caussa: Verisimile siquidem, quod istiusmodi personæ semper maioribus melioribusq; donis, præ cæteris inferioris tenuiorisq; conditionis hominibus, ornatæ sint, quem in finem dictũ Senecæ non immerito considerandum perpendendumq; est, dum inquit: Habet hoc proprium generosus animus, quod concitatur ad honesta, & neminem excelsi ingenii virum humilia delectant & sordida, quod Faustus Poeta in sequentib versibus eleganter expressit, dum ita cecinit:

Si te rusticitas vilem genuisset agrestis:
Nobilitas animi, non foret ista tui.

Hoc autem in loco silentio nequaquam præterire potero nisi indicem, vnde tamen vera aliqua nobilitas suam trahat originem: id quod non dumtaxat lectu iucundum, veram etiam scitu summopere est vtile. Necessarium etiam ferme erit, quod quidem quidam aliquid ea de re scripserint, tam confuse & absque vllo ordine tamen, quasi interse inuicem nouum aliquem Labyrinthum, condere coniurassent.

Nobilitas autem, vti antea etiam diximus, à maioribus suam sortitur originem, qui, ob virtutem præclaraque sua edita facinora, ita honorati cultique fuerunt, vti Sap. 3. legitur: Gloria hominis ex honore patris sui, & contumelia filii, pater sine honore. Et Sapientissimorum Re-

gum omnium Sapietissimus Salomon Prouerb. cap. XVIII. ita inquit: Gloria filiorum parentes eorum. In quo tamen Iurisconsulti sibi ipsis aliquantulum aduersantur, dum quidam, vt Bartolus, in Codice Tit. de seruis fugitiuis, Item Iacobus Aluarotus, & Iohannes de Platea, neutiquam concedere aut fateri volunt, quod aliquis per matrem suam nobilitari possit, etiamsi statutum in promptu adesset, quo quis contrarium tueri niteretur.

Vice versa autem Philippus Decius, de regulis iuris in 90. Com. in fine: Item Rochus de Corte, & Bonus de Cortilibus, in Tractatu suo de Nobilitate, Bartholo, eiusdemq; successorib. contradicere conantur. Qui vero plura de hæreditaria istiusmodi nobilitate scire desiderat, is lectu familiarem sibi reddat tractatum capitolæ de Imperatore militum eligendo.

Secundo, etiam Nobilitas quandoque à Sapientia existit, quemadmodum Sap. VII. videre est: Omnibus Nobilibus nobilior est Sapientia: & Prouerb. VIII. Melior est Sapientia cunctis opib. pretiosissimis: Et Syr. cap. IX. Melior est Sapientia, quam arma bellica: Eiusque dignitas venuste & eximie à Ioanne Montelono depingitur, in Promptuario suo Legum, sub vocabulo sapientis, &c.

Tertio, sæpenumero quoque aliquis per artem & scientiam suam nobilitatur, qua de re expressus habetur textus in Codice, qui sic inquit: Meritum scientię ciuilis iuris reddit peritum nobilissimum. Per quam etiam Vlpianus nobilitatus, & nobilis nuncupatus est, Leg. 2. §. fin. de excus. tutoris: Clarissimus quoque appellatur, Leg. Custodias, Digestis de Publicis Iudiciis. Similiter & Felinus cum Angelo Perusino, qui Cassiodoro nititur, & Rodericus in suo speculo vitæ idem asseuerant, quod scil. Sola literatura nobilem faciat: etiamsi Bartolus L. Iudices, Codic. de dig & Cinus Pistoriensis, in d. l. Prouidendum, atque Alexander Consil. XCIV. affirment, nullum Iurisconsultum nobilem putandum esse, nisi idem ille Doctoratus Gradu, vel alio quodam honestissimo officio ornatus dotatusque fiet. Negari tamen interim nemo poterit, quod scientia veram animi Nobilitatem pariat: Doctoratus autem aliam confert nobilitatē, quæ supra Politica, vel Ciuilis nobilitas nuncupata fuit.

Quarto

Quarto, etiam notum, quod quandoque aliquis per quemadmodum aliquod nobile officium nobilitetur: Exempli gratia; si alicui iudicis officium imponatur & commendetur, is eo ipso nobilitator: Omnes siquidem Iudices sunt nobiles, quẽadmodum Bartolus testatur, in leg. Iudices, Cod. de dignitatib. De Doctoratu, quod nimirum nobilitet, supra dixim⁹, iuxta testimonium Alexandri Conf. 75. Felinus Rubrica, de Magistris. Aretinus, Iacobus Bonaudius, alijque plures illud ipsum tueri atque defendere conantur.

Quinto nobilitant etiam virtus & fortitudo, tam belli, quam pacis temporibus, vnde etiam nobilitas maiori ex parte exorta est. Vnde etiam Ouidius recte & vere dixit:

Non census, nec opes, nec clarum nomen Auorum,
Sed probitas magnos ingeniumq; facit.

Eumdem etiam in modum Baldus quoque leg. 2 Cod. de commun. & mercat. loquitur. Quicunque est virtute præditus, est nobilis: Et Hostiens. in sua summa, dum ait: Non genus nobilitat hominem, sed Virtutes. Lucas de Penna, celeberrimus quidam Iurisconsultus quodam in loco ait: Nobilitas nihil aliud est, quam habitus operatioque virtutis in homine.

Sexto, Nobilitas etiam, vti supra quoq; diximus, non dumtaxat ex nobilibus officiis exoritur, verum etiam, iuxta eorumdem dignitatem, confirmatur & augetur: Vnde etiam Bartolus leg. 1. de dig. inquit: Dignitas & Nobilitas sunt idem & Iacobus de Arena ait: Illum, extra aliquã dignitatem & officium constitutum, solummodo pro plebeio æstumandum: quamprimum vero ad dignitatem & munus aliquod euehatur, tunc quoque non amplius illum plebeium esse, vti videre est leg. Ne quis C. vt nemo priuatus. Sin etiam aliquis in præsidem aliquẽ, Gubernatorem alicuius Prouinciæ, Capitaneum in arce quadam, Comitem, Baronem, Marchionem, Ducem, Principem, Regem, vel Imperatorem eligatur, tanto maior & præstantior quoque nobilitas ista censenda est.

Septimo nobilitas sæpenumero ex communi quadam opinione, vel fama, quoq; suam sortitur originẽ, vbi nauci quidam vocatiuus à promiscua plebe pro nobili æstumatur, vti col-

colligere est in L. Lanionis §. asinam ff. de fundo instructo, instrumentoque legato. Et tales nobiles varijs in locis magnoq; numero inueniuntur.

Reuera autem non sunt nobiles, quamuis pro ijsdem haberi & nominari velint, quemadmodum Lucas de Penna asseuerat Cod. de dig. L. mulieres. Plebs siquidem prom siua, ipsa nobilitate destituta, neminem nobilitare, idque alicui tribuere potest, quod ipsa non habet, nec maior etiam est stultitia, q̃ si quis opinione plebis nitatur, quæ non solummodo inconstans & factitium, istiusmodi nobilem in cœnum protrudere posset, sed etiam imprudens, & quandoque ipsa ratione destituta, atque adeo prorsus ignora est, quæ videlicet ad veram nobilitatem requirantur. Equidem vulgaris fama & opinio ad rem istum plurimum faciunt si quis ab omnibus nobilis credatur, veluti etiam Baldus in Leg. Prouidendum C. de postulando, & Decius cap. 1. columna 4. extra de appellationibus asseuerant. Verum talis nobilis apud alios prodire non audet, & solummodo habetur ludibrio, nisi nobilitatem suam aliter demonstrare posset.

Octauo, Nobilitas etiam ex singularibus aliquot Priuilegiis & Indultis Principum oritur, quemadmodum Baldus testatur in L. Sacrilegij C. de diuersis Rescriptis.

In Summa diuersimodas sane de causis nobilitas exoritur, quæ heic vt omneis ordine recenseãtur minime necessum est: attamen vt promissis meis satisfaciam, aliquid adhuc ea de re breuiter replicabo. Sæpe quis à loco nobilitatur vbi vel educatus fuit, aut vbi etiamnum habitat, vt Iacobus Rebuffus, Ioannes de Platea, & Ludouicus Romanus æstumant.

Similiter quandoq; quis nobilis censetur, si apud Principem commoretur, vel honesto alicui officio præfectus fiet, quemadmodum Angelus, Aretinus, Felinus, Iason, & quam plureis alij existumant.

Ita quoque ex præscriptione nobilitas aliquando existit, si diuturno aliquis tempore pro nobili habitus fuit, atque nobilitatis illius origo ignoratur, q plerumq; sufficiens putatur, veritatis testimonium. Et huius opinionis sunt quoque Barbatias Cons. 9. Andreas de Isernia, tit. Quæ sunt Regalia. Alexa. cons. 6. & Philippus Decius cons. 85. atque

atque adeo ipsa nobilitas in genere per longęuum tempus maxumopere aliquando commendatur, de qua etiam Aristoteles lib. 2. Rhetor. ita inquit: Nobilitas est maiorum quædam claritas honorabilis.

Sæpenumero etiam nobilitas ex contracto aliquo Matrimonio suam desumit originem, quemadmodum apparet in Lege Mulieres C. de dig. Similiter ex diuitijs quę diuturno aliquo tempore in aliqua domo aut familia conseruatæ fuerunt, vti videre est in Digest. de custodia rerum, vbi duo ista, gloria & diuitiæ videlicet, inter se conferuntur, & tamdem concluditur, quod Vilitas aut humilitas per diuitias obtegantur, vti adparet digest. titul. de decur. Vnde etiam Cassiodorus lib. 3 epist. 19. ait: Tantum quis nobilior est, quantum & moribus probis, & luculenta, facultate reluxerit. Bonus de Cortili in tractatu suo de nobilitate bene quoque ait: Nobilitas sine diuitijs pene mortua est.

Si autem istiusmodi nobilitas nullo certe alio fundamento nitatur, quam modo dictis istis diuitijs, tunc sane res ruinoso admodum fulcro nititur, adeo vt (quum hodierno tempore quiuis velit esse nobilis) merito heic cum S. Ambrosio lib. 2 Offic. exclamare possemus: Ita incubuerunt, inquit, mores hominum admiratione diuitiarum, vt nemo, nisi diues honore dignus putetur, & cum Poeta:

In Pretio pretium nunc est: dat census honores,
Census amicitias: Pauper vbique iacet.

Pari quoque modo nobilitas sæpenumero ex adoptione oritur, quemadmodum Rainoldus Gallus in compendio suo feudali, Tractatu de nobilitate inquit, quod nimirum istiusmodi filius adoptiuus, per illum qui eumdem, in filium suum adoptat, nobilitetur, quamuis hoc in loco Iurisconsulti aliquot nō desint, qui scribant ea de re contrarium, quos tamen ad principales suos remissos volo.

Quandoque etiam nobilitas ex Clericatu aliquo existit, quādo videlicet tenuioris viliorisq; sortis personæ in nobile nobilium Clericorum collegium recipiuntur, atque hac via ad summos & principum quandoque honores extolluntur. Vt vt fiet, & exoriatur nobilitas vnde velit, nihilominus tamen scitu

summopere necessarium, est q; ante omnia, virtus, probitas, atque Integritas ad eamdem necessario requirantur, sine quib. homo aliquis nobilis plus decoratur, quam honoratur: Vnde etiam Aristoteles libro 2. Rhet. recte dixit: Ille generosissimus, qui omnium est optimus Et Cicero contra Salustium sanctius est me meis fulgere moribus, quam malorum opinione inniti, vt sim posteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum.

Sic quoque Plutarchus Apoptegma Isocratis inter alia recenset, quo Harmodio alicui, sibi generis obscuritatem exprobranti, sequentibus respondit: Meum genus, inquit, à me ipso sumit initium: tuum autem in te desinit. Quem in finem Iuuenalis non tam scite, quam vere canit:

Malo pater tibi Therfites, dummodo tu sis
Æacide similis, Vulcaniaq; arma capessas:
Quam te Therfitæ similem producat Achilles.

Et paullo post ait idem ille:

Tota licet Veteres exornent vndique Cera
Atria: Nobilitas sola est atq; vnica Virtus.

Cœlius Rhodiginus, lib. 11. Antiq. Lect. inter alia de Lycurgo memorat, quod ad Ciues suos Lacedæmonios dicere fuerit solitus: Honorem & nobilitatem ipsorum non in Genealogia, quã ab Hercule numerabant, sed multo potius, in rebus ab ipso præclare fortiterque gestis, in quibus putatitium ipsorum patrem Herculem, imitarentur, consistere.

In Publica autem nobilitatis largitione siue communicatione apud diuersos populos diuersæ etiam vsurpantur Ceremoniæ. Barones Neapolitani, qui iure nobilitandi gaudent, equites egregie, ex ornato alicui equo imponunt, atq; eidem potestatem faciunt, vt videlicet eo modo ludicris certaminibus, ac ludis Equestribus, cum certo quodam numero à pedib. compareat, atque ita deinceps quoque tam in vestitu, quam vita & moribus honestis sese ante alios reddat conspicuum. Milanenses eosdem ferme ritus obseruant, non tamen eadem, qua Neapolitani, magnificentia. Venetiani, vice versa, tam in vestitu, quam Comitatu, (paucis enim immo quandoque nullis, con-

contenti sunt Comitibus) veneranda simplicitate delectantur, atq; simul mercaturam, ingentis tamen pretij, exercent. Quæ tamẽ apud Romanos nullo modo permissa fuere. Genuenses ijsdem Ceræmonijs Venetianis sunt similes. Romani vero auctoritatem existumationemque suam in Aula conseruant, venationibus operam dantes, atque omnis generis equestria, arma ludicraque certamina tractantes, officijs aulicis & vrbicis quoque destinantur.

Germani, vtpote animo humaniori præditi, non tantum Principibus suis in aulis, verum etiam diuersis in locis territoriorum suorum, præfecturis, alijsque honorificis nobiliq; viro dignis functionib. administrandis inseruiunt. Alij proprias suas vrbes, pagos, aut Castella inhabitant, donec à Feudatarijs suis Dominis illinc, ad belli, aut pacis tractanda munera, euocentur.

Priscis temporibus quidam suis in arcib. priuatam agebant vitam, atque latrocinia exercebant quorum similes adhuc hodie in Italia reperiuntur, signorotti nuncupati, qui ad sui suorumq; subsinium, magnum furum vel Banditorum, numerum penes sese retinent. Gallici Nobiles vrbes non libenter incolunt, sed majori ex parte ruiri in arcibus suis commorantur, atq; de reditibus suis victitant: Gensibus etiam suis plerumq; equos & arma sibi comparant, atque nullam omnino mercaturã exercent: Vrbium incolas ignobiles atque Bourgeis, hoc est, propugnaculi gigantes, nuncupant. Angli nobiles Gallos hac in re æmulantur, rurique habitantes parua sane, reputatione exili mercatura nobilitatem suã plus deformant, quam honorant, vti illud omnibus cognitum est & manifestum. Hispani magnificentia omneis relliquas nationes antecellunt: Nullus enim illic reperitur nobilis, qui non simul fiet auratus Eques. Tanto quoq; Patrimonio dotatum talem esse oportet, vt etiam absque mercaturæ adminiculo, de censibus & reditibus suis victitare possit.

Id quod tam stricte ab ijsdem obseruatur, vt quandoque nimis ieiunæ frigideque cœnitent antequam vllo mercaturæ alicuius exercitio nobilitati suę labem vel maculam aliquam adspergi patiantur. Tartari & Sarmates armis sunt nobiles: quem admodum etiam Syri atque Æ-

gyptij maiori ex parte ad bellum inclinant, eorumdemque pręcipua nobilitas in armis consistit: Inter quos etiam strenue præ cæteris dimicantes ab ipsis nobilitantur.

Id quoque apud omneis relliquas nationes semper & vbiuis obseruatum & præcipua nobilitas apud easdem hac potissimum de caussa exorta est, quod illi, qui in prælijs fortiter strenueq; dimicassent, publice laudati atq; nobilitati fuerint: quæ nobilitas etiam postmodum ad ipsorum posteros translata, atq; propagata est.

Romani suos distinctis sertis siue Corollis donabant, quas illis, qui easdem fortiter pugnando promeriti erant magna cum coronandorum laude imponebant.

Donabant quoque bene meritis Romani Coronas Ciuiles, vel Ciuitas, murales, obsidionales, & Nauales: eosdemque alijs adhuc muneribus, vtpote bracteis, contis, hastis, & annulis prosequebantur, in eorumdemque honorem atq; memoriam, statuas erigebant. Apud Carthaginenses quispiam miles, in nobilitatis suæ certissimū indicium, tot gestabat annulos, quot prælijs inter fuisset. Hispani tot circa defuncti sepulchrū erigebant columnas, quot hostes ipse in prælijs sua manu obtruncasset. Apud Scythas solus ille publicis in conuiuijs ex patera, quæ illum in finem circum ferebatur, bibere audebat, qui ad minimum in prælio hostem vnum trucidasset. Macedonijs sing laris lex erat vt ille, q nullum adhuc hostem in prœlio fudisset, in summam ipsius ignominiam, capistro circumdatus publice incedere cogeretur. Apud Priscos istos Germanos vsu receptum fuit, vt nullus, nisi qui hostis alicuius abscissum caput ad Regis sui ædes detulisset, matrimonium, contrahere auderet.

Ex quibus omnibus in genere cognitum manifestumq; est, quod nobilitas, quemadmodū paullo ante diximus, maiori ex parte apud Priscos istos in militia suum sumpsisse principium: Eapropter non pauci in ea hærent opinione, (vtpote Cassanæus, alijque plures) quod hodierno nostro tempore vera nobilitas, non nisi in bello, vel ad minimum istiusmodi in negotijs, impetretur, in quibus corporis vitæque periculum, in expediendo aliquo mandato, aut patriæ salus atque prosperitas,

ver-

versetur. Alias omneis omnino homines pareis æstumantur, atque adeo vbiuis videre est, quomodo videlicet, nobilitas semper apud tenuioris abiectiorisque sortis atq; conditionis homines suum sumpserit initium. Exempli gratia; Romulus ex virgine quadam Vestali natus, atque à Lupa lactatus est, ac deniq; per fratris sui Germani cædem aut verius fratricidium, ad tantum honoris fastigium exaltatus fuit.

Ab illo primi Romani nobiles suam trahunt originem. Thamerlanes, antea subultus, potentissimus Rex factus est. Agathocles, Rex Siciliæ, figuli cuiusdam filius fuit. Thelephas, antea faber Plaustrarius, postmodum fit Rex Lydiæ. Pater Valentiniani Cæsaris erat Funarius. Mauritius Cappadox primo erat mancipium, post Fiberium vero, Romanorum Imperator. Ioann. Zemisces ex Schola peruenit ad Imperium. Primislaus, Rex Bohemiæ, ab initio pauperculus quidam Agaso fuit. Hyperbolus, Chermidis filius ex Laternario postmodum Princeps Atheniensis factus est. Bonosus Imperator, Flauio Vopisco teste, misellì cuiusdam Ludimoderatoris erat filius, & Iustinus, qui ante Iustinianum Imperio præfuit, Subulcus. Et denique Hugo Capetus, Lanij cuiusdam filius, in potentissimum Galliarum Regem electus fuit. Istiusmodi exemplorum autem innumerabilia pene heic introduci possent, dilectæ breuitatis tamen eius rei cupidum Lectorem ad Historicorum lectionem ablegatum volumus.

Hodierno autem nostro tempore infiniti & spectatissimi admodum noui nobiles reperiuntur, quorum nobilitas quandoque in hoc consistit, vt aliqui vineam, vix IV. virgis longam, in eaque, quamdam casulam, ad quam interdum in existumatione atq; grauitate sua exspatiatū eunt, possideant, & sese de hoc vel illo monte nominent. Multi prædium, stramine opertum, virgultisque septum, ruri obtinent, illud tum præclaro nomine domus suæ Gentilitiæ, arcis, vel propugnaculi alicuius ab ipso insignitur. *Neoterici Nobiles.*

Multi, eo vsq; dumtaxat peruenientes, vt, exutis Colopodiis, calceos Hispanicos induere possint, illico idonei perfectiq; videri volunt nobiles. Ille hesterna luce palliolo linteo incedebat hodie, pannosum Serico, vel Serico villoso subductum

Hh 3 induit

induit pallium;atq; ea de cauſſa mox euadit in nobilem. Heri vocabatur Barba Tonga (Nach-par Thönges) hodie Dominus, vel nobilis Antonius appellari cupit. Multi, paucos ante dies, miſellam ſuam Catharinam in vermiculato diſſectoq; quodam linteo ſepelierunt, quam primũ vero Dominicam Claram, vel Luciam ſerico veſtitu amictam matrimonio ſibi iunxerunt, tũ ſeipſos non amplius norunt, ac pene neſciunt quomodo videl. antea nominati fuerint. Multi ab aratro, cereuiſiæ, fimi, vel ligni Rheda deſcendentes, curru velato poſtmodum vecti nobiles Hanſi à Nirgentheimio fiunt, omnibuſque ita ludibrio redduntur.

Illa plerumque hodierna eſt nobilitas, abſque vlla Principis alicuius gratia & Clementia, ſed ſolummodo multo ære ab eodem impetrata atq; conſequuta Ibi nulla vetuſta quędam ſtirps, ſed dumtaxat nouæ corruſæ diuitiolæ, quas, abſque Maiorum ſuorum merito, ex ſacco hordeo referto, vel duobus vendi ti milij centenarijs, ſibi comparuntaut nouis extructis, vbique nouis Galleis & Clypeis exornatis ædibus & ſupra portam inciſis inſignibus, nobilitas iſta extiſtit, atq; præſtans aliquod nomen ex lupuli vel herbæ horto ſortiuntur. Illic ſuperſtitioſa & ſtulta plebecula cateruatim quadeurrit, nudadoque capite apud ſeipſam. Item lepidum mihi Dominum, muſſitat, atq; tum ſtultus ſtulto haud ſimilior. Interea recens natus nobilis elato inceſſu obambulans circumſpicit, num videlicet ſibi notus aliquis prætereat: quem tamen tam diu non nouit, donec detractum pileum conſpiciat, atq; tum & ſuum quoque parumper tangit ea tamen grauitate, ne forſitan illud ſibi in præiudicium vergat, quod cum abiecto aliquo mendico familiaritatem alat. Illa tamen nunc dicta ſufficiant, maiori enim honore ipſos minime dignos autumo, & hæc cum illis commaculata papyrus vtilius commodiuſque alias inſumi potuiſſet. Nunc videbimus, an non meliores Gentilhomi in foro noſtro ſeſe conſpicuos faciant.

IN DISCVRSVM XVII.
ANNOTATIVNCVLA.

SI quis luculentiorem copiosioremque de nobilitate Discursum sci e & legere desideret, is Iulium Barbaranam, in III. suæ officinæ parte, apud vocabulum *Nobilitas*, legendo sibi familiarem reddat.

Similiter quoq; Cælius Rhodiginus lib. XI. Antiquar. lect. integrum, de Nobilitate & Ignobilitate, caput conscripsit, quod lectu summopere iucundum est.

Vide quoque eadem de materia Mutij Gentilhuomo, in quo lepido ingeniosoque libro materia ista copiose & ingeniose satis pertractatur, & Petri Cerefati Iurisconsulti *Vera Politica Nobilitatis speculum*.

DE BVLLIS ET Bullatis.

IN DISCVRSVM XVIII.

BVllæ Priscos apud Romanos, veluti Macrobius, & Carolus Sigonius de Antiquo iure Romanorum testantur, in tanto semper honore atque existumatione habitæ fuere, vt etiam Patritij turpe sibi esse duxerint, nisi liberos suos toga prætexta & adpensa bulla in pectore exornassent, vt hoc modo à Plebeiorum, vel plebeculæ, liberis distinguerentur. Eadem de re ait quoque Asconius Pædianus, Veteres Romanos Consules vel Imperatores, triũphantes, in curribus suis Triumphalibus, etiam bullam quamdam, auream ab ipsis dictam, gestasse, idque in publicum fortitudinis suæ, quam Triumphator iste contra hostes suos exercuerat, testimonium.

Atque

Atque hoc modo bullæ nullum alium in finem inuentæ & vſurpatæ fuerunt, quam quod Reges, Principes, alijque Magiſtratus ijſdem bullis aliquid cõfirmauerint, quorũ literæ poſtmodũ Bullatæ nuncupatæ ſunt. Exempli gratia, ſi quis ſtigmate in fronte, vel dorſo, aut in manu notatus incedat, tum bulla, à Magiſtratu ipſi appenſa, non tam tranſgreſſionis ſuæ teſtimonium, verum etiam admonitio eſt, ſi reuertatur, quod tum aliter cõtra iſtiuſmodi improbum tranſgreſſorem ſiue delinquentem procedendum ſiet: ſignum quoq; à Publicano compacturis, vaſis, alijſq; colligatis mercibus impreſſum, bulla eſt, qua innuitur vectigal fuiſſe perſolutum, vel merces luſtratæ & iuſtæ depræhenſæ fuerint: quemadmodum etiam literæ, in teſtimonium legitimæ procreationis, vel aliorum expediundorũ negotiorum cauſſa alicui traditæ, bullæ ſunt, quibus legitima iſta procreatio, vel negotia, adprobantur, atque confirmantur.

In ſpecie autem de bullis, vt loquamur, communi loquendi more litteræ Pontificiæ, quibus in aliquem vel beneficia, aut Indulgentiæ, exemptiones, Vſufructus, aut Priuilegia conferuntur, aut ijſdem aliquid alicui adimitur, vel etiam aliquis earumdem literarum vigore excommunicatur vel proſcribitur vti in Bullario, paucos ante annos impreſſo, aliquanto neruoſius videre eſt.

Bullæ autem iſtæ per præmiſſum ordinarium & legitimum aliquod examen legitimæ cenſentur, ſi dolus aliquis non intercurrat, &, vti Panormitanus memorat, communis ordinariuſq; ſtylus in ijſdem depræhendatur; ſi vſitata puncta & diſtinctiones recte obſeruatæ, & Sigilla illæſa fuerint, ſi ſcriptura, cui ſcripta eſt, cum alijs eiuſdem ſtyli & generis Exemplaribus in omnibus requiſitis conueniat, & denique ſi papyrus pura atq; incommaculata deprehendatur. Quando Epiſcopi & Cardinales fratres: inferiores vero, liberi appellentur, omneiſq; aliæ conditiones & formæ Romæ factarum bullarum in promptu paratoque ſient.

Sin vero aliquid ex commemoratis iſtis deſit, & dolus forſitan lateat, tunc falſarij excommunicantur & anathemate percutiuntur.

Bullæ inſuper plerumque iuxta literam intelliguntur, & ſi ali-

aliquod forſitan, dubium occurrat, tunc vnice & ſolummodo ad Romanum Pontificem, recurrẽdum eſt, qui earumdem vnicus explicator & Illuſtrator eſt, nec quiſquam ipſi Meſſi falcem audet immittere.

Cæſareæ litteræ, vice verſa, patenteis, edicta, vel Priuilegia potius, quam bullæ, nuncupantur, quamuis illæ etiam ſub ſupra commonſtrato Intellectu, generali comprehendantur.

Habent vero & iſtæ peculiarem ſuam formam & ſigillum, quibus agnoſcuntur. Mediolani aliquando bonus aliquis paraſytus & Commeſſator, cum Cæſareanis quibuſdam Bullis ad quoſdam Eccleſiaſticos diuertebatur, atque ſeſe, ad expediunda grauiſſima negotia, tam quam Cæſareum Commiſſarium ablegatum eſſe, contendebat: Interim bullas ſuas oſtendebat, & bonos apud Clericos, qui in orbe parum peregrinati fuerant, genio genialiter indulgebat.

Tandem etiam Apulicis verrecibus, aut Caſtronis, literas ſuas, pro erogata ipſorum pecunia, pignoris loco deponebat, numquam tamen reuertebatur, ſed dictas iſtas literas poſt ſe relinquebat.

Si bonus quoque ille Treuiſanus, (qui in vita ſua tria grandia infortunia ptulerat: I. quod in Somno à fulgure ſaltim paululum vſtulatus, non autem omnino combuſtus fuiſſet: II. quod per XXX. annos integros fæminæ alicui cohabitaſſet, nec tamen eidem amorem ſuũ detegere auſus eſſet: & III. quod Romæ ſuper aliquod beneficium bullam quidem, non tamen ipſum beneficium accepiſſet.) bullas maiori in honore affectuabat, nec eamdem tam facile à tergo relliquiſſet, niſi, authenticam illam eſſe, etiamſi intentionem ſuam non abſequeretur affirmaſſet.

Stultus Ticinenſis (qui etiam bullas ſcribere, & iiſdem in omneis, etiam contra ipſorum voluntatem, beneficia conferre conabatur) iuxta alias penes ſe fouentes columbas, in ea hærebat opinione bullas ſuas bonas efficaceſq; eſſe, etiamſi carbonibus exaratæ, & ſigillum ſaltim in aliquo nucis putamine fuiſſet.

Nihilominus tamen ſingulares aliquod perſonæ à ſummo

Pontifice singularibus priuilegijs, ad scribendas largiendasque bullas, donatæ sunt, qui singularis honor etiam singularibus aliquot Canonibus confirmatur.

Personæ Priuilegiatæ autem istæ in magna auctoritate atque existumatione vbique respiciuntur.

Bullarij postea nuncupantur ij, qui à Gratiano collectos Canones & Decreta, Pontificum explicant, id quod eleganti stylo, & allegatione SS. Scripturę & Patrum facere tenentur.

Quamuis vero pauci Theologi præmonstrata iam modo via insistant, & multo magis Scholasticis subtilitatib. quam Concilijs & bullis excolendis, sedulam nauent operam, nihilominus tamen illud vtile officium censendum est, in quo omnis generis piæ informationes, quæ omneis, ad honestam Christianamq; vitam excolendam, summopere sunt necessariæ, reperiuntur.

IN

IN DISCVRSVM. XVIII.
ANNOTATIVNCVLA.

DE bullis, quas Romanorum liberi gestare solebant, & quid ijsdem innuere voluerint, de eo legatur Alexander ab Alexandro libr. secundo, capite decimo nono Genialium Dierum de quarum forma vel figura, & figura, & denique quomodo eaidem, postquam Ephæbis excessissent, in peculiari aliquo festo, Dijs laribus sacro, suspenderint, idem scribit Alexander, libro quinto, capite decimo octauo, vbi ea omnia singulari studio ordineq; describit. Eiusdẽ vero originem, quę à Tarquinio Prisco, filio suo primum bullam adpendente, cæpit, & à quo postmodum vsurpata fuit, idem Alexander libro secundo, Gentil. dierum eleganter describit. Vide, de eadem re aliquanto neruosius differentem, Iulium, Barbaranam parte prima, Officinæ. Titul. 24. in vocabulo Bullæ.

DE RAYMVNDI LVLLII ARTE siue Didactis.

DISCVRSVS XIX.

MVndus hodierno nostro, tempore adeo audax, præceps, & nouarum rerum est cupidus, vt etiam omnes quasi artes, vna vice, vel breui tamen tempre, vnico quasi bolo deglutire atque deuorare conetur, qua de caussa etiam non immerito stulta istiusmodi præcipitantia summopere admiranda est.

Reperiuntur siquidem, qui tantum arti Raymundi, Lullij tribuant, vt peierent se etiam de

omnibus oblata occasione propositis rebus fundamentaliter, vti loquuntur, dispertaturos esse, quasi vero omneis relliquæ artes in ea sola compræhendantur, cum tamen eiusdem Magister Raymundus ipse multo aliter de rebus istis loquatur, atq; adeo in artis suæ magnæ cap. vltimo rotunde fateatur, quod sane quispiam excelsi, rari atque adeo inauditi ferme intellectus tamen atque jn Philosophia exercitatjssimus homo artem istã breui temporis spatio addiscere posset si exquisitissimam diligentiam adhibeat, quemadmodum etiam rebus in arduis difficilimisque id requiritur.

Equidem non abs re est, & testatur etiam ipse Lullius, quid videlic. istiusmodi audaculi, & nimis Curiosi rerum omnium vani exploratores apud se inquirant. Ab initio enim libri sui, de Mystica Theologia & Philosophia, expresse asseuerat, quod quispiam per suam artem intra vnum, vel duos menses, maiores, quam in Schola integrum per annum, progressus facturus fiet: Id quod simplex & vanus mundus sibi ita persuaderi patitur, & hanc rectam viam, hominibus omneis arteis in fundendi, esse autumat.

Sin vero res ipsa aliquanto exactius penitiusq; introspiciatur, opinio veterum eruditorum tamen per omnia retinenda & sequenda est, adeo vt certo fiet certius, artem istam maiori in clamore, quam vtilitate consistere.

Ad me autem, quod attinet, Topicam illam esse aio, quæ tamen non, vti quidem sibi frustra Lullius persuadere conatur, omnino perfecta est, quum eidem adhuc multa addi possint, & quod, Deo me bene iuuante, (inquit Auctor Italus) in nouo aliquo Tractatu toti terrarum Orbi, demonstraturus sum.

Antea namque notum est, quod Veteres (veluti Iohannes Picus, Mirandulanus scribit.) IV. dumtaxat Transcendentia posuerint, vtpote *Ens, vnum, verum, bonum*. Quibus postea Moderni, Auicennæ imitatores, adhuc duo, nimirum, vt à Logicis appellantur, *Res & aliquid*, addiderunt, quemadmodum Iauellus in Logica sua, & Iohannes Murmelius, in libro suo Isagogico in X. prædicamenta, ijsdem etiam ita vtuntur. Raymundus, vice versa, vt noui aliquid adferret in medium, nouem sibi principia transcendentia excogitauerat,

uerat, quæ etiam ſequentem in modum ordine commemorat, nimirum: *Bonitas, Magnitudo, Duratio, Poteſtas, Cognitio, Voluntas, Virtus, Veritas, & Gloria*: quibus egregius (ſcilicet) ipſius Commentator adhuc tria addit, eademque *Eſſentiam, Perfectionem, & Vnitatem* nuncupat. Quibus de cauſis vero illorum IX. eſſe debeant, vti ſane Raymundus, & XII. quemadmodum Agrippa volunt vel VI. vti opinantur Ariſtotelici, de eo alio in loco diſputari poterit.

Quod etiam Quæſtiones, quæ à Raymundo ponuntur, nõ vniuerſales, & perfectæ ſatis ſient, ſed iiſdem adhuc multæ aliæ addi poſſint, id adeo certum eſt, vt demonſtratione vlteriori minime indigeat.

Itaque Agrippa ipſa fateri neceſſum habet, artem hanc plus oſtentationis, quam vtilitatis habere, vt videlic. homo ita perfectus reddatur, quemadmodum ſibi quidem perſuaderi patitur.

Quod vnicum etiam argumentum, ad obſtruenda temerariorum iſtiuſmodi hominum ora, eſſet ſufficiens, modo & ipſi ad ſanitatem redire, atq; melius erudiri, informarique vellent, quod videlicet nemo mortalium, adminiculo iſtius artis, de omnibus rebus ſufficienter, vti quidam falſo gloriantur, diſputare poſſet: Scientiarum termini pene innumerabiles & infiniti ſunt: Et licet homo ad annos Mathuſalemicos peruenire poſſit, nihilominus tamen non omnia complecteretur, multo minus, vnius ſaltim anni ſpacio, omnia adſequeretur. Reperitur quæſo, in arte Raymundi, quomodo Notarius aliquis Inſtrumentum formare, medicus remedium ſcribere, Iuriſconſultus conſilium fingere, Arithmeticus ſummam ſuam Cypheris ponere, Geometra virga, vel alio quodam inſtrumento arte ſua vti, Aſtrologus Calendarium facere, Poeta epigramma fingere, & Concionator orationem ſuam exornare debeat? An, obſecro, in dicta iſta ſua arte etiam ſolummodo artium liberalium terminos demonſtrat Lullius, quemadmodum aliquis iiſdem in diſputando recte vti debeat? Deum immortalem, quantum requiretur, temporis ad compræhendẽdas Muſicorũ conſonantias, aut Arabica, in Medicina vſitata, nomina compræhendenda? Ad quot, quæſo, res cognitio linguarum, Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, Chaldeæ, & A-

rabicæ videlicet, requireretur? Anne Lullius etiam vmquã demonstrare poterit, quod aliquis tam breui temporis spatio, commemoratas istas linguas ordine, & iuxta omnium istarum proprietatem queat addiscere? Si aliquis forsitan Lullio ænigma, aut aliud quoddam occultum prouerbium, quomodo insignia ducenda, aut Cypseris scribendum esset, proponeret, vererer equidem bonum istum, Lullium in arte sua nihil de ijs omnibus scripsisse.

Si porro etiam aliquis ad eodem Lullio sciscitaretur de scientia Cabalistica, lubens tunc sane audirem quomodo videl. Raymundina quędam soboles, in tam abstrusis arcanisque mysterijs arte sua vti conaretur, cũ tamen multum temporis requiratur, vt dumtaxat termini arcanæ illius scientiæ recte intelligantur? Quomodo Ægyptiaca Hieroglyphica aliquis pRaymundinam istam artem, explicabit? Quo pacto quis, per eamdem artem, historiarum, Poeticarumq; fabularum, tam recentium, quam Veterum cognitionem consequetur.

Vbi aliquis hac in arte allegationes, quandoque in Discursibus summe necessarias, quærere & inuenire poterit? Hæc sane omnes merito considerare, atque exinde probe notare debebant, Scotum (quem non immerito omneis ferme admirantur homines, quod vna etiam in mate ia tot diuersissimosque Auctores allegare potuerit) non ex arte Lulliana didicisse, sed indicium illud fuerit, eum multa legisse, atq; à Deo præstãtissima memoria donatum fuisse. Etiamsi quoque nostrorum temporum miraculum, Picus, Mirandulanus videlicet, in Apologia sua, etiam Lullianæ artis mentionem faciat, non tamẽ verisimile est quod, illius adminiculo, in tam tenera iuuentute de tot diuersimodis rebus disputare potuerit: Ex ipsius Allegationib. siquidem deprǽhenditur, quod lac scientiarum ex alijs quam Raymundi, vberibus suxerit. Ex quis, amabo, antequam Raymundus, ipsiusq; ars innotuisset, Empedoclem vel Gorgiam Leontinum de rebus ferme omnibus tam erudite disserere docuit.

Hoc autem vniuerso mundo notum manifestumq; fiet, quod si quis de rebus omnibus recte fundamentaliterque loqui velit, Raymundina ars nequaquã ille indigeat, sed ante omnia necessum

cessum habeat vt multa viderit, tentauerit, legerit, disputauerit, memoriæ mandauerit, atq; quæ pars omnium præcipua, conseruauerit.

Aliam autem de hac materia occasionem dum nactus fuero, tunc pluribus etiam huncce meum sermonem tuiturus, atque defensurus sum? Interim tamen doctiorum hominum iudicium imploro, & tamdem hunc meum discursum concludo.

IN XIX. DISCVRSVM.

ANNOTATIVNCVLA.

Hieronymum Cardanũ Raymundo Lullio non per omnia fauisse, exinde liquet, ꝙ in libro suo de rerum varietate, in quo etiam Trithemij mentionem facit, hisce verbis erumpat: Fuit vir, inquit, paulo ante nostram ætatem mendacior Agrippa, inanior Raymundo Lullio, Iohannes Trithemius: Ex quibus verbis facilime colligitur, quid videlicet de tribus omnibus iudicauerit. Cui tamen Leo Suauius, super librum de longa vita, par pari egregie iterum retulit. Præsides & Patroni Raymundi, ipsiusque artis fuere Lauineta, Iacobus Faber, Stapulensis. Ferdinandus Corduba, Hispanus, Carolus Bouillius, Andreas, Petrus, Iacobus Canterij, & tamdem blasphemator ille, Cornelius Agrippa, qui omnibus eiusdem artis Commentatoribus palmam longe præripuit.

DE

DE SECRETORVM Scriptoribus

DISCVRSVS XX.

Etiamsi Secretum nihil aliud siet, (quemadmodum illud Cardanus in tractatu suo de Secretis descripsit) quam occultum clandestinumque aliquod opus, ars, vel scientia, cuius causæ non adeo sunt communes, vt omnibus illæ manifestari debeant, suaque habeat Seminaria & Principia inuentionis, per quorum considerationem, ij, qui eamdem contemplari atque perscrutari conantur, eo vsque tamen quantum humanus intellectus adsequi valeat, nihilominus tamẽ aliq reperiuntur homines, qui huic Professioni tantum sane tribuunt, atque eamdem magis, quam sibi suisque summopere necessarium visum, inquirere solent.

Cardanus, tamquam singularis arcanorum perscrutator atque indagator, Secreta in tres distinctas species distribuit.

In prima, sunt incognita, quæ tamẽ adhuc innotescere debeãt.

In Secunda sunt illa, quæ quidem iam nota sunt, at paucis dumtaxat, atque ea de caussa in magno pretio æstumantur.

Tertia, species eorum est quæ quidem, quoad effectum, nota sunt, eiusdem tamen effectus caussæ nondum omnino scire licuit.

Porro quoque idem asseuerat, quod quædam Secreta saltim in contemplatione consistant, nihilque amplius in sese complectantur, quam gaudium & delectationem vt sciantur: vtpote dum homines de *Deo*, extra ipsius verbum, inquirere conantur: Item cum Cœli substantiam, vnde nimirum factum siet, scire desiderant.

Tamdem etiam quædam in contemplatione quidem consistunt, cum fructu attamen in effectum deduci possunt. Exempli gratia: si pretiosorum lapillorum herbarumq; virtutes atque operationes explorentur, quibus homines aliquid efficere valeant. Quædam in operatione consistunt, in qua summa cura & discretione manus operi ad-

admouentur, vti fit in separatione metallorum, in distillationibus, & præparatione colorum liquefactorum.

Nominantur insuper aliquot Secreta magna. Exempli gratia, si quis, singulari incognitaque aliqua ratione, pestem curet. Quædam mediocria appellantur, si quis videlic. Quartanam febrim, vel alium quemdam difficilem incurabilemq; morbum sanet.

Quædam vero facilia nuncupantur, si nimirum aliquis communem aliquam scabiem scite curare possit.

Repeteritur præterea & alia Secretorum distinctio: quorum alia perfecta vocantur in quib. omni tempore ad exoptatum effectum peruenitur: aliqua imperfecta, dum de effectu nemo certus est: quorum sunt duplices species.

Quædam enim quandoque exoptatum suum finem sortiũtur, vt vulneris alicuius curatio: quædam vero minime aut rarissime, vt vesicæ calculus & Lumbago qui morbi raro curantur, ob accidentales quosdam casus sese plerumque morbis istis sese adsociantibus.

Sunt quoque & alia quædam Secreta, magnos attamen sumptus requirentia, ex quibus tamen, quædam sumptu modico comparari possunt. Quædam à leuibus & vulgarib. admodum rebus, quædam vero à tali materia, quæ difficilime comparatur, præparantur.

Tandem aliqua etiam Secreta agilitatem aliquam requirũt, quasi aliquis inter Chelyn fistulare velit: quædam scientiam dumtaxat postulant, vtpote si Organon vel Instrumentum aliquod, absq; manuum admotione, certam quamdam cantionem edat.

Quædam autem nihil habent aliud, nisi vanam quædam speciem illarum rerum, quæ tamen in ipsa reiveritate non sunt, quẽadmodum in gesticulatoribus, & Veneficis videre est.

Alias tamen omnia Secreta tanto præstantiora æstumanda sunt, quanto perfectiora deprehenduntur, & quo melius & facilius in effectum deduci poterunt.

Facilitas autem ista potissimum in tribus sequentibus reb. consistit. Primo, quod paucis quis ad ea indigeat: Secundo, vt exiguo comparetur pretio: & tertio ne multum ad illud temporis requiratur.

Multorum diuersimodorũq;

Secretorum inuẽtio autem primo capacem ingeniosum, atque in rebus arcanis intellectum exercitatissimum requirit.

Secundo, vt varia tententur.

Et tertio, vt videlicet probe obseruetur, qualis sæpenumero operatio apud aliquam probam inuenta fuerit, & quomodo illa in re quadam alia commode adplicari possit: Diligenter quoq; notetur quid à parentibus, Magistris, amicis, alijsque de istiusmodi rebus auditum fuerit.

Quarto vt exteras quoque apud Nationes diligens instituatur indagatio, quid videl. de Secretis queat occurrere.

Quinto vt res quispiam etiam apud seipsum diligenter perpendat.

Et Sexto, Fortuna quoque de suo aliquid adijcit, si videlic. aliquid tentetur, & tamen aliud quiddam proueniat, de quo antea ne cogitatum quidem fuerat vt ei accidit, qui primum repperit puluerem tormentarium. Cardanus autem, Secreta inuenire conanti tria sedulo obseruanda proponit.

Primo, vt multas res diuersas misceat, quæ tamen vnam eamdemque operationem habeant, atque tentet, quid demum ex ijs eueniat. Exempli gratia, vt quædam animalia & herbas in olla quadam in fimum equariũ abscondat, & easdem putrefieri sinat, tunc temper aliud, & quãdoque rarum aliquid, exinde oriri solet, idq; iuxta qualitatem, quibus res impositæ antea prædıtæ fuerunt.

Secundo, vt simul sciat, quomodo propositũ suum promoueri possit. Quarum rerum plerumque V I. sunt, vtpote *Generatio*, vti videre est in seminato semine: *Præparatio*, vti ex insitione & transplantatione adparet: *Putrefactio*, quæ per fimum fieri solet: *Separatio*, *Purgatio*, quæ ignis beneficio perficitur: Et denique *Manuum Operatio*, h. diuersæ manuum præhensiones, quæ ad illud æque requiruntur.

Tertio, eo quoque intentum aliquem esse oportet ad quod, vel qua in re ipsi Secreta sua inseruire debeant: videlicet an ad medicinam vel corporis, aut animi, vel ad ornamentum, aut lucrum, vel dolum vsurpare velit, ex quibus hoc postremum frequens admodum in vsu, apud honestatis tamen studiosos homines vehementer exosum est.

Bonorum laudabiliumque Secretorum conditiones autem

potissimũ sequentes sunt. Non fallaces, sed vtiles fient, vt ijsdẽ aliquid bona cum conscientia lucrari possit. De tali materia præparatæ fient, vt quilibet eorumdem pretiũ numerare queat: Ne effectus nimis diu expectetur: ne nimis magna molestia impendatur, & tamdem ita cõparata fient, ne videlicet honestus aliquis vir circa illorum occupationẽ habeat, vnde pudeat. Cardanus multas alias caussas addit, quæ tamen perfectum aliquem tractatum, non nudum dumtaxat discursum requirere videntur.

Multa autem superstitiosa, Secreta non solummodo hocce nostro tempore inuenta, verum à Veterib. ad nos deriuata transl lataque sunt, quemadmodum Plinius, libr. 28. cap. 16. eius rei mentionem facit: Videlicet vt contra quartanam febrim felis alicuius fimum (Katzen mist/oder Dreck / stinckt eins wie das ander) cum vngula Noctuæ linteo inuolutum ad collum adpendat, atque ad septimum vsque diem inde non tollat, & tunc morbum istum sublatum iri.

Similiter & alterius cuiusdam superstitiosi remedij idem Auctor, cap. 19. eiusdem libri, meminit, quod in genere pro probato æstumetur: vtpote si quis carne leporina per IX. dies absque intermissione vescatur, tũc amabilem acceptumq; vescentem illum reddi. Aliud in 8. cap. ponit, si videlicet aliquis dentem è dextra alicuius Hyenæ, mandibula brachio alliget, tunc tam in iaciendo, quam iaculando è scopo talem numquam aberrare.

Item si quis eiusdem animalis linguam in calceo sub pede aliquo gestet, tum à latratu canum talem tutum esse. Item si aliquis dicti illius animalis circa os enatos crines fæminæ alicuius maxillæ adplicet, tunc adplicantem istius fæminę amore capi. Item iuxta vulgarem famam, si quis eiusdem animalis anum secum gerat, eum ab inclementia procerum, violentia & coangustatione Magistratuum securum esse, prospera vti fortuna in petitione sua ad Magnates facta vel faciunda, adque tamdem omnibus in prœlijs, & rebus in Iudicio controuersis, pœnam obtinere.

Si porro extremum dicti istius animalis sinistro alicuius brachio alligetur, tum tantæ virtutis esse, vt ex solo intuitu fæmina aliquem amare cogatur. Sequens

quens vero optumorum vnum, & ex optumo quoque vase desumptum est: nimirum si Chamæleontis pes sinister, cũ Chameleonte herba in puluerem redigat, paululumque adipis admisceat, vnguentum exinde cõficiat, & illud in lignea quadam vixide secum circumferat, tunc talem reddi inuisibilem, & non visum quosuis præterire posse. Si intestina & fimi istius animaculi (quod tamen, omnium Physicorum testimonio nihil comedit, sed solo ęre victitat) cum Simiæ vrinæ misceatur, & homo ijsdem inungatur, tunc id tantæ esse virtutis vt illico hominis, istius aduersarius summum etiam conceptum odium deponat, atque cum homine illo in gratiam redeat. Caudam toties nunc dicti animalculi tantæ esse efficaciæ, vt etiam illius beneficio magni fluuij, & aquarum irruptiones coerceri possint.

Hisce & similibus ridiculis Secretis Belenus, vetustissimus quidam scriptor, integrum quẽdam librum obruit. Similiter etiam sub nomine Hermetis, tractatus quidam venditur, quo pacto quis fieri possit inuisibilis, vnguento videlic. formicarum, in quo putatitius iste deierat, se nimirum quemdam, cum vnguento è formicis confecto, adeo cernuum redditurum, vt etiam oculorum acie Cristallinũ Cœlum penetrare, atque tamdem, additione mirabiliũ quorumdam, Diabolicorum fortassis, Characterum, inuisibilis reddi possit. Tales autem Secretistæ ad vnum omneis sunt mendaces & impostores, inter quos Alchimistæ & Destillatores, cũ altis suis Secretis primas obtinent, vtpote qui magnas mirabilesque res quidem promittãt, atque multis non aliter persuadeant, quasi iam omnia in sacco compræhenderentur, cum tamen, ad extremum vbi peruentum est, semper & vbiuis magni defectus adpareant. Et hæc, ad cuiusuis meliorem informationem, nunc dicta sufficiant, vt videlic. à talibus Secretistis sibi summopere caueant, nec tam facile sese post fornacem, vbi plus fumi, quam emolumenti semper depræhenditur frustra duci patiantur.

IN DISCURSUM XX.

ANNOTATIVNCVLA.

IN descriptione diuersorũ Secretorum multi alias præstantes celeberrimique viri summopere desudarunt: videlicet Plinius, Albertus Magnus, Rogerius Bacho, Hieronymus Cardanus, Iohannes Baptista Porta, Alesius Pedemontius, Agrippa, Hieronymus Ruscellus, Isabella Cortesia, (quod fictitium nomen esse multi autumãt, quemadmodum etiam Alexij Ruscelli, Fiorauanti, &c.) Scaliger, Fallopius, Antonius Mizaldus, Leuinus Lemnius, Theophrastus Paracelsus, Iacob. Weckerus, & alij plureis.

Si quis autem in ipsa rei veritate res inquirere velit, tunc apud plerosque depræhendetur, plures superstitioni, quam veritati semper fuisse propiores.

DE HERBOLARIIS

IN DISCVRSVM XXI.

APud omneis ferme, & præsertim præcipuos scriptores pro certa veritate affirmatur, quod Orpheus primus diligenter, atque vtiliter de herbis scripserit: eapropter etiam non immerito in illius honorem vergit, quod omneis Herbolarij suum ab eo initium sumpserint, ab illoque herbarum cognitionem didicerint. Illum Musæus, celeberrimus quidã auctor sequutus est, qui scientiam istam mirum in modum locupletauit. Illi successit Pomponius Leneus, Pompeij Magni Libertus, qui Mithridatis libros in Romanam linguam transtulit, in quibus omneis tum temporis florentium, herbarum naturas atq; proprietates copiose descripsit. Postmodum eruditissimi viri numquam defuerunt, qui, artis istius desiderio captio eamdem scriptis suis luculentissimis illustrare & exornare numquam destiterunt, videlicet Plinius, Serapion, Theophrastus, Galenus, Dioscorides, Auicennas alijque plureis. Illud tamen scribendi desiderium & alacritas, tam apud Græcos, quam Arabes, & Latinos paullatim refrigescere cæpit, atque eo res tum temporis inclinabat, quasi omneis labores atque molestiæ, quas Veteres magna solertia in hoc studium contulerant, corruere atque euanescere niterentur, donec paullo ante nostra tempora Clarissimi quidam viri eamdem professionem, pene tum sepultam & prorsus intermortuam, resuscitauerint qui fuerunt, Ruellius, Amatus Lusitanus, Hermolaus Barbarus, Brassacola, Adamus Lonicerus, Matthias Lobel, & Matthiolus, qui postquam mul: æ, ad simplicia quod attinet, à Luca Ghino Senensi, (qui hac in professione, extra omnem dubitationis aleam, summus, & doctissimus æstumatus fuit) didicisset, paucos ante annos Commentarium in Dioscoridem scribere conatus est, quẽ laborem etiam, magna cum sua laude, ad exoptatum finem tamdem

dem perduxit. Iuxta illos Aloisius Anquillara etiã breue quidem perutile tamen Herbarium conscripsit, in quo multa lectu iocunda, vtilia atque necessaria reperiuntur.

Ad herbas & simplicia ipsa, quod attinet, quæ potissimum in Orientali India crescunt, easdem Garzias Lusitanus, in Reipublicæ literariæ emolumentũ neruose descripsit. De ijs vero, quæ in Orientali India, quæ hodierno nostro tempore nouus, mundus appellatur, producuntur, Monardus, Castiliensis Medicus elegantem quamdam, lepidam, atque vtilem historiam diuolgauit: cumque multa simplicia magis inter plantas, quam ipsas herbas numerentur, eapropter, ad cuiusuis meliorem informationem, sedulo legantur Opera Andreæ Cisalpini Aretini, qui nuperrimo tempore XVI. libros de omnis generis plantis iuris fecit publici: Opera itidem Iohannis Bolonij & Iohannis Monhemij, qui non tam neruose, quam vtiliter etiam de reb. istis labores suos cum Republica literaria communicarunt.

Non abs re etiam probe notandum est, quomodo Prouinciæ, propter simplicia, à se inuicem discernantur, & semper vna alteri præferatur. Homerus, quemadmodum Plinius, lib. 11. de eo testatur, Ægypto honorẽ defert, quod optuma ibidem nascantur simplicia, cui etiam Diodorus Siculus, dum de Ægypto verba facit, sequentibus verbis adstipulatur. Terra, inquit, inculta relicta pecori ad pastum adeo exuberat herbis, vt oues bis in anno pariant, bisque lanam præbeant.

Sic Plinius quoq; de Æschalo testatur, quod plantarum, in Italia nascentium, summopere deprædicauerit. Ouidius quoque lib. Fast. 4. de herbis, in fluuio Aci progerminantibus, ita canit:

Præterit & ripas, herbifer Aci tuas.

Simili modo & Epirum summopere commendat, idque ob herbarum inibi nascentium copiã, quem in finem lib. 8. Metamor. Prouinciam Herbidam appellat. Ad venenatas herbas vero, quod attinet, Caucasus mons ob id male audit, quod in eo plurimæ nascantur. Similiter & Scythia, vnde Claudianus lib. 1. ait:

--- Quicquid lethali gramine pollens

Caucasus, & Scythicæ venant in
gramine rupes.

Colchus & Iberia similiter eius rei gratia, apud Poetas sinistre audiunt: de ijs enim Horatius: Herbasque, quas Colchos atq; Iberia mittit, Venenorum ferat. In Ponto, & Thessalia itidem multæ venenosæ herbæ leguntur; de quibus Virgilius in Bucol. sequentem in modum cecinit:

Has herbas, atque hæc Ponto mihi lecta venena,
Ipse dedit Mœris: nascuntur plurima Ponto.

Et Tibullus lib. 2.

Quicquid habet Circe, quicquid Media veneni,
Quicquid & herbarum Thessala terra dedit.

Inuentores singularium herbarũ. In eadem professione laudabile quoque est, vt eorum habeatur cognitio, qui aut singulares plãtas ipsi inuenerunt, aut tamẽ ad earumdem notitiam siue cognitionem viam præmonstrarũt. De illarum autem inuentoribus Plinius singularem aliquem recenset Catalogum. Heracleon Hercules inuenit, Mercurius, Molij, Melampus, Melampodiem, Teucer, Teucrium: Rex Gẽtius, Gentianam; Lysimachus, Lysimachiam: Rex Iuba, Euphorbium: Thraces, Ischemonem: Vetones, Betonicam: Seruilius Democrates, Hyberidem.

Sic & bruta animalia hominib. quasd. m herbas commonstrarunt, vtpote cerui, Dictamnum: Hirundines, Chelidoniam, & Canes, Canariam, & cætera.

Herbolarius itidem diligenter plantas distinguere & obseruare norit, quæ distinctiones sunt variæ.

Quædam enim inquilinæ, aliquæ peregrinæ, & quædam omnino incertæ sunt, adeo vt illarum origo penitus ignoretur. Inquilinæ sunt aut domesticæ, vel Syluestræ, Syluestres aut aquatiles, aut terrestres herbæ, aquatiles aut marinæ, aut dulcis aquæ, plantæ siue herbæ sunt. Herbæ marinæ sunt Alga, Corallina, Corallus, albus, ruber, & niger Brius Oleander. Inter illas etiam eæ nascuntur herbæ, quæ in maris littoribus, vel in marinis rupibus proueniunt, videlicet: Fœniculum Marinum, Chamelæon nigrum, & album, Soldanella, Papauer Cornutum Alipum, Eringium, Marinum, Hyosciamus luteus, herba mora, Tithimalus, Dendrodes Peplium, &c.

Dulcis

Dulcis aquæ Plantæ, & quæ in eiuſdem littorib. creſcũt, ſunt Gordilium, Naſturtium aquaticum, Erinum, Blondella, Baſilicon aquaticum. Inter quas etiam numerantur, quæ in ſtagnis & Lacubus proueniunt, videlicet: Nymphæa alba, & nigra, Potamogetum, Colocaſia, Orizum, Heliotropium minus, Hydropiper, vel Piper aquaticum, Tribulus aquaticus, Iuncus, Equiſetij, Aſpicella, Cyperus, Typha, Sparganium, Limonium, Miriophillum, Scordium Hyppolapathum, Sfondilium, Heliotropium minus, Lenticularia &c. Item, Batrachium, Apium Paluſtre, Leuiſticum, Lyſimachia, Chelidonia minor, Verbeea Pulicaria, Quinq;folium Plantago, Lãceola, Galoa, Herba ſtella, Capillus Veneris, Polentilla, Peruinca, Item illæ, quę in exſiccatis creſcunt lacubus, vtpote vitex, Helicriſiũ, Amellum, Botris, Rha, quæ omnes interPaluſtres plantas numerantur.

Terreſtres herbæ, quæ Syluestres nuncupantur, etiam ſunt diuerſæ. In quibuſdam enim ſolummodo conſiderantur radices, quædam humi repunt, quædam in alijs herbis, fruticibus, & arborib. proueniunt: quædam aculeis munitæ ſunt, quædam platæ in terra iacẽt: quędam flores proferunt ac ſimul fructus, aliquæ in lapidibus, rupibus, ruinoſis muris, in aperto planoque campo, montibus, ſyluis, & in cultis campis creſcũt. Inter herbas radicabiles numerãtur Tartufoli, Agaricus Galeni & Dioſcoridis, fungi, Boletti, Aracellæ, Cardarelli, Maninæ Ordinali, Pariſiolæ, veſicæ Lupi, Plantæ bulboſæ itidem, videlic. Squilla aut Scilla, Paneratium, Allium Syluestre, Porrum Syluestre, Doronici, Angelica, Thraſi, quæ circa veronam naſcuntur, Magones Syluestres, Paſtinaca Syluestris.

Inter herbas humi repentes pertinent vitis alba, Cucurbita Syluestris, Phaſeolus, Turcius, Lupulus, Viluchius, Halycacabus.

Alijs plantis innaſcuntur Epitimum, Epitimbrium, Epiſtebe, Viſcus, moſcus, Polypodium, Briotterium, Lichena Pulmonaria.

Inter aculeatas lædenteſque herbas pertinent ſpina regia, Cicerbita Rambix, Acantium Syluestre, Heracium maius, Tribulus terreſtris, Ruſcus, Speronella, Eringium, Crocus Saracenicus, Ranũculus, Flammula Pul-

ſatilla Sabina, Cardui omnes, carduus Benedictus; Carduus Mariæ, Carlina.

Peregrinæ & exotiæ plantæ cõſiderantur vel ob radices, aut caules, vel fructus, aut liquores ſuos. Inter eas, quæ ob radices ſuas conſiderantur, pertinent Galenga, Acorus, Curcumena, Spicanardi, Nardus Montanus, Rhaponticum, Rhabarbarum, Indicum, Daucum, Creticum, Siſarum, Behen, Turbith, China, Zenfez, Turnach, Africanum.

Ob cauli rationem, Amomũ, Calamus Odoratus, Caſca odorata, Caſſia fiſtula. Ratione fructuum & liquorum ficus, cubebæ, Cardomomi, Cinnamom⁹, Oppoponax, Glaucium, Galbanum, Ammoniacum, Benzoi, Aſa fœtida. Iſtiuſmodi herbæ autem non dumtaxat ob radices, caules, fructus, & liquores ſuos, ſed & alias ob cauſſas, ex peregrinis Prouincijs ad nos per feruntur, vt ſunt Gingidium, dictamnum verum & falſum, Apioriſum, Abſinthium, Seriphium, Sãtonicum, Ponticum, Aſclepium, Petroſelinũ, Macedonicum, Verbaſcum, Taurium Alexandrinum, Stæchas, Squinãthum, Aſa fœtida, Gramen Babylonicum, Colocaſia, & aliæ ſimiles. Inter exoticas ſiue peregrinas herbas à ſcriptoribus etiam numerantur, Bulbus eſculentus, Ottona, Telepium, Poterium, Acantium, Siſon, Phalangium, Circea, Epinedium, Papauer, Spumeum, Tropolium, Polygola, Pelium, Solatrum Somniferum, & aliæ pene innumerabiles.

Multa itidem ſimplicia inter plantas numerantur. Herbolarius itaque omnium plantarum arborumque cognitionem habeat.

Arbores diuiduntur in Syl-ueſtres, quæ ſemper virent, vtpote Abies, Larix Pinus, Iuniperus, Iſchius, Taxus, Eccius, Oliuaſter, vel Oleaſter, Acrifolius, Tamariſcus, Hædera, Helice, & id genus aliæ: & in Syl-ueſtres folia dimittentes: videlicet Vitis Sylueſtris, Ficus Sylueſtris, Sorbus, Quercus, Fagus, Salix, Nux, Ornus, Vlmus, Platanus, Oppius, Albeus, Tamarindus, Sambuccus, Cannæ, ſpina alba, &c.

Pari modo ſemper virent, vt ſunt palma, Olea, Laurus, Cedrus, Limonia, Aurantia, malus, Cypreſſus, Terebinthus: & quę folia ſua dimittunt, ſcilicet: Vites, Ficus, Pomus, Pirus, Morus, Perſicus, Prunus, Ceraſus,

Co-

Corylus, Nux, Amygdalus, Caſtaneus, Piſtacius.

Tertio, reperiuntur quoq; & aliæ exoticæ atq; peregrinæ arbores, vtpote Ebenus, Myrabolani, Caſſia, Platanus, Nux Myriſtica, Nux Indica, Nux Vomitoria, Sicomorus, Bonaga, Lycopſis. Id quod de arboribus & fruticibus ſufficiat. Nunc etiam illas vna cum differentijs ſuis, indicabimus, quarum aliquæ in altum creſcunt de quibus hactenus facta mentio: quædam humi iacent.

Inter humi iacentes plantas pertinent gramina, dein ſanguinella, Panax Heraclius, Herba Stella Sylueſtris, Mandragora, Phalaris, Glaucium, Poligonium, Piloſella, Lingua Ceruina, Filix, Dictamnus, Scolopendria Coloquintus, Hernionitis, Adianthum, &c.

Inter illas herbas, quæ flores atque fructus ferunt, numerant Origanum, Panceam, Liguſticum, Paſtinacam Sylueſtrem, Siler montanum, Ciminum, Sylueſtri, Apium montanum & paluſtre, Smirinum Sylueſtre, Fœniculum Sylueſtre, Sfondilium Ferulam, Serapinum Achilleam Helicriſium, Cicutam, Millefolium, Cicutariam, Tapſiam, Ebulum, Filipendulam, & id genus ſimiles.

Inter ſaxoſas herbas continentur Roſmarinus ſaxifragia, parietaria, ſemperuiuum, capillus veneris, Scolopendria, Petroſelinum, Sylueſtre, Radix Rhodia, Helicriſium, ſerpillum, Sylueſtre, & plures aliæ.

Sequentes vero libenter creſcunt in ruinoſis muris, atque in Ciuitatum Cæmiterijs, & alias circa vias & muros, raro frequẽtabiles, quemadmodum etiam iuxta ſepes, nimirum Verbaſiũ, malua, maluauiſcum, Vrtica, Chelidonia, Ebulus, Blattaria, Burſa Paſtoris, Moronium, Ariſtolochia, Chryſanthemũ, Eupatorium, Hyoſciamus, Lappula, Cucumis, Aſininus, Cardunculus, Dongontium, Veronica, Mentaſtrum, Baſilicum Sylueſtre, Ruta Capraria, Cerdonella, Artemiſia, Alliaria, Geranium, Momordina, Pes Columbinus, Camomilla, potentilla, ſolatrum maius, & minus, Millefolium, Aſparagus Sylueſtris, quarum etiam ſupra facta mentio.

Subſequentes herbæ plerumque in aperto campo creſcunt videlicet, Gramen, Ferula, Trifolium, Daucum, Lilium Sylueſtre.

uestre, Betonica, Bollium Campestre, Cõsolida, Eufragia, Tapsus barbatus, Centaurea, Serpentina, Anemone, Agrimonia, Morsus Diaboli, Abrotanum, mas, Santolina, Nepotella, Melilotus, auricula muris, Anagallis, & istiusmodi similes.

Inter montanas herbas pertinent, Centaurea maior, Mandragora, Onfadillus, testiculi canis, Gentiana, Cruciata, Panax, Heracleus, Rubia minor, Elleborus, Ruta Syluestris, Palemonia, Fraxinella, Polium montanum, Oliuella, Timelea, Camelea, Asclepias, Pæonia, Aconitum, Napellus, Laurealæ, Milium Solis, Peucedanum, Siler, montanum, Teucrium Scordium, Sparganium, Tormentilla, Stellaria, Bonifacia, Apiũ Montanum, Scammonea, Thymus, Heliotropium maius.

Syluestres herbæ sunt. Bonifacia, Filix, Dragontium, Crocodillus, Lingua Ceruina, Pulmonaria, Valeriana, Aristolochia, Polypodium, Enula, Vaccaria, Viola, Panis Porcinus, & aliæ magno numero.

In culta terra, agris, vineis & hortis crescunt, Coriandrum, Hyacinthus, Ruta Syluestris, Camomilla, Papauer Syluestre, Perforata, Clinopedium, Fenugræcum Auena Syluestris, Lolium, Esula rotunda, Fumus terræ, Cataputia minor, Fœniculum Syluestre, Auricula muris, Lilium, Syluestre, Clinopodium, Curcuma, aliaque.

Inter herbas domesticas vel in campo suapte crescunt, aut in hortis plantantur.

In campo crescentes quædam cibo inseruiunt, quædam vero inseruiunt, quædã vero minus: Cibo inseruiunt triticum, frumentum, hordeum, oryza, similago, fabæ, pisa, Lentes, Viciæ, &c. Quædam ad esum minime conueniunt, vt Linum, Gossipium, Canabis, &c. Ad medicinam facientes postea recensebimus.

In hortis plerumq; plantantur rapæ, raphani, pastinaca, Cepæ, omnis generis porra, brassica, Luctuca, Endiuia, Buglossa, Saluia, Rosmarinus, Acetosa, mentha, pulegium, Petroselinũ, Hyssopus, Maioranus, Ozimũ, Melissa, Nasturtium, Crocus, alba lilia, omnis generis Narcissi, Lauendula, omnis generis violæ, vtpote purpureæ, lacteæ, flammeæ, luteæ, &c.

Cucumer, Caryophillus, Papauer, Anisum, Sinapi, & id genus aliæ. Et hæ sunt præcipuæ plantæ vel herbę, cum distinctis suis

ſuis differentijs. Si quis autem plura ſcire deſideret is legat Matthiolum, alioſque de re herbaria ſcriptores Medico herbarios.

Hanc eamdem profeſſionem multi Erudiſſimi Clariſſimique Viri excoluerunt, qui eamdem ſcriptis ſuis Doctiſſimis maxumopere commendarunt & illuſtrarunt.

Quidam ex illis vero ſingulareis quaſdam herbas, magno ſtudio atq; diligentia deſcripſerunt: vtpote Themiſion, vtpote Themiſion, doctiſſimus quidã Medicus, qui integrum librum de virtute atque efficacia Plantaginis conſcripſit.

Iuba Euphorbium ſingulari aliquo cum tractatu exornauit. Eraſiſtratus peculiarem tractatum de Lyſimachia poſt ſe relliquit.

Ireſius herbam Anonymam ab ipſo dictam deſcripſit. Muſæus & Heſiodus, Polion, vel Roſmarinum Sylueſtrem in ſcriptis ſuis celebrarunt. Phanias Medicus doctiſſimus de vrticis integrum librum edidit. Aſclepiades, quemadmodum de Anthemio Dioſcorides, in lib. ſuo de ſimplici medicina, Artemiſiam ante omnia ſummopere extulit, quæ etiam à Poeta Marco mater reliquarum herbarum omnium nuncupata fuit. Homerus herbam Molij in ſcriptis ſuis celebrauit, & Mercurio dedicauit, quod eamdem inuenerit, & Vlyſſi virtutem ſuam indicauerit.

Plinius herbam, Dedecatheon dictam, in ſcriptis ſuis mirũ in modum commendat, de qua inter alia commemorat, quod ex aqua præparata pota, omneis morbos & ſymptomata curet, quæ virtus etiam Maluæ ab aliquibus tribuitur, ſi nimirum ſemiplenum poculum de liquore illius bibatur, tunc potorem diuturno tempore ab omnib. morbis tutum ſecurumque eſſe. Sic Chryſippus Braſſicam in peculiari quodam libro ſummopere commendauit, quam etiam Romani, quemadmodum Cato teſtatur, ante DC. ferme annos ꝑ optuma ſua Medicina vſurparunt.

Baptiſta Fulgoſus in Collectaneis ſuis herbam aliquam deſcribit, quæ rubei atque ſanguinei coloris radicem habeat, & noctu luceat, & in Iudæa prope ciuitatem Macheruntem in valle quadam creſcat, tantæq; virtutis & efficaciæ fiet, vt obſeſſos curet, & Cacodæmones ex ijſdem abigat. Marion, Scriptor Græcus, de encomio raphani

ſingularem librum conſcripſit. Sic Diocles in peculiari aliquo libro rapas extollit: atq; ſic conſequenter & alij de herbis, earumdemque virtutibus ſummo cum ſtudio commentaria & lucubrationes ſuas ediderunt.

Equidem nemo ibit inficias, quod iſta profeſſio, quæ in cognitione & tractatione herbarum conſiſtit, non dumtaxat iocunda, verum etiam ſummopere vtilis, atque perquam neceſſaria ſiet, quippe ſine cuius adminiculo medicina nulla, medicina eſt: Iuxta illud, quod ſæpenumero per vilia leuiaque ſimplicia, adeo admirandæ probæ ſeſe faciant conſpicuæ; vt etiam ipſi Phyſici ea de re maxume mirentur.

Si quis vero, ſimplicia vere noſſe, atque de eorumdem virtutibus recte iudicare volet, is ante omnia probe conſiderare neceſſum habet, quo videlicet, in loco natæ fuerint: vna ſiquidem herba diuerſas operationes habet, idque reſpectu, ſiue ratione loci, in quo creuit. In relliquis, iuxta ſupra commemoratas ſeſe, facile ipſe informabit, atque exinde ſuum petet directorium.

Porro verus quidam Herbolarius ſcire quoq; neceſſum habet, quo videlicet tempore herbæ optumæ & efficaciſſimæ ſient, vt hoc modo eaſdem non ſolumodo commode colligat, & cum emolumento cuſtodiat, verum etiam vt eaſdem tempore hyemali, & vbi earumdem nulla datur copia, vtiliter vſurpare poſſet.

Quoniam etiam, quemadmodum Aſtrologi aſſeuerant, & ipſi etiam Medici ex parte fateri neceſſum habent, Planetæ efficaciter herbis dominentur, adeo vt illorum beneficio herbarum vires & virtutes vel augeantur, aut minuantur: quocirca in colligendis herbis, & ſimplicibus ſuis Planetarum iſtorum curſum obſeruare neceſſum habet.

Luna autem imperat Lunariæ: Mars, Squillæ aut Scillæ, & ita ſubſequenter. Scire autem Herbilegium iſtiuſmodi quoq; oportet, quando nimirum Planetæ regnent, & quo in ſigno cœleſti illos eſſe oporteat.

Super omnia autem Herbolarius quidam Plantarum propriam Qualitatem, ſimpliciorumque omnium virtutes atq; operationes ſcire tenetur. Exempli gratia: Carduus Benedictus

ctus, Carlina, Agrimonia Corallina mirandam quamdam eijciendi vermes è corpore humano vim habent. Laureola, Diuella, soldanella, Cataputia, Ebulus, Sambucus, Elleborus, stomachum purgant, etiamsi modicum dumtaxat eidem ingeratur.

Sic Rosæ, polypodium, Sena, Rhabarbarum, Aloe Scammonea, Turbith, Coloquintus alnum vrgent. Sarsaparilla Lignũ sanctum, cina &c. Sudorem pellunt, modo exigua etiam decoctionis istius pars bibatur. Hipericon, millefolium, Carduus benedictus, Betonica, Victicella recentia omniaque curant vulnera, si ijsdem imponãtur. Chelidonia, Fœniculum, Ruta Ophtalmiam, siue omnia oculorum symptomata sanant. Gentiana bisterta, Carlina ventris tormina & dolores tollũt. Mentha confortat stomachum, & quartanæ medetur. Laureola curat scabiem. Et hoc modo quidam Herbolarius de omnibus herbis apte disserere necessum habet. De quibus autem in supra commemoratis scriptis, quemadmodum etiam ex Francisci Calzolaris Veronẽsis, prosperi Borgheruccij aliorumque Commentarijs doctissimis, qui professionem istam summa diligentia excoluerunt, & illustrarunt, sufficientissime informabitur. Nunc ad alias etiam professiones, earumdemque cultores properabimus.

IN DISCVRSVM. XXI.

ANNOTATIVNCVLA.

QVI breuem, præstantissimum, atq; Vtilissimum tamen de herbis Commentarium legere desiderat, is librum 29. Iohannis-Thomæ Phrygij, de Herbis Battonologia inscriptũ, sibi familiarem reddat. Vniuersam tamen de omnibus herbis, quæ hodierno nostro temporæ notæ sunt, informationem, in supra allegatis scriptis studiosus aliquis Herbolarius inueniet. Iuxta illos etiam de herbis ac fruticib. eximie & perfecta scripserunt Leonhardus Fuchius, & Rombertus Dodonacus, ad quos eius rei cupidos Lectores ablegatos volumus.

DE THEOLOGIS. PRIMVM IN genere, & deinde in specie de scholasticis, & de Scripturalibus, qui S. Scripturam aut illustrarunt & explicarunt, aut in eamdem Glossas siue Commentaria scriptitarunt.

DISCVRSVS XXII.

HOc in loco de Theologia, Phœnicum nulla verba facturus sum, qui sibi persuadebant, omneis res à denso tenebrosoque quodam ære, tamquã crasso & caliginoso Chao, suum trahere principium, hominesq; à quodam vento Colpias, & à quadam flamma Baau hunc in mundum natos esse. Vt heic alias crassas fictitiasque fabulas, quas Taautus in libris suis, de origine mundi, in mediũ adfert, omittam; cui etiem Philo Bib-

lius,

lius, Epides, Pherecides, & Zoroaster magus adstipulantur, vt hoc modo mysteriorum Phœnicum antiquitatem, cui plus iusto sunt addicti, in valore atq; essentia sua conseruent.

Similiter, & heic nihil de Theologia Ægyptiorum loquar qui, homines primum in Ægypto factos esse volunt, idq; partim ob saluberrimum æris loci istius constitutionem, partim Nili caussa, qui ad idem nimium fuerit idoneus. Item, quod Dij antea mortales homines, atque tamdem, ob præclaras suas virtutes, immortales facti fuerint, quem in finem etiam Isidē & Osiridem tamquam Deos coluerunt, atq; simul Triphonem & Dionysium, vti Orpheus in mysterijs suis de ijsdem mentionem facit.

Nec Græcorum heic memorabo Theologiam, qui Cadmo, Agenoris filio omnia tribuunt, quippe à quo multi Dij Deæque in mundum natæ fuerint, quemadmodum etiam adhuc hodie Diuorum istorum Genealogias ostendere solent, atque simul fabularum phantasiarumq; copiam, vtpote de ipsorum Nymphis, musis, Libero Patre (quem etiam Bromium, aut Bacchum nominant.) Sileno Alcmena, Hercule, Euristæo, Æsculapio, Apolline, alijsque plurib. quemadmodum à Diodoro Siculo p̄clare, & iuxta omnium ipsorum deuotionem, lib. 4. Bibliothesæ suæ, describuntur.

Athlantiorum. Nihil heic quoque dicam de Athlantiorum Theologia, prætendentium cœlum primum ipsorum Regem fuisse, qui XL. filios educarit, quorum partem Ops ipsi peperisset, vna cum duabus filiabus, Basilia, & Cybele videlicet, quæ alias pandora quoq; appellatur, & quæ sunt id genus fabulæ plureis, quas indignas censeo vt ijsdem hunc-ce meum Discursum commaculem.

Phrygiorum. Non etiam Phrygiorum heic mētionem faciam, qui omnem suam Antiquitatem Meoni cuidam acceptam referunt, qui, vti sane illi prætendunt, multos Deos procreauerit: vt iam innumeras ferme ipsorum fabulas taceam, quas de Attite, marsia, Hipperione, Maia, Cerere, Vesta, Saturno, Athlante memorant: quemadmodum illæ ab Euemero Historico, Homero, & Orpheo, qui potius fabulas, quam mysteria, suis in scriptis posteritati communicarunt, ordine recensentur.

Nullo modo quoque Genti-

Mm lium

lium mysteria in genere heic describere stat sentētia, quæ à modo commemoratis Poetis, Orpheo, & Heraclito Ephesino, summopere commendantur: q̄ tamen à Clemente Alexandrino in suis stromatis, à Lactantio Firmiano, & ab Eusebio Cæsariensi, tamquam stultæ nulliusque pretij fabulæ, repudiatæ & reiectæ fuerunt.

Immo Plato, & ipse tamen Gentilis, easdem aniles nugas, in libris suis de Legibus ipsis exprobat, dum Deorum Genealogiam merum figmentum nnncupat, quam tamen simpliciores Veteres magno in honore habuerunt:

Similiter etiā Dionysius Halycarnassæus, idem quoq; Ethnicus, lib. 2. historiæ suæ, de rebus gestis Romuli, eamdem Genealogiā Deorum expresse improbat, nec illam dignam esse autumat vt historiam suam cum isto, vti vere appellat, figmento contaminet, præsertim vero dū fingunt, cœlum à liberis suis castratum fuisse: Saturnū proprios suos liberos deuorasse. Iouem Patrem suum in exilium relegasse, temulentum & insanum Dionysium nudum, & corolla vitium coronatum, hinc inde discurisse, Elegantissimam formosissimamq; proserpinam lacrumando pene sibi mortē conscivisse, quod audiuerit, Plutonem erga Nerlides amore fuisse accensum: & quæ sunt istiusmodi historiæ & nugæ aniles plurimæ, quæ narratione historica non dumtaxat indignæ sunt, verum etiam ipsis in summum vergit præiudicium, qui nihilominus eosdem pro Dijs & habuerunt & coluerunt.

Sed & Arcadiorum Theologiam non multis heic commemorabo, qui illum vita spoliant, qui ipsorum Deum Demogorgonem appellare auderet. Qua de caussa etiam Lucanus veneficam quamdam, Erictonem nomine, introducit, quæ ex inferno sese propripuerit, atque dixerit: sese videlic. apertis faucibus expectare eum, qui modo dictum istum, Gentilium Deum appellasset.

Melius, & operæ pretium quoque erit, si & Epicuræorum Theologiam tacuero, qui blasphemo ore blaterant, Deum in cœlo otiosum sedere, nec circa negotia politicomundana occupatum esse.

Similiter & aliorum, vtpote Atheniensium, Ægeum adorātes, qui ex desperatione sese in mare dedit præcipitem, & Oedipum

dipum, qui parentem ſuum Laium trucidauit. Aſyriorum, qui Adonin, à Mirrha, (quæ erga ꝓprium ſuum, parentem amore accenſa fuerat, & tam egregium, ſcilicet, fœtum ab eo conceperat) natum, adoratione venerantur. Aſiaticorum populorum, qui execrandam, omnibuſque diris deuouendam, veneficam medeam adorant, cum qua innocentiſſima etiam Creuſa, veneficio, quodam incendio combuſta fuit.

Babyloniorum, Beli imaginem inuocantes, cui ſingulis dieb. tanta ciborum copia præbebatur quæ etiam M. hominibus fuiſſet ſufficiens. Lybiorum Idolum ſuum Buſiridem adorantes, omneſque in ipſorum prouinciam aduentantes peregrinos ipſi immolantes. Cypriorum, impudicam Venerem pro Dea ſua colentium. Indorum, in Regno Baar, qui in hodiernum adhuc diem, quemadmodum, Marcus, Paulus Venetus teſtatur, taurum pro Deo ſuo venerantur.

Mauritanorum, qui, teſte Pomponio Mela, Faunos & Satyras diuino honore proſequuntur, de quibus Rabanus aſſeuerat, quod virunculi aduncis naſis, & caprinis cornib. in capite deformati ſient. Stultorum Romanorum, qui meretricem Floram, Protheum, Deam Febrem, Deum Sterquilinum, priapum, Deam Vitulã, Bubonam, Cloacinam, & Deum Momum, omnium Deorum, nebulonem & verberonẽ verberabiliſſimum, magne deuotione proſequuntur atque venerantur.

Nec multa etiam heic commemorabo de Delphenſib. lupum adorantibus: de Samijs, oues ſuas pro dijs colentibus. Argiuis, ſerpentem adorantibus. Tenedijs, prægnantem vaccam: Alanis venenoſum Draconem: Ægyptijs, aſpides, Crocodilos, feles, canes, cepas, allium, & cæteris.

Thebanis, muſtellas, Ambraciorum, Leænam, ſtulti iterum Romani, anſerem, Theſſalius, ciconiam, Lacedęmonijs Deum Riſum, & metum (quib. ſingulis peculiaria ſua templa extruxerant.) Inſulanis ſienæ, piſces, pharos ab ipſis dictos: Inquilinis, inſulæ in mœotide palude ſitæ, etiam Piſces, Oxiringos ab ipſis nuncupatos: Gaderanis, populis & incolis alicuius ciuitatis Hiſpanicæ, ſenectutem adorantibus: & denique, vt aliquando ſermonem meum concludam, de Troglodytis, qui,

veluti Plinius testatur, testudines marinas, adorarunt. Omneis, & horrendas, abominabilesque istiusmodi Theologias sicco heic pede præterire, & dumtaxat de Christiana, sancta, laudabili, & putili Theologia verba facere stat sententia, quæ ijs, qui in eadem sese sedulo exercent, nihil aliud, quam meram veritatem, doctrinam, consolationem, atque adeo ipsam æternam vitam pollicetur.

Theologia Christiana.

Illa Theologia in mysterio & allegorico quodam modo, per fluuium in Genesi, qui hortum Eden: in quo exortus erat, omnibus in locis irrigauerat, significata fuit: quemadmodum etiam vniuersus terrarum orbis per Theologiã, & diuini verbi prædicationem quasi irriguus & fructuosus redditur, & quemadmodum etiam ab immanissimis barbarisque populis, summo cum gaudio & lætitia acceptata fuit.

In Canticorum Cantico cum vberibus comparatur, quæ sancto, forti, bene olentique vino referta essent, & tamquam pretiosum, vnguentum gratum de se odorem spargat: quum illa (Theologia.) ex vtraque parte mirabilem efficaciam de se præbeat, atque consolationem & recreationem excitet, vnde etiam à credentibus tantopere amatur & diligitur.

In Salomonis prouerbijs etiam ipsa omneis homines, ad se inuitat, atque omnibus, ad se venientibus, vitam, æternamque salutem pollicetur. Qui inuenerit me, inquit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.

Et Christus ipse apud Iohannem Euangelistam ita ait: Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ vitæ. S. Augustinus super verba: *Deleantur de libro vitæ, &c.* sic ait: Liber vitæ est notitia Dei, quæ prædestinauit ad vitam æternam, quæ presciuit conformes fieri imagini filij Dei.

Præstantissimus, atq; mysterijs Clarissimus Poeta, dantes Florentinus, Theologiam nostram, non absque singulari significatione, Beatrici, alicui fæminę comporauit, qui ipsum ab vna sphæra ad alteram, & vsque ad diuinæ Maiestatis Thronum perduxerit, de quo sic cecinit:

Quiui la mia donna vidi si lieta,
Come nel lume di quod ciel si misse,
Che piu lucente se ne fe il pianeta, &c.

Magna

Magna ista dignitas & altitudo huius nostræ S. Theologiæ ex multis diuersisque causis adparet: nimirum ex sua origine, puritate, certitudine, fructu, operatione, fine, materia, obiecto, & subiecto: quæ singulæ ordine, explicando recensebimus.

Ad originem & Theologiæ initium itaque, quod attinet, illud ex diuino aliquo lumine sortitum est: Siquidem, vt omneis Theologi fateri necessum habent, per nullam aliquam artem naturalem, scientiam, capacitatem, vel sapientiam comparari multo minus compræhendi potest, nisi homo mirabili atque præternaturali modo à *Deo Ter Optumo Maxumo*, per spiritum suum sanctum illuminetur, id quod in omnibus fidei articulis videre est, qui ita sane comparati sunt, vt ab ipsa ratione compræhendi nequeant: quoque Christiani eosdem tam firmiter credant, cum iisdem tam pulchre sese consolentur, atque etiam contra ipsam mortem, iisdē tam constanter innitantur, illud non ex se ipsis habent, sed teste Apostolo, *Dei donum est*, quod creditis, non ex vobis ipsis, ne forsitan aliquis glorietur.

Puritas & certitudo illius tā est nota, vt illa à nemine negari possit. *Puritas & certitudo.*

Cum enim omnes relliquæ scientiæ nitis erroribus implicatæ & omnino incertæ sient, huic soli certe nullius incertitudinis argui poterit, vtpote cuius principia, articuli fidei videlic. certissima & impugnabilia, non in lumine aliquo naturæ, sed supernaturali, Deo nimirum, infallibili ipsius verbo & promissionibus, quę numquam falli possūt, fundata sient. *Deus est veritas.* ait D. Iohannes Euangelista, *Et omnia in veritate docet.* Et quemadmodum Propheta inquit: Principium verborum tuorum veritas, in æternum omnia iudicia iustitiæ tuæ.

Hoc fundamentū est Theologicæ, cum vice versa, omneis aliæ sciētiæ humana ratione nitantur, & quæ etiam in omnium sapientissimis facilime errare & falli potest, veluti Thomas Aquinas part. 1. summæ, q. 1. art. 5. asseuerat.

Ad fructum vtilitatemque Theologiæ quod attinet, illa omnium aliarum artium scientiarumque emolumenta longe antecedit, atque insuper ad easdem omneis sese extendit: quæ

illius etiam, ductu & adminiculo, ad meliorē finem, rectamq; suam perfectionem peruenire poterunt.

Logica enim ex scientia ista mutuanda & discenda est, quo pacto videlicet certissime & verissime de rebus omnibus loqui differere, & concludere debeat.

Physica ex eadem veras rectasq; rerum caussas petere necessum habet. Medicina tam animæ, quam etiam animi remedia exinde discere cogitur, & quomodo nimirum animę, corporis remedia, longe antecellant.

Leges, & Iurisperiti discere heic itidem necessum habent, quid videlicet Deus præcipiat, ne fortassis, dum nimis humanis istis traditionib. initi velint, Deo, proximo suo, atque adeo sibi ipsi summam inferant iniuriam. Ethica in similiter heic discere oportet quid scilic. summum bonum fiet, quod non immerito omneis homines sibi cōparare debeant. Politica heic simili modo discere tenetur, quomodo non dumtaxat alij fient regendi homines verum etiam qua ratione homo se ipsum recte regere, atque coercere debeat.

In summa omneis heic homines discere tenentur, quid credendum, quid petendum, quid eligendum, quid vitandum, quid incipiendum, & quomodo illud denique finiendum fiet: idq; tamquam in tali lumine, quod, in omnibus nostris actionibus & negotijs, viam nobis præmonstrare poterit. Vnde etiam Regius Propheta Dauid in Psalmo suo vere ait: Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis &c. Et D. Petrus: Habetis, inquit, sermonem propheticum, cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso.

Perducit (Theologia) nos denique ad rectum præcipuumq; nostrum finem, nempe *Ad Deum.* Vnde S. Hieronymus super dictum Ecclesiastici cap. X. *Labor stultorum perdet eos*, &c. omneis Philosophos, Aristotelem, Platonem, parmenidem, omneisq; cæteros, stultos vocat, vtpote qui, sua cum scientia & arte, ad rectum, verum, vnicumq; hunc ce finem penetrare minime potuerunt.

Finis autem ille est *Æterna Beatitudo*, ad quam omnia nostra negotia & actiones directæ esse debent.

Ad Materium & Obiectum

Theo-

Theologiæ. quod attinet, illa tã est alta, vt etiam omnem humanam rationem, ſapientiam, atq; intellectum tranſcendat, vnde etiã haud immerito Regina appellatur, cui omneis relliquæ artes atque ſcientiæ inſeruire debeant.

Et denique adeo exaltata eſt, ob ſubiectum ſuum principale, quod eſt *Deus* ipſe, tamquam *Deus*, ſub ratione Deitatis ſuæ, quemadmodum omneis Theologi, ijque maiori ex parte præcipui, qui vmquam hac de re diſputarunt, aſſeuerant & teſtantur. Albertus vult, Deum eſſe, tamquam reuelatorem. Ægydius, Glorificatorem illum eſſe contendit. Varro, Scoti præceptor Deum, tanquam bonum, eſſe affirmauit. Henricus de Gandauo infinitum eum eſſe prædicat. S. Bonauẽtura vult, eſſe Chriſtum, tamquam eum, qui duarum naturarũ ſiet. Hugo de S. Victore ait: Chriſtum eſſe Chriſtum abſque conſideratione duarum naturarum: Lincorienſis, Chriſtum in triplici vnitate conſiderari, Hypoſtatica nimirum, Myſtica, & eſſentiali. In vnitate eſſentiali conſideratur, tamquam ille, qui in vnica eſſentia eſt cum Patre & Spiritu ſancto. In vnitate myſtica conſideratur, quomodo ſeſe eum Eccleſia ſua copulauerit. In Vnitate Hypoſtatica conſideratur quomodo videlicet duæ naturæ in vna perſona vnitate ſient.

Auctor. Magni quoque Theologia æſtumanda eſt, illius Auctoris gratia, à quo non dumtaxat oritur, verum etiam à quo eamdem homines addiſcunt. Et quemadmodum optuma eſt grammatica, quæ à Priſciano proficiſcitur: Optuma, inter Latinos, Poeſis, quę à Virgilio: apud Gręcos ab Homero: apud Italos, ab Arioſto: Philoſophia optumæ, quæ ab Ariſtotele: optuma mathematica, quæ ab Euclide optuma Coſmographia, quę à Ptolomæo, optuma medicina, quæ ab Hippocrate ſuum ſumit initium: ita quoq; optuma Theologia illa eſt, quæ à Chriſto oritur, aut iſta, quam à Chriſto didicimus, tamquam in quo, vti S. Paulus aſſeuerat, abſconditi ſunt omneis theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei.

Itaque etiam apud D. Euangeliſtam Lucam ipſe ait: Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui reſiſtere non poterunt omnes aduerſarij veſtri.

Non exiguam quoque iſta pro-

Professio laudem atque honorem adipiscitur ab ijs, qui eidem addicti sunt, in eaque summo cum studio sese exeruerunt, vt pote: Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, omneisq; sancti homines adeo tenaciter illi adhæserunt, tamquam indissolubili quasi vinculo eidem obligati fuissent.

Diuiditur autem Theologia in Scholasticam & Theologiam Scripturalem. Scholastica, ea est, quæ certis firmisque fundamentis, probalibus rationibus, subtilibus quæstionibus, & in conuincibilibus probis, ex alto illuminatoque quodam intellectu dimanantibus, contra omneis pugnat hæreticos, & aduersus omneis infideles Christianæ fidei articulos strenuè defendit: videlicet de Trinitate, de diuina omnipotentia, præscientia, sempiterna prædestinatione, libero arbitrio, gratia, iustificatione, peccato, meritis, pœnis, purgatorio, eiusdemque loco, Sacramentis, & aliis id genus. In ea apud Romano Catholicos nimium, & plus justo, sese exercuerunt, illamque illustarunt: Petrus Lombardus Magister Sententiarum videlicet, Alexander Ales, Henricus de Gandauo, Thomas Aquinas, Albertus Magnus, subtilis ille Scotus, Richardus de media villa, diuinus, vti ajunt, Bonauentura, Hugo de S. Victore, Petrus Aureolus, Occam, Ægidius Romanus, Durandus, Caietanus, Capreolus, Guilielmus Parisiensis, Ioannes de Bachone, Nicolaus Gorranus, Ioannes Niober, Guilielmus Pepinus, Augustinus Anconensis, Alanus Rupensis, Dionysius Carthusianus, & alij innumerabiles ferme Doctores. Ad cæteros modernos quod attinet, heic illos omitto, non ex contemptu, sed ex amore dilectæ breuitatis, ne discursus in infinitum crescat, & cęteri per scripta sua, nondum edita, seipsum satis superque commẽdabunt.

Theologia Scripturalis in simplici & clara quadam explicatione scripturæ consistit, iuxta quadruplices præcipuas intelligentias, literalem nempe, moralem, Tropologicum, & Anagogicum, quocirca à Theologia Scholastica quodammodo separata atque distincta est. De hac dissertationem heic instituam, iuxta ipsius principia, & S. Ambrosij regulam, dum super epistolam ad Romanos ita loquitur: Principia rerum quęrenda sunt, vt notitia earum haberi possit.

possit. Hęc Theologia inter homines exorta est mediante inspirationis & reuelationis in Lege *Dei Patris*, dum isto in loco Moysem hisce verbis compellat: Perge, inquit, & ego ero in ore tuo, & docebo te quid loquaris. Et apud Ieremiam cap. 1. Ecce dedi verba mea in ore tuo, & constitui te hodie super gētes & regna, vt euellas & destruas, disperdas, dissipes, & ædifices. Similiter & in Nouo Testamēto, cum Christus inquit Matt. 11. Nemo nouit filium, nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui Filius reuelare voluerit.

Deinde ad nos quoq; per doctrinam & traditionem Apostolorum, SS. Patrum, & Ecclesiæ Doctorum, ad nos propagata est, de quibus certo cōstat, quod ex inspiratione Spiritus S. scripserint & loqvuti fuerint. Vnde S. Paulus ad Gal. 1. cap. ita ait: Euāgelium, quod euangelizatum est à me, non est secundum hominem, neque enim ego accepi illud ab homine, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi.

Hæc Theologia in SS. Scriptura compræhensa est, quæ SS. Biblia nominatur, & in Vetus Novumque Testamentum Diuiditur: diuersis etiam nominibus aliquando appellatur: vt potē liber Domini, quo solummodo vetus Testamentum, & præsertim Lex intelligitur: quandoque Liber Vitæ dicitur, qui intrinsecus, iuxta sensum mysticū descriptus est, vel extrinsecus, secundum literalem sensum, vti videre est Apocal. 5. Sæpenumero verbum *Dei*, aut eiusdem Lex, vel præceptum appellatur, vti Psal. 119. sæpissime conspicitur. Aliquando vocatur Testamentum. Quemadmodum enim Testamentū tamdiu occlusum & inefficax manet, quamdiu Testator viuet: ita quoq; vetus Lex tam diu manet inefficax, veluti testatur Lactantius, quia neminem ad perfectum duxit umquam, quemadmodum, in epistola ad Hebræos cap. 7. scriptū est; occlusa quoque fuit per vaticinia & figuras, adeo vt, ante Christi aduentum & mortem, difficilime intelligi potuerit, donec ipse eamdem discipulis suis, præsertim Emauntam ambulantibus, explicasset. Sæpissime etiā vocatur Instrumentum, vti adparet apud Augustinum, Epistola 2. contra Pelagium, quod, si vti Ioannes Driedo lib. 1. c. 2. ait. quilibet in ea instructionem siue doctrinam reperiat, quid videlicet scire, credere, agere, vel intermittere debeat iuxta illud, quod

etiam, tamquam Instrumentum Authentium, certis infallibilibusque testibus atque testimonijs, extra omnem suspicionem alicuius doli & falsi, confirmata fiet. Nominatur etiam aliquando Lex diuina: quandoque Iustificatio: Sæpenumero Testimonium: aliquando Iudicium, quemadmodum in Psalmo 119. nomina ista sæpissime commutantur: Quandoque nuncupatur Canon & Regula Christianæ doctrinę & vitæ, iuxta quam, veluti Cabaialus in Tractatu suo de restitutione Theologiæ cap. 12. recte dixit, tam doctrina quã vita Christianorum, tamquam ad Lydium lapidem, examinari probarique debet.

Hugo de S. Victore, Canonicus Regularis, S S. Scripturam eleganter describit, dum de eadẽ dicit, quod fiet liber vitæ, cuius initium perpetuum, essentia, incorporę, literę indelebiles, intuitus iucundus, doctrina faciles, scientia dulcis & consolatoria, profunditas absque fundamento, & lingua incompræhensibilis fiet. Ioannes Driedo illam aliquanto strictius complectitur, dum ait: S S. Scripturam nihil esse aliud, quam Sermonem Spiritus S. qui per ora Prophetarum & Apostolorum loquutus fiet. In quo cum S. Augustino conuenit, qui de Christo libr. 11. de ciuitate Dei, ita ait: Hic prius per Prophetas, deinde per seipsum, postea per Apostolos, quantum satis esse iudicauit, locutus etiam Scripturam condidit, quæ canonica nominatur, eminentissimæ auctoritatis.

Hęc Scriptura longe aliter cõparatu est, quã prophana scripta Gentilium: quapropter Isidorus lib. 3. de summo bono recte dixit: Gentilium dicta exterius verborum eloquentia nitent, interius vacua virtutis & Sapientiæ manent: Eloquia autem Sacra, exterius incompta verbis apparent, in trinsecus autem mysteriorum Sapientia fulgent. In quo Pater à Scopo minime aberrauit. Est enim S S. Scriptura mera efficatia, quemmadmodũ partim in illius recto vsu deprahenditur, qui non solummodo consistit in recto intellectu, verũ etiam, quemadmodum D. Hieronymus sup. Gal. 1. cap. ait, in recto & subiecto obsequio, vt videlicet omnis voluntas, intelligentia, & sapientia illi subijciatur, qua de re D. Apostolus in Epistola sua ad Romanos ait: Non auditores Legis, sed factores iustificantur apud Deum.

Secundo deprahenditur etiam

tiam S S. Scripturæ dfficacia in innumerabilibus suis effectib', qui ex eadem oriuntur, ex quib. saltim aliquos heic recensebo. Exinde siquidem vera veri Dei agnitio existit, quæ omnem sapientiam, opes ac diuitias mundi superat. Disc tur quoque ex illa voluntas Domini, cuius Sciētia, timor eius, timor, honorem eius, honor, dilectionē eius, dilectio, odium & inimicitiam contra peccatum, inimicitia, vera, & ex corde profecta contritionem, contritio, veram pœnitentiam, pœnitentia, remissionem peccatorum atque consolationem. Consolatio, peccatam conscientiam & Spem vitæ æternæ parit, quæ neutiquam fallit, sed certo saluos beatosq; efficit, quemadmodum S. Paulus ad Rom. c. 5. testatur.

Partim quoque S S. Scripturæ efficatia ex magna vtilitate depræhenditur, quæ exinde cōparatur: Illa siquidem, veluti S. Paulus ad Timoth. scribit, vtilis est ad doctrinam, Sapientiæ videlicet, ad repræhensionem, falsæ nimirum doctrinæ & mendaciorum, ad correctionem, vt videlicet à Peccatis quis abstineat ad castigationem in iustitia, vt homo fiet perfectus, & ad omne bonum opus instructus.

Iuxta illa omnia S S. Scriptura itidem certa est. Primo enim Auctor, à quo hominibus inspirata fuit, & cuius impulsu sancti viri loquuti sunt nempe Spiritus S. Spiritus veritatis est, qui mentiri vel errare nequit. Confirmata deinde etiam est per antiquitatem suam: in ea enim vetustissima negotia, mox ab initio mundi agita, comprænenduntur: & quę annunciauerunt, ea quoque certo facta sunt, fitque ad huc hodie, quod in ea nobis promittitur atque pollicetur.

Tertio, In eo etiam eius certitudo conspicitur, quod vndique secum ipsa cōueniat, ipsiusque doctrina semper, absq; vlla immutatione, constans consistat, quemadmodum D. Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei c. 41. testatur.

Quarto, Singularis quoque ejus scriptorum integritas depræhenditur, veluti Richardus in Tractatu suo de Trinitate indicat.

Quinto, Inconuincibilis etiam in ea reperitur æquitas: nihil siquidem est æquius, quam vt *Deus Ter optumus maximus*, tāquam summum bonum, ab homine ametur, & deinde proxi-

mus, in quibus duobus præceptis tota Lex consistit.

Sexto, Certitudo eius exinde etiam cognoscitur, quod omnia quæ hæretici contra eamdem in contrariam partem adferant, etiam ipsi rationi manifestissime repugnet: Exempli gratia, quãdo Mahometes, vna cum suis, de grege porcorum, asseclis, voluptuosam beluinamq; vitam, in altera futura æternaque vita sibi pollicetur.

Septimo, Illa quoq; certitudo ex mirabili Martyrum constantia depræhenditur, qui, ob, in SS. Scriptura compræhensam, fidem, tantos cruciatus à tyrannis & persequutorib⁹ perpeti & necessum habuerunt, & constanter sustinuerunt.

Octauo certitudo ista etiam ex Prophetarum vaticinis colligitur, quæ omnia impleta fuerunt.

Nono, ex ipsis miraculis, quibus confirmata fuit.

Decimo, ex conseruatione Christianæ Ecclesiæ, quæ quidẽ sæpissime tentata, numquam victa; sæpius pressa, non tamen oppressa fuit.

Vndecimo, Inimicorum testimonia ipsa consideráda sunt, vel ad minimum tamen eorum, qui illi numquam addicti fuerunt: vt pote Iosephi, qui Christo eximicum etiam testimoniũ lib. 18. Antiquit. perhibere necessum habuit. Sybillarum itidem, ex quibus Erithræa sequẽtem in modum de Christo vaticinata est: *In ultima ætate, inquit, vnietur humanitati Diuinitas: iacebit in fœno agnus.* Tiburtina ait: *In diebus illis exurget mulier de stirpe Hebræorum, nomine Maria, habens sponsum Ioseph, & procreabitur ex ea, sine mixtione viri, de Spiritu sancto, filius, de nomine Iesus.* Cumjca: *Nascetur Christus in Betlehem*, annunciabitur in Nazareth, regnãte *Tauro pacifico.* Delphica: *In cunabulis terra re gremium virginis, & salus Gentium.*

Cumana:

E cælo Rex aduenjet per secla futurus.

Scilicet in carnem: Præsens vt iudicet orbem.

Sic Mahometes in aliquo sui Alcorani capite etiam inuitus fateri necessum habet, dum ait: Nemo ex filijs Adam quem non tetigerit Sathan, præter *Christum* & *Mariam*, Plato, Philosophus Gentilitius in Ephimenide sui alicuius vocabuli mentionem facit, per quod omneis res creatæ

fuerint

fuerint, non secus quasi illud ex S. Iohanne Euangelista didicisset: Idque in quadam, ad Dionysium Syracusanum scripta, epistola repetit. Ethicus Philosophus in Commentario suo super quædam verba Boetij, de disciplina Scholarum, ait: in Sepulchro Platonis auream aliquam laminam repertam, atque eidem sequentia verba incisa fuisse: *Credo in Iesum Christum, nasciturum de Virgine, passurum pro humano genere, & tertia die resurrecturum.* Mercurius Trismegistus, in Asclæpio suo, etiam Christianæ Relligionis veritatem fatetur, quemadmodum Augustinus de ciuitate Dei lib. 8. c. 23. testatur. Plotinus, Eusebio teste, in libro de tribus Hypostasibus fatetur: Filium à Patre ab æterno esse genitum, nō secus, ac nos Christiani itidem fatemur. Numnius philosoph⁹, in libro suo de bono, aduentum Domini sequentibus verbis annunciat: Cum Deus conuersus respiciet nos: tunc ipsius radijs illuminabimur, vt viuam⁹. Chalcidius Philosophus in Commētario super Timæum Platonis veritatem partus Christi, & quomodo stella magis in Oriente eius rei gratia apparuerit sequentibus verbis fatetur: Est & alia sanctior & venerabilior historia, quæ perhibet, ortu stellæ cuiusdam, descensum Dei in terram significatum. Albumazar, celeberrimus quidam Philosopho, Astrologus libro 6. Introductorij sui ad Astrologiam, veluti id interpretatur S. Hieronymus, huiusmodi verbis vtitur, quæ Christianæ nostræ fidei admodū sunt conformia, dum ait: Ascendit in prima facie Virginis puella (lingua persica, sedios Dei zama, quod Arabes interpretatur Cenedepha, & apud nos sonat virgo munda) tenens puerum in manu, & pascens: *Puerum autem vocant nomine Iesum.* Romanorum Imperator Tiberius, postquam de miraculis Christi aliquid inaudijsset, illum, veluti Suetonius Tranquillus testatur, in numerum Deorum referre voluit. Hadrianus Cæsar in conclaui suo, Iulio Capitolino teste, Christo altare posuit: quemadmodum & Imperator Seuerus singulis horis matutinis ante ipsius imaginem preces suas fudit.

Lactantius inter alia commemorat, Apollinem, aliquando de Christo interrogatum, respondisse: Sapiens, præ omnibus, & potens miraculorum effector. Dea Hecate, de anima Christi, quemadmodum Porphyrius in libro responsionum commemorat

 olim

olim interrogata, hunc potissumum in modum respondit: Anima præstantissimi viri est illa, & Christus ipse pius, sicut pij, in cœlum conscendit.

Verbum Domini manet in Æternũ.

Denique etiam SS. Scripturæ certitudo exinde colligitur, quod immutabiles & constans sict, & maneat in æternum, de qua ne minimum quidem punctum in terram recidet, vt non impleatur quod Christus ipse dixit. Math. 5.

SS. Scriptura præterea summopere prædicada & magni æstumanda est, ob eximiam suam dignitatem, in finitam auctoritatem, mirabilem vtilitatem, & ineffabilem eloquentiam.

De illius dignitate Spiritus, Dei in Psalmis loquitur, dum inquit: Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum: & alibi: Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & favum.

De auctoritate sua etiã Psalmi testantur: Omnia mandata tua veritas: Vnde etiam S. Augustinus lib. 13. Confessionum 29. cap. inquit: O Domine, ista tua Scriptura vera est, quoniam tu verax & veritas edidisti eam.

Porro illius quoque vtilitas in Psalmis prædicatur: Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti. Item: Lucerna pedibus meis verbum tuum &c. Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis. Vnde etiam S. Hieronymus, super 177. Psalmum, ita ait: Pinguissimus est Sermo *Dei*, omneis in se habens delicias, quicquid volueris, ex sermone diuino nascitur.

De eloquentia illius D. Augustinus aliquanto copiosius loquitur libro 4. de doctrina Christiana, & Santes Pagnius in libro suo de Allegorijs. Si quis vero plura de Theologia ista Scripturali scire desideret, is admodum familiarem sibi reddat lectionem librorum dicti moda istius Santis Pagnini: Item in opusculis Bonaventurę: in Tabulis Petri Aureoli. De illa materia scripsere porro Georgius Ederus, Michael Medina, quorum Tractatus adeo sunt copiosi, vt in tam breui sub manibus meis habente Discursu non omnino compræhendi queant: Quocirca beniuolum lectorem illuc ablegatum volumus.

Hoc autem in loco de Interpreti-

pretibus & Explicatoribus SS. Scripturæ aliquid dicendũ est, qui itidem, iuxta D. Pauli ad Ephes. c. 4. eloquium, à Christo largiuntur. Sunt autem illi summe necessarij, ob multiplicem illius intellectum in Parabolis, figuris, occultis sermonibus, & similibus loquendi generibus, quibus adeo referta est, vt etiam quemadmodum Epiphanius ait, absque explicatione aliquis sese vix inde extricare possit: dein & hæreticorum caussa fideliũ & exercitatorum Interpretum & SS. Scripturæ explicatorum opera requiritur, veluti illud ipsum multi distincti Ecclesiæ Doctores testantur, videlicet S. Augustinus super Ioan. cap. 18. & Vincentius Liuinensis ab initio libri sui, quem aduersus hæreses inscripsit.

Nunc vero omnes doctores fatentur quod SS. Scriptura duplicem intellctum habeat, verborum videlicet, quando verba iuxta litteralem sensum, & quomodo proprie sonant, intelliguntur.

Exempli gratia vocabulum Panis, quando pro cibo, & non pro cœlesti pane sumitur: vel translate, nimirum, si per vocabulum panis aliud quidam subintelligitur.

Deinde rerum, quę illinc tractantur, si per quædam vocabula, vel sermones, siue proprie, siue figurate intelligantur, aliquid maius, aut præstantius significatur: Exempli gratia, Ego sum vitis vera, & Pater meus agricula est, vos palmites, &c. ibi non dumtaxat in vocabulis vitis, agricola, palmites, sed & in rebus ipsis magna latent mysteria.

Species istiusmodi explicationum, & quomodo istæ formandæ sient, à diuersis diuerse etiam significantur. S. Hieronymus putat illas, illas esse triplices, quemadmodum easdem in epistola quadam ad Heluidium ordine commemorat.

Prima species est interpretatio Historialis.

Altera, Tropologica.

Tertia, spiritualis. Hugo de S. Victore etiam triplices ponit species, alia tamen ipsis tribuit nomina, in libro de claustro animæ, dum inquit; In refectorio sacræ scripturę tres sunt mensæ, Historialis, mystica, & moralis.

Ad primam mensam pertinent, inquit porro idem ille, simplices: ad alteram, eruditi: ad tertiam, senio confecti homines. Primæ simplicia tenuiaque

que secundæ, aliquanto pretiosiora: & tertiæ omnium suauissima fercula imponuntur.

Prima sapit exempla: altera mysteria: & tertia, egregia aromata honestæ Christianæque, alicuius vitæ.

Augustinus IV. ponit species in lib. suo de vtilitate credendi, & de Genesi ad literam.

Prima, est Historialis, vbi recensetur, quomodo res gesta fiet, siue id per diuina, vel per humana, media factum fuerit.

Secunda, est allegorica, quãdo, videlicet vocabula & sermones figuratæ intelligi oportet.

Tertia, est Anagogica, quando demonstratur, quomodo videlicet vetus atque nouum Instrumenta inter se inuicem conueniant.

Quarta, est Æthiologica, si nimirum significetur, quib. de caussis hoc, vel illud factum aut loquutum fuerit. Exempli gratia: Si Christus apud Matth. C. XIX. matrimonij diuortium ꝓhibet, excepto fornicationis negotio, tum simul indicat, cur Iudæis illud diuortium permissum fuerit, dum ita ait: Moyses permisit eum vobis, propter duritiem cordis vestri.

Alij VI. ponunt species. Prima, est Literalis: Si quis simpliciter, & iuxta literalem sensum S. Scripturam explicat, & vnum per aliud testimonium confirmat, atq; eo modo ad eumdem intellectum refert, idque vel per Etymologias, per proprietatem & vim verborum, vel alia illius generis media.

Secunda, est moralis, si quiddam ad animam, vel ad bona opera significat.

Tertia, est Tropologica si q̃d per singulares tropos, & figuras, ad Christianæ Ecclesiæ mysteria refertur,

Quarta, est Anagogica, si aliquid ad diuina mysteria, & vitæ æternæ contemplationem applicetur.

Quinta, est Lypica, si aliquid ad mutationem temporũ, Imperiorum, seculorumque restitutionem refertur, in quibus omnibus Cyrillus, Methodius, & ex modernis Fr. Hieronymus Sauonarola egregiam suam operam testatam fecerunt.

Sexta, Physica est, aut naturalis: si nimirum de virtutibus & operationibus naturæ vel creatione aut conseruatione totius terrarum orbis ex SS. Scriptura verba faciat. Ex quibus, præ alijs summam nominis sui famã

conſequuti ſunt, Rabbi Simon, & Ben Ioachin, qui ingentem Commentarium in Leuiticum conſcripſit, in quo, iuxta conſiderationem naturę omnium rerum indicat, quatenus nimirum Moyſes arcam fœderis, Tabernaculum, vaſa, veſtes, ceremonias, ſacrificia, omniaq; alia myſteria, iuxta triplicis mundi cõuenientiam, & naturæ, ex diuino mandato, ordinauerit, cuius explicationem etiam maiori ex parte Cabaliſtæ ſequuntur præſertim vero ij, qui de Gereſchit, hoc e. de creatione, & de rebus creatis tractant.

Alij vero, de mercanah, e. de iudicio Dei eiuſq; tribunali diſputant, & in eo circa numeros, figuras, reuolutiones, & ſymbolicas rationes occupati ſunt, illi omnia ad Deum ipſum referunt, atque hoc modo ſenſum Anagogicum inquirunt. Et hi, meo quidem iudicio, præcipui S. ſcripturæ intellect⁹ ſunt, quorum Auctores, Explicatores, Commentatores, Interpretes, vel quocunque alio nomine illi etiam appellentur, communi nomine Theologi nominantur. Ex ijs, ante alios, ſeſe cumprimis conſpicuos reddiderunt, Dionyſius, Origenes, Polycarpus, Euſebius, Tertullianus, Irenæus, Nazianzenus Baſilius, Chryſoſtomus, Athanaſius, Damaſcenus, Lactantius, Hilarius, Cyprianus, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius, Rufinus, Leo, Caſſianus, Bernhardus, Anſelmus, Geda, & alij innumerabiles, qui magna cum laude & gloria ſeſe hoc in ſtudio exercuerunt.

Qui vero plura de eadem iſta materia ſcire aueat, is legat Laurentium à Villa Vincentio lib. 3. de formandis ſacris Concionibus, & libro 2. de ratione ſtudij Theologici, Bibliothecam quoque Frater Sixti Senenſis.

Atque ijſdem SS. Scripturæ explicatio competit: Si enim illam quilibet pro ſuo lubito torquere & explicare velit, tunc ſane eo modo nullus hæreticus refutabitur. Vnde etiam D. Auguſtinus libr. 3. de moribus Eccleſiæ recte & vere dixit.

Quis enim, inquit, mediocriter ſanus non facile intelligat, ſcripturarum explicationem ab ijs petendam eſſe, qui earũ Doctores ſe eſſe profitentur. Ita quoque ait Ieſu Syracides cap. 8. Non te prætereat narratio ſeniorum: Ipſi enim didicerunt à

Patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum. Idem dein quoque ad Christianam pertinet Ecclesiam, siquidem, quemadmodum D. Augustinus contra Manichæum ait, vt Ecclesiæ credere debemus, si dicat: Hæc est SS. Scriptura, ita quoque nobis credendum est, si dicat. Hoc, vel illud verus genuinusque est intellectus illius, & eadem de re origenes, recte dixit, lib. 1. Periarchon. Illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica traditione discordat.

Et D. Augustinus Eph. 59. In scripturis sanctis interpretandis etsi nulla dici possint, quæ improbanda sint, tamen in his eligendum, quod omnis, vel pene, omnis frequentat Ecclesia. Si quis autem proprie scire velit, iuxta quas regulas SS. Scriptura explicari debeat, is familiarem sibi reddat librum de regulis Ticonij, qui olim hac de re contra Donatistas operam suam comprobauit.

Similiter & Augustinum lib. 2. de Doctrina Christiana D. Iohannem Hofmeisterum, Franciscum Ruitzium, Santem Pagninum, in libro suo Allegoriarum, Georgium Ederum part. 1. Encomiorum Bibliorum, aliosque plures, vbi sane non parua, sed summa diligẽtia requiritur: Nam, vt bene Chrysostom. homil. X. sup. Genes. ait. Scriptura diuina nihil temere, nihil fortuito loquitur, sed & syllaba, & apiculus vnus reconditum habet thesaurum.

Ad interpretes, & S. Scripturæ explicatores vero, quod attinet, ij sequentia duo dicta summo studio sibi commendata habeat. Vnum est Clementis cap. 5. de communi vita dum inquit. Porro, & si multa verba sint, in scripturis diuinis, quæ possint trahi ad eum sensum, quem sibi vnusquisq; sponte præsumpsit, non tamen id fieri oportet. Non enim sensum, quem extrinsecus adultereris, alienum & extraneum debetis quærere, aut quoquo modo, ipsum ex scripturarum auctoritate cõfirmare, sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis.

Alterum est Concilij Tridentini, sessione quarta, vbi sequentia verba loquuntur. Nemo suæ prudentię innixus in rebus fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram scripturam ad suos sen-

sensus contorqueat, aut contra eum, quem tenuit, sensum, & tenet Romano-Catholica Ecclesia, cui⁹ est iudicare de vero sensu & interpretatione sanctarum scripturarum, aut etiam contra vnanimem consensum Patrum, ipsam scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi eiusmodi interpretationes, nullo vmquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contrauenerint, per ordinarios declarentur, & pænis, à iure statutis puniantur.

Pari modo quoque & illi, qui sanctam scripturam interpretari & explicare conantur, caute sibi prospiciant, ne forsitan literam Auctorum lædant, textum minime deprauent, nec facile, absque inquisitione veri intellectus, eosdem percurrant, nihil extorqueant, quod ipsis numquam in mentem venit. Item ne alios Auctores inciuiliter naso suspendant. Item ne minimum quidem punctum omittant, & denique ne sibi molestum esse patiantur, vt veram videlic. cuiuscunque vocabuli etymologiam, & proprietatem inquirant.

Si itaq; illud obseruent, tunc quandoq; plumbeo textui auream, explicationem adornabunt.

Cumprimis vero & ante omnia probe obseruandum est, quod sancta scriptura diuersimode & iuxta multas peculiares methodos explicetur. Explicari enim potest, quemadmodum etiam Hieronym. Augustinus, Episcopus Nebiensis, Santes Pagninus & LXXII. interpretes Aquila, Symmachus, Theodotion, Isiodorus Monachus & alij fecerunt, vt libri & exemplaria in IV. VI. VIII. partes distribuantur, veluti Fr. Sixtus in Senensis Bibliotheca sua indicat. Vel in eiusdem explicatione Methodus stigmatica vsurpari poterit, cum qua prosodica scripturæ explicatio, apud Græcos vsu recepta, conuenit.

Similiter & quis methodum Syllabicam vsurpare potest, vti videre est in Concordantijs Biblicis, quas Hugo Cardinalis, & Conradus Albestadius Monachus collegerunt. Sic & capita in peculiares partes diuidi poterunt, vel epitomen omnium Capitulorum per vniuersa Biblia quis faciat, quemadmodum Aurelius Cassiodorus, & Richardus de S. Victore idem illud se-

ſequuti ſunt. Quiddam methodo ex cerptoria vtuntur, veluti Melito Epiſcop. Sardenſis, Cyprianus, Beda, Euſebius, Tatianus Alexandrinus, & Ammonius fecerunt. Alij expoſitionem, Notariacam vſurpant, vtpote Epiphanius ſtratonicus, Suidas & Iſiodorus: alij explicationem Propheticam, qua in re Hieronymus, melito Sardenſis, Methodius Martyr, Ioachim Abbas Proclus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, & Fr. Hieronymus Sauonarola excellunt. Alij vſurpant methodum Paraphraſticam, veluti Gregorius Neo-ſæſarienſis Epiſcopus inter Græcos; Onchelos & Ioſippus inter Iudæos, qui paraphraſin in vniuerſum Vetus Teſtamentum conſcripſerunt: & inter Latinos, Franciſcus Tittelmannus, & Raynerus Snoygoudanus. Alij methodo Lexica vel vocabularia vtuntur, quemadmodum Hieronymus, Santes Pagninus, Petr. Bercotius, Marcus Vlmenſis, Andreas Placo, Franciſcus Ximenius ſuper epiſtolas S. Pauli: Similiter etiam, quamuis alio modo, Claudius Guigliardus, & Hector Pintus ſuper Eſaiam & Ezechielem.

Quidam ſaltim annotationes ſcribunt, veluti Bernardinus Gadolus, Nicolaus Zignenus, Franciſcus Maronius, Apollinaris, inter Græcos: Hugo de S. Victore & Anshelmus Epiſcopus Leonienſis, inter Latinos. Alij dumtaxat Gloſſas adijciũt, quemadmodum Hugo Carenſis, & Nicolaus Liranus. Alij ſcribunt Commentarios, quemadmodum Hieronymus maiori ex parte fecit.

Alij etiam, ratione oblatę occaſionis, methodum ſciographicam vſurpant, vtpote, Beda, Petrus Appianus, Matthæus Aurogallus, Hieronymus, Euſebius, & Albertus Durerius, qui typum, turris Babylonicæ, & Iohannes Buteo, qui ſimiliter iſtiuſmodi typum Arcæ Noæ edidit; Item, Illudolphus ſuchen, & Rudolphus Langio. Alij expoſitionem tabulariam conſtituunt, aut Columnarẽ, vel Homelias, aut declamationes adornant, quemadmodum Ioannes Chryſoſtomus, Leo Papa, S. Gregorius, Anshelmus Beda, & alij plures. Alij ſaltim Collationes & Harmonias ſcriptitant, veluti Caſſianus, Zacharias Epiſcopus Hieropolitanus, Iacobus Sadoletus, Salonicus Epiſcopus Viennenſis, & Ioannes Gerſon.

Alij

Alij condunt meditationes, veluti Bernhardus, Augustin. Anshelmus. Alij obseruant Methodum Poeticam, vt Apollinaris Senior, Gregorius Nazianzenus, Iuuencus Presbyter, Arator Diaconus, Eulalius Episcopus Cynopolitanus, & Villeramus Episcopus, Marpurgensis. Alij methodo Epistolari vtuntur, veluti Isiodorus Pelusiota, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Cyprianus. Alij methodo Inquisitoria, vbi D. Augustinus omnes alios antecellit. Alij, methodo Collectanea, in Rapsodiam diuisa, quam etiam stronica sylegma & abbreuiationẽ appellat, quemadmodum Procopius Gaza, Eucherius Episc. Leoniensis, Isiodorus Hispalensis, Oecumenius, Theodorus Præsbyter, Celestriensis, Beda, Thomas Aquinas, Aloisius Episcopus Veronensis, Dominicus Nanus Albensis, similiter & Eudoxia Cæsaris Theodosii, & proba Falconia Adelphi procõsulis coniunx, Theophilactus, Ordoni⁹ Abbas, Haimo, & Rupertus Abbas. Alij methodum Coaceruatiuam vsurpant, veluti Guilielmus Pepinus, Paterius Notarius S. Gregorij, Claudius Cassianus Abbas, Alaphus monachus, Guarnerius Parisiensis, Alphonsus Tostatus, & Thomas Asselbachius. Alij, expositionẽ thematicam, quemadmodum philo in libro de Abrahamo, & Gregorius Nissenus in lib. de vita Moysis. Alij, methodũ scholasticam, veluti prudentius, Iulianus & Eucherius, & alij diuersis modis. Quidam denique methodo pandesia vtuntur, veluti Augustinus super III. priora capita Geneseos. Relliquas omnis generis methodos, dilectę breuitatis ergo heic omitto. Si quis autem plura hac de materia scire aueat is Bibliothecæ Sixti Senensis partis primæ, librum tertium, sibi quam commentatissimum habeat.

IN DISCVRSVM. XXII.

ANNOTATIVNCVLA.

AD Theologiam Veterum, quod attinet, & quomodo à Zoroaſtre ſuum ſumpſerit initium, id Marſilius Ficinus lib. 4. de Theologia Platonica cap. 2. erudite indicat, & lib. XVII. ca. 1. omnia ferme Gentiliũ Theologorum nomina commemorat, ex quibus Zoroaſter, Mercurius Triſmegiſtus, Orpheus, Aglaphœmus, Pythagoras, & Plato præcipui exſtiterunt. Collationem ſiue comparationem noſtræ Theologiæ cum Theologia Veterum Auguſtin. Steuchuſi, in libris de perenni Philoſophia, quibuſdam in locis demonſtrat. Ioannes Franciſcus picus mirandulanus libro 1. de ſtudio Philoſophiæ ca. 3. Theologiam Pariſienſem ſequentib. verbis depingit. Theologia Pariſienſis, inquit, nihil aliud mihi videtur eſſe, quam mixtio quædam ex diuinis ſcientijs & naturalibus rationib. reſultans. Stephanus Combentius, in lib. ſuo de aſſenſu mentis in Deum, Ariſtotelem librum, de Theologia Ægyptia, conſcripſiſſe aſſeuerat. Petrus Crinirus libr. 15. de honeſta diſciplina etiam Theologiæ Ægyptiorum mentionem facit, vbi ſimul inter alia memorat, quomodo videlic. ijdem Ægyptij eamdem vſurpauerint.

DE

DE PHILOSOPHIS IN GENERE, & in ſpecie, etiam de Phyſicis, Ethicis, Oeconomicis, Politicis: ſimiliter & de Conſiliarijs, Secretarijs, & Methaphyſicis.

DISCVRSVS XXIII.

ISiodorus, Etymologiarum libro 2. Philoſophiam ſequentibus verbis definiuit. Dum, inquit: Philoſophia eſt diuinarum humanarumque rerum, inquantum homini poſſibile eſt, probabilis ſcientia. Deinde, iuxta opinionem ſocratis, & aliquanto Chriſtianus, eamdem ſequẽtem in modum definit, inquiens.

Philoſophia eſt meditatio mortis. Libro ſuo VIII. Etymologiam Philoſophiæ, & Philoſophi declarat, atque ſimul indicat, nihil illam ſignificare aliud, quam amorem vel amatorem ſapientiæ, & iuxta illam ſignificationem memini, melius competere poterit, quam Chriſtianis, quorum ſumma ſapientia hæc eſt, vt videlicet ſapientiam ament.

Cicero eam inuentionem, Deorum appellat, hoc eſt, tale ſtudium, cuius beneficio & adminiculo ad agnitionem DEI peruenitur. Plato tam pretioſum donum eamdem appellat, quo nullum melius præſtantiuſue hominibus à Dijs dari poſſit.

Eſt enim regula vitæ, via ad virtutem, abominatio à vitijs, norma omnium humanorum, negotiorum, pœdagoga ad bonos mores, ordo omnium internarum cogitationum, excitatio & conſeruatio intellectus, inquiſitio omnium rerum, atq; adeo ſupremi cœli contemplatrix. Et Apulejo teſte, iſtiuſmodi eſt donum, quo homo Deo fit proximior, eidemque amicitia quaſi iungitur, &, ſub mortali maſſa, Deus quaſi eſt terrenus.

Et

Encomiũ & dignitas.

Et quæ tamdem diſciplina, ars,vel ſcientia cum iſta comparari poſſet? Hæc ſiquidem omnia ſecreta naturæq; arcana reuelat: monſtrat quo pacto aliquis honeſte, ac quiete viuere poſſit;omneis illa errores & nubeculas intellectus diſcutit,qui alias in ſe ipſo omnino obſcurus & tenebroſus eſt, componit omneis controuerſias & tollit omnem diſcordiam:ordinem recte ac prudenrer regnandi monſtrat, Ciuitates, Prouincias, & populos, cum idonea quadam temperatura iuſtitiæ, regit,ſapientes, neceſſariaſque Leges tradit, homines ad primi motoris, Dei videlicet, agnitionem ducit,quo ordine &intellectu motus cœleſtes peragantur, commonſtrat,bono fundamento de rebus omnibus loquitur,omnia rimatur, magna ſolertia res omneis perficit, adeo vt quis veritatem dicti ſocratis fateri neceſſum habeat, dum inquit: Tum demum Reſpublicas beatas fore, ſi vel Philoſophi ipſi imperent, aut ad minus regnantes philoſopharentur.

Sunt autẽ Philoſophi ij,quos Plato omnibus in locis Religioſos & ſanctos nuncupat, & ante Pythagoræ tempora, ſophi appellabantur, qui certe ſummus dignitatis eſt titulus,atque adeo humanam dignitatem omnino tranſcendit,qua de cauſſa etiam Socrates non *Sophus*, ſed *Philoſophus*, amator ſapientiæ nominari volebat,quo etiam nomine& ipſe,omneiſque ipſius ſucceſſores contenti fuerunt,vtpote tali honore,qui hominis nomini & gloriæ per omnia eſſet ſufficiens veluti Cicero æſtumat,dum lib. 2. Offic.ita ait:Quid eſt,per Deos immortales,optabilius, quid melius, quid homine dignius *Sapientia*, qua Philoſophi nominantur? Verus, iuxta D. Auguſtini opinionem, philoſophus eſt verus Dei omnipotentis Amator, qui vnica eſt ſapientia, per, quam omneis in vniuerſo terrarum orbe res creatæ& conſtitutæ ſunt.

Eſt inſuper nomen Philoſophi altum&ſanctum admodum nomen,quemadmodum Cicero lib. 2. Tuſc.quæſt.cap.3. fatetur, atque ab omnibus honoratur, veluti Seneca ad Lucillum epiſt.16.ait:Philoſophia,inquit, quieta eſt, & contemni non poteſt,quinimo apud peſſimos honori eſt.

An non enim Philoſophi fuerunt, qui vniuerſum terrarum orbem

orbem saluberrimis atque vtilissimis suis doctrinis instituerunt & illustrarunt? qui omneis errores ex cœco & confuso intellectu hominum depulerunt? qui salutari sua doctrina confusa obscuraque Chaos illuminarunt? qui omnis generis phantasias ex rudibus & agrestibus animis expellunt? qui per lumen suæ scientiæ caliginosam ignorantiæ noctem discutiũt? Quid mirum igitur, quod in mundo tanto in honore habiti & æstumati fuerint? præsertim vero cũ vetus ille mũdus hodierno nostro multo erat astutior, adeo vt de illo, cum Italo nostro, bene heic exclamare possimus:

Pouera & nuda vai Philosophia.

Plinius socratem non immerito extollit, cuius oratio num vna, ad defensionem præstantissimi alicuius viri habita, XX. talentis fuit vendita, quæ nostræ monetæ ad duodecim ferme Coronatorum millia cõstituunt, vnde quiuis sanæ mentis colligere facilime poterit, quanti demum vir & auctor ipse æstumatus fuerit.

De Pompeio Historiarum testantur monimenta, quod, postquam à bello Mithridatico Athenas prouenisset, inique decumbentem Philosophum possidonium visitasset, atque tanto honore illum dignatus fuisset, lectores fasces aliaque Imperij signa in ædeis istas gestare prohibuerit. Quo, procul omni dubio, significare & innuere voluit, quod coram virtute & scientia omnis etiam potentia & mũdana gloria sese humiliare debeat.

De Dionysio Rege & Tyranno syracusano legitur in historijs, quod Platoni curru, quem quatuor candidissimi equi traxerint, ad mare vsque obuiam processisse, summa philosophũ cum lætitia illic excepisse, & penes se in curru Regio collocasse.

Sic & Rex mithridates eumdem philosophum platonem, tanti æstumauit, vt etiam postquam ipsi de more statuam memoriæ ergo erigere decreuisset, celeberrimum artificem, solonem dictum, magnis sumptibus ad se accersiuerit, vt hoc modo dicta ista statua tanto pretiosior fieret, & eo gloriosior etiam exinde redderetur. Phalerio, Theophrasti discipulo Athenienses, sua in Ciuitate trecentis in locis statuam eius erexerunt. Nec

Aristotelim honorem exiguum vergebat, quod Philippus, postquam ipsi Alexander natus fuisset, non solummodo sibi ipsi de partu isto gratularetur, verum multo potius, quod eo tempore natus esset filius Alexander, quo Aristotele, tamquam præceptore vti posset.

Ipse quoque Alexander Magnus deinceps in testimonium erga Aristotelem, Ciuitatem Stagirin, ex qua oriundus erat Aristoteles, & exinde stagirites etiamnum hodie dicitur, exstrui curauerit eidemq; suo olim pręceptori pro vnico dumtaxat libro, quem de omnium animalium Natura & proprietate conscripsit, (nisi Athenæus libro 9. Gymnosoph. erret) octingenta Talenta, quæ, nostra in moneta, quadringenta & octuaginta coronatorum millia efficiunt, dono dederit.

Octauius Augustus in eo bello, quod contra Marcum Antonium in Ægypto gessit, ipse fassus est, se vrbi Alexandriæ potissumum ea de caussa pepercisse, nec eamdem solo æquari curasse, quod eamdem Insignis ille heros Alexander extruxisset, eamdemque præstantissimus ille philosophus Arrius inhabitasset. Traianus, Romanorum Imperator, Deonem, philosophum aliquem, ob eximiam eius eruditionem, tanti semper æstumauit, vt in itinere semper illum penes sese in curru suo collocaret, atque eumdem triumphi sui participem redderet. Nec leue etiam olim ornamentum fuit, si quis prȩstantissimi alicuius philosophi imaginem in conclaui suo pendentem vel stantem foueret, qua de causa etiam istiusmodi imago præ cæteris picturis omnibus primas palmamque obtinebat, vnde Iuuenalis ait:

---Nam perfectissimus horum
Si quis Aristotelem pictum, vel Pittacum emit.

De Pythagora quoq; Historiarum testantur moniměta, quod tanti eum Crotoniatæ atq; Metapontini fecerint, vt etiam diuino honore, eum prosequuti fuerint, &, quemadmodum Cicero libr. 1. de Natura Deorum testatur, ex ipsius ædibus, in honorem eius, templum condiderint. Alias apud omneis suos discipulos, in genere, idem ille pythagoras in tanta auctoritate atq; existumatione habebatur, vt ipsius verba non amplius in-

quirerentur, sed, si quid dixisset, illum ad veritatis confirmationem, dixisse sufficiebat, vnde etiam prouerbium, αὐτὸς ἔφα, de eo in hodiernum vsq; diem circumfertur.

Ex quibus omnib. igitur videre & colligere est, quanti videlicet, Veteres Philosophiam fecerint, & quanto in honore, in hodiernum etiam vsque diem, non immerito habenda siet. Vnicus est philosophia baculus, quo se aliquis aduersis in casib. iterum erigere, & vnica consolatio, qua se quispiam aduersa in fortuna recreare poterit.

Dionysius, ex Regno suo pulsus, & à sceptro ad ferulam missus, olim interrogabatur, quid nũc ipsi plato cum Philosophia sua prodesset? Hoc, respondisse illum ferunt, *Vt tantam fortunæ mutationem facile feram.* In philosophia reperiũtur verissima certissimaque remedia contra omneis animi morbos & symptomata.

Quocirca ferunt, quod Aristippus vni, egestatem suam sibi exprobranti, quotque philosophi ad ditiorum hominum foreis præstolari cogerentur, ita responderit: Et quid, inquit, hoc est amplius, an nescis etiam medicos ad ægrorum foreis ipsos expectare? Alij volunt ipsum, pro suo more, ciuiliter & facete admodum hunc in modum exprobratori suo respondisse: Ex eo videlicet colligendum esse, philosophos necessitatem suam ipsos agnoscere: si vero ditiores nossent, quantum videlicet sibi ipsis deesset, tunc procul omni dubio philosophorum foreis eo magis pulsaturos, & philosophos tanto diligentius præstolaturos esse.

Philosophia siquidem sola ea est, quæ nullius alterius ope, & adminiculo indiget, quemadmodum illud ante commemoratus Aristippus Dionysio præmonstrauit.

Cum enim is aliquando talentum ab ipso postularet, Dionysius vero, hac captata occasione, ipsi illudere conaretur, quod videlic. philosophi nullius hominis ope indigerent, respondisse illum ferunt: Dato mihi saltim istam pecuniam, & tum amplius de ea re disputabimus. Quo facto, Dionysium ita Aristippus adloquutus est: An non, inquit, Dionysi nunc vides, verum esse illud, quod scilic. philosophi nulla prouisione indigeant? Ex quibus pari modo in-

signis philosophiæ vtilitas manifesto depræhenditur.

Illud probe intellexerunt ij, qui tanto studio ad eamdem anhelarunt. Id quod sane in maiorem ipsius laudem vergit. Non enim plebei & rudiores, sed sapientissimi quique summam suam salutem, apud eamdem & non dumtaxat quæsiuerunt, sed & consequuti sunt. Huc spectarunt pythagorici; primi, & præcipui illi totius terrarum Orbis philosophi. Hanc obseruarunt platonici & Epicurali. Huic inuigilarunt stoici, Academici, peripateci, gymnosophistæ, & Cinici, quamuis hi posteriores eamdem summa sua impudentia fode contaminauerint.

Initium. Sumpsit autem Philosophia initium suum à Barbaris, à quibus postmodum ad Græcos deriuata, exculta, & ad tantam, in qua etiamnum est, perfectionem reducta est.

Præcipue autem Persæ primi fuisse perhibentur, qui Philosophiæ studium excoluerint, & à quo magi, siue sapientes, nuncupati fuerint: quod nomen etiam postmodum apud Babylonios, Assyrios, atque Chaldæos retinuerunt. Apud Indos Gymnosophistæ fuerunt, quorum Coryphæus, veluti Hieronym⁹ contra Iouinianũ testatur, Budda exstitit. Apud Celtas, siue gallos, druides floruerunt. Apud Phœnicios Ochus Philosophandi fecit initium: Apud Thraces, Zamolxis, & Orpheus: Apud Lybios athlas primus fuit, qui omneis, Diogene Laertio teste, sophi nuncupati sunt.

Apud Græcos autem, veluti modo iam dictus Laertius testatur, Philosophia à Musæo & Lino suum sortita est initium, qui primum magi nomine apud ipsos dignati atque insigniti fuerunt.

Eusebius autem, philosophiam, quemadmodum & omneis cæteræ disciplinæ, ab Hebræis suum sumpsisse initium existumat.

Philosophia vero multifariam diuiditur, quemadmodum simplicius & Ioannes Grammaticus ab initio suæ Physices illius distributiones aliquot ordine recensent. Similiter & Eusebius Cæsariensis lib. XI. de præparatione Euangelica capit. primo, qui hac in re Platonis, & attici platonici doctrinam imitatur.

Verum enimuero & hodierni nostri Philosophici suos quoque

que errores atque defectus habent, quemadmodum etiam tales Plato, in gorgia suo, impostores, hominumque seductores nuncupat; ob subtilitates & acuta; nullius tamen pretij, Sophismata, quorum quandoque magis, quam ipsius etiam veritatis, sunt studiosissimi. Eusebius, lib. XIV. Philosophiam pene omnino reijcere conatur, tamquam perpetuam rixatricem in omnibus suis opinionibus, & sententijs; veluti etiam Lactantius, Firmianus demonstrat, quomodo videlicet vna Philosophorum secta alteram impugnet, eum potissimum in finem quo melius opinionem & sententiam suam stabilire & tueri possint.

Alij Philosophiam p o fabulosa censent, quum notorium fiet, quod primi ipsius cultores maiori ex parte Poetæ fuerint, vtpote prometheus, Linus, Orpheus, Musæus & Homerus. Et si quis fateri verum velit, nemo sane ire poterit inficias, quod illa ex fabulis mendaciumq; Poetarum figmentis suam traxerit originem, quemadmodum etiam illud Plutarchus verum esse certis indicijs demonstrat, & nemo negare potest, quod illa maiori ex part. ex Homero desumpta fuerit.

Similiter & Aristoteles ipse fatetur, quod Philosophi priscis istis temporibus fabulis nimium dediti fuerint, & quod magis est, ipse etiam Athenæcus libro 5. Dignosoph. de philosophis conqueritur, quod plerumque lingua sua abutantur, dum ita inquit: Pluribus philosophis hoc innatum est vitium, vt magis, quam Comici, sint maledici: id quod exemplo Æschinis demonstrat, qui, tamquam Socraticus, nō immerito leni, tranquillo, & pacifico animo præditus esse debuerit, verum quomodo, quęso, Critobolum, Critonis filium tractat, non sane ob perpetratum aliquod facinus, sed quod, ne vlli forsitan molestus esset, sedulo laboraret, atq; in sudore vultus quasi, panem sibi compararet.

Simile videre est quoque in Aspasia, quæ Hipponicum, Calliæ filium stultum, & omneis in Ionia habitantes fœminas maledicas & dolosas mæchas nuncupat. Callias pythagoram & Anaxagoram virgula Censoria artificiose perstringit, & in axioto suo alcibiadem incusat, quod nimirum vino & fœminis plus

iusto deditus fuerit. Pari modo & Antisthenes eidem Alcibiadi inter alia objicit, quod, more Persian[o], cum matre, sororibus, & filiabus suis concumbat. Archelaus plus, quam millenis conuitijs in Gorgiam inuehitur. Euphemus, Platonem ironice Sathonem appellat: Aristippus vero linguam suam ironicam, contra quosuis exerit, non secus quam venenatus aliquis serpēs, aut canis aliquis rabiosus. Pari modo Diogenem nemo nisi prius ab ipso lacessitus fuisset, præterire poterit.

DE PHYSICIS.

AD ante dictam tam Philosophiæ, quam ipsorum etiam philosophorum diuisionem vero, quod attinet, omnium primi sunt physici, qui de principijs Naturæ, & rebus Naturalibus disputant.

Apud illos autem Natura, iuxta Aristotelis, opinionem in Physicis, nihil est aliud, quam motus principium, qui in re quadam inuenitur. Galenus libro XVII. de vsu partium, eamdem aliquanto neruosius, describit, dum inquit. Natura est mens ornata virtute mirabili, quæ complectitur & circuit omnia.

Vbi tamen probe colligitur, quod per Naturam nihil aliud intelligat, quam ipsum Deum, Naturæ Creatorem. Lucretius libr. 3 de natura rerum rem melius, & aliquanto propius tangit, & inter Deum atq; naturam, facit differentiam, veluti etiam facit ipse Aristoteles, dum quodam in loco ait, naturam rerum omnium à diuina quadam oriri essentia.

Et hæc est ipsa natura, quam plato, libro de descensu animæ, in simplicem & compositam, in actiuam & passiuam diuidit.

Sunt autem hæ præcipuæ cōsiderationes alicuius philosophi physici nimirum primo principia naturalia, vti videtur in Aristotele lib. 1. Phys.

Secundo, caussæ naturales, lib. eiusdem 2.

Tertio, Motus, & & infinitum, lib. 3.

Quarto,

Quarto, Vacuum & tempus lib.4.

Quinto, species motus, libro quinto.

Sexto, tempus, quod ad motum pertinet, lib.6.& 7.

Et denique, primus Motor, vti legitur in libro eiusdem auctoris VIII. Iuxta illa materia, quoq; consideranda est, quam Græci Hylen, & Hebræi Chomer nuncupant, quæ quasi fundamentum est, ex quo relliquæ res omneis existunt.

Secundo etiam formam considerat, quæ à Græcis Endelechia, ab Hæbreis autem Thoar appellatur.

Tertio etiam priuationem considerat, quam Philosophus principium per accidens appellat.

Porro, generationem & corruptionem rerum naturã Cœli itidem, animæ, animalium, metalorum, omniumq; mixtorum similiter & naturam elementorum, illarumque rerum, quæ ex illa generantur, quibus de rebus omnibus per cognitionem philosophicam adeo certus est, vt etiam in promptu de ijsdem certam possit rationem reddere. Inter Græcos hac in re olim percelebres, exstiterunt simplicius, Themistius, Alexander Aphrodisæus, porphyrius, Boetius, Sirianus, psellus, Ammonius, philoponus, alijque plures. Inter Arabes, Auicenna, Algazel, & Auerroes.

Inter Latinos vero, Thomas Aquinas, Scotus, Ægidius, Albertus Magnus, Burleus, Sessa, Vicomercatus, Bocaferreus: Genoa, Picolominæus, pendasius, Zimara, Achillinus, Linconiensis, Archangelus, Bernhardinus Cripa, Andreas Cisalpinus, & præstantissimus ille Laurentius Massa, qui nõ tam in hac, quam multis etiam alijs scientijs, adeo excellit, vt non immerito admirandus appellari posset.

Cæteros recentiores studio heic sicco pede prætereo, ne forsitan mihi imputetur, quod aliquem omittam, qui tamen præ alijs & sua laude dignissimi fuissent.

Hi autem Philosophi Physici omni tempore inter se inuicem dissensionum semina aluerunt, potissumum autem in hisce tribus, vtpote principijs naturalibus, positu mundi, & discursibus de anima.

Ad primum, quod attinet, principia naturalia videli. Thales Milesius in ea hæret opinio-

nc

ne, quod omnia ex aqua oriantur.

Anaximander vero, Milesi discipulus, & successor scholarum, inquit, principia esse infinita, hoc est, iuxta rerum diuersos modos & proprietates, quarum principia tam varia essent, vt non omnia sciri, multo minus recenseri possint.

Huius Discipulus anaximenes ait, quod aer infinitum, certum tamen principium omnium rerum fiet. Hipparchus, & Ephesius volunt, quod omnia ex igne suam trahant originem, cui etiam Archelaus Atheniensis aliquo modo adstipulatur.

Anaxagoras Clazomenius etiam infinita ponit principia, exiguos videlic. puluisculos, veluti atomi, quæ quidem confusa, à mente diuina tamen, iuxta suum modum, ad omnis generis naturales res in arctum cogantur. Xenomenes vnicum dumtaxat principium esse asseuerat, quod neque moueatur, neque immutetur.

Parmenides æstum & frigus omnium rerum principium facit. Leucippus, Diodorus, & Democritus vacuum & plenum, ꝑ suo ponunt principio. Pythagoras Samius contendit numerum esse principium, ex quo cætera omnia exorta sient, cui etiam Alcmæon Crotoniates adstipulatur.

Empedocles Agrigentinus, inimicitiam & amicitiam, ac IV. simul elementa, esse principium Epicurus, Atomos & Vanum, esse autumat. Plato & Socrates, *Deum*, Ideas, & materiam, principium illud esse affirmant. Zeno Deum, & elementa principium esse contendit. Aristoteles existumant, esse illud materiam appetitiuam formæ, per priuationem.

Philosophi Hebræi putant, esse illud materiam, formam, & spiritus. In summa: *Quot capita, tot sensus,* & plus, quam philosophus, ille esse, qui sub vna vita eadem omnia referre posset.

DIVER-

DIVERSÆ DIVERSORVM OPINIONES de mundo.

AD mundum, quod attinet in eo auctores varij varie, variant.

Thales enim vnum dumtaxat esse mundum asseuerat, qui à *Deo Ter Optumo Maxumo*, creatus siet. Empedocles quidem vnum mundum, vnam vero dūtaxat particulam vniuersi illum esse contendit. Democritus, & Epicurus, volunt, multos & innumerabiles esse mundos: quos ipsorum discipulus metrodorus sequitur, atque innumerabiles mundos esse asseuerat, siquidem & ipsorum caussas, innumerabiles, atque æque tam inconnum sermonem esse si quis dicat, vnum saltim esse mundum in vniuerso, quasi quis vnicam dumtaxat spicam in toto agro esse affirmare conaretur. Anaxagoras, Alexandrum Magnum ad lacrumandum commouet, dum ipsi plures mundos esse memorat, quod hactenus nondumvnum, ad medietatem vsque, suæ potestati subiecisset. Clemens Alexandrinus in stromatibus suis vero, non tam vecordis insanique animi Philosophum illū fuisse putat, quod eo ipso plures mundos subintellexerit, verum longe dissitas ignotasque Insulas hoc nomine appellasse, id quod etiam à multorum Clarissimorum, celeberrimorumque Philosophorum, opinione non adeo longe recedit, qui eodem sub intellectu de multis mundis & scripserunt & disputarunt.

Aristoteles, Cicero, Auerroes, & Xenophanes, mundum numquam interiturum esse, affirmare conati sunt.

Quemadmodum enim Censorinus de ijsdem ait, postquam catellectu suo minime comprehendi potuerint, quod nimirū primum fuisset, ouum ne, an auis, cum fieri non posset, quod ouum absque aue, vel, vice versa, auis absque ouo nasci potuerit: eapropter in easdem incidерunt cogitationes, mundum, initium, & finem rerum omnium, per reuolutionem perpetuam, esse sempiternum. Pythagoras, & stoici, ipsum interiturum,

rum, contenderunt, quemadmodum appareat, quod res omneis in eo ſint corruptibiles.

Quibus etiam Thales, Herocles, Auicennas, Algazel, & Philo Hebræus adſtipulantur. Sic Plato, Deum mundum iuxta imaginem ſuam creaſſe, quà de cauſſa illum etiam numquá interiturum eſſe aſſeuerat. Epicurus, vice verſa, eſſe mundum interiturum affirmat. Democritus ait, habuiſſe mundum ſuum initium, ideoque etiam interiturum & poſtea numquam amplius iri. Empedocles, & Heraclitus Epheſius volunt, mundum non dumtaxat ſemel creatum eſſe, ideoque etiam aſſidue generari atque corrumpi.

DIVERSÆ DIVERSORVM OPINIOnes de Anima.

SI quoque & porro Philoſophorum ſententias atq; opiniones, de anima conſiderare velimus, tunc certe multo rixoſiores contentiores hac in re depræhendemus, quam in rebus controuerſis alijs omnibus. Crates Thebanus ait: omnia omnino nihil eſſe, quæ de anima prædicentur, nullam ſiquidem animam eſſe, atque corpora moueri à ſe ipſis.

Quidam voluerunt, eſſe animam ſubtile quoddam corpus, quod in externa viſibiliaq; corpora ſeſe extendat. Quocirca multi illorum putarunt eſſe illum ignem, veluti Hipparchus & Leucippus, cum quibus Stoici quodammodo conueniunt, qui, animam eſſe ſpiritum feruidum aſſeuerant.

Similiter & Democritus, qui ait, eſſe mundum ſpiritum mobilem & accenſum atomis inſertum. Alij contenderunt, eſſe mundum aerem, vtpote Anaximenes, Anaxagoras, Diogenes Cinicus, & Critias, quib. etiam adſtipulatur Varro, dum ait, animam eſſe aerem, ore conceptum, in pulmone coctum, in corde temperatum, qui in vniuerſo corpore diſtribuatur. Alij dicunt, eſſe aquam, vel humorem, ſiue humiditatem, vt Hippias: alij, terram, vt Heſiodus & Pronopiodes, cum quib. etiam Anaximander & Thales, ambo Mileſii, aliquo modo conueniunt.

unt Nonnulli volunt, esse spiritum, cum igni mixtum, veluti Boethus & Epicurus, alij, terram cum aqua mixtum, vt Xenophon; Alij subtilem spiritum mundum esse contendunt, qui sese in totum corpus distribuat, vtpote Hippocrates medicus. Alij volunt, esse carnem, quæ per sensus exerceatur, vt Asclepiades. Alij, complexionem vel comprehensionem IV. elementorum, veluti Zeno Citicus, Decearchus, Cleanthes, Antipater possidoni⁹ esse complexionem calidam, cui etiam Galenus Pergamenus adstipulatur. Heraclitus ponticus ait, mundum lumen esse. Critolaus peripateticus, quintam essentiam, non tamen ea, circa quam Chymici versentur, illa siquidem per calorem nimis subito destillaretur. Xenocrates numerum vocat, qui se ipsum moueat. Ægyptij, certam esse vim & efficaciam, quæ omnia corpora penetret. Chaldæi, virtutem & vim, quæ nullam certam determinatamque formam habeat, sed omnium aliarum formarum capax siet.

In hoc autem omneis & singuli ferme conueniunt, quod videlicet anima certa siet virtus vel efficacia, quę ad mouendum prona fiet, vel certa Harmonia, quæ à natura corporis caussetur.

Hanc opinionem etiam ipse Aristoteles, maiori ex parte sequitur, qui animam nouo quodam nomine Endelechiam vocat, hoc est, perfectionem naturalis alicuius corporis Organici, quæ vitæ capax fiet, atq; quo tangere & moueri possit. Alij, animam substantiam diuinam, nuncuparunt, quæ indiuisa fiet, & integra in vnaquaque parte corporis consistat: potissumum illum in finem creata, vt à virtute agentis tota dependeat. Et huius opinionis etiam fuerunt Zoroaster, Hermes, Orpheus, Aglophemus, Pythagoras, Eumerius, Ammonius, Plutarchus Porphyrius, Timeus Locrensis, & Plato, qui ait: esse animam essentiam, quæ se ipsam moueat, & plena intellectus fiet. Cicero & Seneca, vice versa, contendunt, nullo modo, quod anima fiet, aliquem scire posse.

Quemadmodum igitur, cōmemorato modo, auctores interse variant, ita etiam de loco siue habitatione animę, hoc est, qua in parte alicuius corporis consistat, inter se inuicem rixantur.

tur. Hippocrates & Herophilus enim, ipſam in ventriculis cerebri habitare, contendunt. Eraſiſtrates, inquit, eamdem circa membranam Epicranidē degere. Strato intrinſecus, & oculorum ſupercilia ſitum illius locat.

Epicurus eamdem toti pectori includit. Diogenes nimis anguſte ventriculo arteriarum includit. Stoici & Chryſippus vniuerſum cor & viciniam illius animæ pro habitaculo tribuūt. Empedocles eamdem in ſanguine immergere nititur. Plato & Ariſtoteles, alijque præſtantes Philoſophi vniuerſum corpus animę pro ſede ſua adtribuunt. De eiuſdem duratione Philoſophi in vno non conueniūt. Democritus & Epicurus enim, illam, ſimul cum ipſo corpore mori, aſſeuerant. Pythagoras & Plato affirmant, illam immortalem eſſe, & quamprimum ad naturam generis ſui euolare.

Stoici media via incedunt & contendunt, illam, quando à corpore diſcedat, atque in eodem tam infirma debiliſq; fuerit, vt ſurſum aſcendere nequiuerit, cum corpore mori. Si vero Heroicis virtutibus ſeſe exaltaſſet atque exornaſſet, tunc ſeſe cum iſtiuſmodi naturis coniungere, quæ durabiliores eſſent, atque adeo ad altiorem digni oremque ſtatum peruenire. Inter haſce opiniones vero Ariſtoteles aliquantulum hæret, atque veriſimile eſt ipſum ad ipſorum partes inclinare, qui animā mortalē, eſſe autumāt quū à potentia materiæ exiſtat, vbi tamē mentē ſententiamq; ſuā rotūde explicare minime audet. Alexander Aphrodiſæus animam mortalem eſſe aperte fatetur: vice verſa Plato illud negat, illamque immortalem eſſe contendit, id quod etiam ſaniores Theologi, in Deo verbo fundati, fatentur. Auerroes, eximius ille operis Ariſtotelici Cōmentator, ait: quemlibet hominem peculiarem ſuam, habere animam, quæ tamen mortalis fiet, etiamſi mens humana vel intellectus (quæ duo hoc in loco vnum ſunt & idem.) immortalis fiet atque perpetuus.

Quibus ex omnibus ſane infinita Confuſio & Labyrinthus adparet, qui etiam multo caliginoſior, quam Minois illius in Creta vmquam exſtitit. De alijs ridiculis, ſtultis nulliuſque omnino pretij ac momenti rebus verba, amplius heic nulla facio, de quibus tamen vehementer admodum inter ſeſe cō-

ten-

tenderunt: imprimis vero, quod Pyrrhus Eliensis generationem, & zeno motum omnino negarit. Euripides, qui Anaxagoram sequutus est, & Archelaus, primos homines tamquam herbas ex terra creuisse, asseuerant, vbi æque tam ridicule fabulantur, quam Poetæ, vmquam ante ipsos factitarunt: imprimis autem dum stultissimorum stultissimi isti Philosophastri contendunt, quosdam homines de Draconum in agrum proiectis dentibus natos esse. Item quod Pythargoras, animas in alia emigrare corpora, affirmare conatus est, quem Ouidius in Metamorphosi sua, quasi irridet: cuius versus Poeta Italus ita reddidit:

L'alme sono immortali, ma, abbandonata

La prima stanza a nuoue case vanno

Et, qui raccolte stansi & hanno vita.

Luciferianus & Apollinaris Laodicæ Episcopi falso statuebant animam vnam generari ab altera, quemadmodum etiam corpus vnum ab altero, contra quos S. Hieronymus vehementer disputat.

De terræ motu Anaxagoras, inquit; eumdem ex aeris vehementia fieri. Empedocles, per ignem. Democritus & Thales milesius, per aquam id fieri asseuerant. Aristoteles, Theophrastus, & Albertus Magnus terræ motum, ventum vel terrę inclusum aliquem vaporem esse, asseuerant. Possidonius, Metrodorus, Calisthenes, Hipparch9, Seneca, & alij, frustra esse ait vt occulta, arcanaque ista naturæ miracula inquirantur, nihil siquidem certi ex ijsdem haberi posse: Vnde etiam Romani, terræ aliquem motum animaduertentes, vel aliunde, talem factū esse certiores redditi, sacrificia quidem fieri imperarunt, Deum vero, cui sacrificandum esset, minime nominabant, latebat enim ipsos per quam potentiam, vel qualem Deum terra ita moueretur.

Sic & in eadem Philosophia Physica infinitæ adhuc phantasiæ aliæ coincidunt, in quib. sese Philosophastri illi tam diu exerceant, quam diu velint, exempli gratia Echeitas & actus Entitatiuus Scoti: Ideæ platonis: Vnitas Intellectus Auerrois, III. Elementa Cardani, & istiusmodi similes crassæ rudeisque subtilitates quorumdam Physicorum, quarum XII. pro vno solido sibi

comparare posset, atque adeo non digne sunt, vt calamus cum ijsdem conteratur, multo minus vt copiosius longiorique ordine recenseantur, & explicentur.

DIVERSÆ DIVERSORVM OPINIONES De Philosophia Ethica.

NVnc sequuntur ordine Philosophi Ethici vel morales, qui circa honestorum motum diuersarumq; virtutum tractationem versantur, & per quas ad salutem, prosperitatem, atq; adeo summam felicitatem via, quasi præparatur, quemadmodum Gregorius Nazianzenus, lib. de amanda paupertate, asseuerat.

Obseruandum autem heic est, Veteres summum bonum in diuersis reb. quæsijsse. Quidam enim ex illis illud in voluptatibus consistere autumant, veluti Epicurus, Aristippus, Gnidus, Eudexus, Philoxenus, & Cirenaici. Alij voluptatibus honestatem addiderunt, vtpote Dinomachus & Caliphon. Alij primogenitos pro summo bono habuerunt veluti Carneades & Hieronymus Rhodianus: alij, augmentum, quemadmodum Diodorus, alij, Fortunam, veluti Theophrastus, Aristoteles, Fortunam, primos genios, & virtutem Hiero, Alcidamus, alijque Socratici, scientiam & eruditionem: Tiberini populi Calibibus vicini, (quorum etiam Apollonius & Pomponius mentionem faciunt) risum, & gaudium.

Plato & Photinus, vnionem, Bias prienæus, sapientiam: Bion & Boristhenes, prudentiam, Thales Milesius ambas istas virtutes simul, atque in vno, quasi fasciculo, complectitur & sapientiam atque prudentiam summum bonum in eo consistere, affirmabat, vt cuilibet nimirum ius & æquum suum tribuatur.

Cicero autem si quis culpa vacare possit. Alij in externis honoribus, dignitatibus, potentia, otio, diuitijs, sanitate alijsq; rebus similibus illud consistere asseuerant, veluti periander Corinthius, Lycophron, & omneis illi, de quibus Regius Psaltes ait: Quorum os loquutum est vanitatem, & dextra eorum dextra

xtra eorum, dextra iniquitatis. Inter omneisvero istiusmodi opiniones, quarum Marcus Varro, veluti Augustinus de eo dicit, ducentas, LXXXVIII. collegit; nulla veritati accedit propior, quam Pythagoræ, Socratis, Aristonis, Empedoclis, Demetrij, Zenonis, & Cleantis, possidonij, Dionysii, Babylonici, Antisthenis, omniumq; Stoicorum qui summum bonum in virtute Morali consistere affirmarunt, & quibus, certo tamen suo modo, schola nostratium Theologorum adstipulatur, & nihilominus tamen de cônexione virtutum, quæ vniuersale felicitatis fundamentum est, atque in qua omneis relliquæ virtutes, conuenire debent disputat.

Hanc autem virtutum Connexionem Ambrosius, Lactantius, & Macrobius, iuxta Platonis opinionem, Iustitiæ, alij, têperantiæ, alij pietati, (veluti Plato in Epimenide contendit.) alij, Charitati tribuunt, sine qua D. Apostolo Paulo teste, omneis relliquæ, virtutes exiguum, ac pene nullum fructum adferunt.

In hoc autem omneis & singuli conueniunt, quod videlic. *Virtus* optumum certissimumq; fiet medium, quo ad summum bonum & felicitatem perueniatur.

In virtutum consideratione, quoq; necessario sciendum est, duas præcipuas animi partes esse. (quemadmodum Franciscus Philelphus, in quadam ad Marcum filium epistola testatur) iuxta quarum vnam Deo quodammodo similes reddimur: altera, cum relliquis animalibus, nosmet comparamus, quam videl. desideramus & expetimus, de quibus duabus Aristot. lib. 2. Ethicorum non tam scite, quam vere, loquitur.

Exinde igitur duplices virtutes, Intellectuales & Morales videlic. exoriuntur. Cum virtutibus Intellectualibus, vel rationalibus, perpendimus, quid agendum, vel intermittendum fiet.

Consistunt autem illæ in deliberatione & consultatione, qd videlicet bonum, aut malum, quidque etiam vtile vel perniciosum esse possit, qua de re etiam Cicero libro Academicarũ Quæstionum quarto neruose & copiose agit, ad quem rei eius cupidum lectorem ablegatum volumus: In summa virtutem illam vno vocabulo *Rectam rationem,*

tionem, aut bonum, rectumque intellectum, aliquis appellare posset.

Virtutes morales autem in qualitatibus appetitiuis animæ consistunt, in quibus mores & omnis generis adfectus sese cōspicuos faciunt, veluti Plutarchus in libro suo de virtute morum asseuerat.

Virtutes Intellectuales & Morales.

Sunt autem Virtutes Intellectuales sapientia, scientia, & prudentia, & relliquæ quæ ipsis cohærent. Morales, Liberalitas, Temperantia, Iustitia, Fortitudo, & illæ quæ similiter ipsis cohærent, de quibus Aristoteles in Ethicis, Eustratius, Alexander Picolominaeus, in Philosophia sua morali, Acciauolus, & cumprimis Martinus, Theologus aliquanto neruosius & copiosius scriptitarunt. Virtutes Intellectuales ex doctrina moralis vero ex habitu & vsu suam trahunt originem. Quocirca si quis mox ab ineunte ætate ad virtutem & integritatem erudiatur, tunc sane magnum ad relliquas virtutes omnes in tota ipsius vita habebit adminiculum, quemadmodum Plato Dialogo quarto de Republica ait: Educatio & erudjtjo bona seruata ingenia quoq; bona efficit, & lib. 2. de Legibus inquit, quod diligens educatio præcipua atque adeo principalis pars fiet, ad relliquas virtutes atque disciplinas omneis comparandas: quem in finem etiam Quidius libro tertio, de arte amandi ait:

Sed nimus labor est sapienter actibus vti,
Maius opus mores composuisse tuos.

Id quod Lycurgus, quemadmodum Plutarchus, in libello suo de educatione liberorum, testatur, Lacedæmonijs suis satis prudenter innuere voluit, quid videlicet diligens aliqua educatio efficiat, dum ipsis duos eiusdem generis canes, ferculum aliquod in medium adtulit, quorum vnus illico laporem insequebatur, alter vero ad adpositum ferculum properabat, quemadmodum quilibet à natura adsulfactus fuerat. Huc etiam pertinet responsio socratis quam, vti inter alia Xenophon commemorat, olim alicui dedit.

Cum enim is aliquando interrogaretur, quid potissumum vir quidam senex sectari debeat, integritate respondisse illum

fuerunt,

ferunt. Cum vero alter ex eo iterum sciscitaretur, vbi nam vnguentum istud compararetur & venderetur, eidem cum sequentibus Theogindis versib. respondit:

A bonis quidem bona disces, sin autem malis

Te immiscueris: perdes & te, &, quam habes mentem.

Ita & Charondas Typurijs in aliquo suo statuto diligenter, grauique indicta mulcta, præcipiebat, vt videlicet ante omnia eo potissumum spectarent, ne iuniores ad scelera & flagitia adhuc facerentur, quemadmodum Diodorus Siculus testatur. Qua in re hodierno quoq; tempore bonæ leges præscribi possent, quibus iuuentus paulatim adsuefacienda esset.

Ex quibus prima cura erit, vt implorato diuino auxilio, virtutis à *Deo Ter Optumo Maxumo* reddantur participes, vel vt eamdem, per ipsius opem diuinamque adsistentiam, impetrent, improbos cane & angue peius diligenter euitent, atque, vice versa, proborum piorumque adolescentum, familiaritatem, mores, honestamque vitam sectentur.

Altera est, vt istiusmodi studijs & exercitijs incumbant, per quas ipsis ad virtutem via quasi sternitur.

Tertia, vt scelerata verba & facta fugiant.

Quarta, vt sedulo perpendant honestatem inhonesto turpiq; alicui lucro & emolumento semper anteferri.

Quinta, ne à *Deo Ter Optumo Maxumo* clementissime largita bona prodige turpiterque dissipent, sed in honestum aliquem vsum commodiumque conuertant.

Sexta, ne alijs faciant, quod sibi ipsis fieri nolint.

Septima & vltima, vt videlic. Pythagoræ regulam, *Ne quid Nimis*, semper diligenterque considerent, præsertim quum virtus non in extremis, sed in mediocritate consistat.

Verum enimuero nec & hi quidem Philosophi suis carent erroribus. Ad bonos siquidem mores, quod attinet, fieri apud illos frequenter quoque solet, quod in alijs etiã negotijs mundanis & Politicis fierj assolet, & quando inter se inuicem è diametro quasi repugnant. Immo sæpenumero, quod olim æstumatum fuit flagitium, hodierno *Philosophorum moraliũ errores.*

 tem-

tempore habetur, pro virtute, idq; iuxta communem temporis, loci, status, & personarum consuetudinem. Apud Athenienses alicui cognatam consanguineamque suam ducere licebat, quod tamen apud Romanos ęstumabatur scelus atq; flagitium.

Apud Græcos nullum censebatur flagitium, si quis cum vxore in ludis & spectaculis publicis conspectus fuisset; id quod tamen apud Romanos magna est infamia, summumque adeo flagitium. Vice versa Romani minime turpe sibi esse existumabant si vxores suas ad conuiuia secum ducerent, illasque adeo in Publico conuersari permitterent.

In Græcia autem nulla femina frequentabat conuiuia, nisi ad epulas consanguineorũ suorum, quo etiam sese furtim quasi proripere cogebantur. Cipriottæ nauci æstumant si ipsorum vxores cum alijs viris concumbant, vice versa Romani suas summo cum zelo, atque studio obseruant custodiunt. Quidam strictis caligis incedentes, summæ id sibi laudi ducunt, alij turpe sibi esse existumant, ni laxis extensisque nimjs caligis incedant.

Hic de externa vestium luxurie cõqueritur, alius ob easdem summopere delectatur. Hic nauci æstumat etiam si coniunx in vestitu nimium luxurietur. Et hoc est ita commune, communis vitæ mundiq;ue curriculum, de quo hodierno, proh dolor, tempore nõ tantopere mirandum est, quum plerique malesano prouerbio, *sic moris, sic non estum est*, sese tueri conentur.

Hoc autem summopere admirandum est, quod tanta Philosophia in tam diuersas sectas diuisa fiet. Ex ea enim prodiere Academici, Cirenaici, Æliaci, Megarici, Cinici, Eroitici, Stoici, Peripatetici. Immo ex ijsdem reperti sunt, qui publica scelera & flagitia defendere non erubuerunt, quæ tamen à natura ipsa & abominabilia sunt & damnabilia. Diogenes Cinicus, si quis meretriciam agebat vitam, non solummodo id non improbabat, verum etiam in vijs publicis cum ijsdem concumbebat: Immo eius rei æque minus pudendum esse, quam si quis agrũ aliquem seminaret. Theodorus (qui tamen tanti olim æstumatus fuit, vt etiam, quemadmodum Historicorum monimenta testantur, Deus appellatus fuerit.) tam insanam doctrinam, palam

palam profiteri adeo non erubuit, vt etiam sapienti alicui viro minime turpe esse asseuerane it, si, oblata occasione, sacrificium committeret, à natura siquidem nullum id esse dedecus grunniebat, ideoque etiam, suo exemplo, ignobile, stultum, ignarumque vulgus ab ista intentione & proposito neutiquam deterrendum esse: Item sapienti alicui viro cum meretricib. concubitus siue scortationes esse licitas, &, licet in ipso facto deprehendatur, nimime ipsi ignominiosum esse: alias enim natura ipsa, quæ hominem ad id impelleret, damnanda esset: qui vero naturam condemnare conaretur, ipsum indignum esse vt in rerum natura toleretur. Referuntur & aliæ opiniones & doctrinæ tanti viri pestilentes, quæ heic singulas recensere turpe nephasque ducimus.

DIVERSÆ DIVERSORVM OPINIONES De Philosophia Oeconomia.

SEquuntur nunc Philosophi, Oeconomici, qui rei Oeconomicæ summa cum laude atq; diligentia præsunt: Vnde etiam non dumtaxat ita appellantur, verum etiam Politico Regimini præficiuntur, quæ ambæ administrationes per occurrentium, negotiorum copiam discernuntur, quę tamen alias inter se sunt omnino similes, atque ex prudente aliquo Oeconomo prudens etiam aliquis regnans plerumque existit: rem Oeconomicam vice versa, negligenter tractans, is quoque ad Reipublicæ administrationem nihil profuerit, quemadmodum, iuxta vulgarem experientiam, Xenophon libro tertio, de dictis factisque Socratis, & Plato testantur.

Est itaque Oeconomia nihil aliud quam disciplina vel scientia illarum rerum, quæ ad decẽtem rectamq; Oeconomiæ administrationem pertinent, veluti Aristoteles in libris suis Oeconomicis, Xenophon, & Plato itidem testantur. Aristoteles libro 3. Politicorum illam in viri vxorisque officium obligationemque diuidit. Viri officium est reparare & adquirere, vxoris,

rem partam conſeruare atq; cuſtodire: alias tamen in quadruplices ſpecies diuiditur.

Prima, officium eſt inter virum & vxorem.

Secunda, inter parentes & liberos.

Tertia, inter Dominos & ſeruos.

Quarta, vero in reparatione & adquiſitione bonorum conſiſtit.

Ad primam ſpeciem, viri & vxoris officium videlicet, quod attinet, hoc probe notandum eſt, quod vxor viro auxiliatrix, data ſiet, vti Geneſ.cap. 1. videre eſt, eidem quoque ita obligata & obſtricta eſt, vt etiam parentes ſuos proprios deſerere, & viro ſuo adhærere debeat. In illa fideli ſocietate vero vir eo potiſſimum ſpectare debet, qua ratione nimirum illam in bonitate (etiamſi illa, tamquam vas infirmum atq; fragile, ſedula, aut multo potius, prudenti diſciplina indigeat, ſi enim illam verheres, tunc aufugit: ſi premas, inſtar anquillæ, elabitur, ſi cogas, tergum obuertit, ſi autem nimium lenis ſies, tunc tibi imperat) & manſuetudine ad decentem prudentiam Oeconomicam erudiat, vt hoc modo Oeconomia iuſto decentique ordine procedat. Certo ſiquidem eſt certius, quod Salomon Prouerb. XIV. ait: Sapiens mulier ædificat domum ſuam, inſipiens etiam exſtructam manibus ſuis deſtruet. Quo melius feliciuſque autem, illud queat procedere, vir, matrimonium cum femina aliqua contrahere cogitans non opes & id genus alia, ſed multo potius prudentem beneque educatam moratamque virginem inquirere debet, idque iuxta Platonis libr. 3. Legum opinionem, non citius geri debet niſi XXXV. vel circiter annos attigiſſet, quippe qui ad ferendum Oeconomiæ onus prudentem idoneamq; ætatem conſtituant.

Similiter & femina non nimis ſiet iunior, ſed talis ætatis, vt videlicet, integram certamque vocem, & robur ad liberorum educationem ſufficiens habeat. Xenophon, in libro ſuo de Republica, virum piam probamq; feminam ducere præcipit, quãuis exiſtumet illas plerumque albo coruo rariores eſſe, qua de re etiam ſapiens conqueritur, dum inquit: *Mulierem fortem quis inueniet?* Si vero nulla abſq; aliqua labe inueniri poſſit, talem tamen ſummo ſtudio eligendam eſſe, quæ ad nimium

carpi

carpi repræhendique nequeat, vbi ſane diſciplina atque educatio parentum plurimum conferunt, quam etiam ante omnia vir prudens, in deligenda aliqua vxore, ſpectare oportet, Deumque rogare neceſſum habet, vt nimirum ſpectatæ probatæque virtutis femina in amplexus eius veniat. Virtute ſiquidem prædita aliqua coniunx à Domino datur.

Qualis, qualis autem ſiet poſtmodum, hoc ipſi ſiet pro ſolato, quod à *Deo Ter Optumo Maxumo* ipſi data fuerit: ideoque etiam defectus & errores, quos in illa depræhendit, prudenter ſapienterque corrigere, cętera vero patienter ferre neceſſum habet iuxta vetus illud Syriacum proverbium: *Garma denaphil b. hle Kadgarcich*, hoc eſt, *Os, quod tibi contigit, rodito.* Quod Hebræi ita explicant, neminem contriſtari debere, etiamſi feminam peſſimam nactus fuerit, è ſupernis enim talem ipſi obtigiſſe cogitet.

Nec repudiare talem maritus debet, etiamſi peior ſiet, quam Ieſabellæ, vel Chore coniunx, illius enim beneficio conſeruatur ne facile condemnetur à iudicio. Triplicis generis ſiquidem homines raro ad iudicium ſiſtuntur, videlicet extrema laborantes inopia: Cholerica laborantes: & tamdem ij, qui malas improbaſque duxerunt vxores, eaſdemq; penes ſeſe retinere coguntur: Quorum ſi poſtremi domi ſane tantum efficere neceſſum habent, vt etiam obliuiſcantur, quid cum proximis ſuis coram iudicio litigandum ſiet.

Sunt autem illæ pręcipuæ regulæ, iuxta quas vir aliquis prudens vxorem ſuam regere atque informare debet.

Regula Oeconomica marito alicui, in regenda vxore obſeruanda.

I. Vt omni tempore cogitet, quod vxor ſibi in auxilium, & operum Coadiutricem data ſiet, quocirca etiam illam neutiquā contemnere, & pro ancilla æſtumare, neque tamen eamdem tamquam Dominam & Gubernatricem ſuam, nimis extollere debet, quem in finem etiam ipſi ex coſta ſui lateris data eſt, tamquam ſui cordis Secretaria, non ex capite, neque etiam ex pedibus; quod ideo factum eſſe putatur ne marito, tamquam capiti ſuo imperet, neq; etiam pedibus ipſius tamquam ancilla, ſubiaceat.

II. Vt maritus ſuæ Coniugi, &, vice verſa, coniunx marito

 præ-

præsidi omnem coniugalem amorem & fidelitatem præstet & exhibeat.

III. Vt non dumtaxat illam ad virtutem exhortetur, verum etiam ipsam honesto laudabilique exemplo antecedat, atque adeo non tantum illi, sed & omnib. suis domesticis, quasi speculum fiet honestæ vitæ.

IV. Ne semper stricta rigida que iuris sui via vir incedat, sed, in casibus leuioribus, quandoque oculis conniuentibus vtatur, neque verbis nimis asperis & morosis illam reddat timidã, quemadmodum quidam vxori vori id sibi summæ laudi ducũt, qui tamen magis tyranni, quam mariti æstumandi censendique sunt: iuxta illud quod in matrimonio malus amoris custos timor fiet.

V. Vt erga vxorem suam, atque adeo in illius præsentia, tam in verbis, quam ipsis etiam operibus, maritus talem sese exhibeat, vt vxor, in ipsius absentia cogitet, viri sui præsentiã sibi semper esse iucundiorem atque vtiliorem, quam illius absentia.

VI. Vt tria summo studio vir vxorem semper celet: primo thesaurum suum,

Secundo, si videlicet carnali ipsius concupiscentiæ atq; desiderio non per omnia possit satisfacere.

Et tertio, vt omnia sua consilia & negotia, extra Oeconomię administrationem, vxori suæ minime reuelet.

Cato, de re rustica, commemoratis istis regulis adhuc alias addit, dum maritum aliquem sequentibus verbis ita alloquitur:

Caueto vt te vxor diligat, & nihilominus te aliquantulum etiam interea timeat.

Curato, ne nimis libidinosa reddatur.

A vicinorum vicinarumque nimio consortio illam arceto, ne vagabundæ, vitæ adsuescat.

Plutarchus, qui tamen ex numero Gentilium fuit, in præceptis suis coniugalibus hoc addit, quod vxor vnam eamdemque cum marito relligionem, colat & profiteatur: atque in vestitu non magis luxuriet, vt hoc modo in syncera pace, & fideli amore inter se inuicem cohabitent, quod tamen apud diuersas relligiones, & vbi vxor præ marito suo, primas tenere nititur, ferme est impossibile.

Ad piam maritam, quod attinet eidem quoque ab Aristo-

tele

tele libro 1. Oeconomicorum certæ, quædam regulæ præscribuntur, nimirum.

I. Vt omnibus domesticis, excepto solo viro, imperet.

II. Vt, absque præscitu & consensu mariti sui, neminem in domum suam ingredi vel egredi patiatur.

III. Vt arcana domestica, nemini mortalium, qualis quantusue etiam ille siet, reuelet.

IV. Vt non dumtaxat in vestitu verum etiam omnib. sumptibus & expensis domesticis, secundum statum & facultates suas, moderationi & parsimoniæ studeat.

V. Vt liberos suos, tam filios, quam filias, prudenter & modeste educet, atque erudiat, turpe otium ipsis omnino non cõcedat, euagationesq; suspectas; impudica verba, scandalosas inepta sque cantilenas, atque adeo omneis seductiones summo studio diligenterque præcaueat.

VI. Vt mariti negotijs extra administrationem Oeconomicam, sese non immisceat, multo minus communis alicuius Reipublicæ & Ciuitatis negotia temere inquirat.

VII. Vt numquam otiosa, sedeat, sed semper acum vel colum tractet, atque illud ipsum à filiabus & ancillis, fieri curet: quum, teste experientia, otium siet puluinar Sathanæ, atq; adeo ad omnia mala atq; infortunia frequens irritatio.

VIII. Ne cum vicinis rixetur, viro non obloquatur, nec aliquem calumnietur, multo minus siet prodigia, in vestitu indecora, sed non tamen mundus iste muliebris modum honestatis forsitan excedat, ni alijs bene placeat, marito suo autem displiceat, voluntatem insuper suam frangat, eamdemque mariti sui voluntati submittat, quem etiam semper in corde, oculis, & lingua circumferre debet: Si ridet, tum & ipsa quoque rideat, si tristatur, & illa simul contristetur, non autem adulatricis instar vel quemadmodum Chamæleon, omneis colores assumens, verum ceu fida vitę socia, & cui omnia viri cordolia cordi curæque sient.

Secunda Oeconomiæ species officium Dominorum, erga famulos suos videlicet, in hoc consistit, vt nimirum Dominus, vel Pater-familias aliquis, quẽadmodum Aristoteles lib. 1. Oeconomicorum cap. 5. indicat, seruo frenum non nimis laxet, eumdem tamen etiam non omnino supprimat, domesticisque

aut

aut mercenarijs suis sufficientem victum, nullum tamen, aut omnino modicum vinum præbeat.

Tria autem potissimum probus aliquis Paterfamilias probe obseruet, vt nimirum, pro exigente necessitate, seruos bene cibet, ijsdem sufficientem laborem imponat, eosdemque denique non nimium castiget, veluti Iesus Syracides testatur, dũ inquit: Panis, & disciplina, atq; opus seruo: cumprimis vero diligens aliquis Oeconomus diligenterque seduloque caueat, ne videlicet duos seruos vni alicui labori, vel duos itidem ministros vnius alicuius officij administrationi præficiat. Semper enim alter alterum obseruat, & qui vno vtitur, integro illo vtitur, & qui duobus demandat negotium, is saltim habet dimidium.

Si quis autem tres simul habere malit, is omnino nullum sortietur. Incumbit præterea & hoc fido alicui Oeconomio, vt nimirum diligentem diligentis alicuius famuli operam collaudet, & ob fidelia sibi præstita officia, eumdem sibi præ cæteris commendatum habeat, vice versa vero, infidelem aliquem exhortetur, castiget, aut in tempore omnino ex ædibus reijciat, similiter etiam domesticos suos, quemlibet iuxta statum suum, sub disciplina bonoque ordine coerceat, promeritam mercedem ipsis fideliter porrigat, ad petulantiam nullam occasionem ansamque præbeat, cum ijsdem non nimium rixetur, ne forsitan magis tyrannus, quam Dominus censeatur, ipsos non nimium oneret, sed multo potius cogitet, ipsos etiam homines, non Camelos, equos, vel elephantos esse: ægros non illico ex ædibus eijciat, ne cum Amalechita isto, sese à Domino suo turpiter desertos esse, conquerantur, sed multo potius ipsis pro virili auxiliatrices suas manus fideliter diligenterque, porrigat, qui enim tantis in angustijs atque necessitatibus domesticos suos deserunt, parum humanitatis, amoris, fidelitatis, & integritatis in se habent, atq; adeo ne fidelib. quidem famulis digni æstumantur.

Immo inhumanitas & inclementia ista Gentilibus adeo displicuit, vt etiam, quemadmodum Dion Cassius lib. 6. Historiæ suæ Romanæ testatur, Claudianus Imperator legem tulerit, qua omnia mancipia & empti serui, à Dominis suis in morbis dere-

derelicti, post recuperatam valetudinem, manu mitterentur & liberati suæ restituerentur.

Vice versa famuli & ancillæ etiam peculiares suas Leges atq; regulas habent, iuxta quas vitam suam instituere necessum habent, si fides serui famulæq; & haberi & appellari velint: videlicet vt Dominis suis morigeri & obsequentes, nec nauseabundi sient, sed adpositis sibi cibis contenti sient: Vt asininas aures habeant, nec ægre ferant, si ipsis Domini aliquando irascantur: Vt dorsum equorum habeant, & onus ipsis impositum patienter ferant: Vt apertas candidas, nec incuruatas manus habeant, vel furacibus vnguibus sese fricent: Vt ceruinos pedes habeant, & omnia mandata sedulo atque alacriter perficiant.

Qui istiusmodi regulas diligenter obseruabunt, illis etiam boni fidelesque Domini numquam deerunt: & licet tales aliquando inconsideratum ferocemque aliquem leonem vel vrsum nacti fuerint, nihilominus tamen honorem conscientiamque suam integram conseruant, donec. *Deus Ter Optumus Maxumus* ipsis aliter prospiciant.

Tertia, Oeconomiæ species, parentum liberorumque officium videlicet, in hoc consistit, q nimirum pater ante omnia, vti suo loco quoque diximus, liberis suis, fideli adhortatione bonoque exemplo præire debet, ipsisq;, tamquam omnis virtutis honestatisque aliquo speculo, diligenter præluceat, id q etiam ipsi Gentiles, veluti apud Plutarchum, in libello suo de educandis liberis, videre est, probe diligenterque obseruarunt.

Item, vt, exigente ita necessitate, & si aliquando à recta semita deuiarunt, atque castigatione siue repræhensione digni sunt, in liberos seuere animaduertat.

Qui enim, vti Salomon in Prouerbijs suis testatur, virgæ parcit, is etiam odit filium, ne sibi imperari patiatur, melius enim est vt Pater filio, quam filius Patri, imperet. In castigandis filijs Pater neque in excessu, nec defectu peccet, sed inter vehementiam rigidi alicuius Pœdagogi, & paternum amorem vel lenitatem, via incedat media, salutari insuper doctrina eosdem erudiat, & quemadmodum etiam pij parentes ex *Dei* verbo ipsi norunt, atque iubentur, crebro ipsos ad virtutis pietatisque exempla incitent, atque in eo nul-

lam omninò molestiam atq; laborem subterfugiant:ab ineunte ætate siquidē eosdem ad frequentationem scholæ & templi compellat,&ad honestas societates adsuefaciat.

In summa in filiali suo amore &timore,tam erga *Deum*,quā parentes,ad disciplinam, honestatem,temperantiam, diligentiam, ciuilitatem, aliasq; virtutes, iuuentutem exornantes, & Senectuti postmodum inseruientes,liberos suos diligenter atque sedulo erudiat, id quod paterno aliquo,non autem tyrannico imperio fieri oportet quod apud Persas, quemadmodum Aristoteles lib. 8. Ethic. ait, vsitatum erat, qui liberos suos,nec secus, ac mancipia, tractabant, existumantes, quod hoc modo ad laborem &obsequium reducerentur.

Liberorum officium, veluti Xenophon, in libro suo de dictis & factis Socratis, aliquanto neruosius atque copiosius indicat, in eo consistit, vt nimirum morigeri sint parentib.ad quod etiam non dumtaxat per DEI verbum, sed etiam per Legem Naturæ crebro &sedulo adhortantur, ad iram parentes non prouocent, ipsorum iram atque pœnam patienter ferant: ipsos colant, canos ipsorum capillos minime contemnant,atq; adeo accepta ab ipsis multiplicia diuersimodaque beneficia pro virili, omnibusq; modis recompensare conentur.

Ad quartam speciem,Oeconomiam acquisitiuam nimirū, quod attinet, hoc est, quomodo, ad vitæ necessariam sustentationem,honesto titul. aliquid adquiri & lucrari aliquis possit, nihil ea de re heic addo amplius,quam, vt affirmem, quod in eo non progredi & nihil lucrari,nihil quoque fiet aliud,quam certa infallibilisq; perdito.Modi, vel media autem adquirendi sunt diuersimoda, ac pene innumerabilia, quemadmodum etiam opificia, aliaq; artificia, quibus ad communis vitę vsum homo necessario indiget, non omnino enumerari possunt, adeo vt ipse etiam verear, me non omnia in hoc in eo foro produci posse.

Plato autem in Sophista suo, duo singularia, ac quasi præcipua adquirendi media indicat, commutationem videlic. quæ in sequentibus tribus donis, emendo vel vendendo, vel remunerando nimirum,consistit, &

& mancipationem, quæ dupli-ci fit modo, nempe vt violenter aliquis quispiam ad pertrahat, vel si diuersa animalia venentur atque, ad vitæ necessariam sustentationem, nactentur: Lucrum autem comparatur vel per mercaturam, aut artificia, vel opificia: vel etiam per scientiam & eruditionem, aut si quis, honestæ alicuius remunerationis vel mercedis gratia, alterum aliquid docuerit. Vnde etiam sapiens atque eruditus, prodicus nullum vmquam frustra docere voluit, sed omni tempore Epicharmi prouerbium, manus manũ fricat, & Xenocratis: dãs aliquid, aliquid accipe: in ore suo habuit. Et hæc quoque de Oeconomicis iam dicta sufficiant.

DIVERSÆ DIVERSORVM OPINIO-nes de Philosophis Politicis.

SEquuntur nunc Ordine Philosophi Politici.

Est autem Politia apud Aristotelem lib.3.Polit.nihil aliud, quam ordinaria legitimaq; alicuius Reipublicæ, Prouinciæ, vel Regni administratio: vbi vna pars imperat, altera vero parere & obsequium præstare tenetur. Isocrates in Oratione X. de politia ait, esse politiam nihil aliud nisi alicuius ciuitatis animam, quæ sane tantam in illa potentiam & operationem habet, quemadmodum prudentia vel animus in aliquo homine, vtpote quæ de omnibus casibus deliberet, quo pacto videlicet bonum retineri, vice versa vero malum commode euitari possit. Xenophon, lib. 4. de dictis & factis Socratis, politiam virtutem Regiam nominat: quemadmodum etiam inter regni, vel principatus alicuius administrationem nulla alia est differentia quã vt in aliquo regno, maior populus, quam in aliqua ciuitate, regendus fiet, administratio vero regni ex vrbium regimine exorta est, vti illud in Historijs videre est.

Quã de caussa Athenienses etiam de ciuitatis suæ regimine eo vsque sane progressi sunt, vt etiam circumiacentes vrbes & vniuersum adeo regnum potestati suæ subiecerint. Sic Romulus, per vnicæ suæ vrbis administrationem, ad vniuersum Ro-

manum Imperium fecit initium veluti Liuius & Plutarchus testantur.

Ita quoque Deioces, veluti Herodotus memorat, ab aliquot exiguarum vrbium regimine ad potentissimum Medorum regnum euectus est.

Sunt autem politiæ, iuxta Platonis de regno, & Dialogo IV. de Republica, testimonium, triplices species, quemadmodum etiam Aristoteles lib. 3. Polit. Isocrates oratione III. ad Nicoclem, & Æschines, contra Timarchum, testantur, vtpote, si modo vnus, vel dumtaxat aliqui, tamquam Optumates atq; præcipui, aut si multi, hoc est, tota aliqua communio, Rempublicam administrant. Diogenes Laertius vero, in vita Platonis, scribit: Platonem politiam in V. species diuisisse, vbi etiam priores aliquanto melius explicat, & vnam, popularem: alteram, optumatum: tertiam, ad paucos dumtaxat sese extendẽtem; quartã, Regiam: & quintam, Tyrannicam appellat. In tali vero diuisione tertia cum secunda: & quinta, Tyrannica nimirum, cum prima conuenit. Polypius, in Epitome sua, sex ponit politiæ species, primã vocat Monarchiam, vbi aliquis cum consensu atque voluntate omnium subditorum, gubernacula Imperij tenet. Ex Monarchia Regnum existit, vel vnius alicuius hominis regimen. Sin vero illud quispiam violenter ad se pertrahat, vel illud ipsum cum iniuria & obpressione Subditorum administrat, tunc Tyrannis inde exist t, quæ durare diu non potest, sed breui ruere necessum habet. Euersa tali Tyrannide, tum plerumque Aristocratia Optumatum instituitur, qui vel genere, aut opib. vel prudentia & integritate relliquos longe antecellunt. Et hæc sæpenumero etiam in Oligarchiam siue paucarum personarum administrationem, transmutatur.

Si autem & illi potentia & auctoritate sua abutantur, atque adeo subditi iniurio se tractantur, onerantur, ad impatientiam & vindictam incitantur, & totius regiminis reformatio, instituitur, tunc Democratia inde existit, quod tali est regimen, ꝙ â communi populo, vel delectu subditorum administratur. Si autem ignobile vulgus adeo ferox fiet redditum, vt etiam omnes regiminis participes fieri velint,

ſint (in qua rerum omnium cõfuſione tum imprudentiſſimus audaciſſimuſque omnium reliquorum Coriphæus, exiſtit.) tunc Ochlocratia, hoc eſt, violentum furentis plebis imperium exiſtit.

Sin autem omneis iſtę adminiſtrandæ Reipublicæ ſpecies aliquanto acutius intueantur, tũc cum tribus prioribus ſpeciebus conueniunt, atque omneis in iiſdem etiam comprænhenſæ ſunt.

Apud Politicos autem plerumque quæſtio exoritur, quæ videlicet regnandi ſpecies omnium ſiet præſtantiſſima, vbi ſane quiſque ſuam tuetur ſententiam. Qui Monarchiam optumam maxumeque idoneam eſſe contendunt, vna cum ſuis rationibus ſiue fundamentis etiam peculiares celebreſque ſuos auctores habent, quemadmodum Plato, Ariſtoteles, libro 3. Politicorum, & Apollonius eiuſdem quoque ſunt opinionis: Inter Chriſtianos etiam iiſdem adſtipulantur Cyprianus, Hieronymus, S. Antonius, in quarta parte ſummæ, Ægydius Romanus, libro de regimine principium, Bartholus, Tractatu de regimine Ciuitatum, Cardinalis Florentinus in cap. in Apibus 7. quæſt. 2. Boberius, tractatu de cuſtodia, Clauium Ciuitatum.

Sic Homerus quoq;, quemadmodum inter alia Æmilius refert, nullam Rempublicam recte conſiſtere poſſe aſſeuerat, q̃ à multis regatur & adminiſtretur: apud Ariſtotelem in Ethicis vero ſequentib. verbis ita concludit: Non eſt bona multitudo principium, vnus ergo Princeps.

Apud Herodotum legitur, quod aliquando, poſtquam de optume adminiſtrando Regno Perſico deliberatio inſtituta fuiſſet, Darius elegantiſſima, memorabilique admodum oratione indicauerit, & tamdem etiam obtinuerit; quod longe melius conducibiliuſq; foret, ſi videlicet Regni adminiſtratio vni ſoli committeretur quam ſi plures, vbi ſæpenumero adfectus intercurrerent, regni adminiſtrationi præficerentur: Quocirca non dumtaxat ei hac in re obtemperatum, verum etiam, poſtquam Fortuna, vti apud eumdem auctorem legitur, ei adtiſiſſet eo promptius & alacrius imperium ipſi demandatum fuit. Iuriſconſulti quoque eamdem illam opinionem firmiter tuentur, iuxta expreſſos ipſorum textus, vtpote in lege 3. §.

deinde.ff.de origine iuris.Similiter & in l.3.§ Quamuis autem ff.de administr. tutorum, vbi glossa itidem asseuerat:Segnius, inquit,expediunt commissa negotia plures.Archiepiscop.Florentinus, supra commemoratio in loco, ad suæ sententiæ confirmationem, hoc argumento vtitur, quod videlicet tale regimen,quod ab vno solo administraretur, naturali ordini esset conueniens, in quo omneis copiæ ad vnum administratorem vel Gubernatorem referrentur, non secus, quam omnia mobilia, ad primum mobile, quod cœlum est.

Ita igitur videre est, quod in toto hocce vniuerso vnius dumtaxat Deus siet, qui, veluti omnia creauit,etiam solus omnia ista conseruat & gubernat. Inter lumina cœlestia vnicus dumtaxat sol est,inter apes, vnicus saltim Rex; apud gregem, vnus tantum pastor, & inter Grues, vnicus modo Ductor Hieronymus, supra Centesimum quadragesimum sextum psalmum, meliori certe argumento vtitur, dum ait: Melius est,vt multi vnum timeant, quam vt multi timeantur: Ab vno quoque melius, quam â multis, caueri potest.Equidem eadem de re multa adhuc alia argumenta ex alijs quoque auctorib.heic in medium adferre possem, ne autem nimis copiosus siem,& beniuoli lectoris patientia forsitan abutor, iccirco omnia ista sicco iam pede præterire stat sententia.

Potest autem talis Monarchiæ administratio quintupliciter institui, quemadmodum Aristoteles lib.3.Polit.c.10.& & Ioannes Faber Stapulensis in Commentario suo, ea de re conscripto,indicant.

Primo, si totius Imperij administratio vnico alicui viro,ob eximiam ipsius virtutem, integritatem, & præclara in Rempublicam ab ipso collata merita atq; beneficia, demandatur, id quod proprie Regij alicuius regiminis est administratio.

Secundo, si alicui non quidem omnia negotia,atque adeo vniuersum regimen administrãdum, eidem tamen omnis rei bellicæ administratio de mandata est.

Tertio,si quis,iuxta communem consuetudinem, & statuta Patriæ,supra alios Regens constituitur, qui etiam istiusmodi consueto, legitimo, ordinarioque

que regimini, sese lubentes, promptique subijciunt.

Quarto, si quis tempore necessitatis eligatur, cui regiminis administratio aliquandiu concreditur, quemadmodum Romani, exigente illud extrema necessitate, Dictatorem aliquem creare solebant.

Quinto, si, etiam extra commemoratam, istam extremam necessitatem, regiminis administratio in & extra vrbem demandatur, vt illud pro suo lubitu administret.

Illi, qui Aristocratiæ palmam tribuunt, & multo vtilius conducibiliusq; esse censent, si quibusdam optumæ notę optumatibus Reipublicæ administratio concredatur contendunt; Summam requirere necessitatem, vt in arduis difficilimisque negotijs, multorum consilia audiantur, & dein, vnanimi omnium consensu, optumum, ex in medius adlatis sententijs, consiliũ eligatur: Arduum difficileque istiusmi negotium siquidem nõ vni soli, concredendum esse, quum vnus omnia scire & intelligere nequeat, præter solum *Deum omniscium*. Et hi quidem causæ suæ adstipulatores & patronos sequentes habent, vtpote: Solonem, Lycurgum, Demosthenem, Ciceronem, & omneis ferme Legislatores veteres.

Similiter & Franciscum Patritium, in libro suo de institutione Reipublicæ, Philippum Beroaldum, in libello suo de optumo statu, qui ambo etiam dicto isto Plautino, *Nemo solus satis sapit*, vtuntur, & iterum sententia illa ex SS. literis de prompta: *Væ homini soli, quia, si ceciderit, non habet vnde subleuetur.* Qua de re etiam Aristotel. ipse quodam in loco ait: *Vno, duo meliores sunt*, & Homerus: *Duo ad omnia esse præstantiores*: cuius rei gratia etiam Agamenonem introducit, qui X. Consiliarios secum habere desiderat, qui Nestori, essent similes.

Et sane eadem quoque erat Megabicæ opinio, qui lubentius vidisset, quod Regnum Persicum in Aristocratiam, talem transmutatum fuisset. Sic Aristoteles lib. 4. Polit. c. 7. quatuor modos ostendit, quibus Aristocratia innitatur.

Primo, si optumatibus, bona ex Confidentia, quæ in eosdem, ob præclaram ipsorum virtutẽ & integritatem, collocatur, Reipublicę administratio committitur, quod nam proprium optumatum est regimen.

Se-

Secundo, si, eligendis Magistratibus, non dumtaxat virtus verum etiam opes atque diuitiæ spectentur.

Tertio, si & virtus, opes, & communis plebecula simul cōsiderentur, vel duo dumtaxat obseruantur, videlic. modo dictæ plebeculæ & virtutis obseruatio.

Quarto, si Respublica aliqua Senatum quidem suum habeat, qui tamen paucorum quorumdam potentia & auctoritate regatur.

Cum autem hæc III. posteriora aliquo modo imperfecta sient, eapropter etiam, veluti primum, non pro optumatum regimine æstumari poterunt.

Qui nunc Democratiam alijs regiminibus præferunt, illi laudabili hocce nomine exornare & Iosonomiam appellare illam voluerunt, in qua conformitas obseruanda, & nullus, in administratione Reipublicæ, contemptim prætereundus esset, existumantes plures, præ paucioribus, longe melius consilium dare, & inter multos, etiam multos sapientes, reperiri posse.

Iuxta vulgare quoque Prouerbium aiunt: *Vox populi, Vox Dei.* Verisimile atque adeo infallibile præterea est, vt illud ipsum, quod ab omnibus ciuib. adprobatur & concluditur, pro bono, vtili, & legitimo Decreto æstumetur. In Summa hanc ipsam Politiam optumam, tutissimam, & Aristocratiæ longe præferendā esse asseuerant, nulli siquidem seditioni & discordiæ, veluti illam, subiectam esse, vbi vel per arrogantiam aliosq; priuatos adfectus ipsorum etiam optumatum, facile motus aliquis seditiosus, exoriri queat.

Iuxta illud in tali populari aliquo regimine iucunda quædam adparet æqualitas, nulliusque proximo suo maior est, sed quilibet ad honorem istum cōsequendum sibi spem facit: alternatim quoq; omneis eadem dignitate potiuntur, & simul regnare atque obtemperare discunt.

Hæc igitur Reipublicæ administratio supra omneis relliquas ab Othane Persa, Euphrate, & Diune Syracusano euecta atque commendata est. Hodierno enim adhuc tempore videre est quomodo nimirum Venetiani & Heluetij, ante omneis relliquos Magistratus, in vniuerso Christiano terrarum orbe, per Democratiam suam floreant,

reant, qua de caussa etiam, ante omneis alias Respublicas, laudis, sapientiæ, prudentiæ, Auctoritatis, & Diuitiarum nomine insigni sunt. Respublica Athenienfis, itidem per eamdem illam Democratiam, magnam nominis sui famam atque gloriam posteritati relliquit.

Romani, tentatis trib. prioribus, sub Democratia optumã fortunam experti, sub Regibus & Optumatibus vero varie iactati & periclitati sunt. Sub Imperatorib. autem omnis eorum potentia & auctoritas non sollummodo labefactata, sed omnino in nihilum redacta est. Similiter & Franciscus patritius, atque innumerabiles ferme auctores Democratiam istam strenue atque mascule tuentur,

Aristoteles quoque lib. 4. Polit. c. 4. eamdem quintupliciter institui asseuerat.

I. Si, vigore legum & statutorum, diuites pauperes simul regnent.

II. Si peculiare jus Prouinciale habeatur, in quo certa summa denominetur, vt is, qui tantum possideat, regiminis reddatur particeps, &, vice versa, nullus ad Reipublicæ administrationem admittatur vel eueha-tur nisi qui expressam istius summæ quantitatem possideat.

III. Si omneis ciues, modo apti idoneique fient, per ius ciuitatis ad Reipublicæ gubernacula promoueantur.

IV. Si, iuxta iuris ciuitatis præscriptum, omneis simul absque vllo discrimine, ad regimen admittantur.

V. Si communis plebecula absque ciuitatis iure, & statutis, sese ipsos Reipublicæ administrationi immisceant; atq; tum status popularis etiam in periculosam aliquam tyrannidem transmutatur, vbi populi Decreta vel violentæ potestates Legibus & statutis dominantur, atq; Coriphæi & Antesignani istius Confusionis, à Græcis Demagogi, Socrates, vel Fuci appellantur.

Si autem electus aliquis Magistratus sapiens, prudens pius, inculpabilis, incontaminateq; vitæ: Vnde etiã istiusmodi Magistratus, Liuio teste, apud Romanos albis vestitus induti incedebant, id quod ipsorum decoris, candoris, & integritatis erat indicium.

Similiter etiam eligendi testimonio certissimo indigebant, vt non dumtaxat manus, verum

etiam oculos continere possent vti pericles à Sophocle, apud Ciceronem lib. 1. Offic. exhortatur. Nemo etiam muneribus vel pecuniæ corruptionibus ad istam dignitatem euehatur, quẽadmodum enim Alexander Seuerus ad Ælium Lampridium ait, certum est vt is, qui emat officium, illud quoque rursum vendere conetur.

Similiter &, in distributione præmiorum, atque in puniendo, iustos & synceros, iuris prouincialis itidem haud ignaros, sed in dandis consilijs ingeniosos & prudentes ipsos esse oportet.

Regis & Monarchæ.

Rex, vel Monarcha, bonus, pius & prudens fiet, regimenq; suum à seipso inchoet, in regnandis quoque suis subditis iuramentum ipsis præstitum diligenter non solummodo perpẽdat, sed etiam, respectu *Dei Ter Optumi Maxumi*, seruet, neq; vmquã illud violet. Namq; quemadmodum Anglogonus libr. 4. de regno ait, Regno nomine is minime dignus est, qui seipsum, suosque subditos iuxta Dei præceptum, regere oblitus est.

Sapiens & prudens itidem fiet, quemadmodum enim Sap. 6. scriptum est: Rex sapiens populi stabilimentum. Plutarchus in Politicis suis, regi alicui, paucis dumtaxat verbis, formam, normam, & speciem boni verique alicuis regiminis indicat, dum inquit: Humanus fiet, (Rex) erga suos subditos, ita tamen, vt etiam simul decentem suam grauitatem auctoritatisq; existumationem retineat, omnem leuitatem euitet, sobrietatem & temperantiam amet, nec nimium concupiscat.

Insuper etiam sapiens, in cõsultando, meditatus, in concludendo, iustus & syncerus, in iudicando fiet, honestatem quoque diligat, Iustitiã promoueat, ad clementiam pronus, neq; nimis vehemens, rigidus, atq; immisericors fiet, quemadmodum Tyranni, maiori ex parte, adfecti animatique sunt.

Plura, hac de re, qui scire desiderat, is supra commemoratum Discursum de regibus atq; Tyrannis sibi familiarem reddat.

Porro scitu quoque est necessarium, quod concludi haud facile possit, quod videlicet inter III. ista regimina fiet optumum: quemadmodum enim peculiares suos habent præsides quos laudare vel extollere conan-

nantur, ita quoq; omneis suos habent defectus, & optumi censendi sunt, qui officium suum minime transgrediuntur.

Ad Monarchiam siquidem, quod attinet, Rex is est, qui omnia in sua potestate habet, idque nō singulari periculo, si homo fiet dissolutus: omnia siquidem, quæ vult, facere poterit, & nemo ipsi obloqui, multo minus illum repræhendere audebit.

Tales Monarchæ præterea difficile absque bello atq; omnis generis molestijs viuūt. Multi reperiuntur, qui ab initio sui Regni lenes atque mites sunt, adeo vt ipsorum subditi non exiguam certe spem de ipsis concipiant: quamprimum vero potestatem nacti sunt, tum demum subditi sese deceptos esse animaduertunt, vti in Saulo, alijsque eiusdem farinæ regibus, videre est. Plærique enim potestate sua contra subditos abutuntur, eosdemque omnis generis excogitatis artibus cottidie premunt, & ferme opprimunt, atq; adeo magis Tyrannis, quam regibus similes euadunt.

Nec Optumatum quidem regimen periculo vacat: cum enim temporis successu, regimen proprium facere conentur, (vti in multis ac pene præcipuis Italiæ Ciuitatibus videre est) tunc sane facillime inter ipsos aliquid oriri poterit, cuius gratia interseinuicem rixentur, hinc fit vt vix absque vllis factionibus, & dissensionib. Rempublicam administrent, ex quibus deinceps discordiarum contentionumq; semina inter ciues & exoriuntur, quæ postmodum in manifestissimas seditiones atque rebelliones erumpunt.

Ad Democratiam, & communis plebeculę administrationem, quod attinet, illa à multis pro perniciosissima & pessima gubernandi forma plerumque habetur, quam etiam Apollonius Vespasiano multis argumentis dissuadet, & Cicero ad plancium, experientia doctus, scribit, quod apud populum neque intellectus, aut consilium, vel differentia, neq; considerantia reperienda fiet: qua de re etiam Poeta non immerito cecinit:

Scinditur incertum studia in contraria Vulgus.

Othanes Persia ait, nihil, ignobili vulgo, esse ferocius, quod, visu & auditu destitutum, nihil videat neq; etiam audiat: quocirca etiam, instar excurrentis inundantisque fluuij, neq; con-

silio, neq; violentia frenati potest,

Demosthenes communem seditiosamq; plebeculam, malam bestiam, & Plato, multorũ capitum beluam appellat. Phalaris, in aliqua ad Egesippum epistola, scribit: Plebeculam arrogantem, pertinacem, & timidam esse, quæ facile mutet, quẽadmodum ipsi persuadeatur, infidelem insuper esse, inconstantem, impatientem dolosam, periuram, ad iram pronam, ad adulationem facilem, nullique prorsus rei, quam ingenti clamori, aptam.

Sic Aristoteles quoque in Ethicis suis eiusdem est opinionis, dum inquit, quod promiscuæ plebis imperium admodum periculosum fiet; Est enim, pergit idem ille, omnium errorum origo; malorum improborumq; morum initium, omnis infortunij scaturigo, quæ neque precibus, adhortationibus, neque asperitate verborum vel verberum flectitur, quæ enim non intelligit, de ijs etiam nihil audire cupit: in proposito suo pertinaciter perseuerat, à quo etiam nõ absque damno sese amoueri patitur; in Consilijs insuper suis inconstans est, cottidie innouationes sectatur, præsentis tædet: In Summa neq; per doctrinam sapientum, vel seniorum institutionem, aut Magistratus comminationem & violentiam frenari sese patitur, Sapientes audire respuit, neque quicquid etiam id fiet, ab ijs recipit: vti in Atheniensi populo videre est; qui etiam verba Socratis ab ipsis Dijs percipere nolebat. Sic & Paulus Æmilius non audiebatur, dum ingens ad Cannas commissum prælium dissuadebat.

Magium Campanum Carthaginenses audire nolebant, dum ipsis persuadebat, vt Hannibalem dimitterent, antequam ingens ipsis crearet infortunium.

Ad Politicam Reipublicæ administrationem tandem etiam Consiliarij, & Secretarij pertinent, quod sane magis est officium, quam aliquid a'iud. Cum vero ingens multaque molestia eidem impendatur, præsertim vbi eidem iusto modo satisfaciundum est, & dum plurimi ad illud adspirare nituntur, iccirco & illud heic, veluti aliqua professio, ponendum censeo.

Ab ijs igitur ante omnia requiritur, vt in omnib. suis consilijs expediti atq; prompti fiet, De quibus Seneca ità loquitur:

Diu,

Diu, inquit, delibera, cito facito: Nihil curare, hoc est, insanũ esse. Nil posse, h.e. mortuum viuere, & Cicero lib. 2. Rhetor ait: Consilium est examinandarum gubernandarumq; rerum subtilis animi prospectus. Vnde etiam Valerius Max. inquit: Cõsultandum cum peritis, & hominibus doctis, & ab ipsis, quid faciundum, exquirere. Pari modo etiam taciturni, arcanorumque fidi custodes fient: Nulla enim, ait Vegerius, consilia meliora sunt, quam illa quæ aduersarius ignorauerit. Vice versa consilia, iusto tamen tempore, loco, & occasione, reuelare sciant: veluti S. Gregorius in moralibus testatur, dare stulto consilium, charitatis est, dare sapienti, ostentationis, dare vero, tempore puersitatis, sapientiæ. Quo pacto etiam & Consilium, & Consiliarius cõparatus esse debeat, id S. Ambrosius eleganter in officijs suis demonstrat, dum ait. Talis debet esse, qui consilium dat, vt seipsum formam alijs, & exemplum bonorum operum exhibeat in doctrina, in integritate, in grauitate, vt sit sermo eius salubris, atque irrepræhensibilis, consilium vtile, vita honesta, sententia decora. In quibus verbis, omneis sane qualitates alicuius Consiliarij & Secretarij cõpræhensa sunt. Apud quos, summatim vt singula persequar, magna vtique prudentia, miranda integritas, altus intellectus, multiplex diuersimodaque experientia, modesta astutia in loquendo, elegantia in eruditione, grauitas in moribus, suauis amabilisque elocutio, fidelitas in tegendis arcanis, candidum integrumq; propositum, honestus finis, incontaminata conscientia, & inculpabilis denique vita requiritur. Qui etiam tam fortissimo, atque à Plutarcho mirum in modum, condigne tamen, celebrato Capitaneo Niciæ longe anteferendus est, de quoq; idem ille Plutarchus refert. Nihil vmquam male successisse, quod ipsi⁹ (Niciæ) consilio factum fuerit. De requisitis autem boni fidelisque alicuius Consiliarij Pontanus, libro tertio, de prudentia insuper legatur.

DIVERSÆ DIVERSORVM OPINIONES De Metaphysicis.

TAmdem etiā ad Metaphysicos peruenimus, qui formas separatas considerant, & cum suo intellectu indagationem rerum præternaturalium, transcendunt. Qua de scientia Auicenna lib. 1. Metaph. cap. 3. ait: Quod agnitio *Dei*, Intelligentiarumq; spiritualium Metaphysici alicuius præcipuus fiet: anima siquidem naturalibus & visibilibus rebus exsatiari nequit, sed semper plus vltra tendit, vsque dum ad primam causam, quæ à principio & fine caret, perueniat.

Vnde etiam innumerabiles & diuersæ, tam imprudentes & insanæ, quam blasphemæ etiam opiniones de Dijs exortæ sunt. Diagoras Milesius, & Theodorus Cirenaicus, nullum omnino esse Deum, contendunt. Epicurus vero fatebatur q idem Deum aliquem esse, mundana terrenaque autem negotia minime curare. Pythagoras grunniebat: proprie ignorari num videlicet Deus esset, nec ne. Anaximander statuebat Deos esse natos, & suo tempore etiam mori necessum habere. Xenocrates VIII. Deos esse asseuerat.

Antisthenes autem autumat esse, quidem multos vulgares Deos, vnū tamen imperare cæteris omnibus, qui omnia creauerit.

Si porro stulti isti Philosophastri de diuina essentia loqui voluerunt, tunc sane hic illam, alter alterā opinionem est amplexus. Thales Milesius, Deum esse mentem, affirmabat, quę omnia ex aqua creauerit. Cleas & Anaximenes statuūt, Deum esse aliquem aerem. Chrysippus, naturalem quamdam potentiam, sapientia, & immutabili necessitate refertam: Zeno, naturalē & immutabilem Legem: Anaxagoras, infinitum & incomprehensibilem spiritum, qui seipsum in se, vel per seipsum moueat: Pythagoras, animum, spiritum nimirum, qui omnium rerum naturam penetret, & à quo omneis res suam habeant vitā & essētiam. Alcmeon Crotoniates inquit: Solem, Lunam, & Stellas, esse Deos. Xenophanes, omne illud, quod essentiam habe-

habeat, Deum appellat. Parmenides denique sibi Deum facit ex aliquo circulo, in quo lumen comprænhensum, illudque Stephanam, hoc est, coronam appellat. Nihil autem hic dicam de infinitis ipsorum opinionib. vtpote de Ideis, corporibus, Atomis, Hyble, materia, Forma, Æternitate, Factore transcendentium, introductione formarum, materia Cœli, Intelligentijs, an Stellæ nimirum ab Elementis factæ sient, Quinta Essentia, & tamdē de vero scopo Aristotelis in libris suis Metaphysicorum, de quo non immerito omneis boni viri exultant, quod in opere Theodori Angelucij repertus fuerit, qui non tam acute, quam eleganter etiam ea de re disserit, honestamque aliquam disputationem inter se, & Franciscum patricium excitat, qui non tam ob eximiam ipsius virtutem, quam tot tantaque eximia, vtilissimaque scripta, quæ cum grata posteritate communicauit, æterna immortaliq; laude haud indignus est.

Alias subiectum Metaphysici nihil est aliud quam *Ens* in genere, quemadmodum Aristoteles lib. 1. Metaph. de vniuersali omnium rerum principio summopere admiratur. Versantur autem alicuius Metaphysici cogitationes & considerationes in rebus abstractis in genere: præsertim autem circa VI. prædicamenta, VI. Transcendentia, & potentiam Formę. Loquendum & disserendum eidem quoque est de Necessario, Contingenti, dependente, Independente, finito & infinito, & id genus rebus alijs. Ante omnia autem veritas illiusque inquisitio, omnium suarum speculationum vnicum est obiectum.

Illi, & relliqui Philosophi omneis vero, etiamsi suo loco cōdignæ quidem laudati, & ab alijs celebrati fuerint, nihilominus tamen & suis vitijs notati sunt, qua de re etiam summopere de ijs conquerēdum est: Vnde etiam S. Hieronym. non immerito illos Patriarchas hæreticorum primogenitos Ægypti, & Cathenas Damasci nūcupat. Illis ipsis siquidem S. Theologia maiori ex parte deprauata, & quemadmodum Ioannes Gerson conqueritur, in Sophisticā aliquam cōfabulationem commutata, omnisque generis anilibus fabulis, & Hyperphysicis Chimeris referta est. Quo tamen S. Patres, qui res sacras Philosophicis cum argumentis, & ratio-

rationibus demonstrasunt neutiquam tanguntur, sed multo potius laudantur, si in probationibus istis Philosophia hac in re & pro decenti modo, tamquam Theologiæ pedissequa vsurpetur. Romani olim Philosophos, tamquam seductores & Corruptores iuuentutis, vrbe sua pepulerunt, qua de caussa etiam, sub Cæsare Domitiano, ex vniuersa Italia relegati sunt. Messanij & Lacedæmonij, Philosophorum cateruam, numquam magni æstumarunt. Rex Antiochus non tam contra studiosos adolescentes, Philosophiæ studium excolere volentes, quam ipsorum etiam parētes, filijs suis modo dictum studium promittentes, edictum publicari curauit. Atque hoc modo Philosophi non tam ab Imperatorib. & Regibus proscripti fuerunt, verum etiam multi erudissimi viri contra eosdem Philosophos peculiares libros ediderunt. Ex quorum numero Timon librũ suum, contra Philosophos scriptum, *Sillos* appallauit. Sic & Aristophanes Comœdiam suam, cōtra eosdem Philosophos scriptam, *Nebulas* nuncupauit. Dion Perusianus, contra eosdem elegantem quamdam Orationē publice habuit. Aristides contra Platonem, ad multorum nobilium Atheniensium defensionem, eximiam aliquam orationem contra Platonem habuit.

Hortensius, eloquens iste Romanus & Ciceronis æmulus, Philosophos itidem egregijs sane argumentis publice accusauit. Sic & alij sese fortiter ijsdem opposuerunt, præsertim vero auctor flagelli scriptorum, qui liber Hortensio à multis tribuitur. Et hæc de Philosophis, eorumdemq; opinionibus, nunc iterum atque sufficienter dicta sunto,

IN

IN DISCVRSVM. XXIII.
ANNOTATIVNCVLA.

QVI breue, apprime tamen necessarium & elegans totius Philosophię compendium, omniumque illius partium videre resideret, is legat Semianarium Philosophiæ, tam Aristotelicæ, quam etiam Platonicæ, Iohannis-Baptistæ Bernhardi: Similiter & Panexisthemon Angeli Politiani.

Librum item tertium Physices Ioan-Thomæ Phregij, & Indicem operum Cœlij, in vocabulo Philosophiæ. Item Cœlium Rhodiginum Antiquarum Lect. libro quarto, capite trigesimo; qui etiam Philosophiæ, laudes describit, libro 4. capite quadragesimo primo, & libro decimo sexto, capite septimo, in ijsdem Antiquis, Lectionibus.

Ad Oeconomicos vero, in specie, quod attinet, legatur & videatur de ijsdem *Pontanus* in libro suo de Obedientia, &
Iacobus Faber Stabu-
lensis.

Vu DE

DE ORATORIBVS
DISCVRSVS XXIV.

QVI hodierno nostro tempore Oratores appellantur, ij priscis istis temporibus apud Romanos, Caussarum Actores dicti fuerunt, quorum tres in Nobilissima ista Curionum familia olim reperiebantur, qui summa cum admiratione familiam suam exornarunt: alias ex alijs quoque familijs plureis Oratores, vel Caussarum actores prodierunt, qui tamen plerumque, veluti Macrobius lib. 5. Saturnalium inter alia commemorat, iuxta peculiarem suam, loquendi consuetudinem, inter se inuicem distincti sunt. Sic Cicero copiosum & amplum nimis dicendi scribendiq; genus vsurpauit: vice versa Salustius breuitati studuit.

Fronto & Crassus sicce & aride loquuti sunt: Plinius Secundus, & Simmachus, qui vno eodemq; tempore floruerunt, etiam florido dicendi genere vsi sunt.

Sic apud eosdem peculiares quoq; stili obseruati fuere. Quidam enim maturum & grauem stylum habuere, veluti Marcus Crassus: Aliqui, calidum & feruidum, quemadmodum Marcus Antonius: Homerus Vlyssi Magnificum, Menelao, subtilem, & Nestori moderatum stylum tribuit.

Pari modo etiam Oratores, iuxta vulgarem ipsorum stylum & communem loquendi consuetudinem, peculiari etiam modo culti & venerati sunt.

Vnde etiam Rutilius & Polypius inter alia referunt, quod videlicet III. Romam missi, Oratores Athenienses vtpote Carneades Academicus, Diogenes Stoicus, & Critolaus Peripateticus, apud omneis in summa admiratione habiti fuerint, adeo vt tam ab ipso Senatu, quam Pop. Romano quasi cum stupore perorantes auditi fuerint. Carneades enim supra modum vehementi, Critolaus admodum graui & Diogenes modesto & pacato nimis dicendi genere tũ temporis vtebantur.

Ad

Ad verum perfectumque Oratorem autem multa requirũtur, veluti talis à Cicerone describitur. Ego vero ex innumerabili quodam aceruo præcipua dumtaxat membra colligam, quæ Oratori alicui ante omnia sunt pernecessaria.

Talis itaq; à Marco Catone, quem etiam Cicero & Quintilianus & Isedorus sequuntur, ita describitur, vt videlicet fiet Syncerus rerum peritus, & in loquendo exercitatus: cuius vita, facta & verba inter se invicem correspondeant, quo melius honestati & æquitati præesse, & salutem Patriæ eo maiori integritate & Iustitia promouere posset.

Scire quoque ipsum preterea oportet, qua ratione nimirum hominum animi, exigente id necessitate & occasione, commoueri & possint, & debeant. Vnde etiam multis in locis Epistolarum suarum ait: facultatem dicendi ex internis & arcanis Sapientiæ Scaturiginibus quasi promanare.

Perfectum enim Oratorem scire oportet, quomodo videlicet aliquis ad Iustitiam flectatur qua rationi alicui honestas persuadeatur, quo pacto veritas in medium adferatur: quomodo fertis animus ad maiora facinora egregia excitetur: quomodo alicuius cor ad clementiam & misericordiam flectatur: quomodo homo ad liberalitatem commouendus: In Summa quomodo etiam omnia, quæ quis modo velit, alicuius auditoris cordi & animo, quasi cum sigillo quodã imprimere queat. Extollit Orator constantiam Mutij, patientiam & integritatem Attily Reguli, magnanimitatem Cæsaris, Generositatem Pompeij, continentiam Scipionis, fortitudinem Fabricij, & Horatij, temperantiam Curionis, prudentiam Catonis, & Augusti gloriam.

Id quod Orator data occasione ita facit, vt arcanum quasi aculeum in hominum animis rellinquat, per quem vel ad imitationem, aut alias ad intentionem vel propositum suum impellantur, atq; irritentur.

Ita quoq; Lucius Crassus lib. 3. de Oratore ait, quod omnia ea, quæ de Iustitia, Honestate, Virtute, atq; Veritate dici possent, oratorem aliquem deceãt, & ab eodem requirantur.

In Philosophia etiam Oratorem aliquem iuxta Ciceronis

opinionem, bene expertum esse oportet: quemadmodum etiam summus ille Orator de seipso ait; Se non dumtaxat ex Schola Rhetorum, verum etiam ex Academia artem suam didicisse: certum insuper est, quod nimirum per tale flumen eloquentię vniuersus mundus non adeo copiose irrigari potuisset, nisi illud ex ditissimis istis philosophiæ scaturiginibus promanasset. Ita quoq; Demosthenes, celeberrimus iste in vniuersa Gręcia Orator, auditor Platonis, & Pericles, famosissimus iste Orator, sub disciplina atque institutione Prassagore educatus fuit.

Oratorem itidem Legum peritum esse oportet, multa siquidem negotia Oratori alicui occurrunt, quæ ex Legibus, atque eum celebriorum Iurisperitorum consilio decidi necessum habent, veluti de Marco Catone dicitur, quod non dumtaxat singulari quadam elegantia, in loquendo, verum etiam perfecta Romanarum Legum scientia instructus exornatusq; fuerit.

Ita quoque Scæuola, & Seruius Sulpitius, mirabilem eloquentiam, eximiamque Legum scientiam, magna cum ipsorum gloria, simul coniunxere: veluti hodierno nostro seculo in præclarissimis istis Italiæ luminib⁹, Alciato & Mantua videlic. videre est, quorum præclarissima typis publicata scripta in omnium manibus, non absq; singulari fructu passim feruntur.

Pari modo perfectus aliquis Orator historiarum bene peritus esse tenetur. Quandoque enim summa exigit necessitas, vt veterum historiarum recensione, earumdemque applicatione ad casus similes, vel præsentia tempora, indicet, quid imposterum & in futuro alicui expectandum fiet: id quod tum eo facilius sibi comparalit si numero mediocri easdem ordine recensere, &, ad propositum suum, decenter, iuxta exigentem necessitatem, adplicare poterit.

Ad ipsius alias in genere sciētiam quod attinet, certo certius est, quo plus legerit, seseque in omnibus liberalibus artibus & studijs magis exercuerit, tanto melius, commodius, & ornati⁹ de omnibus occurrentibus rebus loqui & disserere poterit, adeo vt de mult:faria ipsius sciētia & experientia multi mirabuntur.

Huc autem locuples copia exquisitissimum verborum, lepida-

pidarum figurarum, elegans inuentio, certus odo, ferma constansq; memoria, decori gestus, & ante omnia intrepidus fortisq; animus pertinet, qui non facile terreri neque commoueri sese patiatur. Iuxta commemorata omnia modestia & lenitas oratorem aliquem summopere commendant: Item ne nimis audax & insolens, non tamen etiam nimis modestus atq; verecundus fiet: Similiter vt res suas cum singulari quadam cõmotione proponere valeat: imprimis vero gratia personæ, ardentes quasi oculi, faciei grauitas, & virilis vox mirum in modum commendaque potissumum eo magis si non solummodo Tragoedos, quemadmodum Cicero requirit, imitabitur, verum etiam eosdem tam in verbis quam gestibus antecellere & superare conabitur, veluti Quintilianus inter alia commemorat.

Ad superandam igitur hac in re impendendam molestiam plurimum eidem proderit, si ab ineunte quasi ætate orationes elegantet & artificiose conscribere didicerit, quemadmodum de Demosthene, Licinio, Cabuo, Pollione, & Cęsare legitur, qui etiam duodecimo ętatis suę anno Auiam eligantissima quadam oratione coram iudicio defendit atque tutatus est. Non tamen imparem humetis suis Athantem sibi ipsi imponat: Vbi etiam Seniores, qui bonos oratores educare conantur, & suo quoque officio minime deesse tenrbuntur.

Quemadmodum enim, Cicerone teste, Catelli primum in f. libus exercentur, & postmodum, grandiores facti, ad persequendos vrsos vel apros incitantur: ita quoque ineuntibus oratoribus mox ab initio non tam seriæ difficilesq; res imponendæ, sed ipsorum onera, vt eadem ferre & sustinere possint, temperanda sunt, donec, successu temporis, & robustiores, & exercitatiores reddantur: assidue etiam ad: & exhortanoi sunt, vt, requirente necessitate, tam in accusando, quam defendendo, ad omnia requisita præto patatique sunt, vtque auditores vel cum quadam seueritate erga reum, aut ad commisserationem & misericoroiam, erga innocentem, commoueant. Qui in re exemqlo ipsis sunt Cato, Hortensius, Lucullus, Sulpit us, & Cicero. Et pro isto suo labore atque molestia non immerito etiam suam mercedē

postulare debent: Id enim nemini vitio verti poterit, quemadmodum videre est, quod, veluti Quintilianus testatur, Socrates, Zeno, Cleas, Chrisippus, & plures alij mercedem suam, abijs, quos ipsi informarunt, postulauerint.

Et denique, multa paucis vt complectar, ab Oratore aliquo omne illud requiritur, quod alias, veluti peculiari quodam in loco facta mentio, à quodam Caussarum Aduocato requisitum fuit: Oratores enim non tam in ciuilibus, quam Criminalibus etiam caussis vsurpantur.

Si itaq; omnibus istiusmodi conditionibus siue requisitis instructi fuerint, tunc haud immerito in numerum præstantissimorum perfectorumq; Oratorum referri poterunt: quales fuere Æschines Atheniensis Aristides Alexander Ephensius, Carsius, Cephal⁹, Ceneas, Cleomachus, Magnesius, Demas, Serapion Alexandrinus, Domitius Africanus, Epicrates, Nicostratus Macedo, Onesimus Cyprius, Pherecides Syrus, Philostratus Senior, Theopompus Gnidius, Theodorus Gadaræ⁹, duo Carbones Romani, duo Messalę, Montanus Narbonensis, Metellus Macedonicus, Iulius Africanus, Demochares, Dexippus, Cassi⁹ Seuerus, Clodius Sabinus, Plocius, Gallus, Marcellus pergamenus, Marinus Neapolitanus, &, ante omneis alios, duo lumina & flumina Græcæ Eloquentiæ Isocrates & Demosthenes, Romane vero, Hortensius & Cicero, comparari tales poterunt cum Pericle, qui in orationibus suis quasi fulminauit: cum Lucio Crasso, qui fons omnis ciuilitatis & Grauitatis dictus fuit: cum Caio Cotta qui, ob candorem Synceritatemq; suam, admodum fuit celebris cum Lysia sententioso, iuxta Phauorini testimonium, & cum Platone, qui tam eleganter differuit, vt de eo diceretur: Si quid in sermone suo aliquis mutare vellet, tunc omne ornamentum ipsi adimi: Et si quis aliquid in Lysia corrigere, vel melius reddere conaretur, tunc vniuersa aliqua sententia mutilanda, vel deprauanda esset.

Similiter etiam cum Gorgia comparari poterunt, qui, ob magnificentiã & summam grauitatem, quæ in Orationib. suis elucebat, Iupiter dictus fuit: cũ Hippia, de quo Cicero ipse fatetur, quod vitam mortemque in

in lingua sua gesserit, si videlicet aliquem defendere vel accusare debebat, cum Carneade, qui in Certamine Olympico deierare conabatur, quod nulla ipsi proponi posset materia, de qua non apte atque ornate posset disserere, cum Cinea, Pyrrhi Legator de quo Rex ipse fassus est, ipsum, plures ciuitates sua eloquentia, quam seipsum, violentia & armis suis, subiugasse. Et tamdem cum ipso Cicerone, quem Beroaldus Tubam eloquentiæ, Polihistora, Philosophotaton, & Poligraphotaton nũcupat: de quo Catullus, etiam sequentes versus scripsit:

Diserti ßime Romuli Nepotum
Quotquot sunt, quotque fuere
Marce Tulli, quotquot post alijs.
Erunt in annis.

Et Lucanus:

Romani maximus auctor
Tullius eloquij.

Ac Silius Italicus:

----Furialia bella
Fulmine compescet lingua, nec deinde relinquet
Par decus eloquio cuiquam sperare Nepotum.

De ijsdem martialis elegans Epigramma scripsit:

Illud laurigeros ageres cum læta triumphos
Hoc tibi Roma caput, cum loquereris, erat.

De eodem Cicerone scribit etiam Plinius, illumq; Lucem Doctrinæ nuncupat: Cæsar illum latinarum, literarum appellat: Apollonius Rhetor ipsum imitatorem Grecæ Eloquentiæ vocat, in cuius lingua Dea Suada habitauerit.

De eodem igitur, vt olim, sic & hodierno nostro quoq; tempore, omneis alij discere, & tam artem, quam eiusdem Emphasin apud eumdem mutuari debent, tamquã qui, veluti Quintilianus de ipso asseuerat, peculiari diuina prouidentia hunc in modum dotatus fuerit, & per cuius linguam eloquentia omneis suas vires attendet.

Similì modo quoq; Oratores copiam Platonis, iucunditatem Isocratis, feruorem Cæsaris, impetum Grachi, lenitatem Lælij, sanctitatem Calui, Ordinem Hortensij, grauitatem Catonis familiarem sibi reddant: ante omnia vero summopere ipsos cauere oportet, ne exemplo periclis, ipsis vnicã aliquod verbum excidat, quo auditores

vel tædiosi, aut alias molesti reddantur.

Et sane aurea istiusmodi, eloquentia non immerito omnib⁹ relliquis artibus longe antefertur, quippe per quam omneis res diuinæ humanæq; reguntur, atque exornantur. Cornelius Tacitus talem gladium & clypeum nominat, omnia siquidem aduersæ pætis verbera, instar clypei, auertit, & , tamquam gladius acutus, illos ipsos vulnerat, contra quos in accusatione aliqua vsurpatur.

De illa Franciscus Patricius lib. 2. de Reipub. Institutione ait: Eloquentia, inquit, animi medicina est, quæ & philosophiæ rationibus ad vitia nimis elatos comprimit, depressosq; eleuat & ignauos fortes efficit.

Similiter etiam ait Euripides: Omnia conficit oratio, quæ etiam hostile ferrum conficere nequeat. Hæc est, iuxta Ennij testimoniũ, quæ animos vincere & vincire potest: Illius beneficio, Amphion, quemadmodũ Homer. inquit, cytharam à Mercurio accepit, per illam Mercurius legationes Deorum obiuit: Illius caussa Orpheus, Lactantio teste, Apollinis, & Musæ Calliores filius dictus fuit: Eiusdem causa Gallus à Musis in montem parnassum deductus, Alcæus cum eximia Cythara, & Hesiod⁹ dulcisonis fistulis donatus fuit. In illius honorem etiam Aristot. in suis ad Alexandrum Magnum datis literis, asseuerat, quod eloquentes homines Principib. atq; procerib. singulari ornamento fient. Sic Plato, in libris suis, de Republicæ asseuerat, Philosophorum eloquentiam præcipuum alicuius ciuitatis vel Prouinciæ ornamentum esse, per eamdem etiam Demosthenes apud Græcos adeo celebris factus est, vt tum temporis sequentes versus de eodem scripti fuerint:

Si tibi par lingua robur Natura dedisset:
Macedonum bello Græcia tuta foret.

Per eamdem obtinebat Pisistratus, quod in Regem eligeretur, quamuis neminem latebat Soloni Patriam chariorem esse. Illius beneficio Hegesias humanæ vitæ miseriam adeo depinxit, vt apud multos, quemadmodum Diogenes Laercius de eodem inter alia commemorat ingens ad subeundam mortem desiderium excitauerit. Illius caussa Titus Liuius à S. Hieron. Lac Eloquentiæ dictus fuit.

Illa non paucos ab extremis Hispa-

Hiſpaniæ finibus ad modo dictum T. Livium pellexit, modo vt eloquentiſſimum iſtum virum ipſi audirent & viderent. Per illam percuſſores Antony tam diu abſtinuerunt, quamdiu vti Plutarchus meminit, ipſos alloqui potuit. Per illam Dionyſius in Areopago ab Apoſtolo Paulo ita commotus fuit, vt de eodem S. Paulo mirari ſatis non potuerit. Per illam S. Catharina Tyranno Maxentio ſtupori & admirationi fuit.

In Summa verum Eloquentię encomium non melius concludere potero quàm egregio iſto cum dicto Ciceronis, in oratione ſua pro Archia poeta, dum inquit: Eloquentiæ ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, aduerſis ſolatium, & perfugium præſtant, delectant domi, foris non impediunt; pernoctans nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur. Et hæc de oratoribus in genere.

IN DISCVRSVM XXIV.

ANNOTATIVNCVLA.

PEtrus Victorius de Oratoribus egregie loquitur, Variarum Lectionum libro vigeſimo primo, capite decimo ſexto. Similiter & ſturmius, & Daniel Barbarus in Rhetoricis ſuis, vna cum aliis pluribus, qui hac de re ſcripſerunt, vtpote: Iohannes Iacobus Wecherus, qui nuperrimo tempore Rhetoricas Ciceronis, Ariſtotelis Quintiliani Hermogenis, aliorumque præſtantiſſimorum auctorum, ante ipſum, in breues, admodum tamen vtiles atque neceſſarias tabulas redegit.

DE SCRIPTORIBVS, SCRIBIS, Papyrarijs, calamorum temperatoribus, Cyfrantibus, Hieroglyphistis & Orto graphistis.

DISCVRSVS XXV.

SVpra, in Discursu de Linguarum Professoribus, sufficientissime indicatũ fuisse arbitror, quod videlic. Literarum inuentio vetustissimum, quoddam opus fiet. Quocirca nunc etiam videbimus, quibus in reb. olim Veteres scripserint. Vbi sane mihi de tali materia loquendum est, quæ jucundissimarum vtilissimarumque vna est, quæ in mundo inueniri & ex cogitari potuerit.

Notorium autem, certoque nunc est certius, Veteres de hodierna nostra Papyro ne quicquam quidem sciuisse, sed, illius loco, palmarum folia vsurpasse, vnde etiam adhuc hodie librorum folia, folia nuncupantur, quemadmodum etiam Virgilius lib. 3. Aen. de Sibylla Cumana canit, quod illa vaticinia sua istiusmodi folijs demandauerit dum ait:

Fata canit, folijsque notas, & nomina mand.t.

& alibi idem ille:

Quæcunque in folijs descripsit carmina Virgo.

Dictis Cretensis, qui etiam bello Troiano interfuisse dicitur, de modo iam commemorato bello Troiano Phœnisiacis literis in Tiliæ corticibus scripsit, atq;, vt vna cum ipso post illius mortem sepelirentur, mandauit: id quod etiam ita factum est: qui libri tamen, sub Imperatore Nerone, postquam ipsius sepulchrum per terræ aliquem motum apertum fuisset, in eodem reperti, Imperatori traditi, atque ita ab interitu conseruati fuerunt: quemadmodum illud Quintus Septimius, in vita dictis Cretensis inter alia commemorat. Flauius Vopiscus, in vita Aureliani Cæsaris, scribit, Hadria-

Hadrianum Imperatorem constituisse, vt ipsius Acta in linteo quodam panno, cui singularis aliquis color fuerit inditus, ex quo postmodum libri facti fuerint, consignarentur.

Antea vero dumtaxat cortices vsurpabantur, quæ facile ab arboribus dissoluebantur, vt pote à populis, Vlmis, & alijs similibus arboribus. Istiusmodi cortices latina voce Liber vocabantur, vnde etiam adhuc hodierno nostro tempore libri ita appellantur, quamuis de prisca ista materia non amplius facti fuerint.

Deinde in ad id præparatis tabulis plumbeis scriptitarunt, qui nos conficiendorum librorum etiam apud Romanus aliquando obseruatus est, vti videre est lib. 16. Historiæ Dionis Cassy, vbi inter alia commemorat, quod Octauius & Hircius ad Decium Brutum scripserit, vt nimirum sese nō Marco Antonio, sed ipsorum fidei committeret, quo facto & ipsi omnem exhibituri essent clementiam, quam epistolā in tenuioribus plumbeis tabulis, instar Papyri, colligatam ad illum emiserant. Parthenius in Eroticis suis cap. 9. & Andriscus lib. 1. de rebus Nexicis memorat, Deonectum, cum quadam sub plumbea tabula occultata epistola, Milesios prodidisse.

Sic olim Parthi in vsu habebant, quod literas suas, vti Plinius lib. 13. cap. 11. scribit, nunciorum vestibus texendo incluserint. Ita quoq; Veteres in cera obductis tabulis scriptitarunt, in quibus literas suas acutis stylos imprimebant: vnde etiam adhuc hodie de bono aliquo scriptore dicitur, habere ipsum bonum elegantemque aliquem stylum.

In Veterum perscrutandis, monimentis etiam deprehenditur, istiusmodi tabulas etiam ante bellum Troianum in vsu fuisse.

Ita etiam olim non quemadmodum hodie moris, vsuque receptum est, calamis, sed paruis arundinibus, in paludicibus & lacubus crescentibus, scribebatur, vnde etiam Calami scriptorij nomen originemq; suam sortiti sunt. Reperitur & alia quædam papiri species, qua loco nostræ papyri, Veteres vsi fuerunt: cortices arbusculi cuiusdam videlicet, nomine papyri, quod arundinetum, quoddam fuisse quidam tradunt, quod hinc inde in paludibus crescat, & in Nili excursu apud Ægyptios remāserint,

ſerint, de quibus Plinius teſtatur quod etiam in Syria apud Euphratem fluuium reperiatur.

Erat autem iſti arbuſculo tenuis cortex, quam mixtura de farina, aqua alijſque reb. neceſſarijs obducebant, in eademq; exſiccata literas ſuas poſtmodū exarabant. Et de iſto arbuſculo papyro, hodierna noſtra papyrus nominata eſt, quæ tamen ex veteramentis in aqua, pultis inſtar, contuſa conficitur, atque adeo noſtræ papyri materia ęquè tam eſt mirabilis, atque ferme mirabilior, quam Veterum papyri confectio, vmquam extitit.

In ea vero puritas, firmitas, albedo, & bonitas cumprimis conſiderantur. Marcus Varro, teſtatur Veterum papyrum primo Alexandri Magni temporibus inuentam fuiſſe.

Plinius autem, eamdem multo vetuſtiorē eſſe, demonſtrat, idq; teſtimonio librorum, quos Cneus Terentius hęreditario accepiſſet, qui in papyro ſcripti, Numæ Pompilij, Romanorum Regis atque apud illius oſſa in quadam ciſta, reperti fuerint: nunc autem, modo dictum illum Numam diu ante Alexandri Magni tempora vixiſſe, manifeſtum eſt.

Altera papyrus, qualis adhuc hodierno noſtro tempore in vſu eſt, carta, vel charta dicitur, à Carta Tyri quadam vrbe: Quidam vero Cartam à Carthagine deriuari contendunt. Ante papyri vſum olim Veteres membranam, vel omnis generis animalium, pelles ad ſcribendum vſurpabant, qua de re etiam Herodotus libro VII. ſcribit. Illius autem inuentio, iuxta Varronis opinionem, pergamenis, quorum Rex Eumenes fuit, adſcribitur. Ioſephus, Antiquitatum Iudaicarum libro XII. eamdem multo vetuſtiorem eſſe ſcribit, atq; inter alia indicat, quod Hebraici libri, quos Eleazar Regi Ptolomæo cum LXXII. Interpretibus miſiſſet, pellib. inſcripti fuerint, id quod longe ante Regem Eumenem factum eſt. Iſiodorus in libro ſuo Etymologiarum ſexto vult, papyrum omnium primo, apud Memphitidem in Ægypto vſurpatam fuiſſe, vnde etiam Lucanus ait:

Conficitur bibula Memphitis charta Papyro.

Plinius diuerſas aliquot papyri ſpecies enumerat in lib. ſuo 13. cap. 12. Optuma fuit, quæ Auguſtea Regia in honorem & memoriam Octauij Auguſti appel-

lata

lata fuit. Proxuma, Libiana, à Lybia Prouincia.

Tertia, Hieratica, quod in ea dumtaxat res sacræ, & ad cultum diuinum pertinentes, consignarentur.

Quarta, Teneotica, à loco quodam Alexandriæ, vbi facta fuerat.

Quinta, Saltica, ab vrbe quadam, Salo dicta.

Sexta, Corneliana, quod Cornelius, Gallus, eamdem tali in forma confici curauerat, dum Ægypti præfectus esset.

Septima, Empirotica, quæ proprie hodierna è veteramentis confecta papyrus est, atq; varijs in formis, tam in Germania, quam in Italia magna copia inuenitur.

Ad papyrum etiam scribæ & scriptores requiruntur. Hi (quãuis nomen Scriptoris aliquid amplius significet) apud Romanos Scribæ appellati fuerũt, qui, veluti Carolus Sigonius lib. 2. de antiquo iure Ciuium Romanorum meminit, in numerum Apparitorum referebantur, atque ideo non Libertini, vel à Libertinis nati, sed ingenui, quorum parentes & Maiores nulli seruitutis, vel mancipij iugo subiecti erant.

Vnde etiam vetus iste scriba, Pontificum, Cneus Flauius, nullus libertin⁹ nuncupari voluit. Et Cicereus Scipionis Scriba, ad scribam non eligi potuisset, nisi ingenuus antea fuisset. Inuenitur & legitur tamẽ quod Cicero Libertum suum pro scriba vsurpauerit: vbi tamen inter Scribas publices, & priuatos differentia est habita.

Ita Festus, in priscorum scribarum descriptione, hæc sequẽtia vsurpat verba: Fuerunt, inquit, Librarij, qui rationes publicas scribebant in tabulis.

Alias etiam ad istiusmodi expediunda negotia vsurpabantur, quæ Notarij hodie conficere necessum habent, quibus non per omnia fuere dissimiles.

Cicero Verrina quinta ait, quod status honestus, & gloriosum aliquod officium quodque eorum fidei tabulæ publicæ periculaque Magistratuum commissa fuerint.

Libro tertio Legum autem idem indicat, quomodo videlicet illi etiam Leges, vel statuta Prouincialia sub ipsorum manibus habuerint, quæ, exigente necessitate, Magistratibus suggilarunt, cum inquit: Animaduerto, eos, qui in Magistratibus sunt, ignoratione sui iuris tantum sapere, quantum equidem

Apparitores velint. Probus, Auctor, fide dignissimus, inter alia commemorat, quod Scribæ apud Græcos, in maiori existumatione fuerint, quam apud Romanos:

Apud hosce siquidem dumtaxat erant mercenarij, qui mercede conducti seruiebant: apud Græcos autem multo maiori honore munus illud obibāt etiamsi apud Romanos ad altiores honorum gradus peruenire poterant, veluti Cicero alicuius mentionem facit, qui primum sub Syllæ dictatura, scriba postmodum vero sub dictatura Cæsaris Prætor Vrbanus fuit.

Inter omneis relliquos autem, festo teste, scriba naualis omnium contemptibilis ęstumatus fuit.

Epiphanius lib. 1. Panarij inquit, apud Iudæos & Scribas fuisse ait, qui SS. Scripturam explicarent, vnde etiam nomen illud fortiti & scribæ nuncupati sunt. Inter alia Augustinus lib. 1. De Sermone Domini in monte asseuerat, quod apud Iudæos nemini permissum fuerit Sacras literas scribere, hoc est, ex scriptura sacra aliquid explicare, quam dumtaxat suis scriptis, vtpote, circa altiorem sapientiam, & pluris, quam alij, æstumandi essent.

Instrumenta scribarum sunt papyrus, calamus scriptorius, atramentarium, atramentum, arena scriptoria, regula, cultellus scriptorius, & quæ sunt id generis alia.

Ad calamorum temperatorem vero, quod attinet, illius artificium in aliquo libello, quem D. Augustinus Senensis, Carthusiani Ordinis Monachus, edidit, discendum est, in quo inter alia indicat, quomodo aliquis, ad omnis generis scripta formanda, calamum temperare atque simul bonum atramentum præparare debeat, etiamsi alias & alij Bartolini sufficienter reperiantur, qui hanc artem exiguo sane pretio alios doceant. Ex quorum numero M. Martinus de Romania eximiū Theoricum & practicum, sese exhibuit.

Scribarum officia potissimū hæc sunt, calamos scriptorios temperare, papyrum regulare, scribere, delere, aliud scribere, alterium manum pingendo imitari, paribus, imparibus, maiusculis, minusculis, claris vel occultis literis scribere, bibulam interponere, arenam adsperge-

re.

re. Qui plura de Scribarum officio scire desideret, is legat librum Epistolicum, tam in Italica, quam Romana, alijsque forsitan linguis conscriptum. In Italica lingua habetur Bembus, paraboscus, Ptolomæus, Taxus, alijque doctissimi viri plures.

In Romana, siue Latina, lingua habetur Franciscus Niger, & Libanius Sophista, quemadmodũ à pontico Verunio translatus est, in quo omnis generis epistolæ compræhensæ sunt, vtpote commendatitiæ, petitoriæ muneratoriæ, laudatoriæ, culpatoriæ, siue repræhensoriæ: gratulatoriæ, gratiarum actiones continentes, amatoriæ, querimoniales, consolatoriæ, excusatoriæ, Oeconomicæ, iocatoriæ, mandatoriæ, & vulgares.

Pingitur etiam diuersis characteribus & literis, vtpote Hebraicis, Arabicis, Græcis, Germanicis, &c. vna cum abbreuiaturis suis & Cypheris, vnde etiam Cyphrantes quidam nuncupantur, cuius artem & scientiam, Eusebio teste, Tiro, Libertus Ciceronis, inuenisse dicitur. Aulus Gellius, Noct. Atticarum lib. XVI. scribit, quod C. Cæsar C. Oppio & Cornelio Balbo aliquando istiusmodi literas scripserit, atque in ijsdem tales literas vsurpauerint, quas ex ipsorum instituto, nemo nisi illi duo soli, intelligere potuerit, arcanæ autem istæ literæ vocantur Cyphræ.

Sic Isiodorus refert, Brutum quoque tales literas cum arcanis & ignotis literis exarasse. Similiter & probus Grammaticus integrum de talibus literis, earumdem vsu, & significatione, Commentarium conscripsit, atque inter alia commemorauit, quomodo nimirum Lacedæmonij suis belli Ducibus scribere soliti fuerint, vt hoc modo aduersarius, etiamsi istiusmodi literæ ad ipsum peruenissent, earum contenta non intelligere potuisset, atque talem scribendi modum Surculum Loricatũ appellat. Pari modo de Asdrubale Carthaginensi scribit, quod ligneis tabulis cera obductis, scribẽdo sententiam suam correspondenti suo bono amico aperuisse.

Inter alia etiam Barbari alicuius, Hostici dicti, mentionem facit, qui Regi Dario operam suam locarit, & Aristagoræ arcana quædam singulari quodã modo reuelauerit: Seruum enim, Ophtalmia laboranti,

sub

sub specie quod ipsius dolori mederi velit, capillos detonderi curauit, atque hoc modo nudæ cuti literas quasdam insculpebat, seruumque istum tam diu secum detinebat, donec capilli iustum in modum iterum excreuissent.

Quo facto ad dictum illum aristagoram seruum ablegabat, cum mandatis, ne alius, quam ipse Aristagoras seruo capillos detonderet.

Etiamsi autem toties nunc dictus Aristagoras primo amici sui intentionem summopere miraretur, nihilominus tamen, facto periculo, & capite raso, inuentisque in eodem designatis literis, amici sui intentionem demum intelligebat.

Sic & diuersimoda alia ab astutis callidisque ingenijs excogitata media arcanarum scribẽdarum literarum inueniuntur.

Vt autem ad cyphras iterum redeam Isiodorus lib. 1. Etymol. alicuius epistolæ ab Augusto ad amicum aliquem exaratæ, mentionem facit, in qua inter alia sequentia verba collocat:

Innumerabilia, inquit, incidunt cottidie, quæ scribi alterutrum oporteat, & esse secreta.

Habeamus inter nos notas, si vis, tales, vt, cum aliquid notis scribendum erit, pro vna quaq; litera scribamus sequentem, vt pro A G, pro B C, pro Z autem redeundum ad duplex A A. de istiusmodi Cyphris, & occultis literarũ notis nuperrimo tempore Brisciianicus quidam Nobilis, Ioannes Baptista Bellasius dictus, librum aliquem edidit, in quo multa exempla diuersimodasq; species in vnum fasciculum collegit, quæ sane non adeo vulgares sunt.

Si quis vero aliquid arcani ex fundamento velit scribere, is talium librorum typis publice excusorum opera minime indiget sed peculiare aliquid invenire necessum habet, in quo istiusmodi in libris bona reperetur instructio & informatio.

Huc etiam pertinent omnis generis arcana Scripta, vt pote quæ cum aqua, quæ ex Cedro, vel cum lacte quod ex ficu, eiusdemque folijs profluit, vel cum attramento, quod ex combusto stramine, fuligine & felle conficiuntur & scribuntur.

Sic etiam absque papyro, atramento & calamo scriptorio, scribere quisdam possunt, Saltim cum quodam linteolo, sæuo, & aliquo ligniculo, & saltim

aliquod linteolum vel papyrũ comburunt, vt nouum ex inde atramentum conficiant.

Quo etiam referuntur Secreta Bertolini *del Spagnuolo*, quorum sunt multiplicia Cyphrantes sequuntur Hieroglyphistæ, qui circa notas & figuras Ægvptiorum occupati sunt, & sanctæ literæ ab ipsis, vel etiam omnis generis animalium imagines appellantur, per quas Ægyptij varios mentis conceptus cogitationesque indicare solebant.

Nunc autem extra omnem dubitationis positum est aleam, quod Ægyptij in tam diuturna conuersatione cum Hebræis, (ab illo tempore, quo Iacob cũ vniuersa sua domo in Ægyptũ profectus est, & donec ipsius posteri iterum ex eadem liberati sunt) multa ab ijsdem didicerint, quæ etiam postmodum scriptis & mysterijs suis inseruerunt, & tamquam res & inuentiones suas proprias vsurparunt.

Id adparet ex scriptis Mercurij Trismegisti, quæ Moysis scriptis admodum conformes sunt: in sacris & venerandis nominibus quoq;, quorum Iamblich⁹ in libro suo de mysterijs Ægyptiorum, Chaldæorum, & Assyriorum mentionem facit, vt pote: *Icthon, Ameph & Amun*, quæ ab Hæbraica lingua suum sortiuntur initium: ex quibus videre est, quod Ægyptij altã profundamq; Hebræorum sapientiam imitari conati fuerint, quibus occultis denique notis mysteria sua magis significare & innuere, quam describere voluerunt, ne per communem aliquam scientiam ijsdem aliquis abuteretur, atque adeo omnino prophanarentur.

Hæ ent insuper aliqui in ea opinione, Ægyptios nullas alias habuisse literas, quibus aliquid cõsignare potuerint, quam notas istas. Theseus Ambrosius, Canonicus Regularis Lateranensis, & eruditissimus clarissimusque vir vero, in libro suo de Linguis inter alia commemorat: se vetustissimum aliquem librum apud Canonicum Bolognensem, ex familia Paleottorum oriundum, conspexisse, qui ex India venerit, corio tigridis exttinsecus obductus, intrinsecus vero omnis generis hominũ animaliumque figuris, diuersimodisque characterib⁹ refertus fuerit, quas quidem ipse pro literis habuerit, illæ tamen adeo abstrusæ & occultæ fuerint, vt non ab omnibus & singulis intelligi potuerint.

Ex quibus tamdem dictus ille Canonicus concludit: Veteres Ægyptios non dumtaxat imagines, verum etiam characteres & literas vsurpasse.

" Pari modo & Apuleius lib.
" 11. de asino aureo ignotorum
" characterum Ægyptiacorum
" meminit: licet imagines æque per easdem possint intelligi: ipsius tamen verba heic adponere placuit.

De opertis Adyti profert quosdam libros, literis ignorabilibus prænotatos: partim figuris eiuscemodi animalium concepti sermonis compēdiosa verba suggerentes, partim nodosis, & in modum rotę tortuosis, caprelatimque condensis apicibus à curiositate prophanorum lectione munita.

Eorumdem Hieroglyphistarum etiam Phylo in vita Moysis mentionem facit, idq; sequentem in modum: Ita ab Arithmeticam, Harmoniam Metricam, & Occultam Philosophiā, quæ literis, sine Hieroglyphis, nimirum notis & imaginibus animaliū descriptæ sunt, & quas pro singulari sanctoque mysterio magno cum honore venerātur. Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum scribit, ipsum etiā Moysem, iuxta morem istum Hieroglyphicum, Iudæis multa præcepta moralia sub mysticis istis Symbolis, vel animalium imaginibus dedisse & præscripsisse, vtpote quod de nullo porco, neque de aquila, neq; de accipitre, neque de coruo aliquo edere debeant. Quæ scripta, vti Cornelius Tacit⁹ inter alia meminit, ne res sacræ plebeculæ communicarentur, vel per communem abusum forsitan prophanarentur. Similiter etiam Iamblichus de Mysteriis Ægyptiorum & Chaldæorum scribit, quod Mercurius per Hieroglyphicas istiusmodi descriptiones ansam occasionemq; nacti fuerint, vt agnitionem DEI eo diligentius inquirerent: quemadmodum etiam Githij Propheta quidam Ægyptius, postquam commemorata istiusmodi Hieroglyphica in secretis vrbis Sion reperisset, regi Ammoni eadem ostendit, atque simul explicationē diuini nominis, & *Dei Ter optumi maxumi*, qui omnia creauit, atque in hodiernum vsque diem conseruat: quemadmodum etiam Ægyptij eum per oculum, Scipionem, Clypeum, & Serpentem indicari conati sunt: quæ etiam cum quatuor literis ineffabilis diuini nominis comparantur. Quod autem Veteres

per

per oculum Deum, qui omnia videat, significare & innuere voluerunt, id etiam apud Cyrillum reperitur libr. 9 Apologiæ contra impietatem Iuliani Apostatæ. Scipio ab Homero *Palladi* adscribitur, quæ ex cerebro Iouis nata fiet: quo etiam diuina sapientia, quæ omnia regit, significata fuit. Sexangularis clypeus corpus solidum denotat, quo totius terrarum orbis intra VI. dies facta creatio significatur. Per Serpentem prouidentia & sapientia æterni DEI, qui nihil temere condidit & creauit, præfiguratur: sic quoque Christus, os veritatis ipsum, credentes suos, vt videlicet prudentes fient veluti serpentes, adhortatur.

Quid vero olim veteres de Hieroglyphicis senserint, & quantum etiã fidei illis hodierno tempore tribuendum fiet id videre est apud Plotinum, qui in libro suo de forma intelligibili ita ea de re loquitur: Videtur mihi Ægyptios per integram perfectamque sapientiam, vel naturalem profundi alicuius intellectus impulsum in mysteriorum sapientiæ significatione nõ vulgares literas, quæ alias alijs in rebus vsurpari solent, sed diuersimodas omnisque generis alijs figuris vti voluerint, quibus nõ dumtaxat res in se ipsas, verum etiam earumdem naturam, operationem, & proprietatem indicare voluerunt. Parimodo etiã Iamblich' in mysterijs suis scribit, quod profundus Hieroglyphicorum intellectus non à se ipso discendus atque compræhendendus fiet, sed, iuxta summam diligentiam laborem, atque molestiam, etiam pene cœlestem sapientiam requirere: Ægyptios Theologis siquidem, naturam, ipsosque etiam Deos mirabili modo sequi, qui etiam diuersimodis cum imaginibus & figuris multa mysteria atque imperscrutabilia arcana significent.

Alias quidem Hieroglyphici prętendunt, id quod tamen meram fabulam figmentumq; esse autumo, Herdiscum olim in profunda speculatione tã sanctarum figurarum illarumque rerum, quæ per easdem significabantur, extra se ipsum raptum & pro fundo spiritu impletum fuisse: postquam etiam mortuus esset, Æsculapius, tamquam Sanct. Sacerdos exequias illi celebrasset, & tentorio Osiridis, quod circumquaque figuris sacris pictoris penecillo exornatum erat, impositus fuisset, adeo

pellucidum de mortui cadauere lumen exijsse & totum tentorium splendore suo ita irradiasse, vt commemoratæ istæ figuræ: q̃ alias arcana nimis fuerint, etiã extrinsecus ab omnibus circũstantibus magna, atque adeo summa cum admiratione conspici potuerint.

De Ægyptiacis istiusmodi Characteribus etiam Lucanus ita olim cecinit.

Nondum flumineas Memphis contexere biblos.

Nouerat: & sapis tantum volucresque feras que.

Sculptaque seruabant magicas animalia linguas.

Pierius, qui hac de re elegantem etiam tractatum scripsit, quodam in loco inter alia commemorat, quod Hieroglyphica scribere aut loqui nihil fiet aliud, quam occulta atque mysteriosa detectio naturæ eiusdemq; proprietatis tam cœlestium, quam etiam terrenarum rerũ.

Ita quoq; de parabolis quibus SS. Scriptura passim est referta, benè aliquis posset dicere, quod mere sient Hieroglyphica, quibus res cœlestes significentur, nec sanctum proyciatur canibus, nec impuri porci nobilissimam margaritam pedibus conculcent.

Illic enim omnis generis figuræ, vincæ, vites, palmites, agricolæ, semina, columbæ, turres, serpentes, sal, lumina, candelabra, triticum, aues, fulgura, tonitrua, & id genus res aliæ reperiuntur, quæ certe nihil sunt aliud, quam alta profundaq; regni Dei mysteria, veluti ab ipso Christo appellantur: & à Sante Pagnino Episcopo Lucæ in peculiari aliquo tractatu explicata fuerunt.

Verum enim vero non dumtaxat Ægyptij, sed etiam, vti in Historijs videre est, Scythæ istiusmodi hieroglyphicis vsi sunt, quorum Rex Idantura, cui Darius, veluti Pherecides Syrus scribit, minatus fuerat, se traiecto Istro vniuersam Scythiam deuastaturum, ni obsequio suo quamprimum sese submitteret: quocirca commemoratus iste Rex Idantura dicto illi regi Dario, loco responsionis, quædam Hieroglyphica Symbola, murẽ videlicet, ranam, auem, sagittã, & aratrum tramisit.

Cum autem Darius nesciret, quid Idantura sibi istis indicijs vellet Capitaneus quidam rem omnem eo tamdem intellige-

bat,

bat; quasi timidi Scythæ Regi Dario totam dedituri essent prouinciam, & denotare murem, illos ipsos, qui terram inhabitarent; ranam, illos qui in aquis nauigent, auem, quod vniuersa ipsi pateat prouincia, sagittam, ipsos etiam arma sua Regi tradituros esse, & aratrum, quasi eidem sese omnino, vt serui & mancipia, subiecturi essent, cuius certe rei gratia Darius mirum in modum sibi gratulabatur: donec alius, scytharum mentem melius, quam alter perspectam cognitamque habens, Xipodres nomine, illud ænigma huncin modum explicaret: hanc nimirum scytharum opinionem esse, nisi persæ ocyus, tamquam mures, in terram sese absconderent, aut, vti ranæ, in paludes insilirent, aut, ceu aues, subito euolarent quod tunc sagittarum ictum minime declinaturi, sed veluti serua mancipia, aratrum tracturi essent.

Nonnulli Ægyptios Hieroglyphica sua ab Aethyopicis populis, quorum coloni fient, accepisse tradunt.

Illi ipsi siquidem Æthyopes morem istum obseruarũt, quod sententias & speculationes cogitationesq; suas per istiusmodi figuras, vel animalium, aut plantarum, iuxta illarum qualitatem explicauerint.

Alij Hieroglyphicorum inuentionem Magorum in Persia, nimis vetustam esse contendũt, Illi enim res omneis Archetypis subijciunt, hoc est, imaginibus, quæ in diuina essentia reperiuntur: de quibus, tamquam internis Dei locutionibus, etiam lingua inter homines suam trahit originem. Verum neq; horum neque illorum sententia sufficienter fundata est.

Æthiopes enim numquam sapientium nomine inclaruerunt, & magia, quemadmodum Mercurius Trismegistus in Asclepio suo testatur, initium suum non aliunde, quam in Aegypto, sortita est. Testatur insuper Cornelius Tacitus lib. 11. Hist. Aug. q. Ægyptij omniũ 1. fuerint, qui cum istiusmodi figuris & imaginibus animalium, auium, & plantarum mentem suam explicauerint. Ammonius Marcellinus vero, libro XVII. vbi de Obelisco, Ægyptio loquitur, quod consideratio antiquitatis Mysteriosæ illius sapientiæ, vt etiam infinitæ ferme vndique excisæ Notæ Hieroglyphicæ in magno honore atque existumatione habitæ fuerint, iccir-

idcirco vetustissimus Hieroglyphicorum vsus fuit penes Aegyptios, qui mos tamen non omnibus æque Aegyptijs communis, vel concessus erat, sed duntaxat sacerdotibus, qui, Suida teste, Hierogrammati aut sancti scribæ nuncupantur, quorum etiam non pauci erant, qui, quemadmodum inquit ille, de futuris rebus vaticinari possent.

Hunc autem potissimum in finem veluti supra quoq; commemorauimus, inuenta & vsurpata fuere Hieroglyphica, vt videlicet scriba cogitationes suas per naturam depicti animalis, aut quicquid etiam fuerit, indicaret. Exempli gratia figura accipitris, quemadmodum scribit Diodorus Siculus citam celeremque rei alicuius expeditionem significat. Crocodilus, libidinem, eiusdem enim dextrã mandibulam dextro brachio alligatam, ingentem ad libidinem pruriginemque ansam & occasionem præbere ferunt. Per anteriorem leonis partem fortitudinem intelligebant: Per Cynocephalum relligionem & pietatem innuunt, per pauonis caudam inconstantiam diuitiarum & mundanæ omnis superbiæ, vanitatem indicabant, per turum, quemadmodum Iamblichus in mysterijs suis testatur, omnia terrena mundanaque negotia, per serpentem, caudam in ore gestantem, annum, temporisque curriculum, per muscam, ignorantiam & impudentiam, per formicam prudentiam, per cœlum, quemadmodum Apollonicus significat, artes atq; disciplinas, per Pelecanum hominem astutum, per ciconiam amorem erga parentes, per Hyænam, inconstantem hominem, per anquillam, hominem apud omneis odiosum, per Camelum pigrum & tardum, per apiculam sapientem Regem, veluti Petrus Crinitu lib. 7. meminit, p tauri alicuius imaginem, terram per perdicem, hominem contemptibilem, quemadmodum Celius lib. 16 indicat, per oculum, diligentem custodiam, veluti Diodorus Siculus inter alia memorat, per Nauclerum, prudentiam in regimine aliquo Politico, & ita subsequenter, quæ omnia & singula commemorare nimis heic longum foret, neque etiam omnino necessum est, vt singula eorumdẽ mysteria heic recenseantur, præsertim cum de ijsdem & alij scriptores copiose scripserint, vtpote: Cheremon Heraiscus Hepies, Orus Apollo, Pierus, Baptista Pius, Textor, Alexan-

lexander Farra, qui cumprimis de significatione columbarum elegantem Tractatum edidit: Item Cœlius Calcagnius, Ioannes Goropius, Becanus, & alij plureis, ad quos beniuolum Lectorem nunc remitto.

Scribæ quoque porro obseruare necessum habent, vt literarum inscriptiones, recte forment, ne illæ cum ludibrio forsitan ipsis remittantur, si in ijsdem decentes tituli, secundum cuiuslibet statum atque dignitatem omissæ fuerint.

Reperiuntur autem ea de re singulares libri Titulares diuersis in linguis conscripti, quos sedulo diligenterque & voluant & reuoluant. In Latina lingua habetur Tractatus Caroli Mennichij. In Italica, Libellus Iosephi Rotachij. Si quis etiam Abbreuiaturis, qui in formandis titulis scribant aliquem summopere commendant, delectetur, is libellum Huberti Golzij pellegat, atque familiarem sibi reddat, vbi sufficienter ea de re informabitur.

Et denique sequuntur etiam Ortographi. Significat autem Ortograghia nihil aliud, quam, veluti Isidorus lib. I. Etym. explicat, rectam decentemq; scripturam, & vbi s quis discit, quomodo videlicet quodlibet verbum bene decenterq; scribendum sit: Exempli gratia, Ad, sicum & scribatur, tunc est præpositio, cum t. autem coniunctio.

Ita quoque æquus cum diphtongo æquum & iustum, absque diphtongo autem scriptum equum significat. Et istiusmodi sane exempla magno heic numero recenseri possent, si modo id necessum esset.

Summo itaque studio Ludimoderatores dent operam, vt discipulos ijsdem in disciplinis, mox ab initio diligenter fideliterque erudiant, in quo quælibet etiam linguam peculiarem quoque suum modum habet: cumprimis autem vocalium recta diuisio probe addiscenda & obseruanda est, de quibus Guarinus Veronensis, Apuleius, & Casparinus de Bergamo elegantem in Romana lingua libellum edidit.

Huc etiam pertinet vt scriptura, & integræ loquutiones bene ordineque punctis suis distinguantur, de quo idem ille Casparinus de Bergamo, & Priscianus Cæsariensis distinctos libros iuris fecerunt publici. Differentia itidem accentuum diligenter notanda & obseruanda

est,

est, qui videlicet grauis, acutus, circumflexus, longus, breuis, aſper, mollis, apoſtrophe, &c. fiet: de quibus apud Grammaticos ſufficiens reperitur informatio & inſtructio.

IN DISCVRSVM. XXV.

ANNOTATIVNCVLA.

PEtrus Victorius varias res memorabiles de ſcripturis olim apud Veteres vſitatis lib. 16. variarum Lectionum cap. 5. & 13. indicat, vti ſimul quid ſiet in aquam & aerem ſcribere explicat, Philippus Beroaldus, in annotationibus ſuis ſuper Seruiũ, etiam res quaſdem huc ſpectantes commemorat.

Similiter & Cardanus lib. 13. de rerum varietate cap. 64. multa de Calamorum temperatoribus & Papyrarijs recenſet, qui ea de re conſulantur & legantur.

Inter Neotericos vero ante omneis alios Camillus Bonadius Placentin⁹ videatur. De Hieroglyphicis Cœlius Rhodigin⁹ lib. 16. Antiquarum Lectionum cap. 25. multa memorabilia conſignauit. Similiter & Baptiſta Egnatius in Racemationib. ſuis & Petrus Crinitus, de honeſta diſciplina cap. 2. & lib. 20. ca. 4. De Cyphrantibus loquitur Beroaldus in adnotationibus ſuis contra ſeruium, ex dicti alicuius ſumpta occaſione, in epiſtola quadam Ciceronis ad Atticum. Sic & Wecherus in ſecretis ſuis de ijſdem copioſam elegantemque mentionem facit.

DE

DE CABALISTIS

DISCURSUS XXVI.

PRiſcis iſtis temporibus Veteres ſemper magna cum prudentia ardua difficillimaq; myſteria plebeis & tenuioris ſortis hominibus occultarunt.

Si vero de iiſdem vel loqui aut ſcribere neceſſum habuerunt, tunc omni tempore iſtiuſmodi ſermonibus allegoricis vſi ſunt, vt non à quibuſuis intelligi potuerint, vt dicta iſta myſteria in dignitate atque auctoritate ſua apud omneis & ſingulos conſeruarentur.

Hanc autem arcanam loquendi ſcribendique conſuetudinem primum Mercurius Triſmegiſtus docuit cum memorabili iſto ſuo dicto, dum inquit: pium animum alta diuinaq; negotia non cuiuis manifeſtare & reuelare debere. Plato quoque docuit, quomodo res iſtiuſmodi caute atq; circumſpecte tractandæ ſient, dum ad Dionem de primis ſubſtantijs, inter alia, ſequentia verba ſcribit: Per ænigmata dicendum eſt, ne ſi epiſtola forte ad aliorum peruenerit manus, quæ tibi ſcribimus ab alijs intelligantur.

Sic etiam Pythagoras eodem modo de rebus profundis loqui maluit, atq; ita proprio ſuo cum exemplo etiam alios docuit: In vita enim ſua admodum pauca de profunda iſta ſcientia atque doctrina ſcripſit: ſed morti nunc vicinus filiæ ſuæ Damæ ſummopere mandauit, vt nimirum libros ſuos ſummo ſtudio cuſtodiret, nec in peregrinas manus deuenire pateretur. De eodem etiam Dionyſius, Areopagyta Timotheo ſuo ſequentibus verbis ſcripſit. O Timothee, inquit diuinus in diuina doctrina factus, Secreto animi, quæ ſancta ſunt circumlegens, ex immunda multitudine, tamquam vniformia, hæc cuſtodi.

Similiter & Lyſides Pythagoricus Hipparchum docet, ad quem ſcribit, quod pium ſiet opus veræ rectæque Philoſophiæ myſteria occultare.

Parí modo etjam Plotinus & Origenes præceptori suo Ammonio peculiari iuramento sese obstringere, necessum habuerunt, quemadmodum Porphyrius lib. de educatione & doctrina Plotoni indicat, quod videlicet tam profundas doctrinas, atque disciplinas, ab illo acceptas, in arcano conseruare atq; custodire debeant.

Themistius quodam in loco testatur: Aristotelem libros suos de naturali Philosophia ita formasse & edidisse, vt nemo eosdem intelligere potuerit, nisi ab illo primum explicati fuerint. Ita etiam Ægyptij in omnib. suis templis sphingem depingi curabant, quo innuere volebant de profundis diuinisque rebus saltim, per ænigmata loquendum esse.

Illud etiam Christus ipse vult dum inquit, Sanctum ne obijciatis canibus, vel margaritas porcis.

Hoc ipsum quoque S. Apostolus Paulus innuit, dum ad Hebræos, qui ad Sacramenta & mysteria Christianorum compræhendenda nimis adhuc rudes erant, inter alia ita scribit: De quo inquit, nobis grandis sermo & interpretabilis addicendum, quia imbecilles facti estis ad audiendum. Sic etiam Origenes quodam in loco ait: Christum discipulis suis multa reuelasse, quæ non consignauerint, ne nimis redderentur vulgaria. Et quid multis heic indigemus testimonijs, quum tamẽ ipsa natura nos doceat, quod tenenda siet differentia, & quædam res reuelandæ, multæ vero penes nos in arcano custodiendæ sient? Vnde etiam verisimile videtur, quod Iudæi arcanam de Cabala sciẽtiam tam diu sub claui sua clanculum conseruarint, vt etiam nemo aliquid de eadem aliquid scire potuerit, ne inter ipsos Latinos quoq; nemo eamdem intellexerit, vsq; ad pici mirandulani tempora, qui, veluti in Apologia sua gloriatur, primus de ea in Romana lingua aliquid scribere conatus est, & tamen nihilominus promiscuæ multitudini occulta remansit, donec Alexander Farra, qui tamen alias in scriptis suis satis est obscurus, eidem in septenario suo paululum lucis adtulit, qui, provirili, eamdem toti terrarum Orbi melius magisque, quam hucusque fuerit, notificasset. Ad me sane quod attinet hunc discursum, in Philomusorum gratiam, non ita ambigue, pro aliorum more, explicabo, idq; non

finē, quaſi occultos latenteſq; Cabalę theſauros in lucem proferam, ſed vt rerum imperitis ignariſque hominibus eam obuiam, qui ſibi perſuadent ſeſe, per illam Cabalæ ſcientiam, omneis relliquas artes atque ſciētias compræhendere poſſe, non ſecus quam illi, qui de arte Raimundi aureos montes ſibi fruſtra pollicentur.

Sciendum autem eſt, aliquos imperitos, veluti Picus in Apologia ſua commemorat, ſibi perſuaſiſſe, Cabalæ nomen Diabolicæ & hæreticæ cuiuſdam perſonæ nomen fuiſſe, à qua Cabaliſtæ ſuum ſumpſerint initium, id quod tamen craſſa & ridicula eſt ignorantia.

Cabala ſiquidem apud Hebræos nihil ſignificat aliud, quā perceptionem, atque ideo Cabala Scientia appellatur, quoniam, vti quidem illi pretendūt, iſtiuſmodi eſt ſcientia, quam ab ore *Dei* perceperint non ex ſcriptis, ſed in voce, & poſtmodum per continuam ſucceſſionem à SS. Patribus ad præſentia tempora propagata atq; conſeruata fuerit.

Exiſtumant vero Nonnulli cabalam primo omnium noſtro Parenti *Adamo* traditam fuiſſe, dum poſt lapſum in ſummo ſuo luctu atque triſtitia, per Razielem Angelum, hunc in modum conſolatus fuerit, peccatum videlicet ſuū quidem ad omneis liberos poſteroſque ſuos propagatum, attamen per Dei filiū, qui etiam ab ijs per vim virtutēque Spiritus S., abſque alicuius commixtione viri, ab aliqua virgine naſci debeat, iterum reconciliatum ſublatumq; iri.

Et modo commemoratam iſtam conſolationem poſtmodum Adamus vxori ſuæ, ambo autem illi liberis, & illi rurſum poſteris ſuis alternatim communicando reuelarunt. Picus Mirandulanus, & Paulus Riccius vero, qui etiam nuperrimo tempore ea de re ſcripſerunt, cabalæ initium ſequentem in modum recenſent: Eſſe nimirum Cabalam arcanam occultamq; explicationē Legis quam Moyſes ex ore Dei acceperit, & deinde viua voce Patribus reuelauerit, quam & ipſi poſteris ſuis de manu in manum quaſi tradiderint, illamque in LXX. poſterioribus libris compræhenſam eſſe, de quibus in quarto libro Eſræ legitur, vbi *Deus Ter Optumus Maxumus* ei ſingulari mādatum dat, vt videlicet illos cuſtodiat, idque ſequentibus verbis, quæ in XIV. cap. leguntur:

Priora, inquit *Iehouah*, quæ ſcripſit, in palam pone, & legant digni & indigni: nouiſſimos, autem ſeptuaginta conſeruabis, vt tradas eos ſapientibus de populo tuo.

In his enim vena intellectus, & ſapientiæ fons, & ſcientię coram omni populo Iſraelitico lumen.

Et feci ſic. Ad LXX. autem illos libros quod attinet, de quibus *Deus* Eſdræ mandata dedit, ante dictus Picus Mirandulan⁹, iuxta opinionem Moyſis Ægyptij, inquit Moyſem, poſt aſcenſum montem, duplicem à *Deo* legem accepiſſe: vnam, quæ literis exarata, & poſtea, *Dei* ex mandato, deſcripta & explicata fuerit; alteram, non ſcriptam, ſed, ex *Dei ter optumi maxumi*, mandato, à Moyſe clanculum ſeruatam, & mortalium nemini reuelatam, niſi LXX. ſenioribus, quos ſibi Moyſes in auxilium elegerat.

Illis etiam inſuper mandauit, ne legem iſtam ſcripto compræhenderent, ſed viua voce poſteris ſuis illam manifeſtarent.

Id quod etiam commemorato modo factum eſt vſq; ad Eſdræ tempora, vbi *Deus* ante cõmemoratum mandatum ipſi tradidit.

Ad probandum illud, quod videlicet Moyſes duplicem, à *Deo Ter Optumo Maxumo*, legem acceperit, quarum vnam reuelare, alteram vero reticere & occultare debuerit: ex ante dicto capite 4. libri Eſdræ demonſtrare conantur, vbi Deus ipſe Moyſem ſequentem in modum alloquitur. Reuelans, inquit, reuelatus ſum Moyſi ſuper rubum, quãdo populus meus ſeruiebat in Ægypto, & adduxi eum ſuper montem Sinai, & detinebam eum apud me diebus multis, & enarraui ei mirabilia multa, & oſtendi ei temporum ſecreta, & finem, & præcepi ei dicens Hæc palam facies verba, & hæc abſcondes.

Hanc ſententiam ſequitur & amplectitur, etiam Origenes, dum ſcribit ſuper verba Apoſtoli Rom. 7. Quia credita ſunt eis eloquia Dei, & ait quod Iudæis non dumtaxat SS. Scriptura, verum etiam verba & ſermones *Dei* commiſſa fuerint.

Ex quibus verbis Origenis facile colligitum, ipſum eiuſdem fuiſſe opinionis, quod nimirum Iudæi, iuxta ſcriptum verbum *Dei*, adhuc habuiſſe amplius, quod Paulus commemorato in loco, *Eloquia Dei* nominat.

Hilarius quoque in explicatione secundi psalmi, eamdem sententiam vbi sequentia verba expresse ponit.

Erat autē, inquit, iam à Moyse ante institutum, in omni Synagoga LXX. esse Doctores. Nam idem Moyses, quamuis Testamenti verba literis condidisset, tamē separatim quædam ex occultis Legis Secretiora mysteria senioribus, qui deinceps Ductores manerent, intimauerat.

Cuius doctrinæ Dominus in Euangelio meminit, dicens, super Cathedram Moysis sedent Scribæ & Pharisæi, Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite doctrina ergo horum mansit imposterum, quæ ab ipso scriptore Legis accepta, in hoc seniorum numero conseruata est.

Cum igitur, ad Babylonicam captiuitatem vsque, nihil de arcana ista significatione & explicatione Legis descripta fuerit, eapropter Esdras, post extructam conditamque vrbem, Legisq; restitutionem, ex mandato Dei instituit, vt hæc Cabalistica explicatio etiam scripto cōpræhenderetur, ne hoc modo, per similem captiuitatem, & populi Iudaici dispersionem, vbi 70. seniorum numerus non semper haberi, atque ab vno ad alterum propagari possit, vel ad interitum inclinaret aut omnino forsitan amitteretur.

Quapropter, vti in Historia videre est, omnia Cabalæ mysteria LXX. libris, iuxta LXX. Seniorem Sinagogæ numerum, complexus est, qui non omnib. & singulis, sed dumtaxat populi sapientissimis ad legendum permitterentur.

Qua de re toties nunc dictus picus inter alia asseuerat, se libros istos magnis sumptibus sibi comparasse, eosdem diligentissime pellegisse, & non dumtaxat Mosaicam, verum etiam Christianam relligionem in ijsdem reperisse, inuenisse inibi præterea mysterium de SS. Trinitate, Incarnationem verbi, Deitatem Messiæ peccatum Originale, & per Christum reconciliationem, lapsum Diaboli suorumque asseclarum, Ordinem Angelorum, pœnam inferni, & alios id genus Christianitatis articulos, qui exinde contra Iudæos, proprijs suis armis & gladijs quasi seipsos iugulantes, obtineri possunt, apud quos tamē Cabalistæ in summo honore & pretio habentur, atque peculiari lege inter ipsos cautum pro-

ſpectumq; eſt, ne quis, niſi quadraginta ætatis annos adſequutus fuiſſet, in illis 70. Eſdræ libris legeret.

Quocirca Papa Sixtus Quartus conſtituit, vt dicti iſti LXX. Libri in Romanam linguam trāſlati & publicis typis diuolgati fuerint, atque triduo ante ipſius obitum librorum iſtorum tranſlatio finem ſuum feliciter ſortita eſt.

Ad confirmationem vero illius, quod videlicet Cabaliſtica ſcientia cum Chriſtiana Relligione pene conueniat, Picus in Apologia ſua inter alia commemorat, quatenus nimirum Antonius Cronicus, clariſſimus eruditiſſimuſque, quidam vir prætendat, ſeipſum videlicet in Colloquio quodam Conuiuiali audiuiſſe, quod Iudæus quidam, nomine Dactilus, Cabalæ experientiſſimus, in Articulo de SS. Trinitate cum Chriſtianis idem ſentiat, neque aliter, quam Chriſtiani, de eodem, illum & ſenſiſſe, & loquutum fuiſſe.

Cabala duplex.

Quum vero per Romanæ Inquiſitionis Decretum omneis, Cabaliſtici libri prohibiti atque interdicti ſient, eapropter, Cabalam eſſe duplicem, ſciendum eſt, vnam veram, falſam alteram.

Vera & bona.

Vera & bona illa eſt, in qua myſteria Legis explicantur, & haud diſſimilis eſt expoſitioni, quam nos Anagogicam appellamus, quæ etiam omnibus alijs ideo potiſſumum longe præferenda eſt, quod hominem in altum tollat, & à terrenis ad cœleſtes, à temporibus ad ſpirituales, ab humanis, ad diuinas, In ſumma, à perceptibilibus ad intellectuales res ducat.

Et ſane Cabala iſthæc pro neceſſaria habetur, ſi SS. Scriptura recte explicanda veniat, quemadmodum illud etiam multi, tā Græci, quam Latini, Doctores fatentur, qui illam in explicationibus ſuis ſequuti ſunt, veluti poſtmodum indicaturi ſumus: quæ etiam ab Eccleſia, numquam damnata, neque repudiata fuit.

Mala, falſa & impia.

Falſa, mala, & impia Cabala nihil eſt aliud, quam noua Iudæorum inuentio, de qua fingunt, ipſorum Patres à Moyſe accepiſſe illam, & ab ijſdem ad ipſos deriuata fuiſſe: omnis tamen generis mendacijs, fabulis, atque erroribus referta eſt, & ſane parum à Nigromantia differt, vtpote in qua, vti ſtolidi ſomniant, quædam occulta Dei nomina explicari poſſint, vna cum ſignificatione illorum vir-

tutis

tutis & operationis, quæ etiam à quibuſdam Iudæis, ad cogendum diabolum, & alias id genus artes magicas, haud ſecus, quam ſolent venefici, vſurpantur: cum primis dum prætendunt, Moyſem etiam eo ipſo miracula ſua confeciſſe. Ioſuam, Solem diſtinuiſſe, Heliam, eiuſdem beneficio, ignem Cœlo adtuliſſe, & plurima id genus mendacia, quibus miſelli & indurati Iudæi maleſanam ſuam cauſam tueri & ſtabilire conantur.

In eadem quoque arte & ſapientiſſimorum ſapientiſſimum Regem Salomonem exercitatiſſimum fuiſſe, fabuloſi Iudæi fabulantur, eapropter & eamdem copioſe deſcripſiſſe atque adeo demonſtraſſe, quomodo videlicet Diabolus capiendus & vinciendus fiet: quomodo etiam omnis generis morbi ſanandi, &c. cuius etiam Ioſephus inter alia mentionem facit, & forſitan iſte eſt libellus, qui inter ipſos, & naſutos aliquot Chriſtianos (*ſub titulo clauicula Salomonis.*) circumfertur, quoq; non immerito ab Eccleſia interdictus & condemnatus eſt.

Hæc itaque eſt Cabala, quæ, ad rei indignitatem, adeo honeſto nomine appellatur, & iccirco haud immerito, tamquam periculoſa, ſuperſtitioſa, & blaſphema atque impia improbata atque reiecta fuit: etiam leporina quædam capita adhuc reperiantur, qui, nulla inter vtramq; facta differentia, ambas damnabiles eſſe exiſtument.

Primam Cabalam, quæ recta eſt atque vtilis, iuxta aliquorum Cabaliſtarum opinionem, Eſdras primum Simeoni, tum temporis ſummo Sacerdoti, tradidit, atque ſimul Antigono, & quibus alijs ſuis Synergis, inter quos etiam fuere Zadoch & Bethus, à quibus aliquot hæretici exorti, ab ijſdemq, nomina ſua ſortiti ſunt, quidam enim Zadochai, & Bethuſai nominantur, quemadmodum Iudas Leuita, in Aleoſdero ſuo, Sermone tertio recenſet.

Ab ijſdem illam Ioſeph, Ioeceri cuiuſdam filius, & Ioſeph, Iohanni filius, recepit.

Eamdem deinceps à priorib. acceperunt. Ioſua, Parahiahi filius, & ab eo duo illius diſcipuli, quorum vnus, Ieſus dictus & Maccabæorum tempore vixit, & Nathan Arbelenſis, qui illam Iudæ, filio alicui Tabai, & Simonij Sothæ alicuius filio tradidit, atque ita ab vno ad alterum deriuata eſt, vſq; ad Gamalielem, Iudæ Hagiæ filium, qui ſanctus

poſtea

postea Magister nũcupatus est. Cabalistæ insuper differentiam quoque inter tria sequentia nomina faciunt, inter Calices videlicet, Cabaleos, & Cabalistas. Calices autem eos vocant, qui scientiam illam per singularem diuinam inspirationem acceperint: Cabaleos, qui eamdem à prioribus didicerint: & Cabalistas, qui priorum, Cabaleorũ videlicet, vestigijs insistant.

Inter Calices collocãt Moysem, Esdram, & qui ipsis possint esse haud dissimiles: Inter Cabalos, omneis eos, qui supra nominati fuerunt: Inter Cabalistas autem subsequentes, vtpote: Hananiam, filium Acasiæ, Rabbi Turphonem, Acabiam, Machalielis filium, Ananiam, Sacerdotum principem: Hananiam, Tardonis filium: Ananiã, Achinei filium: Nebioniam, Haconæ filium: Dosam, Archinæ filium, Rabbi Achibam, Halaphram, Buscam, Eleazarum, Hazarię filium, Rabbi Leuitam Rabbi Iohannam, Barochami filium, & alios plures quos omneis & singulos heic recensere nimis longum foret, qui vniuersi interpretationes Anagicas priorum Cabaleorum sequuti sunt.

In hac itidem Scientia Cabalistica, ab hodiernis Cabalistis plurimi ab diuersimodi Auctores citantur, & allegantur, liber videlicet Abraham de creatione, qui ab eruditis aliquot viris, R bbi Achabæ tribuitur: Item, Liber de splendore, Simonis, filij Iohal, qui 24. annis integris in occulta quadam spelunca latitauit: Similiter & Liber de Cãdore, quam Latini Lucidarium appellarunt: Libri item Abrami Ala phici, vna cum Commẽtarijs Rabbi Moysis Girondensis, & Commẽtarijs Rabbi Minnahem, Racanath super arcana Rambani, hoc est, ante dicti illius Moysis, Citatur quoq; præterea Liber de Perplexis, Moysis Ægyptij: Item liber Portę Lucis, Rabbi Iosephi Castilliani: Item Liber Portæ Iustitiæ, Rabbi Iosephi, filij Carnitolis: Liber de crudelitate, Rabbi Sabadia Asiatici: Liber de Mysterio Legis, Rabbi Abraham Abenazra: Liber Rabbi Hamai, qui in cabala princeps Eloquentiæ dictus est: Liber speculationum, qui eidẽ quoque adtribuitur: Commentarij de sanctitate Rabbi Azarieel. Iuxta libros allegantur etiam Libri explicationis Alphabethi Rabbi Achiba: Liber, Rabbi Ama, de secretis & mysterijs psalmi 19. Liber de vnione,

ne, vel de collectione, cuius Rabbi Al enazra meminit: Liber Cabalæ Orielis Garonensis: Liber de Fide & expiatione: Liber Quęstionum abstruxarum: Liber de Mysterijs: Item eximi⁹ aliquis liber Cabalisticus contra Philophastos, quem illi Alkoser appellarunt, idque iuxta morem Arabicum Rabbi Iuda Leui qui eo omnino concludit: *Cabala non est bona, nisi cum corde bono*: Exinde etiam maledicti Sophistæ à profunda & sancta contemplatione excludantur. Nimium etiam tribuunt Commentarijs super librum M. Iacobi Choen, & Commentarijs Rabbi Isaac, qui super illum ipsum librum Commentarium aliquem edidit: Allegant prætere a sæpenumero aliquem librũ de decem numerationibus Cabalistic's Rabbi Tedæ Leui, & librum alium, qui tamen falso Salomoni, sub Zazielis nomine adtribuitur. Inter omnes tamen omnium eruditorum iudicio, nemo artificiosius, modestius, & clarius de Cabala vmquam scripsit, q̃ Rabbi Ioseph Bar Abraam Salernitanus Castiliensis, in libro suo, quem *Hortum Noe* inscripsit: in cuius primo volumine loquitur de verbis: in secundo, de literis: in tertio de puncti, quæ in Hebraica lingua vsurpãtur: Idem ille omnia huius linguæ mysteria explicat, quemadmodum etiam ijsdem referta est, nec in ea exiguum quoque punctum, neque litecula inuenitur, quæ non peculiare suum habeat mysterium, adeo vt in libro Ierzira non immerito de literis dicatur: Exsculpsit cum eo Spiritu DEVS viginti duas literas, tres matres, VII. duplices, & duodecim simplices, & quælibet illarum est species.

Heic etiam porro notandum est, quemadmodum etiam Picus Mirandulanus inter alia adhortatur, quod nostri Doctores Scriptores Cabalisticos non in specie & nominibus suis, appellent, sed in genere Hebræos, vel hæc Hebræorum est, sententia ponant.

Solus tamen Origenes Hullum Patriarcham, Coætaneum suum, nominat. Hieronymus Magistros illos appellare solet, & sæpenumero ait: Hæc est sententia Magistrorum. Clemens, Eusebius, & alij saltim dicunt: Referebat mihi Hebræus, audiui ab Hebræo, Hebræorum est ista sententia.

In quibus verbis neminem certe alium, nisi Cabalistas in-

 telli-

telligunt: Si enim aliquis inferre & dicere velit, Thalmudistas exinde sub intelligi, nihilominus tamen ista opinio consistere nequit.

Horum enim scriptorũ multi ante Thalmudistas & descriptionem Thalmudismi, exstiterunt; atque adeo modo dicti Thalmudistæ ducentis 50. annis, post natum Christum, demum sese in scribendo exercuerunt. Iuxta illud doctrina Thalmudica Doctrina nobis è diametro quasi aduersatur, neque verisimile Doctores nostros aliquid, ad doctrinæ suæ confirmationem citaturos.

Si quis autem inuertere & dicere conetur, ipsos eo ipso Hebræos Philosophos intelligere, qui etiam SS. Biblia iuxta Philosophiam explicarent, illud similiter multo minus, quam prius illud consistere poterit. Istiusmodi enim interpretatio non tam diu durauit, & paucos saltim ante annos inter illos cæpit. idq; in Rabbi Moyse Ægyptio, qui primus ex illis fuit, & tempore Auerrois Cordubensis vixit, qui ante annos ferme CCC. adhuc in viuorum numero inuentus est, extram omnem itaq; dubitationis positum est aleam, quod Caballistas exinde subintellexerint. Non immerito igitur heic leporina aliquot cerebella iterum ridentur & cognoscuntur, qui, confusa sua Logica & rixosa admodum conclusione asseuerare conantur, Cabalam nihil esse aliud, quam meras nugas & futiles ineptias.

Quod exinde oritur, quod nimirum sibijpsis nimium tribuant, quasi soli norint omnia, atque adeo de rebus omnib. soli possint disserere, cum tamen neque fundamentum, neque etiam ipsam originẽ Cabalæ norint, multo minus intelligant: non secus, quam ille Scholaris Papauiensis, qui altum sapiebat & Cabalam esse scientiam materiæ primæ, omni asseueratione testabatur, & ille, qui inscitiam modo dicti Scholaris corrigere conabatur, & aiebat. Cabalam fuisse fœminam, vel Sagã aliquam, cuius Poetæ in fabulis suis mentionem faciant, vtpote Melissa, Alcina, Logistilla, Falerina, Morgana, &c. quæ, per veneficia & incantationes suas, non absque malorum spirituum ope atque adminiculo, somniabant, se breui tempore omneis alias artes discere posse. Alij prætenderunt: Cabalam esse artem Raymundi. Nec tamen adeo rudes fuerunt illi, vt non aliquo

modo

modo ad Scopum collimarint: Iudæi siquidem, quemadmodũ Picus in Apologia sua indicat, omneis arcanas occultasque artes cum Cabalæ nomine insigniunt, adeo vt ars Raymundina quæ occulta, arcana, abstrusaq; satis, merito Cabala nuncupari posset, exinde etiam vulgaris illa loquutio, inter Scholasticos exorta, atque pene in vniuerso terrarum Orbe hinc inde disseminata est, quod omnia in Cabala compræhendantur, & qui etiam omneis artes breui temporis spatio discere velint, ij Cabalæ serio atque diligenter incumbere eamdemq; sedulo excolere necessum haberent: quẽadmodum etiam Raymundus in opere suo istiusmodi sane res (quæ tamen, meo quidem iudicio, vanæ nulliusq; momenti:) pollicetur: quem in finem etiam libellus, qui eidem Raymũdo quoque tribuitur, de auditu Cabalistico publice typis diuolgatus, nihil est aliud, quam artis magnæ compendium, ex quo artem suam breuem desumpsit: Sin vero, rem ita intelligerent, dum inquiunt: Cabalam docere omnia, quod per Cabalæ vocabulum diuinam aliquam reuelationem subintelligerẽt, tũc stultę ipsorum loquutiones mihi non adeo aduersarentur, quã uis humi repant, neque in sublime ferantur, etiamsi nomen vel gloriam profundæ alicuius sapientiæ adfectent. Ipsis tamen studia sua relicturi, & in Discursu nostro semel inchoato perrecturi atque progressuri sumus.

Vera autem Cabala duplices in sese scientias complectitur:

Primũ vocant Bereschit, quæ tamen etiam Cosmologia nuncupari possit. Hæc de virtute & efficacia omnium tam in Cœlo, quam in terra rerum creatarum agit, atque mysterium diuinæ Legis per vniuersa Biblia Philosophicis rationibus explicat, & hæc quidem de magia naturali parum differt, in qua Rex Salomon adeo exercitatus fuit, vt etiam de cedris in monte Libano vsque ad Hysopum, & de omnibus etiam animalibus atque auibus, ad minimas vsque disserere atque disputare potuerit: q̃ S. Hieronym. ita explicat, ipsum (Salomonem) videlicet de natura, proprietate, atq; operatione omnium istarum rerum scripsisse, disseruisse, atque disputasse.

Georgius Cedrenus in Historiarum suarum, compendio asseuerat, Græcos omnem suam materiam & argumenta Medi-

cinæ ex hoc Salomonis libro furatos vel mutuatos esse, inter alia quoq; commemorat, quod idem ille liber à Rege Ezechia laceratus fuerit, quod viderit Iudæos in suis morbis magis ad istum librum, quam ad ipsum, *Deum Ter Optumum Maxumum*, præcipuum ipsorum Medicum, confugisse.

SixtusSenensis in Bibliotheca sua hancce Bereschiti scientiam Physicam interpretationem appellat, quippe quæ in S. Scriptura motum, ordinem & decus Sphærarum Cœlestium, qualitatem item Elementorum, proprietatem metallorum, virtutes herbarum, animalium qualitates, &, in Summa, omneis naturæ vires & operationes inquirit atque rimatur, atque adeo sensus Mysticos S. Scripturæ in naturales istiusmodi res transferre solet, eius rei exemplum in Tabernaculo commonstrat, quemadmodum illud à Moyse Exodi XXVI. capite descriptum, atque à Philone, Iosepho, Clemente Alexandrino, & D. Hieronymo Physice declaratum fuit. Dum enim Moyses Tabernaculum in tres partes, Aream, Sanctum, & Sanctum Sanctorum videlicet, diuidit, tunc, aiunt, ipsum innuere & indicare voluisse, quatenus videlicet *Deus Ter Optumus Maxumus* vniuersum totius terrarum Orbis ædificium in tres peculiares siue singulares partes diuiserit, vtpote in mundũ sublunarem, in quo nos adhuc viuimus & degimus, in mundum cœlestem, qui totus est compẽdium supra Lunam: & in mundum supremum, quem Theologi Angelicum Philosophi vero Intellectualem nuncupant, & tamen, veluti Plato asseuerat, sufficienter cognosci atq; prædicari poterit.

Itaq; per primam Tabernaculi, & dein per templi partem, aream videlic. infimus hic mundus, vniuersus scilicet terrarum Orbis, significabatur, qui, vt illa, apertus, absq; vllo tegumento, sub pluuia & vento, Sole & Luna, calore & frigore, consistebat, vbi omnis generis homines sacri & prophani, tam introibãt, quam iterum exibant: Pari modo illic diuersi generis animalia introducebantur, educebãturque atque sic inter illa, quemadmodum cottidie ad sacrificia mactabantur, continua reuolutio & permutatio vitæ mortisq; erat.

Per secundam partem, quæ aula sancta vocabatur, & in medio, inter aream videlic. & San-

ctum

ctum Sancita, atque vndique auro exornata erat, illa pars fuit, quę supra lunam firmamentum indicabat, quo in loco candelabrum VII. cum lampadibus in Meridionali latere 7. Planetas significabat, qui semper magis versus meridiem, quam Septentrionalem Cœli plagam spectabant.

Lampas in medio consistens, & tres ab vtraque parte habens, Solem denotabat, qui in medio relliquorum, Planetarum situs est.

Per tertiam partem, sanctum sanctorum nimirum supremum cœlum & habitatio Angelorum significabatur. Quemadmodū illud (sanctum sanctorum.) omnibus alijs occlusum erat, & nemini præbebat aditum, nisi Soli summo Sacerdoti, ita etiam supremū Cœlum omnib. hominib. obseratū q. est & nemini introire licet, nisi vnicus & summus noster Sacerdos, & illi, qui ab illo sanctificantur. Intrinsecus arca fœderis consistit, in qua duæ Moysis tabulæ, in quas De⁹ ipse Legem suam scripserat, virgæ Aaronis, & Manna custodiebantur, atque eo ipso mirabilis diuina prouidentia, in toto terrarum orbe regendo, mirabiliter conspicitur, vtpote qui per sanctissimas suas traditiones, siue Legem, omnia regat, per virgam suæ potentiæ omnia conseruet, atq; per iucundum Manna Gratiæ & bonitatis suæ omnia sustentet, atque viuificet.

Cherubim alis suis arcam circumdantes, officium & obsequium Angelorum denotant, qui, ad impletionem suę voluntatis, semper ad mandata perficiunda, præsto atq; parati sunt. Atque hoc est, exemplum illius, de quo in Bereschit tractatur & agitur, cui ante omneis sedulam nauarunt operam Moyses Ægyptius, & aliqui Thalmudistæ: quibus etiam picus Mirandulanus, atq; alij ex Nostratibus adstipulantur.

Altera Cabalæ scientiæ, Merchiana dicta, symbolica, quasi Theologia est, atq; summas rerum diuinarum contemplationes in sese continet, vna cum virtute & efficacia Angelorum, sanctorum nominum & signorum, qua in re omneis literę, numeri figuræ, Characteres, Liniæ puncta & Accentus peculiareis suas habent significationes, & alta, profundaque mysteria.

Hæc autem rursus in diuersas peculiaresque partes diuiditur. Quousque enim circa numeros versatur, & exinde omnis gene-

ris myſteria profert, eatenus illam Picus Sephirod appellat.

Sin autem circa nomina occupata ſiet, tunc Semod appellatur: Quouſque circa ſingularia diuina nomina verſetur, iiſdemq; ſingularem virtutem atque efficaciam ad ribuat, idque contra Cacodemones, & ad perficiunda omnis generis veneficia, tunc Telmantia dicitur, eſtque prohibita.

Sin vero nomine *Dei*, ipſi in S. Scriptura tradito, adquieſcat, veluti etiam Angelorum, aliorumq; nominum & verborum, in eadem S. Scriptura repertorum, atque eo ipſo dumtaxat iſtiuſmodi quæritat myſteria, q̃ in *Dei Ter Optumi Maxumi*, laudem gloriamque vergunt, vel ſi eo ipſo obſcura S. Scripturæ dicta aliquo modo meljus illuſtrantur, & explicantur, tunc Arithmantia dicitur, atque ab Eccleſia numquam improbata neque damnata fuit. Etiamſi aliquot reperiantur homines, qui ipſam impugnent, eamdemque pro mero figmento, ridiculiſq; ineptijs habeant, quippe in qua nihil omnino certi reperiatur: Etiamſi vero quandoq; aliquid fucati proferat, illud tamen nullo fundamento niti atq; eadem facilitate, qua affirmetur, poſſe reijci. Et hæc Cabalæ ſpecies à Nonnullis expoſitio Elementaria dicitur, quod maiori ex parte circa literas, vel Elementa, occupata ſiet. Illa tamen duplici modo procedit, nimirũ aut per reſolutionem, vel per compoſitionem. Per reſolutionem, ſi littera ab aliquo verbo remouetur, vel literæ à ſe inuicem ſegregantur, & tamdem ex qualibet litera iſtiuſmodi verba fiunt, q̃ ab illa litera ſuum ſumunt, quo myſteria, in primo verbo occultata, reuelantur. Eius proceſſus exemplum videre eſt apud Sanctum Hieronymum ſup. 3. libr. Regum vbi hæc verba Dauidis, quæ, ante obitum, ad filium ſuum Salomonem habuit, examinat, dum ex textu ſcribit: Habes quoq; apud te Semei, filium Geta filij Gemini de Bahurim, qui maledixit, mihi maledictione peſſima. Qualis quantaq; vero iſta maledictio fuerit, id ex vocabulo peſſima indicat, quod in Hebraica lingua Nimrezeth dicitur.

Habet autem hoc vocabulum quinque literas videlicet, Nun, Mem, Reach, Zade, & Thau, quarum quælibet peculiarem etiam aliquam cõtumeliam ſignificat. Nun enim Neoph, hoc eſt, mœchum & alienæ

con-

coniugis seductorem significat, quemadmodũ etiam Vriæ coniugem & seduxit, & omnino penes se retinuit. Mem, Mocabitam denotat, quo vocabulo ipsi humilem, & à Moabitis genus, ducentem contemptibilem familiam ipsi exprobat, simulque Rutham, de Moabitis similiter oriundam, tangit, innuēs ipsum peregrinum, adeoque, maternæ stirpis ergo neutiquam dignum vt inter *Dei* populum numeretur, multo minus eidem imperet. Reach significat Rozeha, h. e. latronem vel homicidã, quo verbo ipsi cædem Vriæ obijcit, quodque vniuersam Saulis familiam trucidauerit. Zade, zarua, h. e. leprosum innuit, quo significatur ipsum haud immerito, tamquam impurum & leprosum, ab omni populo Israelitico pulsum repudiatumque, immo ab ipso *Deo* maledictum, atque per ipsius Legem segregatum esse. Thau, Thœua, hoc est, abominationem significat: vult enim dicere ipsum & corã Deo & hominib. abominabilem, nec adeo dignum esse, vt fumus illũ ferat. Augustinus super Iohannem, &c, post eum, Cyprianus, Tract. de Sinai & Sion, atq; post illos duos, Beda, in Commentario suo super Ioannem, eumdem ferme processum obseruant, in explicatione, vocabuli *Adam*, primus homo appellatus erat: atque ex IV. istis literis, quibus modo dictum nomen scriptum fuit, coniectare, immo concludere volunt, quid terra ex qua idem ille primus homo creatus esset, etiam ex quatuor mundi finibus desumpta fuerit. Prima enim litera, A videlicet, Anatolion, Orientem, D. Disin, hoc est Occasum: Secunda A, Arcton, hoc est, Septentrionem, M. vero Mesimbriam, hoc est, meridiem significat. Quæ Etymologia, significatio, & explicatio huius nominis *Adam* multo ante à Sibylla, lib. 2. Oraculorum, reuelata fuit in sequentib. versibus, qui ex Græca in Romanam linguam sequentem, in modum tralati sunt:

Nimirum Deus is finxit Tetragrammaton Adam,
Qui primus fictus est, & qui nomine complet
Ortumq;, Occasumque, Austrum, Boreamque rigentem.

Ad istiusmodi processum, modumque, quomodo videlicet verbum, aliquod per literas suas explicari possit, etiam illorum verborum explicatio referri posset, quorum vnum integram

tegram significet sentētiam. Exempli gratia, III. verba, quæ per mirabilem aliquam manum regi Belsaseri ante ipsius oculos parieti inscripta fuerunt, videlicet *Mene*, *Tekel*, *Phareum*, significant: Numeratum, Ponderatū, Diuisum, id quod Propheta Daniel, per integras explicat sententias dum ad Regem, ita inquit, Numeratum est Regnum tuum à *Deo*, completū est: Ponderatum est in statera, & inuentum est deficiens. Diuisum est Regnum tuū, & datum est Medis atque Persis. Ex qua Danielis interpretatione Rabbini ansam occasionemq; sumpserunt, vt nimirum, nouam Cabalisticam interpretandi rationem excogitauerint, & tamdem concluserint, quemadmodum Prophetæ Danieli, licitum permissumq; fuerit: vt nimirum vnum quodque verbum per integram aliquam explicaret sententiam, ita & ipsis, tamquam Synagogæ præsidentibus, neutiquam interdictum prohibitumque esse, vt idem cum Daniele Propheta facerent, vel, oblata occasione, syllabas, & literas aut coniunctim, vel seorsim per singularia vocabula, quæ dare valeant, explicarent. Id quod tamen facilime impugnari poterit, Ab ista particulari siquidem Historia, quæ Solius Dei illuminatione, & inspiratione Spiritus Sancti, tum temporis accidit, ipsis vniuersalem conclusionem & Regulam facere minime est licitū.

Hæc autem Elementarijs expositio fit quoque, quemadmodum supra suo loco demonstrauimus, per compositioné, quando videlicet literæ transponuntur, atque ita alia verba, quam primum fuit, exinde fiunt, ex quibus postmodum alia verba & loquutiones exoriūtur, quorum adminiculo & beneficio aliqua mysteria explicantur.

Quod autem ista interpretandi consuetudo à priscis temporibus inter Iudæos vsu recepta vsitataque fuerit, id videre est in vaticinio contra Babyloniæ Regem, quod Propheta Ieremia cap. 43. descripsit, vbi, ne forsitan Regem tam contra seipsum, quam populum ad iram concitaret, loco vocabuli Babel, Selac vsurpat, & dum ait: Et Sesac calicem iræ Dei bibet post eos. Per quod Sesac, iuxta morem & cōsuetudinem istam Cabalisticam, Babel subintelligendum est. Processus & Regula vero illius explicationis hæc est, nimirum, quemadmodum in Scholis pueri, Alphabetum non dumta-

dumtaxat ab initio vſque ad finem recitare iubentur, ſed, vt in cognitione literarum eo perfectiores & diligentiores reddantur, immutatio ordine quandoque à fine ad principium literarum progredi neceſſum habent, ita quoq; Iudæi eundem ſeruant ordinem, & ſæpenumero à fine literarum, ad earumdem initium, & vice verſa, à principio illarum, vſque ad finem procedere ſolent: id quod etiam hoc in vocabulo obſeruatum, atque ita in tranſmutatione & conuerſione literarum Babel, in Seſac commutatum fuit.

Qua in re D. Hieronymus auctoritate ſua ipſis multum ſane negotij faceſſit, qui tranſpoſitionem iſtam literarum irridere conantur, attamen ijſdem minime abutendum eſt, alias enim quiuis ſtolidæ dementiſq; mentis homo multa rara & abſurda ex vno vel altero vocabulo torquere poſſet.

Ioannes Picus Mirandulanus adhuc aliud exemplum in Heptaplo ſuo, atque in explicatione primi verbi Geneſecos Bereſchit dicti, commonſtrat. Si nim tertia litera, nimirum Aleph, ad Betham collocetur, tunc exinde Ab exiſtit.

Si vero Betha duplicetur, & ſecunda litera, Reſch nimirum addatur, tunc Bebar exinde colligitur.

Sin autem prima detrahatur, & relliquæ legantur, tunc vocatur Reſchit.

Si quis vero quartam, videlicet Schin, ad primam Beth, & ad poſtremas collocetur, tunc exinde Schabat naſcitur. Sin tres priores ordine & alternatim ponantur, veluti conſiſtunt tunc inde Bara exiſtit.

Si prima omittatur, & tres ſubſequentes legantur, tunc Roſch apparet.

Si duæ priores omittantur, & duæ aliæ legantur, tunc experitur Æſch.

Si tres priores omittantur, & duæ poſteriores legantur, tunc exiſtit Seth.

Si ſecunda collocetur primæ tunc Rab legitur.

Si poſt tertiam quinta, & deinceps quarta ponatur, tunc Iſch deprehenditur.

Si duæ priores ad duas poſteriores collocentur, tunc exiſtit Berith.

Si vltima coniungatur primæ, tunc apparet Tob: attamen vt apud Hebræos alias conſueta tranſmutatio, heic non negligatur.

Hæc autem verba omnia sequentem in modum explicantur, & significat Ab; Pater, Bebar,in Filio, & per Filium; Reschit; Principium, Schabat, quietem, finem, Bara, creauit, Rosch,caput,Esch,ignem,Seth fundamentum, Rab,Magni, Isch, Hominis, Ber,Fœdere, Tob, bono: Ex quibus sequens existit sententia. Pater in filio, & per filium, per principium,& finem siue quietem, creauit caput(cerebrum)hominis, ignem (cor fontem caloris & vitæ) & fundamentum (genitalia membra,quę sunt fundamentum generationis) magni hominis, (mundi, sic dicti ad differentiam hominis,qui&paruus mundus dicitur) fœdere bono (amicabili fœdere naturæ.) Et hoc toties nunc dicti Pici Mirandulani mysterium postmodum Iulius Camillus ad Nobilem quamdam Matronam, nomine Lucretiam, clanculum imitatus est, vbi ex nomine Lucretiæ, transmutatis literis, omnis generis Epitheta elicit.

Sin vero aliquot Nasutuli istud pro meris nugis, & ridiculis ineptijs habeant, tunc sciendum est, quod non dumtaxat apud Iudæos longo tempore vsitatum fuerit, (qui illud adhuc hodie Ziruph appellare solent) verum etiam, quod eodem D. Hieronymus, in sua ad Paulam epistola, & in præfatione super Commentarium Thren Ierem. eodem vsus fuerit, quo in loco quasi viam & instructionem ad artem, & scientiam istam præmonstrat, idq; breui aliqua explicatione vniuscuiusque in Alphabeto literæ, vtpote:

Aleph significat Doctrinam, Beth, Domum, Ghimel,Plenitudinem, Daleth, Tabularum, He,hanc, vel istam: Vau,& Zain,hanc Heth,vitam, Teth, bonum, Iod Principium, Caph, manum, Lamed, disciplinam, vel coruis,cordis:Mem,ex ipsis, Nun, sempiternum: Samech, adiutorium: Ain, fontem, & oculum, Pheros, os, Tzadi,iustitiam: Cuph, vocationem: Resch, caput: Scin, dentem: Thau, signa: Post illam declarationem adhuc vlterius VII. connexiones vel combinationes ponit, ex quibus omnis generis, magna mysteria producit.

Prima combinatio hæc est, nimirum Aleph, Beth, Ghimel, Daleth, Doctrina Domus, plenitudo, tabularum, quæ ita ab eo explicantur, doctrina Ecclesiæ, quæ est domus *Dei*, in librorum

rum diuinorum reperiatur plenitudine.

Secunda Connexio est ista, He, Vau, Zain, Heth, exquibus sequentem connectit sententiam: Quæ enim alia vita potest esse fine scientia scripturarum? per quam ipse etiam Christus agnoscitur, qui est vita credentium.

Tertia est, Teth, Iod, bonum principium, ad quæ ait, Quamuis non sciamus vniuersa, quæ scripta sunt, tamen ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, & nunc per speculum, & in ænigmate videmus. Cum autem meruerimus esse cum Christo, & similes Angelis fuerimus: tunc librorum doctrina cessabit, & tunc videbimus à facie ad faciem bonum principium, sicuti est.

Quarta, Connexio est Kaph, & Lamed, Manus disciplinæ, aut cordis, ad quæ sequentia addit: Manus intelliguntur in opere, cor & disciplina intelliguntur in sensu, quia nihil facere possumus, nisi prius, quæ facienda sunt, sciamus.

Quinta, Connexio complectitur Mem, Nun, & Samech, Ex ipsis sempiternum adiutorium: ad hæc ait: Quia ex Scripturis æterna subsidia ministrantur.

Sexta habet Hain, Phe, & Zaddi: Fons, oculis, oris, Iustitiæ quemadmodum etiam in quarta connexione indicatum est.

Septima, consistit in Caph, Resch, Schin, Thau: Vocatio capitis, dentium signa: Exinde ait, Per dentes articulata vox promitur, & in his signis ad caput omnium, qui est Christus, peruenitur ad Regnum sempiternum.

Et hic vniuersus Discursus non immerito omnibus Nasutulis, & sapientum Octauis ora obturare debebat, qui nasum suum super elementarem istam explicationem corrugare solent præsertim vero si quædam diuina nomina, & ipsum adeo Domini & Seruatoris nostri IESV Christi nomen eumdem in modum explicentur. Id si fiat, tunc clamitant, gesticulationem & superstitionem illud: & Christianis, auribus indignam esse: sapientiam suam, vice versa, ipso etiam Baldo monse altiorem æstumant, cogitationesque suas ipso Chrystallo monte puriores clarioresque esse censent, quasi non sanctiores, quam isti, homines eumdem interpretan-

di explicandique modum obseruassent. Perlubenter enim ex tali sapientum Octauo perciperem, quid ad ab ipso Deo promanantia exempla respondendum ipsi esset, præsertim dum Abrami nomen, additione vnius adhuc literæ, mutatur, vt vocaretur postmodum Abraam, & vxor eius Sarai postea appellaretur Sara, an, inquam, illud forte fortuna factum fiet, vel an non potius *Deus Ter Optumus Maxumus*, hacce nominum immutatione, non aliquid singulare significare & indicare voluerit? Idem quoque dici posset de nomine Benoni, ex quo Beniamin factum est: Item, de Iacobo, qui ab ipso Deo postea *Israel* vocatus est.

Sic & in Nouo Testamento, procul omni dubio, neutiquam frustra factum est, quod Christus ipse Petro nomen immutauerit, attamen, inquiunt, fatendum est, Somniæ & nominum istorum transmutationem istiusmodi à Iudæis deriuari. Verum quidem illud est, de eorumdem autem vsu & abusu neque heic dicam, multo minus vtrumque defendam. Illud tamen interea neutiquam incuriose negligendum est, quod de vero illius vsu diximus, adhæc modus iste interpretandi non solummodo apud Iudæos, verum etiam Græcos multis hinc ab annis in vsu fuit. Id quod nō dumtaxat, apud Platonem in Cratylo, sed etiam apud Æsopum Phrygium, quem ante bellum Troianum victitasse, & Lini Orphei Coætaneum fuisse, nonnulli existumant, videre est.

De illo legitur, quod aliquando, cum hero suo Xantho, vetustas quasdam murorum ruinas conspexerint, atque inter alia rudera & hinc inde collaphas relliquias vetustam quoq; marmoream columnam stantem reperetint, in quam quædam literæ incisæ fuerint, quibus significabatur non procul inde thesaurum aliquem latitare. Cum vero Xanthus literas istas minime intelligeret, etiamsi omnem adhibuisset diligentiam, Æsopum tamdem triplicem sermonem ex iisdem literis elicuisse.

Primus erat: Abscedens gradus quatuor, fodiens, inuenies thesaurum aureū. Id cum herus ipsius fecisset, thesaurum denique reperit, istumque solus sibi reseruare conabatur: quod tamen Æsopus minime permittebat, sed aliam literarum istarum explicationem hero suo obtrudebat,

debat, qua, ad diuidendum thesaurum, adhortabatur, nimirū: Tollentes ite, diuidite, quem inuenistis, thesaurum aureum. Quibus tamen Xantus minime adquiescebat, sed, vt antea, prædam inuentam sibi soli reseruare satagebat. Id animaduertens Æsopus thesaurum istum ad aliquē pertinere affirmabat, cui, ni redderetur illius particeps, id indicare cogeretur: Quocirca aliam ex iisdem literis confictam sententiam Xantho inculcabat, videlicet. Redde Regi Dionysio, quem inuenisti thesaurum aureum, quam sententiam ex vnius generis literis tum temporis eruit.

Pari modo etiam Græci, Isiodoro teste, priscis à temporibus V. literas mysticas Υ.Θ.Τ.Α. Ω. habuerunt, quarum prima humanam vitam significat, atq; omnium primo à Pytagora, eo intellectu, vsurpata fuit. Vnde non Virgilius, sed alius quidam Poeta vetustus, iuxta Lactantij lib. 6. cap. 3. opinionem, sequentes versus composuit:

Littera Pythagoræ, discrimine secta bicorni,
Humanæ vitæ speciem præferre videtur.

Altera, mortem denotat. Quocirca iudices eamdem penes illorum nomina, qui ad mortem condemnati fuerant, collocare solebant: quo alius quidam Poeta allusit:

O Multum, ante alias, infelix litera Thita.

Tertia, figuram crucis Christi continet, qua omneis conseruandi ad consolationem signātur, quemadmodū etiam Thau apud Hebræos eamdem significationem habuit: Vnde apud Prophetam Esekielem sequentia leguntur. Signa Thau in fronte gementium, & dolentium.

Relliquias duas Christus ipse sibi tribuit dum se Alpha, & Omega, Principium & finem nuncupat. Hanc ad litera etiam Iustinus, Philosophus & Martyr, in secunda sua Apologia ad Antoninum Pium, literam X. collocat, in qua, vti quidem ille memorat, mysterium S. Crucis Christi significetur: quem in finem Ethnicum etiam Philosophum Platonem, in Timæo suo, tamquam testem allegat, qui i- nibi filij De meminit, & inquit, Deum ipsum tamquam X. præposuisse.

Dilectæ breuitatis caussa ego heic omittam, quod Cicero literam

teram Apro fortunata atque salutari habeat, quoniam apud Romanos, & in eorumdem iudicijs, in signum absolutionis vtebatur. Vice versa C. infœlix ab eodem censebatur, quod illa penes condemnatorum nomina collocaretur. Et denique nisi literæ quandoq; occultam singularemque suam significationem haberet, tunc nescirem, inquit D. Hieronymus, quibus de caussis 7. Psal. Dauidis, Metropedia Samuelis, & Threnologiæ Ieremiæ in istum Alphabeticum Ordinem redactæ fuerint.

Quemadmodum autem illi ipsi, qui arte ista decenter vti, eamdemque decentibus in locis accomodare norunt, non culpandi, siue repræhendi sunt, ita quoque illos ipsos heic minime laudabo, qui in eadem nimium & quidem absque vlla necessitate, excellere & gloriari conantur. Equidem inficias ire nemo poterit curiosum aliquem Thrasonem omnis generis deliria, inconuentias, atque etiam hæreses excitare posse, quemadmodum etiam Ophitæ, Gnostici, & Valentiniani, captata exinde occasione, & ex informatione istiusmodi Græcæ Cabalæ, (veluti Irenæus & Epiphanius contra Hæreses testantur,) omnia Christianæ fidei mysteria peruerterunt. Illa siquidem, ex hæretica prauitate & malitia, literis & numeris in arctum cogere, atque adeo affirmare voluerunt, sine illius artis adminiculo ad veritatem & agnitionem Euangelij, peruenire posse neminem.

Altera istiusmodi Elementaris expositionis species (quæ Sephirod dicitur, priores siquidem Semod appellantur) in consideratione numerorū consistit, qui tam literis, quam Syllabis indicantur. Qui modus, quemadmodum nobis pene omnino est incognitus: ita apud Græcos & Iudæos nimium cōmunis est, quippe apud quos quælibet litera singularem suum numerum significat. Exempli gratia, apud Iudæos Aleph significat vnum: Beth, duo: Ghimel, tria: Daleth, quatuor, & subsequenter.

Similiter etiam apud Græcos significat Alpha, vnum: Bita, duo: Gamma, tria: & subsequenter: ita apud Latinos nullo modo numerando proceditur: Septem enim dumtaxat literas numerales illi habent, qui numerum aliquem denotant; vtpote I. significat vnum: V. quinq; X. de-

decem: L. quinquaginta: C. centum: D. Quingenta: & M. mille. Quocirca etiam Latini modum illum aut omnino reijciunt, vel tamē ad minimum non ita magni æstumant, quod priores isti numeri suis neutiquam correspondeant.

Quod vero apud Iudæos, & Græcos valde vsitati fuerint, id in vulgaribus quibusdam vtriusque gentis expositionibus videre est. Exempli gratia: Appion Grammaticus, Alexandrinus, quem Tiberius Augustus mundi Cimbalum appellat, mox primum verbum Iliadis Homeri, cum μη inchoat, idque Homerum non absque singulari arte & consideratione fecisse asseuerat, vtpote, qui eo ipso significare voluerit, quot videlic. libros de illa scripturus esset, nimirum XLIV. quemadmodum etiam Ilias & Odyssea coniunctim talem numerum adsequutæ sunt, & à Græcis cum μ & η signantur, vnde etiam Philo, in Hexamero & explicatione Decalogi, ait, ꝙ in nomine *Dei* Iehoua, quemadmodum Hebraicis literis scribitur, tres numeri comprahensi fient, vtpote X. in litera Iod. VI. in Vau: & in duobus He bis V. ex quibus postea talem facit significationem, nempe quod per X. quod omnium numerorum est compendium, plenitudo omnis scientiæ & sapientiæ significetur, per VI. autem perfectio rerum omnium.

Sic Beda etiam aliquot mysteria ex nomine Iesu lib. primo Comment. Luc. quæ in numeris consistunt, profert, dum, inter alia, sic ait: Huius sacrosancti nominis Iesu non tantum Etymologia, sed & ipse, qui literis comprehenditur, numerus perpetuæ salutis nostrę mysteria redolet. Petrus Brutus Episcopus Cataranus exium exemplum in Tractatu suo contra Iudæos, in explicatione Vaticinij de Messia, quod Esaiæ IV. describitur, hisce cum verbis indicat, dum ait: multiplicabitur imperium eius, vbi inquirit, quur videlic. Litera M. quæ media est in vocabulo Lamarbe, quod significat *Multiplicabitur*, contra omnem Iudæorum cōsuetudinem, conclusa fiet, quum tamen alias omnibus in locis, intra ipsa verba pateat? Ad quę respondet iuxta opinionem Rabbi Hammai, in libro Senadrin, Esaiam, per cōclusam istam literam, singularem artificiosumq; aliquē numerandi modū indicare, vel vsurpare voluisse, in quo anni numerus, à suo tempore, vsque ad

ad Messiæ in carne aduentum, compræhenderetur: quem etiam numerum commemoratus iste Rabbi Hammai, allegato isto in loco, explicat, & ait: Si quis tempus Messiæ scire desideret, is sumat numerum literæ Thau, quæ CCCC. efficit, & sumat quoque postea omneis literarum numeros ab Aleph, vsque ad conclusam Mem, qui coniunctim CLXXXV. constituunt. Illum numerum addat, XL. & tunc DLXXXV. depræhendet, qui anni numerus esse debet, iuxta proprium Iudæorum calculum, à tempore Ieremiæ, veluti dictum, vsq; ad partum salutiferum Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi. Vbi tamen notandum, quod, vti supra etiam facta mentio, Aleph, vnum: Beth, duo: Ghimel, tria, Daleth, quatuor: He, quinque, Thau, sex: Zain, septem: Chet, octo: Thet, nouem: Iod, decem: Kaph, viginti: Lamad, triginta: Mem, si aperta fiet, quadraginta vnum, & clausa, quadraginta, Thau vero quadringenta in numeris significet. Idem quoq; facit Augustinus Tractat X. super Iohannem, in explicatione verborum Christi, dum, inter alia, ita inquit: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc: vbi sequentem explicationē facit, quod numerus XLVI. annorum, in quibus templum exædificatum fuit, indicium corporalis sui templi fuerit, ꝙ sibi ipsi ex Adami carne extruxisset. Quemadmodum enim, in nomine Adam, numerus Græcarum literarum XLVI. efficit, (Alpha siquidem denotat vnum: Delta, quatuor: alterum Alpha, iterum vnum, & Ml, quadraginta, quæ coniunctim XLVI constituunt) ita etiam templi sui corpus, intra XLVI. dierum spacium, in vtero materno omnino perfectum est.

Et hic explicandi modus non adeo in vniuersum improbandus vel reijciendus est; idq; ob quædam SS. Scripturæ sententias, quæ absque istorum numerorum consideratione nō adeo facile intelliguntur: Inter quas illa, quæ Apoc. Ioan. cap. 13. legitur, certe non est minima: vbi Spiritus S. de Antichristo, loquitur, & numerum istius literarum diligenter numerari mādat, dum sic inquit: Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ, numerus enim hominis est, & numeri eius sexcenti sexaginta sex. Quo Spiritus S. innuere vult, quod nomen bestiæ, Antichristi istas literas

teras numerales in se comprehendetur, quæ Sexcenta Sexaginta sex efficiant. Vnde etiam quidam Patres, magis ad exercitium, quam sui assecurationem, & quod forsitan certi aliquid inde determinare & concludere velint, quædam nomina excogitarunt, in quibus isti numeri reperiuntur. Irenæus & Hippolytus ipsi nomen *Teitan*, hoc est, *Gigas*, tribuunt, ex quo nomine sequentem numerum constituant.

T	CCC.
E	V.
I	X.
T	CCC.
A	I.
N	L. quæ coniunctim DCLXVI. efficiunt

Aretás ipsi nomen ΛΑΤΕΙΝΟΣ dedit, cuius literæ numerales sequentes sunt:

Λ	XXX.
Α	I.
Τ	CCC.
Ε	V.
Ι	X.
Ν	L.
Ο	LXX.
Σ	CC. quæ itidem DCLXVI. faciunt.

Ticonius tribuit ipsi nomen ΛΑΜΠΕΤΙΣ, hoc est, Illustris ex quo etiam eumdem numerum elicit.

Λ	XXX.
Α	I.
Μ	XL.
Π	LXXX.
Ε	V.
Τ	CCC.
Ι	X.
Σ	CC, cuius summa etiam DCLXVI. efficit.

Primaſius nominat illum ANTEMOΣ, cuius numerales literæ ſunt ſequentes:

A	I.
N	L.
T	CCC.
E	V.
M	XL.
O	LXX.
Σ	CC.

quæ quoq; DCLXVI. conſtituunt.

Idipſum quoque Mirandulanus cumprimis obſeruauit, quod nimirum Romano-Catholici, Doctores, tam in bona, quam etiã in mala parte, numeris multum tribuerint. Vnde quoque Hilarius, in Commentario ſuo ſuper Pſalmorum librum (poſtquam, aliquando interrogatus fuiſſet, cur tamen Pſalmi non iuxta ordinem Hiſtoricum collocati fuerint, ſed ſæpenumero vnus, qui poſtea demum factus ſiet, hunc tamen ordine præcedat, qui tamen longe antea fuerit habitus,) hæc tamdem verba ponit.

Non eſt autem ignorandum, inquit, indiſcretum eſſe apud Hebræos numerum Pſalmorũ, & ſine ordinis annotatione eſſe conſcriptos. Non enim illic primus, aut ſecundus, aut tertius, aut quinquageſimus, aut Centeſimus prænotatur, ſed ſine præſcriptione aliqua ordinis in vnum permixti ſunt. Eſdras enim vt antiquæ ferunt Traditiones, incompoſitos eos, &, pro Auctorum, & temporum diuerſitate, diſperſos, in volumen vnũ collegit, & retulit; Sed Septuaginta Seniores, ſecundum Moyſis traditionem, ad cuſtodiam, Legis & Doctrinæ in Synagoga manentes: Poſteaquam illis à Rege Ptolomæo transferendæ ex Hebræo in Græcum ſermonem totius Legis cura mandata eſt, ſpirituali & Cœleſti ſapientia virtutes Pſalmorum intelligentes, in numerum eos atque ordinem redegerunt, ſingulis, quibuſque numeris, pro efficientia ſua & abſolutione perfectis, perfectorum & efficientium Pſalmorum ordinem deputantes.

Sic & D. Hieronymus, quod videlicet XX. infelix ſiet numerus,

rus, asseuerat. Nam Iacob XX. ann. integros seruire necessum habuit, & Ioseph XX. anno est venditus. Vice versa laudat numerum Denarium, atque, de eiusdem bonitate & encomio sese sæpenumero alibi egisse, asseuerat.

Cum binario autem non per omnia cōtentus est, & ait, quod eadem de caussa Moyses, in Secundo creationis opere, sequentia verba non addat: Et vidit *Deus* quoniam bonum. Vnde etiam concludit, quod exinde quoque numerus binarius non bonus esse possit, assumpto argumento contra secundum matrimonium ineuntes, prætendendo, quod illa ipsa de caussa impura animalia, solummodo vno pari in Noe Archan permissa fuerint, cum, vice versa, pura septemplici pari introiuerint.

Pari modo quoq; Rabanus, celebris quidam Romano-Catholicæ Doctor, de numerorum vi & efficacia, singularem librū conscripsit, id quod Picus ille Mirandulanus, in Apologia & defensione sua, probe obseruauit. Etiamsi vero apud omneis & singulos pene communis vsitataque fiet opinio, quod numeri in se ipsis quidem nullam vim efficaciamque habeant, negari tamen minime poterit, quod sub istis, magna & profunda, quandoque lateant mysteria.

Præterea & hoc quoq; probe notandum est, quod in priori & prima Elementari explicatione non dumtaxat Characteres, aut figuræ literarum, sed etiam Lineæ & puncta, quæ in SS. Scriptura reperiuntur, arcanas suas significationes habeant: quæ Lineæ & puncta à priscis istis temporibus vsitata fuere, præsertim apud Græcos, qui Vetus Testamentum explicarunt: quæ expositio tam Characterū, quam Linearum & punctorum *Expositio Notariaca*, appellatur. Quocirca paulo infra exempla adponam, quæ ex Epiphanio, Hieronymo, Stratonico, Suida, & Isiodoro à me collecta sunt. Omneis autem sequentes expositiones, quæ per notas fiunt, vel in Notis literatis, vel illiteratis consistunt, vtriusque figuræ vero sunt, quas nunc ordine ponimus.

NOTÆ LITTERATÆ

I. A. Apile.
II. Γ. Gehennon.
III. Δ. Diaulos.
IV. E. Ecclisis.
V. Z. Zitima.
VI. M. Mellon.
VII. X. Xenion.
VIII. ϒ. Vranion.
IX. Π. Pneuma.
X. T. Tropos.
XI. Υy. Ipsilon Hypogramenon.
XII. Υ. Ipsilon.
XIII. X. Character.
XIV. XX. Character diplos.
XV. --- Segor.
XVI. --- Petach.

NOTÆ ILLITERATÆ SVNT

I. Stauron.
II. Ancyra.
III. Ancyranos.
IV. Asteriscus.
V. Obelus.
VI. Metobellus.
VII. Ceraunion.
VIII. Obelos Anostigmenon.
IX. Limniscus.
X. Subliniscus.
XI. Antigraphus.
XII. Antisima.

XIII. Cry-

XIII. Crypha.
XIV. Dipla.
XV. Dipla Periſtigme.
XVI. Scilus Nechudor.

Inter Notas litteratas prima eſt A. Apile, hoc eſt, minatio, & plerumque penes Prophetarum vaticinia ponitur, quæ talē pœnam minantur, quæ per temporalem pœnitentiam iterum auerti poteſt: quemadmodum illa, quam Propheta Ionas Niniuitis denunciauerat, quod nimirum ciuitas poſt XL. dies deſtrui deberet.

Secunda, Γ. Gehennon, inter illos, Veteris Teſtamenti, Locos collocatur, qui de inferni cruciatu aliquo modo obſcure loquuntur, vti apud Prophetam Eſaiam videre eſt, dum ſic inquit: Pręparata eſt ab heri Tophet à Rege: nutrimenta eius ignis, & ligna multa: Flatus Domini, ſicut torrens ſulphuris, ſuccendens eam.

Tertia, Δ. Diaulos ante illa dicta ponitur, quæ à Diabolo debent intelligi, h. e. vt Cacodæmon ille iſta loquatur, vtpote Geneſ. 3. Dixit autem ſerpens ad mulierem: *Nequaquam morte moriemini.*

Quarta, E. Ecclifis vel Euocatio, indicium eſt, quod illud dictum, de vocatione Gentium, aut de Chriſti Eccleſia, intelligendum ſiet, quam videlicet ſibi in Nouo Teſtamento collecturus eſſet, veluti apud Prophetam Eſaiam, Surge, illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt: & ambulabunt Gentes in lumine tuo.

Quinta, Z. Zitima, obſcuram minimeque comprehenſibilem, intelligibilemq; ſententiam denotat, quemadmodum dictum S. Pauli ad Rom. cap. 9. Cum nondum nati eſſent, neque aliquid boni, aut mali egiſſent, (vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret) non ex operib. ſed ex vocante dictum eſt ei, quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt; Iacob dilexi Eſau autem odio habui. Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud *Deum*? Abſit.

Sexta, M. Mellon futurum dicitur, & illis dictis præponitur, quæ quidem in præſenti loqui videntur, & nihilominus tamen de futuro intelligēda ſunt: Sidnificāt autem præſcientiam

Dei rerum futurarum, vti apud Prophetam, Esaiam videre est, dum ait: Ecce, ego creo Cœlum nouum, & terram nouam.

Septima, X. Xenion, munus, indicat, quod illa dicta de eximijs muneribus & promissionibus intelligenda fient, quemadmodum *Deus Ter Optumus Maxumus* sæpissime populo Israelitico pollicitatus est, iuxta Prophetam Esaiam dicentem: Si audiueritis vocem meam, bona terra comedetis.

Octaua, ʊ. Vranion, ijs dictis præponitur, quæ de æternæ vitæ gaudio atque exultatione loquuntur: vtpote ab initio LXXXIV Psalmi: Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini, &c.

Nona, Π. Pneuma dicitur, innuitque, sententiam non iuxta literam vel carnaliter, sed spiritualiter, intelligendam esse: veluti in Cantico Canticorum Salomonis cap. 2. Surge, propera amica mea, speciosa mea, & veni columba mea, in foraminibus Petræ.

Decima, T. Tropos, etiam est indicium, quod dictum non secundum literam intelligendũ, sed peculiaris id loquendi modus fiet, quemadmodum in Ps. 16. dicitur: Funes ceciderunt mihi in præclaris: idem est, quasi dicat: Optuma & inlustris mihi sors contigit.

Vndecima, Ty. Ipsilon Hypogrammenon, pro istiusmodi ponitur sententijs, quæ Legem Veterem, iuxta externum obsequium, reijciunt: vtpote dum Propheta, vel multo potius *Deus* ipse per Prophetam ait: Non offeratis mihi sacrificium frustra; incensum abominatio est mihi.

Duodecima, ϒ. Ipsilon, dictum de reiectione Iudæorum loqui indicat, veluti Esa. 5. legitur: Ostendam vobis, quid faciam vineæ meæ, auferam sepem eius, & erit in direptionem.

Decima tertia, X. Character, elegantem id & Auctori communem familiaremque sermonem esse ostendit: quemadmodum, iuxta Diogenis Laertij testimonium, Platonici Magistri sui libros distinguebant, elegantissimosq; eiusdem sermones & loquutiones, ita consignabant, stratonicus prætendit, illudipsum à quibusdam in Gregorij Nazianzeni scriptis factum esse.

Decima quarta, XX. Character Diplos, in operibus Platonis etiam vsitatus erat, veluti ante dictus Diogenes Laertius

itidem

itidem contendit, quando videlic. singulares ipsius opiniones & dogmata indicare volebant. Item à Gregorio Nazianzeno & Basilio in explicandis scriptis Origenis, vsu receptum fuit, si singularia illius dogmata, in quibus aliter docebat, quam cæteri Patres pro tempore docuerant, indicare voluerunt.

Decima quinta, Segor, In Hebraico Textu ideo interseritur, quod sequens sententia ad priorem adhuc pertineat.

Decima sexta, Petach, itidem in Hebraico Textu vsurpatur, eoque innuitur, quod dictum subsequens, alterius fiet argumenti, quam præcedens illud fuerit.

Ad *Notas illiteratas*, quod attinet, illæ, ceu priores litteratæ, etiam peculiares suas significationes habent.

Prima, Stauron, Veteris Testamenti dictis præponitur, quæ aliquid de Christo vaticinantur, veluti Psalm. 22. Foderunt manus meas, & pedes meos.

Secunda, Ancyra, ijs testimonijs anteponitur, quæ Noui Testamenti mentionem faciunt, quemadmodum Ieremiæ 3. legitur: Ecce dies veniunt, dicit Dñs, & feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum.

Tertia, Ancyranos, elegantissimis & admodum memorabilibus dictis adponitur, idq; tam in textu, quam in Commentarijs, quemadmodum etiam Iurisconsulti in scriptis suis aliquã manum, exerto cum digito, istiusmodi dictis solent adpingere.

Quarta, Asteriscus vel Asterismus, ad SS. Scripturæ sententias collocatur, quæ ab alijs prioribus Interpretibus omissæ, & postmodum restitutæ fuerunt: veluti in translatione D. Hieronymi in Propheta Osea talis Asterismus apud sequens dictum videre est: Ex Ægypto vocaui filium meum, quam LXX. interpretes omiserunt. In operibus Platonis vero ipsius signo hocce vtebatur quando cœleste, q. dogma quoddam adprobare, conarentur.

Quinta, Obelus, ijs SS. Scripturis dictis anteponitur, quæ sæpe repetuntur, vel etiam illis sententijs, quæ non propriæ eo pertinere videntur, & de quarum auctoritate aliquo modo dubitatur, veluti D. Hieronym. in libro Danielis istiusmodi signum Historiæ Susannæ & Belis præponit, quæ duo in Hebraico Textu non reperiuntur. Et meminit Epiphanius Origenem, primum fuisse, qui eum in finem

nem Asteriscum vel Obelum vsurpauerit.

Sexta, Metrobelus, post illas sententias plerumque mox ponitur, quæ obelo signatæ vel perforatæ fuerunt, ex quibus colligere est, quam late nimirum suspecta verba sese extendant, veluti in Psalmo: Deus L. respice in me, quare me dereliquisti: vbi innuitur verba, respice in me, inter Obelum & Metobelum sita, esse superflua.

Septima, Ceraunion, vsurpatur, quando quidam versus in textu quasi reijci debent, ne cuilibet Obelus anteponatur, quibus signis etiam Origeines Historiam Susannæ consignauit, simulq; Belis apud Prophetam Danielem, idque ad rejectionis indicium.

Octaua, Obelus Anostigmenos, ad illa dicta vel verba ponitur de quibus dubitatur, an ita relinquenda, aut omnino remouenda sient: vtpote apud Euangelistam Lucam cap. 3. vbi familiam Cainan inter Arphaxatis & Sale familiam ponit, vbi si XV. Tribus vel familiæ, ab Adamo vsque ad Heber, numerentur, verisimile tunc alicui videtur, quasi dicta ista familia Cainan non proprie eo pertineat, ideoque etiam istiusmodi signo notata est: siquidem in Genesi capite X. & vndecimo, & cap. I. lib. Paralip. vbi familiarum istarum Catalogus ordine recensetur, dumtaxat XV. trib. reperiuntur, nullibi autem familiæ Cainan facta mentio.

Nona, Limniscus ijs sententijs anteponitur, quæ ab interpretibus quidem vno eodemq; sub intellectu, non tamen ijsdem verbis exponuntur atque explicantur.

Decima, Sublimiscus, illis dictis præponitur, quæ quidem alias inæquali modo significata, attamen à duobus vel tribus interpretibus vnicum in modum ijsdemque verbis explicantur.

Vndecima, Antigraphus, indicat, quod vel in translationibus aut in interpretationibus aliqua differentia vel aliquantulum ab Hebraico Textu recessum fuerit Exempli gratia, dum in Genesi apud historiam Iosephi legitur: Et Ioseph accusauit fratres suos apud Patrem de crimine pessimo, q̃ sententiam Aquila aliter, & cõtra Hebraicũ textum hunc in modum interpretatus est: Accusauerant Ioseph fratres sui apud Patrem de crimine pessimo cum tamen ex textu notum manifestumque fiet Iosephum fratres

tres

tres ſuos apud patrem ſuum accuſare.

Duodecima, Antiſima, ijs ſententijs præponitur, quæ aliter in ordine collocatæ eſſe debent, veluti colligere eſt in Græca editione Euangelij Matthæi, quo Chryſoſtom. vſus eſt, vbi Matt. 5. beatitudo triſtium, beatitudini manſuetorum præponitur: quæ ideo tali ſigno notata ſunt, vt Lector, duos hoſce verſiculos eſſe tranſpoſitos, admoneatur.

Decima Tertia, Gryphia, pro iſtiuſmodi dictis ponitur, quæ adeo obſcura ſunt, vt fere intelligi nequeant, veluti in iſto dicto Pauli, *O altitudo*, &c. vbi quæſtionem de electione Gentium, & reprobatione ſiue reiectione Iudæorum inexplicatam relinquit.

Decima Quarta, Dipla, in Eccleſiaſticorum Doctorum ſcriptis atque libris apud iſtas ſententias & verba vſurpata fuit, q̃ ex SS. Scriptura illi allegarunt. Hodierno tamen tempore non amplius vſitata eſt, cum loci expreſſe nominentur, & verba plerumque inter duas haſce virgulas ( ) compræhendantur.

Decima Quinta, Dipla Periſtigme, ab Eccleſiaſticis Doctorib. etiam ijs in locis vſurpatur, vbi Interpretes de Hebraico Textu aliquid vel remouerunt vel addiderunt.

Decima Sexta & vltima, Scilus Nechudoth dicta, tum à Cabaliſtis vſurpatur, quando videlic. iſtiuſmodi verbum nacti ſunt, cuius quælibet litera peculiare aliquod verbum ſignificare debeat, quemadmodum in dicto Pſalmi. Multi inſurgunt aduerſum me, vbi in Hebraico Rabim legitur, cuius ſingulæ literæ ſingulare etiam aliquod, verbum ſignificant: inibi quoque illi ipſi inſurgentes nominantur.

Iuxta explicatas iſtas Notas, adhuc alij quoque Characteres inueniuntur, quibus 7. Veteris Teſtamenti translationes deſignantur: vtpote Ob translationem 72. Interpretum denotat: cuius loco tamen Latini numerales literas vſurpant, & 70. ponũt atq; ne numerus excreſcat, II. omittunt. AK. translationem Aquilæ ſignificat, Σ. translationem Simmachi: Θ. translationẽ Theodotionis ε. quintam Græcam editionem, quam Origenes in Hierichunte vrbe quadã Paleſtinæ reperit: ς. ſextam editionem innuit, quę in dolio quodã prope Nicopolin in littore reperta eſt: A. ſeptimam editionem ſignificat, cuius Auctor,

Lucianus Martyr. exſtitit. Et hoc modo Diſcurſui iſti Cabaliſtico finem tamdem impoſiturus ſum.

IN DISCVRSVM XXVI.

ANNOTATIVNCVLA.

THomas Eraſtus, in diſputationibus ſuis contra Neo-Medicinam Philippi Paracelſi, Cabaliſtis ſummopere aduerſatur.

Similiter & Petrus Garſia Epiſcopus Vſtellenſis, in quodam ſcripto contra Iohannem Picum Mirandulanum, qui Phœnix dictus fuit. Sic Cœlius Calcagninus, in epiſtola quadam ad Thomã Calcagninum, Nepotem ſuum, etiam Cabaliſtarum mentionem facit.

INDEX

RERVM, VERBORVM ET MAteriarum, quæ hoc opere continentur, maxime memorabiliter.

qua

Theo-

FINIS.

LAPIAZÆ VNI-
VERSALIS SIVE THEA-
TRI VITÆ HVMANIÆ

LIBER SECVNDVS.

CONTINENS OMNIVM ET SINGV-
larum profeſsionum, artium liberalium, & illiberali-
um vniuerſarumque rerum, ad communem vitæ
humanæ vſum & ſuſtentationem per-
quam neceſſariorum,

*DOCTRINAM VNIVERSALEM POLI-
ticam & Diſcurſus varios,*

IN QVO SINGVLARVM RERVM, IVVENTORES,
Auctores Omnia eorumdem requiſita, occurrentes errores, correctiones,
& breues ſingulis diſcurſibus ſubiunctæ annotationes, vna cum
Marginalibus vtiliſſimis ordine
recenſentur:

A

DOMINO THOMA GARZONIO
collecti & nunc opera


MICHAELIS CASP. LVNDORPII
Hiſtoriographi cum indice editi

*CVM GRATIA ET PRIVILEGIO
S. Caſ. Maieſt. ad decennium*

FRANCOFVRTI,

Impenſis Iohanni Theobaldi Schönvvetteri

An. M. DC. XXIII.



EMPORII EMPORIORVM SIVE DOCTRINÆ VNIVERSALIS omnium artium & Disciplinarum.

DISCVRSVS I.

DE CORRECTORIBVS.



Orrectorum, Censorumque, Professio nimis late, sese extendit: quocirca etiam de eadem copiose tractaturo, magnam creatura esset molestiam. Nos itaq; de ijs dumtaxat verba heic facturi sumus, qui defectu scatentes loquutiones & scripta apud Auctores corrigere conãtur. Et primo quidem cum Ortographia ipsis litigandum est. Non enim solummodo vulgari alicui Scribæ, verum etiam Clarissimo cuidam Doctori facilime vsu venire potest, vt vel in litteris, aut punctis, in transpositione literarum, verborum, aut ipsa etiam loquutione, errorem aliquem committere possit quo facto, ibi tum Correctorum istorum labor suum sortitur initium: etiamsi alias ipsis in materijs, subiectis, fundamentis siue rationibus, motiuis, exemplis, metaphoris, alijsque figuris, & deniq; in Compositionib. sufficientissime ipsis corrigendum & censendum esset. Nimis autem oratio nostra excresceret, si de singulis heic loqui velimus, qui labor singularẽ etiam librũ hoc in loco requireret. Ad vitiosas itaque loquutiones quod attinet, ibi ante omnia obseruare solent Barbarismum Solæcismum, Acyrologiam, Cacophoniam, Pleonasmum, Perissologiam, Synonimiam, Macrolo-

 giam,

giam, Tautologiam, Ecclipsin, Tapinosin, Cacozelon, Cacosyntheton, Amphibologiam, &c. præsertim in Prosa oratione vbi loquutio non ita coarctari potest, quemadmodum Poeta aliquis in fingendis versibus facere necessum habet eapropter etiam ipsis eo minus vitio vertitur.

Diligens itaque Corrector ad enormes crassosque commissos istiusmodi Barbarismos neutiquam tacere debet, quasi pro singulari ornamento isti habēdi fient, quemadmodum Teuca Placentinus ille apud Quintilianum, qua de caussa Hortensius illum corrigere, eidemque obijcere necesſū habuit, quod precula, pro pergula, (quamuis vno in calore &, pro more suo, lingua celeri,) effutijsset. Est autem Ba barismus nihil aliud, q̃ inuersio aut verborum, vel literarum, aut pronunciationis, vel syllabæ, dum quandoque quædam syllaba producitur, quę tamen contrahi debebatur. Equidem, Quintiliano teste, reperiuntur Nonnulli, qui non maxumopere laborant, vt videlicet exempla apud Poetas inquirāt, sed, vt viri Doctiores, quā sunt, habeantur, in auctorem aliquē inuehere non erubescunt, anequam ipsum legerint & intellexerint.

Hodierno tamen, tempore tot tantique Magistelli reperiuntur, qui omnia, quæ etiā tam in latina, quam alijs linguis scribuntur, carpere solent. Et quemadmodum olim Catullus vnum cognomento Arrium, H, nulla exigente necessitate, superflue vsurpantem sequentibus in versibus:

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
Dicere & hinsidias, Arrius insidias:
Credo sic mater, sic liber, auunculus eius.
Sic maternus auus dixerat, atque auia.

Lepide irrisit, ita hodierno quoque nostro seculo quidam contra hunc, vel illum, scriptorem Critica sua diuolgant, cui tamē calceorum corrigiamenta soluere haud potis sunt: quocirca etiam Papyrum frustra contaminant, atque vana iactantia consistit.

Solœcismus tam in legendo, quam loquendo committitur. In legendo: si quid ita legitur, vt distinctiones non obseruentur,

vel clausulæ confundantur. In loquendo autem, quando verba aut mutilantur, aut nullo ordine, neq; recta in constructione, iuxta regulas illius regulæ, qua eloqui debebant, ponuntur. Isiodorus Solœcismum vitiosam verborum coniunctionem vocat: Quinctilianus ait: Solœcismi vitium nõ est in sensu, sed in complexu, vtpote si quis sequentem Petrarchæ versiculum ita corrigat, dum ait:

Per far vna leggiadra sua vendetta:

qui tamen ita transponitur:

Per far vna vendetta sua legiadra.

Acyrolo-

Acyrologiam aliquis committit, si impropriè de re quadã loquatur, ipsique aliquid tribuit, quod tamen minime habet, neque etiam habere potest: vtpote si quis præcipitanter dicat: Hisce meis oculis illud audiui, cum tamen auribus audiatur, & oculis, econtra, videatur. Poetis quidem id aliquando permittitur, quorum versibus singularem id addit gratiam: Si verò Orator aliquis eadem licentia Poetica gaudere, & eadem via incedere velit, non immerito is ab omnibus haberetur, ludibrio, & omnium exponeretur risui. Virgilio non exiguum sane ornamentum adfert, dum ait:

Ostia iamque domus patuere ingentia centum
Sponte suam, vatisque ferunt responsa per auras.

In quibus versibus portis proprium motum, & indicium Sybillini responsi adtribuit, tamquam vita & lingua fruerentur vterentur. Pari modo ait etiam Dantes:

Et quella a cui il Sauio bagna il fianco.

Vbi de vrbe Cesena loquitur, quam Sauius fluuius alluit, & exprimit, quasi ipsi lauet latera. Et id genus exempla apud Poetas multa reperire licet, qui non dumtaxat in Romana, verum etiam alijs linguis ea de re scripserunt.

Per Cacophoniam inhumanitas subintelligitur, quæ exinde oritur, si duo verba inter seinuicem sequuntur, in quo secundum eadem syllaba inchoatur, qua primum finitum est: cuius rei exemplum legitur apud Virg. lib. 3. Æneid. *Cacophonia.*

Tres adeo incertos cæca caligine Soles

Erramus pelago: totidem sine side-
re noctes.

& alio in loco, Dorica castra, quod sane inconcinnum satis, si videlicet duobus in locis duæ syllabæ CA, CA, CA, CAS. sibi inuicem succedant.

Pleonasmi. Similiter & Pleonasmus Correctorum Censorumq; ferulam minime effugit, qui committitur si non necessarium aliquod vocabulum loquutioni, alicui addatur: vtpote si quis dicat: illum hisce meis manibus tetigi, & meis hisce oculis vidi, hisce meis pedibus illic præterij: veluti apud Petrarcham, videre est:

Onde ben che tal, hor doler mi so-
glia.
Com' huom ch' e offeso, quel che
con questi occhi
Vidi m' e in un fren che mai non
si d' scioglia.

Perissologia. Huic alius persimilis ferme error est, Perissologia dicitur, videlic. si superflua quædam verba loquutioni alicui adponantur, quæ tamen idem illi significāt, quod antea dictum fuit. Exempli gratia, si quis dicat: *Viuat Rex, & non moriatur*, vbi hoc postremum omnino est superfluum; Nam, non mori, nihil certo est amplius, quam viuere: & viuere, nihil aliud quam non mori. Petrarcha eo dicendi genere haud infacete vtitur in hoc versiculo:

Mone si il vecchiarel canuto &
bianco.

Vbi sane canus & sapiens vnum idemque significat, attamen in eiusdem Petrarchæ versib. haud inconcinne coniunguntur: quēadmodum etiam sequentibus in versibus:

Dolci ire, dolci sdegni, dolci paci:
Lieti fiori, feli i & bennat. herbe.

Vbi ire & Sdegni, ira & Indignatio: Leti fiori, & felici herbi, suaues flores, & bene natæ herbæ vnum idemque quidem significant, suauissime tamen aptissimeque heic simul coniunguntur.

Sic etiam Synonymia pro vitio æstumatur, quamuis sæpenumero non dumtaxat orationi ornamentum, verum etiam quandoque necessitatem adferat: fit autem id si ad rem vnam multa verba vsurpata fuerint, q̄ tamen illud ipsum significauerant. Exempli gratia, si quis aliquem laudare velit, ac dicat: humanus & ciuilis est: vel, mitis, & liberalis est: aut si aliquem culpare *Synonymia.*

pare

pare velit, ac dicat rudis & ineptus est, auarus & tenax est, & quæ id genus sunt alia. Quidam stultis ipsis stultiores, ciuiliores cæteris, qui videntur esse vnum aliqd in vna alterum vero in alia quadam lingua efferunt, vt etiam cæteris constet ipsos etiam cęteris constet ipsos etiam peregrinarum linguarum haud expertes esse.

Sæpenumero reperiuntur etiam homines, qui in loquendo tam sunt copiosi & multiloqui, vt etiam in descriptione leporis pluribus vtantur verbis, quam pilos in cauda habeat, & si quid ipsis definiendum est, tunc definitionis finem inuenire nesciunt. Hi nominantur Macralogi, vel Garruli, à quib. etiam ipsum vitium Macrologia appellatur. Apud Poetas illud nec infrequens, nec adeo inconcinnum est, veluti in Virgil. conspicitur, dum inquit:

Macrolo-

Postera vix summo spargebat lumine montes

Orta dies, cumprimum alto segurgite tollunt

Solis equi, Lucemque elatis naribus efflant.

Simili modo & in Petrarcha, sic dicente:

Gia flammegiaua l' amerosa stella,

Per l' Oriente, & quella che Giunone

Suol far gelosa, nel Settentrione,

Ruotaua i raggi suos Lucente e bella.

Vbi ambo Poetæ tam multis verbis & circumstantijs nihil sane aliud describere voluerunt, quam Orientem lucem, vbi tamen simul indicant, quam amabile & suaue videlic. tempus illud fiet. Vice versa si aliquis Orator istiusmodi circumstantijs rerum verborumq; copiam suam ita demonstrare vellet, tunc sane illud pro mera garrulitate & loquacitate censeretur.

Huc etiam Tautologia pertinet, quæ in hoc à Synonymia separanda est, quod, etiamsi Synonyma vnum idemque significent, nihilominus in loquutione pro se ipsis consistant: & vna res semel, bis, terque repetitur: quasi quis dicat: Ego ipsus ipse vidi: cuius vitij etiam Virg. sequentibus in versib. arguitur, dum canit: *Tautologia.*

Quem si fata virum seruant, si vescitur aura

Æthera, nec adhuc crudelibus occupat vmbris.

Quibus circumſtantijs omnibus dumtaxat innuere vult, ſi Æneas adhuc in viuis eſſet: id quod cõmemoratis iſtis in verſib. tertia vice, diſtinctis tamen verbis, repetijt.

Ecclipſes. Minime etiam laudatur ſi aliquid in ſermone deficiat & cũprimis ſi verbum Principale nõ exprimatur, id quod Ecclipſis dicitur, id quod Petrarchæ ſequentibus in verſibus vitio vertitur, dum ait:

Qu' ſt humil fiera, un cuor di Tigre, o d' Orſa
Ch' in viſta humana e in forma d' Angel viene.

Vbi de ardelione vel adulatore loquitur, qui ſane magnam humilitatem, adeoque Angelicam prorſus ſpeciem extrinſecus prę ſe ferebat, attamen cor Tigridis vel vrſi intrinſecus occultatum habebat: vitium vero Poetæ iſti obiectum in primo illius verſu deprehenditur, vbi vocabulum ha, i.e. habet, emiſſum eſt, & ſignificare debebat:

Queſta humil fiera ha un cuor di Tigre d' Orſa.

Tapeinoſeis. Deformant quoque ſermonem aliquem, ſi res magni momenti humilibus verbis proferuntur, quæ deformatio Tapeinoſis appellatur, cuius exemplum Virg. in ſequente verſu ponit ab oculos, dum ait:

Apparent rari nantes in gurgite vaſto.

Vbi altum procelloſumq; mare gurgitem nominat. Idem etiam Petrarchæ adtribuitur, dum inquit:

Ch' inſino a Roman' udirai il ſcioppe.

Scioppo ſiquidem exiguus ſaltim eſt ſonitus à leui potentia di manans. Sin vero Sonitus iſte è Prouincia Romæ exaudiri debuerit, tunc ſane tantum ſonum iſtum fuiſſe neceſſum eſt, qui terrarum orbem diuerſis in plagis concuſſerit. Verum id Poetis quoddammodo eſt licitum adeo vt, quemadmodum ex vẽtris flatu & crepitu, ictum tonitrualem fingere poſſunt, ita quoque aliquid extenuare audent, vt ſi de magna pluuia loquuntur, cœlum in lachrumas ſolui dictitant: ſi de ventorum vehementia ipſis verba faciunda ſunt, tunc Æolum ingemuiſſe aiunt, & tamdem ingens & enorme aliquod facinus ſaltim errorem, & ſacrilegium, furtum dumtaxat appellant.

Vice verſa etiam contra decorum

corum est, si res quædam leuis, vel omnino nullius ferme momenti superbis sesquipedalibusque verbis ab initio proponitur, & nihilominus tamen paullo post dicendi stylus iterũ contrahitur, id quod Cacozelon dicitur. Cuius rei Horatius in arte Poetica exemplum recenset, de vno, sic sermonem suum exordiente.

Cacozelon.

Fortunam Priami cantabo & nobile bellum.

In quo quidem Poeta dicendi vela nimium explicauerat, quæ tamen paullo post iterum contrahere necessum habebat: Ipso siquidem Priamo mox factus fuisset miserior, cum fortuna semper, numquam vero verba defuissent.

Sæpenumero inconueniens quoque sermo erumpit, si videlic. alicui rei istiusmodi tribuatur qualitas, quæ tamen eidem minime competit: id quod Cacosyntheton nuncupatur, cuius Isiodorus ex Virgilio iterum exemplum aliquod in medium adfert, dum inquit:

Cacosyntheton.

---versaque iuuencum
Terga fatigamus hasta.

Vbi elatus superciliosusq; Remus indicare conabatur, quod etiam Corydonum serui in armis adeo exercitati essent, vt, post aratrum, tauros non vulgari aliqua cuspide, sed oblongo Conto propellerent.

Sic etiam Amphibologia à Censoribus, & Correctoribus quandoque notatur, cum videlicet verba pro cuiusuis lubitu huc & illuc flecti torquerique possunt, quemadmodum Pyrrho datum Oraculum fuit quod aiebat:

Amphibologia.

Aio te Æacida Romanos vincere posse.

Item aliud huic ferme non adeo dissimile:

Ibis, redibis, non morieris in bello.

Et hic Francisci Petrarchæ versus:

Vincitore Alessandro l' ira vinse.

In quibus duæ contrariæ opiniones reperiuntur, & qui ijsdem innituntur, ij etiam vna cum Pyrrho, & Crœso turpiter decipiuntur.

Aphęresis itidem orationem aliquam magis deformat, quam exornat: nimirum si in principio alicuius verbi vna littera, vel etiam quandoque integra syllaba detrahitur: Id quod Poetis quod ammo-

Aphæresis

ammodo minime est prohibitum. Commode tamen Petrarcha eadem in subsequente versu vtitur, dum inquit:

Largai il desio, ch' io tengo molto à freno.

Vbi largai pro Allargai ponit. Inter communis generis Thrasones nonnulli etiam inueniuntur, qui in Italico idiomate laudi & decori sibi ducunt, si verba quædam ita mutilent, & dicant: *Pr.ſſo, Storia, Vangelo, Spagna,* &c. pro, *Appr.ſſo, Historia, Euangelo, & Hispagna.*

Epenthesis Pari modo cum Epenthesi comparatum est, si nimirum, in medio alicuius verbi, aut littera vel syllaba immisceatur, veluti Ouidius facit dum inquit: *Septemque Triones*, pro Septentriones. Ita etiam Cæsar in quadam epistola ab Octauio repræhendebatur, quod, veluti Quintilianus inter alia testatur, verbũ Calidum magis quam Calidum sibi placere asseueraret, & i inter l & d pro superfluis censebat: etiamsi alij Auctores hanc Octauij, vel fortassis Quintiliani, opinionem minime sequuti fuerint.

Quemadmodũ autem priores aliquid intersᵉ.uerunt, ita etiam sæpenumero figura quædã Syncope videlicet, literam vel syllabam è medio tollit, vti apud Virgilium factum in verbo: Syncope

Manet alta mente repostum.

quod alias repositum rite significabat. Eadem etiam Petrarcha in hoc versiculo vtitur:

Gia non fostu nudrita in piume al rezzo.

Quandoque quoq; in fine verbi litera vel syllaba remouetur, quam figuram Apocopen appellitant, quæque apud Poetas Italicos magis, quam apud Latinos, vsu recepta est. Dantes in suo, qui nunc sequitur, versu, secunda vice ea vtitur, dum ait: Apocope

Tharno monstrato i Seraphi e Cherubi.

Vbi alias dicere debebat i *Seraphini e Cherubini*. Petrarcha quodam in loco dicit *cre*, pro *credi*. In prosa multis quoq; in verbis apud Italos vsurpatur, dum inquiunt *amor, fior, pensier, languir, desir:* loco, *amore, fiore, pensiere, languire, desire,* &c.

Similiter & sermonem neutiquam exornant, si quis vetustis & obsoletis, verbis vti velit. Quocirca etiam Festus Pompeius Vestusta ob... ve...

ius non immerito verba, *Antigeri* & *Topes*, reijcit, quæ olim loco verborum, *valde*, & *cito* vsurpabantur. Sic Nestor Dionysius nimis longum Catalogum obsoletorum istorum verborum, quæ nunc omnino iterum euanuerunt, recenset. Ita quoque in Italico idiomate istiusmodi verba non pauca reperiuntur, quorum Mutius, in defensione sua linguæ Italicæ, meminit, vtpote: *guaffe*, *Chente*, *Auaccio*, *Mogliema*, *Fratelmo*, *Intorbiare*: & id genus alia, quibus Poetæ Toscani tam in condendis versibus, quam prosa vtuntur.

Ortographia vetus. Similiter & Ortographia vetus probe obseruanda est, quæ non semper omnium est optuma, quippe quæ à subsequentibus scriptoribus correcta fiet, quemadmodum Raphael Regius super I. Quinctiliani librũ testatur. Immo ipsius Romanorum Imperatoris Claudii Cancellariam reformare haud erubuerunt, dum vellet, vt, loco V consonantis, inuersum F. ita Ⅎ nimirum, poneretur, vtpote in verbis *Seruius Vulgus*, scribendum esse, *SerⅎiuS*, *Ⅎulgus*. Pari modo etiam Inuentio Trissini & Ptolomæi reformanda venit, qui o micron, & ω mega Græcorum etiam in linguam Italicam introducere conati sunt: & simili modo litera H, quam Ruscellius quasi perpetua cum excommunicatione è Typographijs eliminare & proscribere voluit. Ita etiam superciliosis & nasutulis Toscanis heic minime cõniuendum esse reor, quibus in quibusdam verbis z. melius q̃ t. arridet, vtpote in verbis sequentibus, *Oratione*, *deuotione*, *malitia*, *stultitia*, *iustitia*, *sapientia*, *sententia*, *præsentia*, & id genus alijs lubentius scribunt, *Orazione*, *deuozione*, *malizia*, *stoltizia*, &c. velũti in ipsorum Cerebello omnis generis columbæ nidificarunt, tam in his, quam etiam in rebus alijs.

Ita quoque & ipsi Veteres sæpenumero; quemadmodum Quinctilianus testatur, literam B. loco F. vsurparunt, vel etiam H. T. loco D. O. loco V. I. & E. loco I, & dixerunt, *Bruges*, pro *Fruges*: *Belena*, pro *Helena*: *Alexanter*, *Cassantra*, pro *Alexander*, *Cassandra*: *Hicoba* & *Notrix*, pro *Hecuba* & *Nutrix*: *Menerua*, *Magister*, pro *Minerua Magister*. Sic & quidam literæ K. bellum indicunt, eamdemque omnino ex Grammatica relegare conantur, excepto verbo *Kalendæ*, vbi eidem lo-

NB. *Caussam ipse sic scripsit o Lundorpius, non tam venerandam Criticorum Canitiem, quam Neotericorum admirandam, in præscrutandis Priscorum vetustissimis monimentis, industriam sequutus. Cæterum cassus, diuissus, & aliæ Pseudo-critica monstra cum vero Criticis non immerito rideo.*

cum relinquunt. Quidam duplici Sf. vti malunt, cum tamen simplex & vnum sufficiat, videlicet in verbis caussa, cassus, diuisus, pro causa, diuisus, casus, qui omneis, vti aiunt, auctoritate Virgiliana sese tuentur.

Et denique hic illo, alter alio modo delectatur, adeo vt belligerandi, & corrigendi nullus vmquam finis adpareat, quemadmodum supra in Discursu de Grammaticis & Pedantib. satis superque indicauimus,

Epilogi loco puncta quoque certa aliqua correctione indigent, sine quibus sane neq; ipsa scriptura, neq; sermo bene poterit intelligi, vtpote, Commata, puncta, quibus aliqua Periodus vel loquutio concluditur: Cola item, & signa interrogationum, parentheses, & accentus, vbi sane Correctores vtilissimã suam operam nauare necessum habent. Verum & illi, vt cæteri etiã mortales omneis, suis haud carent vitijs: sunt enim multi, (*si de multis, non de singulis, heic loquor; nota siquidem est, vt laude suã promerita non fraudetur, & cæteri iisdem insistant vestigiis, Iani Bentzii, Ammelburgensis Franci, amici mei, ceu fratris Germani loco, coniunctissimi, incredibilis industria, quã nunc heic Mœno Francofurdiæ multis ab annis, in librorum correctione, Reipublicæ litterariæ, magno sane nõn tã legentium quam Bibliopolarum, fructu, impendit, & laborum exaltatorum coronam, immarcessibilem, vna cum Lundorpio suo, in altera hac præsens etenim viris literatis dura & ingrata vita expectabit. Id quod olim faxit SS. Trinitas, benedicta in sempiterna secula, Amen.*) veluti plerumque in quibusdam Typographijs videre est, ignaui socij, qui scrupulando neminem offendunt. Quandoq; etiam minime altum sapiunt, & nihilominus tamen se longe præstantiores corrigere conãtur, quum tamen & ipsi quandoque correctione indigeant: & sæpenumero ipsis, quod olim Didimo Grammatico, contingat, qui Historiam aliquam, quam tamen ipse in libro suo quodam, tamquam fide dignam, allegauerat, veluti suspectam carpserat, & Rusciello, quem Mutius impensarum damnauit, quod cum Dulci ijs de rebus bellum

Vel in laude zi circo ἐγκωμίῳ

indi-

indixiſſet, quas tamen antea, tamquam bonas rectaſque, ipſe vſurpauerat.

Sed hæc de Correctoribus in genere heic dicta nunc ſatis eſto.

IN DISCVRSVM I.
ADNOTATIVNCVLA.

AD conficiunda Correctorum negotia, plurimum ijs proderit vniuerſa iſta, ante Dictionarium Fr. Iohannis Genuenſis ſita, Informatio & Inſtructio, ac ſimul Priſciani Regula quæ Romanam linguam concernit. In Italico Idiomate & Neoterici quidam ſcriptores illis ipſis ſuam commodabunt operam.

DE INCANTATORIBVS & Exorciſtis

DISCVRSVS II.

IVxta Euangelicam veritatem ipſa quandoque teſtatur cottidiana experientia, quod ſæpenumero ex ſingulari permiſſione Dei Diabolus non dumtaxat quorumdam hominum capax fiat, verum etiam corporaliter in ijſdem habitet, & vehementiſſime torqueat & excruciet, donec tamdem per ſingulareis homines, Exorciſtas nimirum, ex ſuo Palatio, in quo aliquandiu, tam ad pœnam correctionemque, quam exhortationem hominũ habitauit, iterum propellatur, atque eliminetur.

Iſtiuſmodi vero Exorciſta eius rei poteſtatem in ordinatione ſua acceptam habeat: quamuis aliquando, raro tamen, cottidiana teſtetur experientia, ꝙ pij deuotique aliqui homines I.

illud ipſum, non quidem abſq; fructu, ſolis precibus, & vi diuini verbi, peregerint, obſeſſoſque homines à Diaboli tyrannide iterum liberauerint. Id autem, quemadmodum Fr. Hieronym. Viadanus in Compendio artis Exorciſticæ lib. 3. ca. 9. teſtatur, abſque præiudicio omnibus in locis fieri poteſt, veluti etiã Sacerdos in loco non ſacrato miſſam celebrare poterit. Laici vero tantum ſibi non adeo facile tribuant, quum illud non abſq; magno periculo fieri queat, quẽadmodum videre eſt in Actis Apoſtolorum cap. XIX. vbi quorumdam fit mentio, qui, exemplo Pauli Apoſtoli, nomen Ieſu ſuper obſeſſos inuocarunt, & dixerunt: Adiuro te per Ieſum, quem Paulus prædicat. Verum Cacodæmon ipſis mire reſpondebat, & aiebat: Ieſum & Paulum bene noui, qui autem vos? tum impetum in eos feciſſe, veſtimenta ipſorum laceraſſe, atq; adeo ipſos male mulctaſſe, vt etiam illinc effugere neceſſum habuerint.

II. Exorciſta dein, ante omnia, non propriam ſuam gloriam, mercedem, vel aliud quoddam temporale lucrum ſpectare, ſed vnice & ſolummodo *Dei Ter Optimi Maximi* honorem & gloriam ſibi propoſitã habere, eoque ſuum laborem dirigere debet. Secunda, vt ante exorciſmum corpus ſuum, eiuſdemq; deſiderium, decenti modo caſtiget, idque non dumtaxat pro more Eccleſiaſticorum, verum etiam, requirentibus ita omnib. circumſtantijs, adeo vt heic verum rectumque fiet, quod Apoſtolus Roma. XII. jubet, inquiens: Rationabile ſit obſequium veſtum.

III. Tertio, Vt iſtiuſmodi in õperibus cõmmunem Eccleſiæ, vel ſingularis Communitatis, obſeruet conſuetudinem.

IV. Quarto, Vt hæc ad iſtiuſmodi negotium deſtinata opera ita comparata ſient, vt tamdem ſperatum exoptatumque effectum aliquando ſortiantur.

Quinto, Vt omnia fiant abſque ſcandalo, nimirum ne fortaſſis Exorciſta obſeſſos ijs in locis tangat, vel illinc, quo non moris, reſpiciat.

V. Ante omnia vero probe conſiderare debet, vt verba, quibus vtitur, & effatur, ob arcanam manifeſtamque aliquam Idololatriam, vel Diaboli inuocationem, ſuſpecta ſient. Quocirca etiam nulla incognita vel in-

con-

consueta nomina vsurpet, quæ Chrysostomi testimonio, raro absque superstitione vsurpantur. Quando etiam veteres Incantatores olim, quemadmodũ Plutarchus lib. 7. Sympos. testatur, Diabolos cum Ephesinis, vel alijs raris ignotisque nominibus expellebant, id tum non fiebat per verborum istorum naturalem aliquam efficaciam, sed per arcanam quamdam cũ Diabolis Correspondentiam, qui, testimonio Taciti, doloso fallaciq; modo sese ab ipsis coactos ligatosque esse fraudulenter simulabant. Summo quoq; studio ipsi cauendum est ne mendacia vel falsa loquatur, vel illius verba in stulta, ridicula, & superstitiosa aliqua gesticulatione consistant, velut de vetulis quibusdam sagis & veneficis circũferuntur, vel vt nullius pretij res forsitan adplicet, vtpote Characteres, numeros, vel id genus alia, sed solo S. Crucis signo contentus fiet, & veris vero ex corde profusis precibus diuinoq; verbo adquiescat. Verba ista si eloquatur, tunc non aliquam, in pellectione verborum & literarum consistentem, sed solummodo diuinã virtutem promissionemque spectare debet, quæ ipsis præsto est, qui Deum in veritate summoque studio inuocant. Illam tamdem expectet, & omnia paternæ ipsius voluntati atque beneplacito subijciat.

Ad processum autem primo quod attinet, obsessus exorcisetur: deinde spiritus ad egrediundum adiuretur. Omnia postmodũ vsurpanda cibumq; potumq; patientis sacerdos benedicat, atq; in ædib. circũquaq; circũspiciat, an forsitan aliqd in promptu fiet, quod ad damnosam istam calamitatem ansam occasionemque præbuerit, id ꝙ remouendum, ignique comburendum est: omnia quoque renouanda, & obsessus ad peccatorum suorum agnitionem veramq; pœnitentiam exhortandus. Sacerdos insuper singulari deuotione ad perficiundum instans negotium sese præparet, omniaque obscœna verba & gestus summo studio deuitet, vt suo exemplo atque deuotione sua, circumstantes ad maiorem obseruantiam, relligionemque inuitet, quemadmodum Ioannes Niderus in præceptorio suo diligenter fideliterque adhortatur. Sin etiam Spiritus forsitan sese Exorcistæ obponeret, tunc prima vice animo nõ pror-

 sus

ſus cadat, multo minus ſibi perſuaderi patiatur, quod ſuſpectũ, & in præiudicium Eccleſiæ aut Cõmunitatis vergens, aliquod medium in ſe ſuſcepiſſet. Qui autem plura hac de re ſcire aueat is Syluestri Prierij Tractatum ſibi familiarem reddat. Exorciſta porro & illud probe obſeruare debet, quod nominis *Ieſu* Inuocatio præcipuarum efficaciſſimarumq; partium vna fiet, quæ, ad expellendos malos ſpiritus ſiue Cacodæmones, quemadmodum Iuſtinus lib. 1. Origenes contra Cellum, & Athanaſius libro de inuocatione verbi, teſtatur, vſurpari commode vtiliterq; poſſit. Ita quoq; cum S. Crucis ſigno comparatum eſt veluti D. Cyprianus in libro ſuo de paſſione Domini, & S. Chryſoſthomus, in notiſſimo iſto dicto, Vbicunq; viderint ſignum Dominicum fugiunt Dæmones & contremiſcunt ſatis ſuperq; teſtantur. Similiter etiam hoc in negotio aqua conſecrata vſurpatur, quemadmodum Epiphanius & Nicephorus memorant: vbi quoq; SS. Euchariſtia, tamquam medium efficaciſſimum, merito veneratur, cumprimis autem, vti ſupra facta mentio, preces fundendæ, nec diuinum verbum negligendum eſt.

Similiter & Cacodæmones quandoque per externa ſenſibiliaq; media expelluntur, herbis videlicet, ſuffitibus, alijſque medicinis, qui ipſis aduerſãtur, quemadmodum ante commemoratus Viadana tam firmis rationibus, quam etiam exemplis lib. 3. cap. 7. ſufficienter demonſtrat, vbi inter alia Saulis quoq; exemplum introducit, quem Spiritus contriſtare perturbareque minime poterat, ſi Dauid in illius conſpectu Cytharam pulſabat vti 1. Sam. legitur: id quod Nicolaus Lyra, in explicatione illius Hiſtoriæ, diſpoſitioni, quam Muſica in ipſo Saule efficiebat, & per quam Diaboli operatio impediebatur, adſcribit. Deinde etiam Tobiæ Hiſtoriam cap. 6. introducit, vbi, ex inſtructione Angeli Raphaelis, Diabolus impeditur, vt neque Saræ, neque etiam ipſi Tobiæ damnum detrimentumue inferre potuerit, quamprimum modo piſcis iecur ardentib. prunis impoſitum fumum de ſe ſpargebat. Ita quoq; Guido, in Muſica ſua, quoſdam ſpiritus Melodiam nullam ferre poſſe aſſeuerat. Ioſephus, libro

Antiquitatum, Iudaicarum octauo, inter alia refert, in Titi Vespasiani castris virũ aliquem fuisse, qui pretioso aliquo lapillo, annulo incluso, Cacodęmones ex obsessis abegerit. Et ꝙ Iudaicus quidam incantator & Exorcista, Eleazarus dictus, qui exorcismis Salomonis vsurpare solebat, in ipsius præsentia, Cacodæmonem expulerit, postquam certam quamdam radicem illius naribus adplicasset. Sic Plinius inter alia commemorat, quod quidam æstumẽt, per vrinam equi, cum fabrorum aqua exstinguibili mixtam, obsessis plurimum prodesse, ipsisque ferre auxilium, li. XXVIII. cap. XVI. Et libro XXX. cap. II, inquit, idque testimonio Appiani Grammatici, herbam aliquam reperiri, Cynocephaliá, in Ægypto autem Osiritem dictam, quæ, contra omnia spectra, tentationes, & obsessiones malorum spirituum, siue Cacodæmonum, insignem virtutem operationemq; habeat, inuentu tamen periculosam illam ad modum, & effodientibus lethalem esse. Immo Plinius ipse eodem in loco porro commemorat, se huius herbæ virtute Cacodæmones coegisse, vt Homeri patriam, de qua auctores varij variant, eiusdemque ambos parentes sibi indicare necessum habuerint, minime tamen isto in loco addere ausus fuit, qualem videlicet, responsionem à malis istis spiritibus retulerit. Ego ipse vero, ait Garzonius, superstitiosum quemdam Incantatorem vidi, qui Monfalcono oriundus, & ea de caussa satis celebris fuit. Hic, pergit idẽ ille Garzonius, postquam vidisset, quomodo nimirum vnum ad S. Vbaldum Engubij ab obsessione liberare conaretur, me parum abduxit, quasi me clanculum aliquid singulare docturus esset, (pro quo tamen iniquam admodum mercedem postulabat.) quo pacto videlicet Cacodæmones facile & celerrime expellere valerem, ostendebat autem mihi saltim vnam aliquam herbam, de Lactucarum genere, prætendens, sese maiori ex parte miracula sua eiusdem beneficio perficere: Inter alia autem secretum aliquod mihi detegebat, quod erat nux auellana cum argento viuo, & signo carbone notata, quæ sane res ridicula & superstitiosa me ad cahinnandum, commouit.

Cum

Cum omni autem ſuo artificio efficere tamen neutiquam potuit, vt Cacodæmon ex obſeſſo homine ceſſiſſet, quem tamen ego per vulgares conſuetoſque Eccleſiæ exorciſmos cedere coegi. In ſumma Raimundus Lullius libro 2. quintæ ſuæ eſſentiæ concludit, etiamſi ſpiritus ex diuina permiſſione omnibus ſenſibilibus potentiores ſient, nihilominus tamen ipſos eorumdem ſenſibilium viribus & potentiæ, *Deo Ter Optumo Maxumo* iubente atque impellente, ſubiacere: quæ opinio etiam à Iohanne de Rupeſciſſa in quodam libro, de conſideratione quintæ eſſentiæ, confirmatur. Similiter etiam Paulus Burgenſis, multis argumentis demonſtrat, non ſolummodo concedendum eſſe, quod, per certa ſenſibilia, à Cacodemone obſeſſi, mitigationem doloris ſui percipiant, verum etiam omnino tam à dolore, quam ab obſeſſione iterum liberari, priſtinæq; ſuæ ſanitati reſtitui poſſe. Quocirca illa ad exorciſmos commode applicari poterunt: vbi tamen ſummo ſtudio cauẽdum eſt, ne ſuperſtitioſæ iſtę Inuocationes, quarum Nicolaus Mirepſius medicus Alexandrinus, ſectione de Antidotis, ingentem numerum recenſet, adplicentur. Prçcaueantur itidem omnis generis male ſana ſuperſtitioſaque veneficia, de quibus Ammianus Marcellinus lib. 16. Hiſtoriæ, Romanæ memorat, quod Medicis permiſſa ſient, veluti Pindarus in Pythicis ſuis Oda Tertia ait, quod Chiron Medicus iſtiuſmodi incantationes in medicina ſua vſurpauerit. Ita quoq; Strabo lib. V. Geographiæ ſuæ, inter alia recenſet Indianorum præcipuas medicinas incantationib. peragi. Plura id genus alia ſcire qui deſiderat, is legat Michaelem Pſellum, Malleum maleficarum, Viadenum, Syluestrum Prieriũ, Paulum Girlandum, Ioannem Niderum, Thomam Brabantinũ, Paulum Burgenſem, Strygam Iohannis-Franciſci Pici Mirandulani, &c.

IN DISCVRSVM II. ADNOTATIVNCVLA.

Iacobus Weckerus de exorcismis & incantationibus, in libro suo de Secretis, eleganter scribit, quemadmodum etiam in meo, inquit Garzonius, Palatio ea de re copiosior reperitur Informatio & instructio.

DE PERSPECTIVIS & Opticis

DISCVRSVS. III.

PErspectiua vel Optica Geometriæ non medioxume adfinis est: visum tamen vnice cõcernit, & de re nulla alia, quemadmodum Aulus Gellius libro 16. Atticarum Noct. testatur, agit, quam de diuersis singularibusq; quibusdam videndi modis, & de diuersimoda mutatione, vel etiam dolo, qui in vidẽdo fieri poterit. Lineæ Visuales sunt subiectum huius scientiæ. Sunt autem illæ duplices. Vna earum est linearum, in quib. radij rectæ protenduntur, ita vt minime retro flectantur, quem actum perspectores, vel perspectiuistæ, Visum rectum nominant. Altera earum est, in quib. radij reflectuntur, quibusque in obliquum cernitur, quem actũ perspectores visum obliquum appellant. Hinc itaq; duæ perspectiuæ partes existunt, iuxta modum, proprietatem, & considerationem duarum istarum linearum. Vbi quidem vna, quę à prima specie exoritur *Optica*, hoc est, *vulgaris perspectiua* nominatur. Altera vero, quę ab altera specie exoritur, in genere specularia appellatur, quoniam per specula & alia instrumenta perficitur: de qua suo loco in

peculiari aliquo Discursu dicturi, & heic dumtaxat de vulgari perspectiua loquuturi sumus.

Hæc in optica vel perspectiua sex potissumum consideranda sunt, visus videlicet, id quod videndum est, mediũ, per quod videtur, species visibilis, radius visibilis, & videndi modus.

Visus quid, & vnde oritur? Ad primum, quod attinet, visum nempe, is ex Instrumentis organicis oculorum, visusq; neruis, exoritur; qui Nerui optici appellantur. Hi ex cerebro ad oculos vsq; promanant, atq; ex eodem puram subtilemque aliquam humiditatem oculis instillant: Vnde etiam Aristoteles libr. 5. de Generatione animalium ait, quod visus ex aqua, aut humiditate existat. Si etiam humor iste exsiccetur, tunc & visum interire necessum habere. Cui etiam Hippocrates, in lib. suo de ratione victus & Galenus, in lib. suo de Instrumento odoratus, adstipulatur, vbi expresse aiunt: visum per humorem cristallinum exoriri. Est autem visus, vel videre nihil sane aliud, quam potestas perspectiua, quæ per singularem suam qualitatem illud, quod ante se situm est, irradiat atq; compræhendit, estque certissimus sensus relliquorum omnium, veluti, qui omnia corpora etiam è longinquo discernere potest in colore, magnitudine, forma, motu, situ, distantia, alijsque accidentibus omnibus, quæ alicui corpori obuenire poterunt, quemadmodum Galen. lib. 15. de vsu partium testatur.

Actus videndi ... Actus videndi ipsus quid sit, & vnde potissumũ ille existat, de eo variæ apud Auctores varios sententiæ reperiuntur. Democritus siquidem, Epicurus, & Lucretius libr. 6. videre ab imaginibus illarum rerum existere, quæ in oculos sese violenter quasi ingerant; quæ tamen sententia à Macrobio lib. VII. Saturnalium cap. XIV. satis superq; refutata est. Hipparchus ait, videre ex proiectione quadam oculorum ad res visibiles, quæ ante ipsos consistant, exoriri, qui etiam rebus istis adeo adpropinquant, quasi easdem tangerent. Plato putat fieri illud per lumen, quod tamquam ignis ex oculis erumpit vsq; ad res visibiles, & exinde rursum se reflectat ad oculos, & ita imaginem secum in eosdem adtrahere, quibus etiam Galen. adstipulatur. Stoici prætendunt,

videre

videre ex nulla re alia existere, quam per radios ex oculis erumpentes, & per aerem inter vtrũque versantem. Porphyrius ait neque radios, neq; figuras, neque alias istiusmodi res visum generare, sed illum ex sola anima oriri, quæ se ipsam videt, atque rebus in omnibus seipsam agnoscit: quam opinionem etiam Raphael Mirani, Iudæus, ad partem sequitur in Discursu suo de Speculatria, ca. 7. Mathematici volunt fieri videlicet videre sequentem in modum: quod videlicet ex puncto, quod oculi medium, & eiusdem, quasi centrum est, radij visiui sese exerant idque rectis lineis, quæ sese ex centro alicuius Circuli iuxta circumferentiam extendunt; atque adeo omneis & singulę angulum in commemorato isto centro constituunt. Radij isti itaque vel in recta aliqua linea vsque ad obiectum, visibile, vel ad speculum sese conferunt, exindeque iterum in recta aliqua linea ad obiectum cadunt, à quo alteratæ & illuminatæ iterum retrocedunt, & alterationem istam, quæ modo dicti obiecti imago est, in oculum inferunt, in quo sese anima intuetur. Si itaq; imaginem vel illorum per imaginem coloratorum radiorum figurã videat, tunc acceptat illam, & pro decenti more, de eadem iudicat, quo etiam omneis necessarias suas facultates conuertit: vnde etiam oculus animæ speculum appellatur. Quemadmodum enim (. vt prius eo intelligatur melius.) in aliquo speculo illæ res cernuntur, quæ extra illud & aliquanto longius ab illo remotæ sunt, ita quoque anima per naturalem suam efficaciam in oculo illas res intuetur, quæ extra illum sunt, easdemq; agnoscit. Inter alios vero, Euclides expresse putat: quod ex oculo singularis aliqua potentia, vel peculiares quidam spiritus, aut lucidi radii erumpant, qui recta procedant, non secus atque etiam lineæ (. vti paullo ante diximus.) quæ ex centro ad circumferentiam tendunt, vsque dum obiecta visibilia offendant, eademq; postmodum oculo præponant, vt cognoscãt quod videlicet actus videndi fiet; atque adeo nulla alia cooperatione indiget, veluti alij Philosophi volunt, quod nimirum species visibiles oculo fiant obuiæ, atque tum in isto ad Centrum vsq; sese ingerant, do-

nec ab anima apprehendantur, agnoſcantur, atque viſus ita exiſtat. In hoc autem pene omneis inter ſe conueniunt, quod nimirum ſenſus viſus coloratis rebus obuiet, quemadmodum Galenus lib. 7. de Decretis Hippocratis & Platonis ait. Res viſibilis, obiectum viſus, aut oculi, appellatur, etiamſi (veluti Ariſtoteles lib. 1. de animalib. teſtatur) obiectum illud cernatur nec ne, ſicuti idem lib. 2. de anima cap. 10. aſſeuerat. Illud autem cernitur per medium luminis & coloris veluti Theophraſtus, in Paraphraſibus ſuis ſuper lib. 2. de anima, ait. Huc pertinet etiam ſpacium, quod inter obiectū viſibile, & ipſum viſum videre eſt, inter illud ſiquidem, quod videri debet, & ipſum oculum, decentem diſtantiam eſſe oportet.

Species Inuiſibilis quoq; nihil eſt aliud, quam ipſa imago illius, quod videtur, per quod res viſa ſenſui tamdem proponitur. Radius viſibilis recta eſt linea, quæ ex centro oculi ſeſe exerit vſque in centrum illius, quod videtur.

Et denique ipſe Modus videndi nihil eſt aliud, quam certa linearum differentia, quæ in videndo vſurpantur. Sunt autem lineæ iſtæ triplices, vel, vt obſeruemus terminos, triplici modo cernitur, aut viſione recta per rectas lineas, vel viſione reflexa, vbi lineæ iterum retrocedunt, aut denique viſione refracta, per cedentes lineas. Viſio recta fit quando radius viſibilis perpendicularis eſt erga illam rem, quæ intuetur, quæ aut recta ſurſum, vel recta deorſum inclinant, id quod etiam ab omnibus partibus fieri ſolet, erga quas oculus quaſi centrum eſt. Sciendum vero eſt, quod vna vice non ſimul ſurſum, ac vna ſimul deorſum cerni queat: Oculorum enim acies, quemadmodū Vitellio ab initio quarti ſuæ perſpectiuæ libri memorat, non niſi ad vnum locum, ſeſe flecti patitur. Viſio reflexa ijs fit in corporibus, quæ vel per naturam, aut artem perpolita ſunt & ſplendentia, quemadmodū videre eſt, in aliquo ſpeculo, in quo radij, inſtar pilæ, ad parietem proiectæ, & inde iterum reſilientis atque ad principium ſuum, hoc eſt oculi centrum, redeuntis: quæ reuerſio dein' reflexio appellatur. Viſio refracta ſequentem fit in modum: quando videlic. viſio, (quemad-

admodum aliquis agens, qui opus suum in materia aliqua partiente diuidit; sese eo fortius præparat, quanto maiorem resistentiam sibi metuendam propulsandamque æstimat.) dum contrarium aliquod obiectum inuenit veluti corpus, quod perspectiuum, aut lucidum, vel tenebrosum, aut caliginosum nimis est, adeo vt non satis appræhendi, illuminari, & per radios compræhendi queat, quemadmodum in aqua & vitro deprahenditur, quod aciem auget, vt cum angulo recto, vel cũ eo, quod sibi eo propius est, penetret, atq; ea de caussa à prima linea aliquantulum recedit, & aliam constituit, quæ etiam, cũ priori, in angulum reuertitur. Ista declinatio, quam ista linea à priori detrahit refractio, & radius, qui illud operatur, ab Opticis radius refractus appellatur, de quo Ioannes Pisanus in libro suo 3. de perspectiua diligenter & neruose diserit.

Huc etiam luminis consideratio pertinet, quæ in primam, secundam, & minimam diuiditur. Primum lucidissimumque est, cuius splendore tota domus illuminatur: Secundum est, quo modo dictę dom⁹ anguli quodammodo collustrantur: Tertium & minimum est, quod inter lucidum & caliginosum adeo prope caliginem attingit, vt saltim modicum ab eadem separetur. Vtrumque vero peculiaria sua habet Theoremata, quæ Thomas Pisanus, Episcopus Cameracensis, in primo suo libro de perspectiua explicauit, quam postmodum Paschasius Flammelius correctiorem locupletioremque reddidit.

Porro obseruandum quoq; est, ꝙ in hac materia color appelletur motus actus perspicui, quo videlic. visus, iuxta opinionem Aristotelis, commouetur. Iuxta Themistium vero lib. 2. de anima, & Platonem in Timæo, certum aliquod est lumen, flamma atque splendor, qui ex quolibet corpore exit, & ad visum in diuersis generis perspectiuis accommodatur. Si quis autem copiosiorem de coloribus, eorumdem differentijs, & operationibus informationem scire desideret, is legat Cardanum lib. 13. de rerum varietate, & Antonium Filesium in libro suo de Coloribus.

Scientia perspectiua vero omneis res sequentes in sese cõplectitur, vtpote lumen, colorẽ,

vmbram, & distantiam, Item: caussas rerum visibilium, diuersa media, ad eamdem vsurpanda: Item, figurationes, quæ per vmbram aut lumen comparantur, & istiusmodi res plurimæ. Plurimum quoque proderit, vt quis varietates corporum Cœlestium aliquo modo sibi familiares reddat, eorumdem quoq; distantiam, magnitudinem, motum, & reuolutionem. Inseruit quoq; hæc scientia Architecturæ, & singulari ornatui, qui pictorum artificio eo ipso tribuitur, mirabili itidem præparationi artificiosorū speculorū, quæ sine hac scientia, ad nullam perfectionem reducuntur.

Per eamdem istam scientiam raræ admirandæque dolosæ visiones in medium adferuntur, vbi quis sibi persuadet se aliqd videre, quod tamen in ipsa rei veritate non est: illi autem doli, Vitellione teste, duplici modo committuntur, vel secundum visum, qui deceptus est, aut iuxta animę virtutem distinctiuā, qua res aliqua ab altera separatur. Huic autem dolo per VIII. sequentes cautelas obuiatur.

I. Primo si id, quod videlicet videndum est, etiam per se fiet visibile alias enim videri nequit,

II. Secundo, si idonea distantia ab oculo abest. Si enim nimis procul fiet, tunc, etiamsi visus fiet acutissimus, illud neutiquā recte appræhendere poterit. Etiamsi quoque illud, quod cernitur, celeriter sese moueat, nihilominus tamen non animaduertitur, sed stare quasi videtur, quemadmodum videre est, in Sole, Luna, & Stellis: ad hæc recta forma non agnoscitur, & quadrata rotunda apparent, & rotunda quadrata vero apparent.

III. Tertio, vt recte, & ante visum consistat.

IV. Quarto, Vt istiusmodi quantitatem habeat, & aduersus oculum ita proportionaliter formatum fiet, vt queat conspici.

V. Quinto, Vt corpus solidum fiet, si enim perspectiuum, tunc visus in eo niti haud potest. Simili modo, ne per aliud quiddam aliquis videat: quod alium colorem vel speciem ei præbeat: Si enim per angulare quoddam conspicitur vitrum, tunc multa corpora ante illud consistere putatur, etiamsi vnum dūtaxat in promptu fiet: si autem per pictum aliquod vitrum videatur tunc quoque idem ille color conspicitur.

Sexto,

I. Sexto inter corpus & oculum non solummodo decentem distantiam, sed etiam perspectiuã, claram, & expeditam esse oportet: si enim aut per puluerem, vel nebulam, fumum, aut aliud quiddam impediatur, tunc visio incerta est. Iuxta illud, lumen etiam nõ adeo firmum esse oportet, præsertim vero in splẽdentibus & perpolitis corporib. tunc enim visus per reflexionẽ & repercussionem radiorum, exinde prodeuntium, læditur, quemadmodum deprehendetur, si quis à sole illuminatum speculum aut solem ipsum intueatur. Vice versa si lumen nimis fiet tenue, tunc sane etiam ne crassum quidem corpus conspici aut cognosci poterit.

VI. Septimo ad certum aliquem visum idoneum certumque aliquod tempus requiritur, vt hoc modo sub oculis degens corpus recte comprahendatur, quod certe in momẽto fieri nequit, & sæpenumero vnum pro altero inconsiderata festinatione intuetur.

VII. Octauo bonus sanusq; visus ad illud quoque pertinet: vitiosus siquidem oculus multis modis falli potest. Adhæc, Irtellione teste, si humor cristallinus lædatur, tunc equidem nihil certi videri potest: pro cuiusuis enim oculi constitutione, etiam obiecta istius sese ita habet. Exempli gratia, si crassa aliqua humiditas ante pupillam coincidat, tunc omnia quasi perforata esse cernuntur: Si nigra incidat humiditas, tunc corpus quasi plenum muscarum apparet: si digitus in angulum oculi collocetur, tunc duo pro vno conspiciuntur; si mouetur oculus, tũc ipsum quoque corpus moueri existumatur. De Antiphone quodam referunt, ipsi semper viri imaginẽ occurrisse, id quod Aristoteles lib. 3. de Meteoris, & Claudianus Celestinus, in libro suo de mirabilibus mundi visus imbecillitati, aerisque reflexioni adscribunt. Vitellio libro 4. perspectiuæ suæ inter alia multas adhuc alias dolosarum istarum apparitionum recenset, vtpote fortem aliquam imaginationem, & violentam Phantasiæ impressionem, quemadmodũ in Melancholicis & perterritis videre est, qui plerumque magis, quam alij apud se præsentes vident. Si quis autem plura hac de scientia scire desideret, is legat modo dictum Vitellionem, Ioannem Pisanum, Roggerium Bacco-

Bacconem, Alhazen, Pomponium Gauricum, aliosq; plures qui de perspectiua aliquãto copiosius & neruosius scripserunt. Et quidem mea ex parte sentio, me hoc in Discursu meo officio non defuisse, nec amplius contra perspectiuam istam inferre possum, quam quod eadem multa ridicula & inepta perficiantur.

IN DISCVRSVM III. ANNOTATIVNCVLA.

AD perspectiuam, quod attinet, legendus est Iohannis Thomæ Phrygij liber quintus, qui eodem in loco varia recenset.

Item Proclus Platonicus supra librum primum Euclidis. Item Seminarium Philosophiæ Bernhardi, in vocabulo perspectiua, &c.

DE

DE ANATOMICIS.

DISCVRSVS IV.

ANatomia, quæ non dumtaxat vtilis, verum etiam Medico-Physicis, & Chirurgis perquam necessaria est scientia, à Galeno, libr. 9. de vsu partium, quatuor potissimum ob caussas summopere suoque quidem merito extollitur.

Primo, quia, per formam, & humanorum membrorum varietatem, omnipotentiam & sapientiam Creatoris indicat.

Secundo, homini quoque mortalitatem, & vanitatem suam detegit, per quam ipsi quasi reuocatur in memoriam, quam miser videlic. ille, & quam cito cum illo actum siet, cum omnia illius membra tot tantisq; morbis atque periculis sient obnoxia.

Tertio, significat itidem quatenus videlic. corpus in decenti sua dispositione conseruetur, ne forsitan aliquod membrum nimium, & vltra vires, grauetur.

Quarto, In eadem quoque discitur, quomodo videl. membro alicui prudenter aliquis subuenire debeat, præsertim si sciantur loca, vbi morbi plerumq; hæreant, sese que maiori ex parte inibi exerceant, & medicamenta vnicuique loco commode applicanda. Si quis autem, vice versa, Anatomiam ignoret, & nihilominus medicinam & Chirurgiam exercere conetur, is æq; tam cito nocere, quam prodesse poterit. Exempli gratia, in secando Neruum, pro vena, incidere, & perniciosum enormēque immo lethalem alium aliquem errorem committere, vbi eidē, quod imperito alicui coquo, accidit, qui, veluti Galen. li. 2. Therapeutices inquit, carnem non decenti modo dissecare, sed discerpere & dilaniare illam quasi solet, aut, ceu stupidus & insanus aliquis homo, quemadmodum Henricus Hermonius de Villa libr. 1. Chirurgiæ suæ inquit, cæcis verberib. & ictibus durum lignum findere conatur: ita non secus Medi-

cus & Chirurgus aliquis, Anatomiam ignorans, cœci alicuius instar, sæpenumero periculosum & damnosum magis, quam commodum salutaremq; ictum ferire necessum habet.

Anatomia quid, & in quo consistat.

Vt autem & heic quoque de Anatomicis, quemadmodum hactenus de alijs etiam professionibus atq; disciplinis factum est, differamus, artem que istam ad partem dumtaxat, totalem siquidem illius vtilitatem immensamque commoditatē heic in compendio quasi describere non est nostri instituti, quodammodo notiorem reddamus: eapropter ab illius definitione exordiar, & Anatomiam hoc in loco nihil aliud significare affirmamus, quam ordinatiam & membralem humani alicuius corporis dissectionem, vnde etiam à Græcis nomen suum sortita est. Consistit autem Anatomia, quemadmodum Guido de Cauliaco celeberrimus ille Anatomicus testatur, potissimū duabus in rebus, videl. in Theorica, quæ quodammodo ex libris, incerto tamen, petitur: & practica, hoc est, exercitatione & experientia, quæ haberi possunt in maleficorum condemnatorumque hominum corporibus, qui vel laqueo suffocati, vel aqṣ submersi, aut securi percussi fuerunt: vbi etiam oculis cernitur, & manibus tangitur, quod alias ex libris peti oportuit. Ibi quoq; aliquis de rebus omnibus redditur certior, & videt vbi musculi, nerui, & venæ suum sortiantur principium, id quod præcipuarum sciētiarum vna est. Volunt autem aliqui medici, veluti inter alios Ioannes Fernelius, in partium humani corporis descriptione, consulit, in Anatomia bene formatum speciosumque aliquod corpus sumendum esse, quod in carne integrum, instæ ætatis, mediocris magnitudinis, absq; næuis, non debilitatum viribus, neque per morbos vel vulnera mortuum, sed aut strangulatum, vel in aqua suffocatum fiet: illud alto alicui scamno, quod facile circumagitur, & in medium conclaue in quo anatomia peragenda est, collocatur, quod tonsores, Chirurgi, & omneis ij, qui man⁹ auxiliatrices præbere debent, cum cultris, scalpellis, vncis, acubus, filis, spongijs, alijsq; id genus instrumentis Chirurgicis, in procinctu circumstant: atque eo modo, in nomine SS. Trinitatis anatomię fit initium.

Certus

Certus autem hac in re ordo ante omnia obſeruandus eſt, videlicet vt primum membra nutritiua, vtpote quę omnium primo putreſcunt & corrumpuntur, ad manus ſumantur: Deinde membra ſpiritualia, ea nimirum quæ ad aerem ſpiritumque vſurpantur: Tertio, membra animalia: Quarto, omnia reliqua externa membra & oſſa, quibus etiam Anatomia finitur. Apud quodlibet præterea membrum, iuxta commentatoris, Alexandri, aliorumq; celeberrimorum Anatomicorum, ſententiam, nouē adhuc conſideranda ſunt: Compoſitio videlicet, Subſtantia, Complexio, Quantitas, Numerus, Figura, quomodo coniugatur nimirum, operatio, & Vſus vel vtilitas. Obſeruandum quoque eſt præterea qualia vnicuique membro damna inferri poſſint, vt hoc modo Chirurgus vel Medicus eidem laboranti idoneis medijs ſuccurrere poſſit. Et hæc eſt cauſſa, ob quam nimirum Galenus ſeſe in ſectione ſimiarum, porcellorum, aliorumque animalium adeo diligenter exercuit, donec ad ſufficientem Anatomiæ cognitionē perueniſſet, quam Medico alicui non dumtaxat vtilem, verum etiam ſumme neceſſariam eſſe autumauit.

Quum vero fieri nequeat, vt Anatomia recte intelligatur, & proprie de eadē aliquis loquatur, niſi omneis humani corporis partes ipſi probe perſpectę ſient, atque cognitæ, eaſdemque nomine ſuo poſſit appellare & diſtinguere: iccirco de illis ſingulis heic verba faciemus, quo Tyrones, & omneis alij ſtudioſi Anatomici initium atq; inſtructionem aliquam reperiant, iuxta quam reliqua, huc ſpectantia, eo melius poſſint compræhendere. Et primo quidem, vt ordo obſeruetur, à capillis initium faciam: dein vero de membro ad membrum, vſque ad pedis Plantas, progrediar, & nihil omnino intermittam, ſed omnia exactiſſime atque diligentiſſime pro virili indicabo.

Sunt autem Capilli, vt cum Anatomicis heic loquamur, ſuprema pars capitis, qui, tamquā rubri, albi, aliorumq; colorum flores exinde quaſi ex horti quodam ſolo progerminant, atque in extrema craſſaque cute radices ſuas agit. Sub modo dicta cute talis latet caro, quę quidem non craſſa, ex meris tamē muſculis coniuncta, atq; quaſi conglutina- *Caput.*

glutinata est: sub ea tenuis aliqua conspicitur cuticula, quæ à Græcis Pericraneum, à Latinis vero Gengina mater appellatur. Illa cranio proxime cohæret, & à dura matre per commissuras crescit. Cuticulam istam sequitur os, qua cerebrum est circundatum, quæ à Græcis Cranion, à Latinis autem Testa nuncupata fuit. Illa in diuersas partes distribuitur, atq; partem anteriorem Latini Sinciput, posteriorem, Occiput, mediam vero, verticem appellant. Sub dicta illa osse, quæ cranium à Germanis dicitur, duæ peculiareis cuticulæ latitant, quib. cerebrum tegitur, quarum prima aliquanto firmior & crassior, externam violentiam à cerebro prohibet, atque membrana crassa aut dura mater vocatur. Altera, aliquanto est tenuior, cerebroque quam proxime adhæret, & mẽbrana tenuis, vel pia mater nuncupatur, à qua tamdem ad ipsũ cerebrum progreditur. Antequam autem ad modo dictum cerebrum perueniamus, cranium aliquanto diligentius exactiusque intuebimur. Illud itaque, veluti Anatomici memorant, & ipsa quoq; experientia, ad oculum quasi demonstrat tres Commissuras habet, quarum prima, in anteriori parte capitis, Coronalis dicitur, quod Reges diademata coronas suas, & virgines coronas suas eodem in loco gestent. Aliab in Theoria Anatomiæ illam proram capitis appellat. Secunda in posteriori capitis parte, Lauda vocatur, & à tergo capitis, vel sub eadem, aliquid diuidit circa durã aliquam officulam, sub qua medulla in spina dorsi, tamquam flumen, ex cerebro promanat. Tertia, in longitudine caluarã transcendit, à Coronali ad Laudam vsque, & Recta aut Sagittalis dicitur, illam duæ venæ penetrant, quæ à iecore descendunt, à quibus tam internæ, quam externæ cuticulæ caluariæ humectantur.

Cer- Deinde ad ipsum peruenitur cerebrum, quod medullæ alicui comparatur, & in trib. Ventriculis vel Cameris distributum diuisumque iacet. Maxuma est in priore parte: Secunda, in media: & tertia in posteriori parte capitis, & illa pars cerebri, ob paruitatem, Cerebellum nuncupatur. Iuxta Galenum iste locus est, vbi diuersimodarũ cogitationum imaginatio, & memoria commorantur, inibique ope-

operationē ſuam exercent. Similiter & Rhaſes ad Almanſorem, in capitulo de Anatomia Cerebri, ait, eſſe illud fontem ſenſuum & motus voluntarij. Altera ventriculi, infima & media videlicet, iterum in duas partes diuiditur, cuius prima in dextro altera pars vero in ſiniſtro latere iacet. In extrema primi duæ rotundæ particulæ reperiuntur, q̄ inſtar duarum natium coniungūtur, vnde etiam à Latinis nomen ſortitæ ſunt, eidemq; ventriculo, loco alicuius puluinaris aut lecti, inſeruiunt, in quo ille requieſcit, ſeſeque extendit, & locus ille Camera vel Fornix appellatur. Hæc duæ particulæ etiam inter ſe inuicem diſtinctæ ſunt: vna ſiquidem eſt inſtar rubri alicuius vermiculi, qui ſeſe tam extendit, quam etiam rurſum contrahit, vnde quoq; vermis nuncupatur. Altera eſt veluti peluis quæ ſuperius ampla, inferius vero anguſta eſt: aut Scypho eſt ſimilis: qua de cauſſa etiam peluis, vel Scyphus appellatur. Medius ventriculus ſatis quidem longus, nimis tamen ſtrictus eſt, & ab initio ad finem vſque habet tranſitum in quo omneis particulæ coniunguntur. Tertius ventriculus locum & ſitum ſuum, quemadmodum ſupra illius rei facta mentio, in poſteriori parte capitis habet, eſtque aliquanto durioris fortioriſque Subſtantiæ, quam alteri, ideoq; etiam, non vti priores, cuticulæ, ſiue Pia matre obductus eſt, quoniam ſuapte ſatis durus, & ſufficientiſſime aduerſus violentiam præmunitus eſt. Forma illius eſt veluti inuerſa, quædam Pyramis, in cuius cornu, quod verſus ceruicem tendit, initiū medullæ Spinæ dorſi hæret, atq; duabus cuticulis circundatum, atque cuſtoditum eſt, eamdemque, qualem cerebrum, habet ſubſtantiam.

Porro Anatomici quoq; prętendunt, quod ſeptem neruorum paria ex cerebro in longitudinem illius incurrant, & triginta, qui ex medulla ſpinę dorſi per vniuerſum corpus ſeſe extendunt. Duo priores qui ex cerebro promanant, Viſorij appellantur, vtpote qui ad oculos ꝓprie pertinent, & quorum beneficio viſus, vel videre perficitur, ſunt caui, & in medio crucis in modum ſibi inuicem incumbunt, vbi ſimul coniuncti & cōglutinati quaſi ſunt: dum vero oculos incurrunt, à ſe inuicem ſeiunguntur: Deus & Natura ſi-

quidem in commemorata modo coniunctione sedulo cauetunt, vt videlicet, si forte fortuna oculus claudatur, vel etiam extrinsecus lædatur, alter tum spiritus visorios ab vtrisque accipiat. De reliquis autem neruis suo loco plura dicturi sumus.

Primus & secundus ventriculus inferius cum rotūda quadam cauitate finiuntur, quæ à quibusdā foueola dicitur, quarum quælibet in medio rotundum aliquod foramen habet, quod per palatum os intrat, quo cerebrum purgatur, & reliquos humores emittit: modo dictum foramē etiam per piam matrem non dumtaxat dicto isto in loco penetrat, verum etiam adhuc semel supra illam, ab anteriori parte, vbi anterior cerebri pars per nares purgari solet: iuxta illud quod etiam Odoratus eo modo ad cerebrum ascēdat. Alias quidē omni ex parte quædam reperiuntur foueolæ, quæ rotunda in forma exoriuntur, & mediocris sunt magnitudinis, quarum beneficio venæ & nerui conseruantur. In infima foueolæ istius parte, iuxta dictum foramen, etiam particulæ quædam carnis rotundæ & subleuatæ quodammodo, conspiciuntur, per quas venæ atque nerui ex Reticulo mirabili in Ventriculos labentes, sustentātur. Mirabile Reticulum vniuersum cerebrum, non secus, quam rete aliquod piscatorium, circumdat, & ab arterijs & neruis creatum est. In posteriori cerebri parte medulla spinæ dorsi latitat, &, veluti supra commemorauimus, sexaginta neruos exerit, de quibus suo loco mentionem faciemus.

Similiter etiam Anatomici de illa capitis parte differunt, quæ sub Sincipite glabra, & absque capillis est, queq; à Latinis frons appellatur. Vtriusque illius latera tempora dicuntur, quod exinde tempus & ætates animalium quodammodo dignoscātur. Hæc vtrimque duro aliquo osse munita sunt, quod, ob nimiam suam duritiem, Os petrosum vel lapidosum nūcupatur. Illinc duæ Commissuræ mendosæ conspiciuntur, quæ ideo sic dicuntur, quod multis Scissuris & fractionib. notatæ sient. *Fr...*

Sub ipsa fronte Palpebræ nō solummodo oculos ab omni externa iniuria, & violentia defendunt, verum etiam vniuersę faciei singulare ornamentum adferunt. *Palpe.*

Easdem

Easdem Nobilissimum pretiosissimumq; humani corporis membrum, oculus videlicet, subsequitur. Is septem habet tunicas, & tres humores, qui ab Anatomicis sequentem in modum describuntur. Primo enim indicant quatenus nimirum ex anteriori parte cerebri duo caui nerui sese exerant, quorum alter crucis instar, alteri incumbit, quemadmodũ Guilielmus Phicentinus existumat, vel in cauitate quadam conueniunt, aut, veluti Mondinus putat, quilibet propriam suam cauitatem ibi retinent, & ex Craneo sese exerentes, duabus cerebri cuticulis circumdantur, de quo etiam supra facta mentio. Hi, vti dictum, Craneum penetrant, quilibet in suum oculum, vbi mediocrem crassam, & firmam cuticulam constituit, qui panniculus Seliroticus, vel Dura à Latinis nuncupatur. Tum alia quædam sequitur cuticula, tunica secundina dicta, vitreum Cristallinumque humorem in sese continens, & suam à tenui Membrana sortitur originem. Dein' tertia cuticula subsequitur, quæ Retina ideo dicitur, quod, instar Retis, perspectiuũ fiet, & medietatem Christallini humoris in se contineat. Illam, alia sequitur Cuticula, Aranea videlic. quod instar araneæ medietas concludatur, & cũ priori Retina in rotunditatem sese cõferat. Post commemoratas illas Tunica Vuea conspicitur, ideo sic dicta, quod in oculo formã Cuticulæ vuam obducentis habeat. In illius medio natura rotundum aliquod foramen reliquit, per quod pupilla conspicitur, fitque amplius & angustius, iuxta oculorum aciem, quæ per humorem Cristallinum fit, ex quo dein perfectio visus exoritur. Commemorata ista Tunica album humorẽ etiam in se continet, per quem humor Cristallinus in suo esse conseruatur. Illam tunicam alia adhuc Cuticula sequitur, Tunica Cornea dicta, quę album humorem detinet, ne per foramen Vuęæ forsitan effluat, & ex dura ista cuticula, quæ supra Seliroticus appellata fuit, exoritur, Cornea autem ideo nuncupatur, quod instar Laternæ perspectiua fiet. Denique ad septimum cuticulam fit progressio, quæ Tunica Coniunctiua, vel Adnata, dicitur, quum, instar crassæ cutis, totum oculum, sola illius nigredine excepta, pupilla dicta, coarctet.

Hæc

Phlebotomia oculorum in fronte vtilitas.

Hæc autem Cuticula à Pericraneo descendit, vnde colligitur, quam vtilis nimirum fiet oculorũ in fronte Phlebotomia, vt ita humiditates, à capite & cerebro in oculos incidentes, educantur. Ad oculorum motum commotionemque, quod attinet, ista per duos neruos peragitur, qui ex cerebro per Craneum recta in oculos incurrunt: id quod alterum par neruorum est, ex cerebro originem suam sortientium, per quod non dumtaxat tã celeriter commouentur, verum etiam, tam acutam perceptionẽ nanciscuntur. Ex cuticulis istis singulis VII. exoriuntur Circuli vel orbes, eo potissimum in loco, qui Iris dicitur, ibique situs est, vbi album & nigrum inter se coniunguntur. Primus Circulus in Tunica coniunctiua est: alter, in Cornea; Tertius, in Selirotica, quæ singulæ decentem suam duritiem & firmitatem habent: Quartus, in Secundina: Quintus, in Vuea; Sextus in Aranea: & Septimus, in Retina consistit. Et hæc quatuor posteriora mollia sunt & gracilia.

Humores oculorum sunt triplices, ex quibus primus ideo vitreus appellatur, quod instar liquefacti, & fluentis vitri formatus fiet. Secundus, Glacialis vel Cristallinus ea de caussa dicitur, quod pellucidę glaciei vel Cristallo comparetur. Tertius aũt ideo Aqueus dicitur, quod cum aqua ferme correspondeat.

Post tempora in Osse duro, quod Os petrosum dicitur, supra & infra illud aures ab vtraq; parte colligatæ sunt: in quo osse, iuxta Commissuras mendosas, certa foramina & meatus conspiciuntur, per quos auditus in cerebrum penetrat. Circa modo dictos istos meatus, apud superiorem Palati partem, cartilago quædam excrescit, quæ integram aurem circumit, & cute, sub qua venæ, nerui, filamenta, panniculi, aut tenues cuticulæ & ligamenta occultata latitant, vestita est. Inferior auris cuticula à Latinis fibra, superior pars vero Pinna appellatur. Post aures, in vtroque colli latere, aliquot ex iecore oriundæ venæ conspiciuntur, sub quibus aliquot degũt arteriæ, quæ ex corde ad caput vsq; ascendunt, vbi dein per Commissuras per Caluaram in cerebrum iterum descẽdunt: Exinde in aures, & iuxta illas in corpus sese demittunt, & certum aliquem humorem generant, ex quo Sperma per renes,

nes, vſque ad teſticulos, præparatur. Vnde etiam Nonnulli exiſtumant, vt, ad ſterilitatem vtriuſque ſexus procurandam, venæ poſt aureis incidendæ ſient.

Naſus. Naſus ſuprema faciei pars, cuius bina latera, in quibus aer egreditur, & iterum ingreditur, nares à Latinis appellantur; infimam, quæ ab vtroque latere commouetur, Anatomici Pinnulas, vel Alas, mediam vero cartilaginem, nares à ſe inuié diſtinguentem, interſeptum nuncupant.

Maxillæ. Iuxta, & ſupra naſum vtrimque maxillæ cernuntur, quæ in ſanis, pudicis, verecundiſq; hominibus in medio pulchro rubeoque cuidam pomo ſunt ſimiles.

Labia. Sub naſo ſuperior labiorum pars in fœminis glabra, in viris vero hiſpida atq; hirſuta eſt, vbi hodierno tempore effrænes ferociſque quidam iuuenes horrendis Turcicis Myſtacibus ſeſe deformát. Inferius vero labium in viris etiam barba, in Maieſtatis ſuæ teſtimonium, exornatum eſt, quæ tamen à nauci leuibuſque, virili nomine & Maieſtate haud dignis, perſonis, mirabiliter & mutilatur & corrumpendo deformatur.

Mandibula. In ore duæ mandibulæ, firmo ex oſſe conſtantes, atque in quibus dentes ordine ſunt poſiti, neruoſa quadam Gingiua, tamquam freno, copulantur atque coercentur.

Dentes. Dentes, plerumque XXXII. ſæpenumero tamen dumtaxat, XXVIII. reperiuntur, & quælibet Mandibula XIV. vel XVI. ſub ſe complectitur: quorum VIII. priores, lati & acuti, operationis ſuæ cauſſa, quodque cibum primo incidant, inciſorij ab Anatomicis appellátur, ſubſequentes IV. Caninos nuncupant, quod acutis caniniſque dentib. haud ſint diſſimiles, reliqui autem tam inferiores, quã ſuperiores, in vtroq; latere, molares ideo appellantur, quod cibos inciſos ſubſequenter quaſi molant, id quod prima digeſtio à Medicis, alijſque appellatur. Superior Mandibula ab vtroq; latere Cuticula aliqua tegitur, quæ à Pericraneo & fronte delabitur, eſtque eiuſdem naturæ & materiæ, circa & poſt aures deinde deſcendit, & pari modo inferiorem mandibulam tegit: Hæc duarum eſt partium, penes aures quæ vtrimque ſuos quaſi clauos & articulos habent, & in mento cum cartilagine coniun-

Lingua. guntur. Lingua intrinsecus in ore latet, estque spongiosæ perforatæq; carnis, plena neruorum, musculorum, venarum &c. quibus quasi colligata: à posteriori vero parte ossi, quod pando dicitur, adnexa est. Sub lingua duæ existunt venæ, quarum sectio omnis generis doloribus & morbis colli vel Gurgulionis vtiliter medetur. Pari modo inibi quædam particulę carnis cernuntur, tonsillæ dictæ, quæ duo exigua habent foramina, quib. sputum, tamquam per infundibulum quoddam, egreditur. Superior oris pars à Latinis nũcupatur. A posteriori oris parte diuersa reperiuntur membra, q̃ etiam peculiaria sua habent nomina, Vno autem verbo fauces appellantur. Ingens ibi primo vena conspicitur, quæ exinde in pulmonem vsque descendit, vnoque vocabulo Aspera arteria vocatur. In superiori huius venæ, vel asperæ arteriæ parte spõgiosa quædam conspicitur particula, quæ à radice, vel posteriori parte linguæ prominet, & dictam istam arteriam quasi occultat. Hæc à Latinis dicitur Lingula, atque simul cum spiritu aperitur & clauditur. In Palato etiam istiusmodi particula carnis dependet, quam Latini Gurgulionem nuncupant: sub quo, & post quem duæ itidem reperiuntur arteriæ, quarum vnam iam modo descripsimus: per alteram cibus potusque in ventriculum ingeritur: quæ à Latinis Gula, ab Arabibus vero Meri appellatur. Hæc arteria duplici cute obtegitur, quarum interior admodum neruosa est, atque in Palatum vsque se extendit. Exterior altera multo crassior, carnosa & musculosa est, quæ etiam in stomachum vsque sese demittit, vbi tenui teneraque cuticula quasi colligata est: Per Diaphragma dein in ventriculum descendit, & superius ab vuis suum sumit initium, inibiq;, mandibularum beneficio & commotione, potus cibusq; ventriculo ingeruntur. Prostat, & aliud quoque operculum, quo guttur tegitur, ne videlic. in deglutiendo aliquid à potu vel cibo intercidat. Si enim aliquis, inter glutiendum, nimius in loquendo fiet, adeo vt modo commemoratum operculũ aliquanto tardius claudatur, vel aliquid intercidat, tũc vel vehemens aliqua tussis, aut sæpenumero etiam ipsum vitæ periculum accersitur, & ab Anato-

natomicis, Epiglottis appellatur. Iuxta illam ab vtraque parte crassa aliqua vena conspicitur, sub qua etiam crassi fortesque nerui latitant, quorum læsio admodum periculosa est, quum cordi & iecori nimium propinqui sient. Ibi quoq; duo nerui Principales latent, ab vtroque colli latere, qui in ceruice suum sortiuntur initium, & vtrimque, iuxta dorsi Spinam, vsque ad infimum os caudæ delabuntur.

Dein vniuersum spacium, quod ab anteriori parte inter Costas hæret, à Latinis Thorax, à Germanis vero pectus dicitur: Superiorem summamque partem Medici in genere furcam, inferiorem vero septum transuersum nominant.

Costarum ferme omnibus in animalibus, ab vtroque latere, vel ad summum, sunt XXIV. Quarum longiores VII. ab vtraq; parte Veræ, aut Legitimæ: Breues vero (quæ pectus non attingunt, quarum in vtraque parte V. sunt, & dumtaxat vsq; ad septum transuersum perueniunt.) Nothę appellantur. Medio in Thorace Os pectoris cōspicitur, in quo inferius cartilago, cute & carne musculosa obtecta, apparet quæ à sua forma Cartilago mucronata, vel ab operatione sua, Cartilago Scutalis nuncupatur, qua os ventriculi, tamquam aliquo Scuto, tegitur. Est autem Os pectoris integrum à septem peculiaribus ossibus connexum, atque omnibus in finibus Cartilaginibus distinctum. Superius est veluti furca parumq; excauatum, quo faux quasi innititur in eodemq; requiescit. Inferius vero, versus ventriculum, subtilem nimis habet cartilaginem, qua eumdem aduersus omnem violentiam ingeniose tuetur atq; defendit.

In pectore præterea, quemadmodum Auicenna quodam in loco recenset, XVIII. reperiuntur musculi, quorum aliqui collo, quidam Diaphragmati, aliqui costis, quidam dorso, aliqui acromijs, aliqui humeris, & quidam soli pectori inseruiunt. Extrinsecus mamillæ pectori adfixæ, & à tenui, molli, spongiosaque carne coniunctæ sunt. In illas autem, ex cerebro multi nerui, & venæ ex iecore sese protendunt, vna cum quibusdam neruis ex corde sese illuc flectētibus. Verruca in medio Papillæ sita, Papilla: & nigricans ista ma-

cula, quæ illam circumdat, Fax ab Anatomicis appellantur.

Dorsum eiusdemq́; Spina. Posterior pars pectoris Dorsũ vocatur, vbi cernuntur spondyli, qui perforati tali vel vertices sunt, à quibus tota spina, ab inferiori ceruice, vsque ad infimam coniuncta est, in qua, vti suo loco diximus, Crassa albaque aliqua medulla latitat, quæ ex inferiori parte cerebri destillat. Sunt tamen illi vertices varij, qui cum Ligamentis suis cõiunguntur, vbi aliquot nerui egrediuntur, & vtrimque per integrum dorsum sese extẽdunt. Alias Dorsum, quemadmodum Galenus lib. 12. de vsu partium indicat, in 4. partes diuiditur, in Collum, vertices, lumbos, & os sacrum.

Brachia. Ex acromijs brachia vtrimq; sese exerunt. Cubitus superius incipit, & in medio brachij desinit, duo habet ossa quorum vnum altero maius est atq; crassius. Inferior pars à commemorato isto membro vsque ad manum Brachiale dicitur, vbi etiã Metacarpion conspicitur, quo in loco arteria tangitur, & à Latinis sępenumero pecten appellatur.

Manus. Interior pars manus, inter pollicem, & indicem siue salutarem digitum, palma, caua autem Vola dicitur.

Digi. Sic quoque Digiti singuli peculiari nomine appellãtur: primus enim à pollice, index, vel salutaris, medius, medicus, sequens ab illo, Medicinalis, vel Annularis, & postremus, minimus nuncupatur.

Interna membra. Sin autem corpus aliquod interne conspiciundũ fiet, tunc Cuticula aliqua reperitur, cum qua Costæ intrinsecus sunt circumdatæ. Illa autem Succingens aut pleura nuncupatur, itaque etiam, ex paruo concepto frigore, Pleuritidi subiecta est. Ab illa duæ adhuc aliæ exoriuntur, quæ pectus ab vtraq; parte intercipiũt, & ea ipsa de causa intercipientes nuncupant. Vulgares tamen Medici Mediastinum illam appellant, quod nihil est aliud, quam Cuticula, quæ totum pectus in longitudinem distribuit: Et hoc modo etiam pulmo distribuitur, & Spinæ dorsi adnectitur.

Pericardium. Membrana, aut Cuticula illa, qua cor inuolutum & tectũ est, Pericardium vocatur. Quidam inuolucrum, vel Capsulã cordis appellant, quod cor non secus, quam in aliquo inuolucro circumdatum, vel veluti

Capsu-

Capsulæ alicui inclusum fiet.

Cor formatum est velut malum abietis, estque duræ, firmæ, & musculosæ carnis, in medio fere pulmone situm, tamquam Rex omnium relliquorum mẽbrorum, quæ ab illo consilium, auxilium, & robur implorare & impetrare coguntur. Equidem Galenus, in medio pulmone illud hærere asseuerat: Rhases vero, in Capitulo de Anatomia Cordis, illud non in medio iacere pulmone, sed cum extremitate sua magis versus sinistrũ latus sese extendere affirmat: vbi etiam deprehenditur, quod inibi magis latus illud pulset, q̃ versus dextrum, idque arteriarum caussa, in corde originem suam sortientium. Vult insuper modo dict⁹ ille Rhases esse cordi duos magnos ventriculos, vnum quidem in dextro, & alterum in sinistro latere, inter quos sursum exigua adhuc aliqua Cauitas protendat, quam Cuticula, ex meris neruis constans, circumdat, & tertius appelletur Ventriculus. In recto ventriculo duæ conspiciuntur venę, quarum vnam Natura ad hoc constituit, vt videlicet, arteriæ ieco-ris tribus cuticulis circundatæ, in illam penetrens. Alteram vena Cartilaginosa, quædam penetrat, quæ ex commemorato ventriculo vsque in pulmonem vergit, & arterialis vena nuncupatur. Hæc autem vena & meatus illius, per quem transit, etiã tribus Cuticulis custodiuntur. In Sinistro Ventriculo, adhuc alia quædam reperitur arteria, q̃ vna dumtaxat Cuticula circundata, & Arteria venalis, aut venosa, appellatur, per quam pulmo subtilem istum sanguinem, qui ad illius nutrimentum necessario requiritur, ad se adtrahit. In corde etiam extrinsecus adhuc duæ particulæ reperiuntur, ansarum instar, vnam quidem in dextro, & alteram in sinistro latere, & auriculæ cordis appellantur. Media ex ciuitate Sinistri Ventriculi, magna aliqua arteria cõspicitur, à qua reliquæ omneis exoriuntur, & à Medicis Arteria magna, vel Aorta dicitur.

Ad pulmonem quod attinet, ille nimis debilis, mollis, & Spõgiosæ est substantiæ, atque in ea Cuticula, qua cor est circumdatum, etiam custoditur, ne ab ossibus pectoris forsitan lædatur, & quinque insuper fibris cordi adfixus est. In Cauo pectore, vbi breuiores costæ desinunt, in- *Pulmo.*

gens & rotundus quidam pendet musculus, quem Græci Diaphragma, Latini Septum Transuersum, Plinius solus vero præcordia appellant: à principio pectoris oritur, & corpus superius à ventre quasi discernit.

Venter. A pectore ad ventrem ab anteriori parte fit progressus: à posteriori autem parte quinq; Spinæ dorsi articulos cōplectitur: musculosam cutem & carnem habet, vt non dumtaxat expandatur & dilatetur, verum etiam contrahatur, quemadmodum illud ab exigente necessitate requiritur: ab inferiori pectoris parte incipit, & ad pudenda vsque se extendit. Extrinsecus nō secus, quam omne relliquum corpus, cute vestitum est, cuius suprema & tenuis membrana Cuticula nuncupatu . Sæpenumero etiam Stomachus ventriculus appellatur. In genere autem totum heic intelligitur Inuolucrum, in quo membra nutritiua conseruantur.

Stomachus. Stomachus, ab anteriori parte, mox sub præcordio suam sumit originem, vbi etiam suum habet orificium: à posteriori autem parte in Spinæ dorsi articulo sursum tendit vsque ad Diaphragma, in quo peculiaribus quibusdam Cuticulis adnexus est: exinde iterum descendendo ad sinistram partem aliquo modo ve git, quemadmodum etiam illius Orificium ad modo dictum latus tendit, & fundus eiusdem in dextro latere hæret. Forma eius est longiori alicui cucumeri persimilis, qui à superiori parte angustum, ab inferiori parte autem adhuc aliud collum habet, quod exinde ad Intestinum duodenum descendit, & primum siue supremum intestinum ideo dicitur, quod saltim duodecim digitos obliquos longus fiet. Idem hocce collum etiam Intestinorum initium vel Ostiarius dicitur, quāuis Stomachus versus dorsum aliquantulum adhuc descēdat, inibiq; firmissimis vinculis Spinæ dorsi alligetur. Habet quoque idem ille Stomachus tres tunicas vel Cuticulas, veluti Rhases recenset. Vna albæ cuiusdam est arteriæ, quæ in longitudinem sese exerit: altera eiusdem est substantiæ, & in obliquum vergit: tertia eamdem, quam secunda, substantiam cōmunem habet, vbi tamen filamenta ita procedunt, vt priora, in curuo aliquo obliquo tegāt. Etiamsi Aliab in libro 3. Theoria

riæ ſuæ Anatomicæ, & alij plures, exiſtument, duas illi tantum eſſe Cuticulas.

Vmbilicus Latinis ea pars ventris dicitur, quæ in medio eiuſdem ſita eſt. Cuticula circa eumdem Anus ideo vocatur, ꝙ in Senectute, non ſecus, quam aliqua Anus, rugas contrahat. Sub cute, quæ ventrem obducit, carnoſa aliqua membrana vel cutis latet, quæ à Latinis Abdomen, vel Sumen, ab Arabib. vero Mirach appellatur. Illa quadruplici modo coniuncta eſt, vtpote cum tenui aliqua cuticula, carnoſa cute, & quibuſdam muſculis. quæ omnia ex corde quaſi progerminãt & naſcuntur, adeo vt proprie & facilime à ſe inuicem ſeparari poſſint. Muſculorum autem VIII. ſunt, à quib. magnum & latum aliquod Rete inuenitur, quod Araneę haud diſſimile, & à Gręcis Peritonæum, ab Arabib. autem Sipha nuncupatur: Eſtque ſatis quidem firma Cuticula, & à dorſo deſcendens Stomacho adfaceret, exinde vero iterum infra ventrem delabitur, eodẽque in loco finem ſuum ſortitur. Si modo dictum Peritonæum ſublatum fiet, tunc ad aliud corpus fit progreſſio, quod à Latinis Omentum, à Barbaris vero Zirbo dicitur. Sub quo dein inteſtina latitant.

Sunt autem 6. potiſſumum Inteſtina, quæ tamen & forma, & nomine inter ſe differũt. Tria ſuperiora tenuia ſunt & ſtricta: reliqua tria vero, infra vmbilicum hærentia, ſatis craſſa, quæ duas ſuſtinent Cuticulas, quarum interna glabra, externa vero aliquanto craſſior eſt & carnoſior. *Inteſtina.*

I. Primum Inteſtinum, quod ab inferiori Stomachi Orificio deſcendit, Oſtiarius, vel Duodenarius appellatur, quod, vti itidem paulo ante diximus, dũtaxat duodecim obliquos digitos longum fiet.

II. Secundum, quod ſubſequitur, priori quodammodo eſt ſimile, nõ tam in Craſſitie, quam etiam in longitudine, & inteſtinum ieiunum nuncupatur. Nos illud vterum ideo vocamus, ꝙ ſemper fiet vacuum, & omnis ingeſtio, ſtatim iterum egeratur. Duo hæcce inteſtina non multa habent in volucra, ſed recta ferme infra Stomachum latitant, atq; in vniuerſam ventris ſuperiorem partem ſeſe explicant.

III. Tertium quoque eſt tenue, quem-

quemadmodum etiam priora, aliquanto tamen longius, multa habet inuolucra, vnde etiam inuolucrum dicitur.

IV. Quartum, vel primum magnum intestinum est Monoculus, Saccus, vel cœcum intestinum ideo dictum, quod vnicũ dumtaxat introitum, vnicuique dumtaxat exitum habeat, per, quod excrementum ingeritur, & absoluta concoctione, iterũ exinde egreditur, iacetq; in latere dextro proxime sub dextro rene, & volunt Nonnulli, quod vermes inibi nascantur.

V. Quintum, Colus, aut Colon in dextro latere latet, ꝙ multis inuolucris in obliquum ventris supra stomachum, circa iecur habitaculum suum habet, atq; exinde sese ad sinistrum vsq; latus extendit.

VI. Sextum intestinum rectum dicitur, quod magnum atque amplum est, atq; excrementum à facta concoctione eo vsq; detinet, donec illud per ordinariam consultamq; sedem egerat: circa finem musculum habet, per quem dictum modo excrementum aliquandiu detinetur, ne contra voluntatem hominis effluat. Eodem iam dicto in fine comemorati illius intestini recti, V. etiam Venulæ reperiuntur, per quas crassas Melancholicusque sanguis educitur, vnde etiã Venæ Hæmeroidales, venæ sanguineæ, vel aureæ venę nuncupantur. Intestina illa omnia vno in latere aliquo reticulo cõnectunt, & dorso alligantur, & Mesenterium, vel Mesareon appellatur, estque neruis, Cuticulis, ligamentis, crassaque pinguedine combinatum, illiꝰ venæ à Medicis. Venæ Mesaraidæ appellantur. Extra illum reticulum, vel in illius medio peculiare quoddam corpus carneũ, & glandineum reperitur, quod intra lienem, iecur, & stomachũ iacet, & spaciũ illud explere solet. Iecur in dextro latere à tergo sub costis superiorib. hæret: estq; carnosum aliquod membrum, nimis tamen molle, veluti coagulatus aliquis sanguis, habetq; plerumque V. pennulas, aut fibras, quib. stomachum complectitur. Quandoque etiam nullas omnino habet, atq; Circuli instar, rotundum est, nõ secus quam Semiluna: Sæpenumero habet Quarto. Intrinsecus excauatum vel fornicatum quodammodo, extrinsecus vero aliquanto sublatum & gibbosum est. In ipsa Cauitate intrin-

trinsecus meatus aliquis conspicitur, quem portam Hepatis appellant, & à membrana fellis exoritur, quæ proxime illi adhæret, & ideo sic dicitur, quod liquor illinc in iecur tam introducitur, quam iterum educitur, idque per 7. vel 8. venas, inde exorientes, quæ postmodum in alias aliquanto minores tamen venas, quæ itidem Mesaraicæ dicuntur, diuidunt. In externa sublata iecoris parte, magna vena, à Latinis vena caua dicta, exoritur, quæ ramusculis suis cæteris venis obuiatur, atque omnem è toto humano corpore sanguinem ex jecore educit, quo omnia totius corporis membra humectantur atque conseruantur.

Fel iecori incumbit, duosque meatus habet quorum vnus in iecoris Cauitatem, alter vero in alia peculiaria loca sese diffundit, atque quandoque vsque in fundum Stomachi, vel suprema intestina progreditur.

Lien vel Splen aliquanto longioris formæ est, atque sinistro lateri, iuxta Stomachum, incumbit, vbi peculiaribus suis Ligamentis connexus est. Ab vno latere vniuersum ferme stomachum tegit, & ab altero latere ad costas breuiores sese applicat. Duos habet meatus, quorum vnus versus stomachi orificium sese extendit, alter vero vsque in iecoris Cauitatem penetrat.

Renes. Renes in dorso, ab vtroque latere spinæ dorsi, nec procul à iecore iacent. Dexter aliquanto altior est sinistro, habentque aliquot meatus, qui Attractorij, vel venæ emulgentes appellantur. Illorum vnus sese ad magnã iecoris venam, quæ in sublata eiusdem planitie iacet, extendit. Alter vero ad vesicam vsq; è superno descendit, vbi penetrat, & reliquum humorem, vrinam videlicet, educit. Vnde etiam dicti isti meatus (quilibet enim Ren vnum meatum habet, qui ab vtroque latere descendunt) Vreteres, vel Vrinarij appellantur.

Vasa Seminaria. Ex Peritonæo vasa exoriuntur Seminaria, quæ à Græcis Dydimi dicuntur, illincq; ad ipsos etiã testiculos descendunt, quos tenui aliqua Cuticula circumdant, per quam venæ siue arteriæ in modo dictos istos testiculos incurrunt ipsisque tam alimentum, quam ipsum etiam sperma adducunt. Tum ex testiculis duo ramusculi, siue ve-

f næ,

næ, prominent, quæ commemoratos istos Dydimos penetrant; & Vasa spermatis dicuntur, per quæ sperma virgam influit.

Testiculi. Testiculi pro membris Principalibus, siue præcipuis, habentur, vtpote qui ad generationẽ, humanique generis conseruationem necessario requirantur. Sunt autem membra glandulosa, albæ carnis, rotunda, admodumque perceptibilia, ob cognationem, quam cum neruosis partibus communem habent. Tegitur autem quilibet testiculus duabus Cuticulis, quarum vna tenuis & admodum subtilis, altera vero aliquanto crassior est & fortior. Extrinsecus ruginoso cuidam sacco inclusi sunt, quem Latini scrotum appellitant.

Mentula vel Virga. Virga, aut mentula à Latinis Coles, aut penis dicitur, & ab exteriori parte Glans, cuticula vero qua tecta est, præputium appellatur. Est autem membrũ musculosum, plenum neruorũ, venarum, arteriarum, & cauitatum, quæ si per ventum, ex arterijs exortum, impleantur, & arteriæ adtrahantur, tunc virga erigitur, qui Actus vel operatio deinceps Priapism⁹ nuncupatur.

Vesic[a]. Vesica, siue Vrinæ receptaculum; duas habet Cuticulas, quæ cum filamentis suis obliq; iacent, vt hoc modo & dilatari, & iterum contrahi possint. In Collo aliquot habet musculos, quibus modo dictum Collum occluditur, ne videlicet, vrina, absque consensu hominisq; voluntate, forsitan sua sponte effluat.

Ma[tr]ix. Matrix, inter vesicam, & intestinum rectum, iacet, & non secus, quam alia quædam vesica, oritur, estque ex meris neruis quasi conglutinata, duos quoque intrinsecus habet ventriculos, & in latere aliquid protenditur, quod Cornua matricis appellant, à quorum tergo testiculi latitant, qui aliquanto latiores, non tamen adeo longi, quam virorum sunt. Ex illis Sperma effluit, quod è Cauitate matricis exoritur. Collum matricis, vsque ad externum muliebre membrum sese extendit, & loco viri virgæ est. In virginibus, tam ipsum membrum, quam eiusdem etiam Collum quibusdam rugis contractum est: in quibus rugis V. minores venæ reperiuntur, quæ tamen, in violatione virginitatis, iterũ franguntur, & tum rugæ istæ à se in-

se inuicem explicantur atque dilatantur.

In Colli medio, vel, vti sane alij autumant, in matricis introitu, membranula quædam apparet, reti alicui similis, à qua commemoratæ arteriæ promanant & à Græcis Hymen, à Latinis vero interseptum Virginale appellatur. In extremo matricis orificio sublata aliqua caro reperitur, quæ à Latinis Nympha dicitur. Si autem fæmina conceperit, tunc ante omnia tres membranæ in matrice generantur, quæ intrinsecus omnia tegunt: Sin autem prægnantes sunt; tunc matrix adeo arcte occluditur, vt ne mucro acus quidem ingeri posset: Partus autem tempore adpropinquante eadem tam late sese iterum aperit, vt fructus commode queat egredi.

Nunc ad ipsa Ossa nobis transeundum est, & quidem à coxa ad genua vsque. Rotula femoris à Latinis quoque patella dicitur, quod cum rotula & patella, ad formam suam, quod attinet, haud inconcinne comparetur. Os inferius duplex est, & minimum Sura, maius vero tibia nuncupatur. Tali supra pedem Malleoli, vel Clauiculæ vocantur. Pes in genere quadrupliciter diuiditur; vtpote, in Calcem, conuexum, digitos, & plantas. Et hæc est ita promissa totius humani corporis Anatomia, quantum quidem in tam breui Discursu fieri potuit. Aliam vero Anatomicorum diuisionem membrorum totius humani corporis sedulus Lector apud Medicos, & Anatomicos reperiet quo illum ablegatum volumus.

De morbis humani corporis.

De omnis generis morbis autem, quibus homines subinde affliguntur, præsertim vero de cerebri casibus accidentalibus, si quis plura scire desideret, is legat Iasonem pratensem, qui singularem, de cerebri morbis, librum conscripsit: Similiter etiam Praxin Guainerij Paduani, & Velasci Tharantani. De Cuticulis, humoribus, vel alijs influentijs oculi, scripsit Matthæus de Gradibus supra lib. 9. Almansoris, Item: Quintus Serenus & Celsus lib. 6. Cordis periculosa accidentia Franciscus Pedemontius ad amussim quasi examinat & describit, idque in libro suo primo super Mesuen. Intestinorum accidentia perniciososq; eorumdem morbos Hieronymus Gaboncinus

in peculiari ſuo Tractatu eleganter & vtiliter deſcribit. Sic Vitalis de Furno, in libro ſuo de diuerſis remedijs, pedum accidentia deſcribit, iiſdemque in libro iſto ſalutaria proponit remedia. De venis, earumdem defectibus & morbis legatur Martinus Rolandus, alijque plureis, qui admirandum iſtud humani corporis ædificium non dumtaxat ſummo ſtudio explorarunt, verum etiam, pro virili, indicare & demonſtrare conati ſunt, quatenus nimirum illud diu, & quantum quidem, *Deo Ter Optumo Maxumo Clementiſſume Annuente*, fieri poſſet, in flore & vigore ſuo conſeruaretur. In quo etiam nunc adquieſcimus, & ad aliam Profeſſionem quoq; nos accingimus.

IN DISCVRSVM IV.

ADNOTATIVNCVLA.

DE Anatomia Petrus Crinitus, in 13. ſuo libro de Honeſta Diſciplina c. 7. multa memorabilia comportauit. Similiter etiam Ian-Thomas Phrygius qui ambo lectione & perſcrutatione haud indigni ſunt. Pari modo eadem de re videri potetit Syntaxis Petri Gregorij Tholoſani, qui de humani corporis partib. ſingularem aliquem tractatum edidit.

DE

DE COSMOGRAPHIS, GEOgraphis, Chorographis, & Topographis.

DISCURSUS V.

Difficilem sane heic materiam sub manib. habeo, quæ extra omne dubium, magis abstrusa & implicata est, quã Dædali Labyrinthus: vtpote in qua (ob rerum omnigenarum varietatem, diuersas Veterum scriptorum de ijsdem relationes, contrariam Neotericorum obseruationem, & illorum opinionem, qui etiamnum hodie de eadem scriptitant) multa præclara ingenia plurimum desudarunt, & nihilominus tamen omnib. satisfacere possunt: dum vniuersum ferme terrarum Orbem, cum omnibus suis partib. locis, situ, constitutionibus, Distantijs, alijsque Qualitatib. & Conditionibus, quæ singulariter in perfecto absolutoque aliquo Opere requirerentur, describere attentarunt.

Hanc ad artem non dumtaxat operam suam contulerunt, verum etiam lassi tædiosiq; redditi fuere Homerus, etiamsi ab Hipparcho optumus, & rerum Sapientissimus Scriptor fuerit, creditus, Anaximander, Hecatæus, Democritus, Eudoxus, Dicearchus, Ephorus, Hippis, Bion, Xenophon Lampsacen., Bero, Timæus, Eratosthenes, Polybius, Possidonius, Dionysius, Strabo, Solinus, Pomponius Mela, Marius Tyrius, Ptolomæus, & alij, qui, in gratæ posteritatis gratiam atque emolumentum, omne suum studium & operam contulerunt. Ideoq; etiam & ipsi sua laude prometitaq; gloria neutiquam defraudandi sunt. An vero ad scopum semper collimarint, id testatur experientia, quæ sane multis contradicit.

Illos autem potissimum, cũ Claudio Ptolomæo, Cosmographos vel Geographos appellamus, *Cosmographi.*

lamus, qui, iuxta notam totius terrarum Orbis descriptionem, siue in planicie, vel Charta, vel in aliqua Sphæra, omnes Prouincias, iuxta illarum situm, vrbes item, aliaque loca, scite norunt describere.

Geographi. Alias Geographi illi nominantur, qui Chartas Tabulasq; Geographicas conficiunt, & prouincias, vrbes, syluas, montes, valles, flumina, &c. requirente necessitate, in iisdem ordine consignant, & describunt. Qui tamen à Chorographis in hoc distincti sunt, vt qui dumtaxat certam aliquam regionẽ, vel Prouinciam: exempli gratia ricinium vel territorium circa Romam, aut Neapolim describunt, atque adeo rectam omnium singularumq; partium formam obseruat. Illi vero, Geographi videlicet, vniuersam aliquam Prouinciam exiguis dumtaxat signis depingunt. Iuxta illud Chorographi magis ad locorum qualitatem respiciunt, eorumdemque genuinam propriamque formam depingunt: Geographi autem solummodo quantitatem obseruant, & saltim mensuras situum, longinquitatis, & regionis alicuius describunt. Chorographi quoque delineare & pingere necessum habent: Sed Geographi ista arte & scientia neutiquam indigent, vtpote, qui dumtaxat exiguo quodam signo figuram alicuius Prouinciæ, aut vrbis cuiusdam situm indicant; id quod tamen absque Mathematica perficere nequeunt, ex qua discere necessum habent, quomodo videlic. alicuius prouinciæ magnitudo consideranda, vbi sita sict, sub qua vel quali linea & constitutione Cœli, &c. & quæ id genus alia Geographus scire necessum habet. Chorographi quoque ita nominantur, tamquam vnius saltim loci Descriptores, quemadmodum etiam ipsorum nomen denotat, quod solummodo vnam aliquam ciuitatem, vel sæpenumero etiam exiguam, quamdam Prouinciam describunt: Vnde etiam apud Ptolomæum Topographorum nomine insigniuntur, quemadmodum hodierno nostro tempore ex isto ordine cumprimis excelluit D. Hieron. Righettinus, Canonicus Regularis Lateranensis, mirabilis ille Topographus in calamo: ob cuius singularem scientiam eo magis mirandum est, quod tam elegans opus manu sua perfecerit: quẽ ad

admodum etiam ante quadriennium Insulam Tremitanam scite admodum delineauit, eandemq; magno Duci in Toscana inscripsit, cuius laboris etiam ab eodē Illustrissimo Principe condignum recepit premium. Turinum parimodo eleganter delineatum Duci Sabaudiæ sacrum esse voluit, eapropter etiam ducentis ferme coronatis à Duce donatus abijt.

Nonnulli Topographiam nihil aliud esse autumant quam descriptionem aliquam, quæ verbis fiat, quemadmodum apud Poetas videre est, quando videlic. situm, formam, & qualitatem alicuius loci in historijs occurrentes, describunt.

Ante commemoratorū Chorographorum autem hodierno nostro tempore, neque inter Græcos, neq; etiam Romanos, nulli vetusti reperiuntur: quoniam Veteres delineationes suas ægre retinere vel conseruare potuerunt. Scientia siquidem easdem ligno, vel æri incidendi, caruere, & omnia calamo perficere necessum habuerunt, quocirca etiam ea gratæ posteritati eo minus communicare potuerunt. Hodierno quoque nostro Seculo multæ p̄clarissimæ præclarissimorum artificum delineationes, vtpote Raphaelis Vrbinatis, Michaelis Angeli, Alberti Dureri, Ludouici Vincentini aliorumq; vel interierunt, vel amissæ sunt, quæ tamen, extra omne dubium, in magno pretio æstumatæ fuerunt. Ex multis amissis adhuc hodie quędam repetiuntur reliquiæ & picturæ, quæ nullo modo reijciendæ, sed suo quidem merito summopere extollendæ sunt: vtpote Delineatio Coronæ Gallicæ Orontij, quæ & elegans est & excellens. Pari modo & alia quædam, IX. partes continens, sua heic laude neutiquam defraudanda est, quam Franciscus eius nominis primus, opera & auxilio omnium Mathematicorum totius Occidentalis Franciæ, præsertim vero Tolineti Limosini, Chorographi quomdā celeberrimi, adornari curauit. Similiter & Gręcia, Sophici, Pedemontana Regio, Iacobi Castaldi, Toscana, Bellarmati, tam ligno, quam æri incisa, Hispania Don Diegi, Item Romania, exigua quidem, attamen satis elegans & idonea, Terra sancta, in ligno, & Bunæ Siciliæ, in ære, & tandem Europa ligno incisa, q̃ à rerum peritis optuma censetur:

tur: Post illam, alia quædam æri incisa non dumtaxat est elegantior, verum etiam, ad nauigationes marinas perficiundas, multo aptior. Inter illos Chorographos Ruscellius Iulio Sanuto, Nobili Veneto, palmam, præ cæteris omnibus, tribuit, vtpote, qui non dumtaxat delineationis certus est, verum etiam scite & eleganter nouit sculpere. Illum sequitur Taisnerus, Curtius Gonzaga, &, Treuis, Bartholomæus Galuanus, qui in delineandis propugnaculis, multos alios post se relinquit.

Geographi. Geographi nomen & omen ab ipso suo opere sortiuntur, vtpote, qui vniuersum terrarum orbem, salum, solumq;, quantum quidem humanus intellectus permittere solet, describũt: Idemq; sunt quod Cosmographi, quamuis aliqui hoc postremum nomen aliquanto altius extollant, &, Cosmographum vniuersam Cœli Terræq; fabricam comprehendere, prætendant, quemadmodum nuperrimo tempore Iason de Nores testatum fecit: Vice versa, Geographos saltim terram describere illi ipsi asseuerant. Alij aliam faciunt differentiam, & Gręcum vocabulum Cosmus, quod decus significat, respiciunt: Ideoque etiam illos ipsos Cosmographos esse affirmant, qui, absque consideratione particularis Quantitatis, vel mensura distantiæ locorum, dumtaxat naturam & proprietatem Prouinciarum, vna cum moribus & Consuetudinib. incolarum describunt: quemadmodum videre est in Solino, Diodoro Siculo, alijsque pluribus. Geographi autem illi nuncupandi sunt, qui mundum, omnesque illius partes, juxta dispositionem, mensuram, & situm illarum, describunt.

Nihilominus tamen deprehenditur neminem sibi adeo temperare posse, quin non vicino suo, (quemadmodum etiam Cosmographi & Geographi nimium sibi vicini atq; propinqui sunt) quandoque aliquid de suo detrahat. Quocirca operæ pretium me facturum esse existumo, si ambos heic, sub vno eodemq; nomine, complectar, quod vnius generis res tractare soleant.

Itaq;, secundum doctrinam Cosmographorum aut Geographorum, vniuersum terrarum Orbem commodissime in VI partes, diuidi posse asseuero quem

quemadmodum etiam à natura ipsa hunc potissimum in modum diuisus est.

Prima est Lybia vel Aphrica.

Secunda, Europa.

Tertia, Asia, vna cum Prouincijs & Insulis ad quamlibet mundi partem pertinentibus, ac simul cum ijs, quæ ipsis omnino fuerunt incognitæ. Certum siquidem est, veluti etiam Ruscellius id clare demonstrat, Ptolomæo vniuersi terrarũ Orbis longitudinem & latitudinẽ minime cognitam fuisse, sed ne vix quartam istius partem resciuisse, & ad XVI. solummodo gradus cis Æquinoctialem peruenisse.

Quarta mundi pars sunt Indiæ Occidentales, America videlicet, quæ tamen Veteribus minus nota fuit.

Quinta, Occidentales Prouinciæ, quæ quidem quodammodo detectæ, maiori tamen ex parte adhuc incognitæ sunt, quas à præcipuis Insulis & Prouincijs Grunlandiam appellare possemus.

Sexta, sunt Meridionales Prouinciæ, quæ sane etiam ex parte reuelatæ, in hodiernum tamen vsque diem minus notæ sunt.

Ad externam vero totius terrarum Orbis superficiem, quod attinet, Natura illam in V. distinctas Zonas, quas nos scite Circulos vel Regiones appellare possemus, distribuit. Illarum vna sub Solis radijs recta iacet, vnde etiam Zona torrida appellata, & pro inhabitabili æstumata fuit. Illæ autem duæ Zonæ quasi inter duos Tropicos, Cancri, & Capricorni videl. iacent. Duæ itidem Zonæ vtrimque à Sole longissime remotæ sunt, nimis frigidæ censentur: Illarum vna sub Circulo Arctico, alter vero sub Antarctico iacet. Denique adhuc duæ aliæ inter calidum, & frigidum aliquem Circulum vtrimque iacent, quę illam ipsam ob causam pro temperatæ naturæ ęstumandæ sunt: Illarum vna quoq; Circulo Australi, altera autem Septentrionali, & Tropico Cancri tangitur. Omneis, iuxta Veterum opinionem, inhabitantur, quemadmodum in hodierni temporis nouis Nauigationibus compertum est, atque etiamnum depræhenditur. De vniuersa ista orbis terrarum descriptione Veteres Cosmographi numquã

sufficienter instructi fuerunt, & à Meroe, versus Meridiem: à Boristhene, versus Septentrionem: ab Insulis Fortunatis, versus Occidentem: & denique à Caligata, Orientem versus, nihil sciuerunt amplius, sed dumtaxat intra terminos istos sese cõtinuerunt, & dumtaxat aliquid, quãtum quidem intra terminos istos notum esse potuit, in scriptis suis grata cum posteritate communicarunt.

Istum ambitum in 12. Meridionales distribuerunt, qui in Æquinoctiali 15. gradibus à se inuicem distant, hoc est, integræ alicuius horæ differentia fiet ab vno Meridionali, versus alterum. Pari modo eumdem in 7. Climata diuiserunt, quæ etiam situs vel regiones nuncupare possemus, vt tantum sumamus terræ ab Æquinoctiali, versus Polum Septentrionalem, pro vno Climate, vt longissima dies, circa semihoram, respectu proxime sequẽtis, distincta fiet.

Exempli gratia; Primum Clima, per Meroen transiens, in longissimis totius Anni diebus, 13. horas complectitur.

Secundum, quod per Sienen transit, 13. & dimidiam horas in die longissimo continet.

Tertium, Alexandriam transiens, horas 14.

Quartum, quod per Rhodum transit, 14. horas, ac dimidiam.

Quintum, Romam transiens, horas 15.

Sextum, quod Pontum perambulat, 15. horas, ac dimidiã.

Septimum Clima, Boristhenem peragrans, 16. horas. Quibus Martianus Capella, (tamquam rerum istarũ magis gnarus, quam Ptolomæus, Alfraganus, Iulius Firmicus, Albumazar, Hermannus, Aliaben, & plureis alij, qui saltem 7. Climata esse statuerunt.) non quidem absque fundamento.

Octauum, superaddidit, nẽpe, quod per Ripheos transit. Priores enim de Septentrionalibus Prouincijs nihil præclari resciuerũt, veluti hodierno tẽpore illę nobis innotuerunt. Alij quoq; 8. isti 9. adhuc addiderunt, quod per Daniam transit. Vbi simul & illud probe notandum obseruandumq; est, quod Clima quodlibet etiam contrarium suum habeat. Nam vbi vnum lõgissimam diem nactum est, tunc, vice versa, alterum longissimam suam noctem habet, quæ versus Meroen, Syenam,

nam, & versus Alexandriam nominantur.

Vniuersus terrarum Orbis, quemadmodum Ptolomæus libro 1. Almagesti demonstrat, rotundus est, quod tamen non ita intelligendum est, quasi vndique globuli instar, rotundus fiet, id quod altorum montium, & profundarum vallium causa, minime fieri vel esse potest: Sed Orbis ille tanquam malum punicum formatum est, quod etiamsi minus glabrum fiet, nihilominus tamen rotundum esse videtur: Ita etiam Orbi gibbosi montes in rotunditate sua nihil singulare detrahunt, quũ aqua, vel mare decentem istam rotunditatem compleant, adeo vt in toto vniuerso iaceat, quemadmodum punctulum in circumducto aliquo circulo. In ambitu & circuitu suo, (nisi opinio Eratosthenis scrupulum nobis heic injiciat, qui voluit, illum ducenta, quinquaginta duo stadiorum millia in circuitu suo complecti; & Ptolomæi, qui eiusdem circuitui 180. stadiorũ millia adtribuit: Dionysidori, 250. stadia ad ambitũ istum numerantis, quibus Plinius adhuc 7. millia addidit, quo melius, iuxta suam sententiam, Naturalis Harmonia compleatur, & terra 90000. pars toti⁹ vniuersi fiet) iuxta demonstrationem hodiernorum Mathematicorũ, triginta vnum milliarum millia & quingenta complectitur: In latitudine circiter 10000. ducenta, & viginti millia: In Crassitie vero, à Centro vsque ad nos & superficiem, quinque millia, & vndecim milliaria.

Quum igitur vniuersum terrarum Orbem in 6. peculiareis partes diuiserimus: iccirco vnã, post alteram, partem, quantum quidem Discursus nobis permiserit, ordine describemus, & ab Asia initium nostrũ sortiemur, vtpote, quæ magnitudine sua cęteras omneis longe post se relinquat. Est autem illa mundi pars sic dicta ab Asia, filia Oceani & Thætidis, quam Iapeti vxorem fuisse perhibent, habetque fines terminosque suos ab omni parte. Versus Ortum ab Aphrica separatur, cum linea à Promontorio Samonio vsq; ad mare rubrum: illinc per modo dictum mare vsque ad Insulam S. Laurentij, vt ista Insula in Aphrica remaneat. Versus Occasum ab Europa separatur, per lineam à commemorato isto Promontorio Samonio, quod in

Orbis terrarum forma.

Asia descriptio.

Candia situm est, per mare Ægeum. Exinde per Hellespontum Propontidem, Bosphorum Thracium, Pontum Euxinum, Bosphorum Cimmericum, Paludem Mœotidem & per fluuium Tanain, deducta. Versus Meridiem & Polum Antarcticum, ab istis Prouincijs distinguitur cum linea, quæ à mari prope Insulam S. Laurentij, versus Meridiem, per mare Machian, vsque ad Insulas Moluccas, trahitur. Versus Ortum ab America separatur cum aliqua linea, quæ à mari Maluccarum, versus Septentrionem, per mare Chinan, & per angustiam Anian, vsque Septentrionale mare ducitur. De Grunlandia etiam versus Septentrionem separatur cum illa linea, quæ antea per angustiam Anian in Septentrionale mare, & exinde versus Occasum, per Oceanum Scythicum, vsque ad mare Drobasaf, deducitur: quo in loco etiā linea mutatur, cum qua Europa à Grunlandia segregatur.

Tribus in partibus à mari circumdatur. Versus Orientem enim habet Oceanum Sericum: versus Meridiem, mare Indicū: versus Septentrionem, Oceanū Scythicum. Mediū mons Taurus transit, qui ab Oriente sese ad Occidentem vsque extendit, illamq; quasi in duas partes diuidit: vnam quidē partem versus Septentrionem, alteram vero, versus Meridiem sitam. Modo dictus autem mons tam late sese extendit, quam Asia longa est, nimirum 5625. milliaria, quibusdam in locis sese ad 365. milliaria expandit: atque, iuxta Prouinciarum differentiā quādoq; nomen immutat & diuersis in locis Caucasus, alibi, Hircanus: alijs in locis Taurus, & alibi Sinai appellatur. Alias Asia, iuxta Timosthenis calculū, duo millia quingenta, & triginta octo milliaria, in latitudine complectitur, atque in faucibus Canapi fluuij oritur, & vsque ad Porti exitum progreditur, veluti Veteres ea de re scripserunt. Moderni vel Neoterici autem omnia multo aliter diuidunt. Ptolomæus, vniuersam Asiam potissimum in quadraginta octo Prouincias diuidit, quarum singularum nomina heic ordine alternatim recensebimus: & dicitur.

I. Pontus.

I.	Pontus.
II.	Bythinia.
III.	Aſia , vnde etiam vniuerſa Regio nomen ſuum ſortita eſt.
IV.	Licia.
V.	Galatia, in qua ſita eſt.
VI.	Iſauria.
VII.	Pamphilia, in qua
VIII.	Piſidia.
IX.	Cappadocia.
X.	Armenia, Minor.
XI.	Cilicia.
XII.	Sarmatia.
XIII.	Colchis.
XIV.	Iberia.
XV.	Albania.
XVI.	Armenia.
XVII.	Cyprus, Inſula.
XVIII.	Syria Caua.
XIX.	Phœnicia.
XX.	Palæſtina, vel Iudæa.
XXI.	Arabia Petrea.
XXII.	Arabia deſerta.
XXIII.	Meſopotamia.
XXIV.	Babylonia.
XXV.	Aſſyria.
XXVI.	Paphlagonia.
XXVII.	Media.
XXVIII.	Suſiana.
XXIX.	Perſis, vel Perſia.
XXX.	Parthia.
XXXI.	Caramania deſerta.
XXXII.	Arabia fœlix.
XXXIII.	Caramania.
XXXIV.	Hyrcania.

XXXV.

XXXV.	Margania.
XXXVI.	Bactriana.
XXXVII.	Sogdiani.
XXXVIII.	Saci.
XXXIX.	Scythia, intra & extra montem *Imago.*
XL.	Serica.
XLI.	Aria.
XLII.	Paropanisadl.
XLIII.	Brangiana.
XLIV.	Arcosia.
XLV.	Gedrosia.
XLVI.	India, intra Gangen.
XLII.	India, citra Gangen.
XLVIII.	Taprobana Insula.

Pontus, & Bythinia.

Pontus & Bythinia (quæ olim, Solino teste, vno nomine Bebricia, postea vero Midonia adeptæ sunt appellatæ fuerunt, hodie alia nomina. Alij n. illas Bursam, multi Natoliã nũcupãt à præcipuis earumdem ciuitatibus. Aliqui, præsertim autem Moderni, vocant illas Turciam, & Asiam minorem) extendunt sese versus occidentem vsq; ad Bosphorum Thracium, & vnum latus propontidis; Versus Septentrionem, vsq; ad latus vnum Ponti Euxini: Versus Meridiem, vsq; ad illam Prouinciam, quæ proprie Asia appellatur, hodie vero Natolia dicitur: Et versus Ortum, vsque ad Galatiam.

In primo latere præcipuæ ciuitates illę sunt: Calcedonia, nimirum, Nicomedia, quam Turci Nicanor, Marini Nauigantes vero Comidiam nuncupant. Apamia, Nicæa, Prusa pone mõtem Olympum sita, & hodierno tempore in Imperio Asiatico est Metropolis. Iuxta illas celebres quoq; sunt Acrita, possidiũ Promontoriũ & Palus Ascania. In altero latere celebrant Heraclea, Promontoriũ, quod à Nauigantibus *Capo di Schili* appellatur, fluuij, Psillis, Calpa, Hippius, & Parthenius. Post illas ex parte alia, celebris est vrbs Citoriũ, & duo præcipui montes Orminius, & Olympius videlicet,

delicet, Libissa, vbi Hannibal spiritum suum exhalauit, Prusa, in fluuio Hippio sita, Patauium, Cæsarea, quæ etiam Smirablia dicitur, & Nicæa, quæ postmodum Antigonea appellata fuit. Vicinæ adiacentes Insulæ sunt; Cineæ, Tinia, quæ etiam Daphnusia, & à Plinio Apollonia nūcupata fuit, & Erithniæ, quæ à proxima rupe, cui adiacent, nomen suum sortitæ sunt.

Prouincia vero, quæ proprie Asia appellatur, vna cum commemorata ista Bythinia Septentrioni est finitima: Occidenti, cum vna parte propontidis, cū Hellesponto, & cum Mari Ægeo, Icario, & Mirtoo: Versus Meridiem finitima est Rhodiorum Golfo, vel Mari, Lyciæ, Pamphiliæ, & Galatiæ. Versus Orientem eidem Lyciæ est finitima, attamen in altero aliquo latere, vbi in multas, paruas tamen, Prouincias diuiditur, veluti in Mysiam minorem, versus Hellespontum sitā, vbi Taurus mons suum sortitur initium in qua Cizicius & Lampsacum præcipuæ Ciuitates sunt. In eadem quoq; circa mare brachium reperitur S. Georgij, qui ille locus est, in quo Xerxes pontem suum exstrui curauerat, dum in Græciam proficisceretur, & antiquita Gallipolis. Item fluuij Simoon, & Xanthus, atq; Nigæum Promōtorium, q̄ hodierno nostro tēpore caput Ianizarorum appellatur. In eadem sita, quoq; est Phrygia minor, prope mare Ægeum, olim Troas, nūc vero Phrygia Hellespontina dicta, vbi olim Troia vel Iliū fuerat, cuius murorum rudera adhuc hodie conspiciuntur, atque triginta stadijs ab hinc, quemadmodū Strabo memorat, nouum Ilium, vel Troia noua ædificata fuit. Eodem in loco quoque videre est promontorium, quod olim Lectus dictum hodie vero Caput Mariæ nuncupatur. Heic etiā Magna Phrygia sita est, in qua Antandius, Apollonia, Traianopolis, Pergamum, Natolia, (Turcorum quomdam, ante captam Constantinopolim, Metropolis) Apamia, Eumenia, Hierapolis, Tiberiopolis, & Iuliopolis, omneis elegantes beneq; munitæ vrbes, conspiciuntur. In eadem, tamquam aliqua Prouincia, cōprehensa est Caria, iuxta Mare Mirtoum sita, in qua vrbes, Heraclea, Miletum, Tripolis (Prouinciæ illius Metropolis) Laodicea, ad Lycū fl. sita Antiochia, ad

ad Meandrum fl. Aphrodisia, Magnesia, Neapolis, Stratonica, & Apollonia. Cernitur quoque inibi Promontorium, Idissa dictum. Doris etiam eiusdem Asiæ Prouincia, in qua Guidus & Halycarnassus præcipuæ vrbes sunt. Deniq; in eadem quoque tam quam Prouinciæ compræhensæ sunt Lydia & Mæonia, in qua celebriores vrbes sũt Hieron, Cæsarea, Tiatyra, Egare, quam Cornelius Tacitus Ægeatam appellat, Sardus & Philadelphia. Insulæ, ad Hellespontum sitæ, sunt Tenedus, in qua etiam vrbs, eiusdem nominis, in Mari Ægeo sita est, Æolica, hodie Mitellino dicta, à Mitilene vrbe, quæ illinc sese conspicuam reddit. Habet quoque hæc Insula duo Promontoria vnum Pitra, alterum Argennum dictũ. In Mari Icario, hodierno tempore Nicariũ appellatum, sunt Nicaria, Chius, vbi quoq; eiusdem nominis vrbs, Mind⁹, possidia, Samus, vrbs & Insula, olim Cyparissa nuncupata. In Mari Myrtoo, à præternauigantibus *Mari di Mandria* dicto, sunt Arcesina, Bigialis, Minga, Astipalea, vel Stampalia, in qua itidem eiusdem nominis vrbs, & Insulæ Ciclades dictæ. In mari Rhodiano & Carpathio est Sima, Cous Insula & vrbs, Carpathia, nunc *Scarpanto*, in qua vrbs possidium, & duo Promontoria, Thoantium & Elphatium videlicet: Et tamdem Insula Rhodus, in qua ipsa vrbs & duo Promontoria, *Franco*, & *Onagnato*, *Capo fladio* dictum, vna cum portu *Malfetta*, & faucibus Calpij fl. præcipui montes hac in Asia sũt Ida, qui iudicio paridis celebratur, quod inter 3 Deas tulit, dein Cimarius Timnus, in quo etiam ipsa vrbs Timnus sita, Item, Branchidas, Tmolus & Phœnix.

Lycia, hodie Briquia, versus Septentrionem & Occidẽtem, finitima est commemoratæ isti Asiæ: versus Ortum, partialicui Pamphiliæ: versus Meridiem, Mari Lycio, in quo Caria, Telmesus, Olympus, Chelidonia, ingentes celebresq; vrbes: Item fluuij, Xanth⁹, Liminus, & Promontorium Chelidonium. Intrinsecus, circa montem Cragátẽ, conspiciuntur Solyma, Xanthus, &c. Apud montem Masithetum Rhodipolis, Limira, & cætera. Complectitur quoque in se Prouinciam Milcadam, in qua vrbs Nisa, & pars Carbaliæ, in qua Eneanda sita. Finitimarum Insularum tres sunt, vtpote Maxima, Megisthus, & Dolicæ

sta, vna cum 5. Scopulis Chelidonijs.

Galatia, à Gallis Gallogræcia dicta, ad cuius incolas D. Paulus Apostolus epistolas suas exarauit; versus Occidentem finitima est Bythiniæ, & parti alicui ante descriptæ Asiæ: versus Meridiem Pamphiliæ: versus Orientē, vni parti Cappadociæ: versus Septentrionem, parti alicui Ponti. In hac Prouincia celebriores ciuitates sunt Citorus, & Tr polis: montes insigniores cæteris Olisa Dydimus, & ille, qui Sepulchrum Sylenorum appellatur. Versus Orientem partim à Paphlagonijs habitatur, vbi intrinsecus Germanopolis, Pompeiopolis, & Claudiopolis à Romanis olim conditæ fuerunt: Complectitur etiam Lycaoniæ partem, in qua Tetradium, & Laodicæa, in cineres redacta. Versus Occidentem pari modo partem Pisidiæ complectitur, in qua Neapolis, & Apollonia. Versus Orientem quoque illic conspicuam se reddit Isauria, sexta illa Asiæ Prouincia, vna cum vrbe sua Isauro. Versus Meridiem habitant Orondici in Ciuitatibus suis Mistio, & Pappa.

Pamphilia, alias etiam Mopsopia, & hodierno tempore Satalia dicta, in qua octaua quoq; Asiæ Prouincia Pisidia sita, versus Occidentem finitima est Lyciæ, & parti alicui minoris Asiæ: Versus Septentrionem, Galatiæ versus Orientem, Ciliciæ, & vni parti Cappadociæ: versus Meridiem, Mari Pamphilio, in quo Regia Ciuitas Satalia, & magis sita, intrinsecus terrestri itinere, perga, ad Eurimedontem fl. cernitur. In eadem quoque, tamquam parua quædam Prouincia sunt Cilicia Aspera, in qua vrbs Coracensium sita. Similiter & Phrygia, peculiaris aliqua Prouincia, in qua Antiochia, vel Cesarea, iuxta relationem Plinij, & Seleucia sitæ. In illa etiam, veluti supra commemorauimus, Pisidia complexa, quæ à Turcis hodierno tempore Sau ia appellatur, in qua vrbs Talbonda iacet. Garbalia, exigua aliqua Prouincia, in qua vrbs Vranopolis. Insulæ, Pamphiliæ finitimæ, sunt Crambosa, & Abelusa.

Cappadocia. Cappadocia versus Orientem finitima est Galatiæ, & parti alicui Pamphiliæ; versus Meridiem Ciliciæ & vni parti Syriæ: versus Occidentem, magnæ Armeniæ, apud Euphratem fl. Et versus Septentrionem, Ponto

Euxino, in quo Irius fl. è Prouincia ista excursionem facit. Simili modo finitima quoque est Mari Galatiæ, vbi Temescira vrbs & Promontorium Herculis. Item, Mari Polemoniaco, vbi vrbs Ermonessa ad Thermodontem fl. & Promontorium S. Thomæ: Item, Mari Cappadocio, apud Syndonem fl. vbi Trasibunda & Tripolis. Præcipui montes in Cappadocia sunt Argeus, quem Mela fl. alluit, Antitaurus, & Scordiscus. Intrinsecus quoque, terrestri itinere, complectitur Sebastopolim, Amasiam, vnde Strabo oriund⁹, Sebastiam, & Nouam Cæsaream. In multas quoque Præturas diuiditur, quæ omneis peculiareis suas vrbes habent; commemoratis tamen prioribus sunt dissimiles.

Armenia minor. Armenia minor, alias Leuco Syria, h. e. Alba Syria à *Procopio* appellatur, à Christianis colitur, qui tamen cum Romano-Catholica Ecclesia non per omnia consentiunt, Prælatum ipsorum Catholicum, vel in sua lingua Anduolem nuncupant. Septentrionalis huius Prouinciæ pars Orbalinensis dicitur, cui adhuc alia Etulana nimirũ, subiacet; & hæc iterum aliam subiacentem habet, videl. Ereticam, cui iterum Orsena Prouincia subiecta est. Vrbes illius ad Euphratem sitæ sunt Ismara, Dalanda, & terrestri itinere intrinsecus prope Montana, Nicopolim, Domanam, aliasque plures. Hæc similiter in Præturas quasdam distribuitur, quarum vna Rauenna dicitur, cui multæ vrbes subiacent, inter quas Iuliopolis, & Claudiopolis sunt præcipuæ.

Cilicia, hodierno tempore Caramania dicta, versus Occidentem Pamphiliæ est finitima: versus Orientem, vni parti Syriæ: versus Septentrionem, alicui parti Cappadociæ, ad montem Taurum sitæ: versus Meridiem, vallibus Ciliciæ, & Mari Issico. In latere Prouinciæ Selenidis, circa mare sita est Antiochetta ciuitas. Intrinsecus, & terrestri itinere, sitæ sunt Dio Cæsarea, Philadelphia, Seleucia Aspera: In *Prouincia* Cetide maritima, Aphrodisia & Arsiũ, vna cum Promontorijs Serpedonio & Zephirio. Terrestri itinere intrinsecus Obasa ciuitas sese reddit conspicuam. In Prouincia Pisidia, quæ etiam sub Cilicia comprehensa est, ad mare Augusta Pompeiopolis, & fl. Piramus.

ramus. In Prouincia Lacantide, sita est Hieropolis. In Lamotide, Lamus. In Brielica, Augusta: In ipsa denique Cilicia, terrestri itinere intrinsecus, Tarsus, Cæsarea, Nicopolis, Epiphania, & Portæ Amanicæ sitæ sunt.

Sarmatia. Sarmatia, hodie Moscouia dicta, versus Orientem finitima est Scythiæ, & alicui parti Maris Caspij; Meridiem versus parti alicui ponti Euxini, Colchidis Iberiæ, & Albaniæ; versus Occidentem, Sarmatiæ Europeæ, Paludi Mæotidi, & Bosphoro Cimmerio; & Septentrionem versus vni, hodierno tempore adhuc incognitæ Regioni. In hac Prouincia Amazones habitasse dicuntur, quæ fortissimæ mulieres tam domi, quam foris & in bello Rempublicam administrarunt & ingentem victoriam à vicinis populis reportarunt. Heic etiam mons Caucasus situs est, montes itidem Hyperborei, Columnæ Alexandri, & Regium Palatium Potentissimi Regis Mithridatis. In eadem Prouincia quoq; Promontorium Cimmerium, Mare, vel Sinus Carceticus, & pars Colchidis, vna cum monte Corace conspiciuntur. Comprehenditur heic etiam ipsa Hiberia, in qua Portæ Sarmaticæ ad montem Caucasum sitæ sunt. Præcipuus Incolarum fluuius est Volga, vel Vola, quem Tartari Edel nominant, quique non, vti quidam scriptitarunt, in Montibus Hyperboreis, sed in Planitie, & ex Moscouiæ Paludibus, quemadmodum Paulus Iouius & Matthias Michouius vere testantur, exoritur. Versus ignotam istam Regionem habitant Sarmati Hyperborei, & Mangiacaualli, (Pferdfresser) vna cũ alijs populis, qui vniuersam istamRegionem hincinde incolunt. Ptolomæus quidem quosdam ex illis nominat, qui tamen omnino ignoti sunt. Notissimi vero sunt Saraceni, Amazones, Ceraunij, & Achæi. Præcipuæ vrbes, Paniarda, Azara, Tirambe, Fanagoria, Corocondama, &c. Colchus vel Colchis in Tartarica sita est Prouincia, quę Romania dicitur, cuius Inquilini hodierno tempore Mengrelli appellantur. Notissima vero est Prouincia illa cuius nõ tam Historici, quam Poetæ etiam sæpenumero mentionem faciunt, idque Medeæ caussa, quæ Colchidis alicuius Regis filia fuit, & Iasonem, cæterosque Argonautas, aureum vellus illinc aferentes, sequuta est. Versus Septen- *Colchus.*

ptentrionem finitima est ante descriptæ Sarmatiæ, similiter etiam versus Occidentem: Versus Meridiem vero Sinui Cappadocio, & alicui lateri Maioris Armeniæ: Et Orientem versus, Hyberiæ. Occidentem versus habet vrbes præcipuas Sebastapolim, Napolim, & Theopolim, vna cum fluuijs Hippo, & Cinneo. Hanc populi inhabitant, qui Lazij, & Mantalij dicuntur, præsertim autem in ciuitatibus Medesso & Madia, alijsque pluribus.

Hyberia. Hyberia, vel Iberia, hodierno tempore Georgiana appellatur, & a Christianis colitur. Non autem illa est Iberia, quæ versus Europam sita est, Hispania videlicet. Versus Septentrionem finitima est vni parti Sarmatiæ: Occidentem versus, Colchidi: & versus Orientem, Albaniæ In hac Prouincia vrbs Artemisia sita est, vna cum alijs, ignobilis tamen nominis.

Albania. Albania, hodierno tempore Zuiria appellata, Imperio Magni Chami, vel Tartarorum Imperatoris, paret, in qua Pompeius Magnus Mithridatem superauit: versus Septentrionem finitima est Sarmatiæ: versus Ortum, Iberiæ: Meridiem versus, Magnæ Armeniæ: & Occidentem versus, Mari Hircano, quod exinde ad Soana fl. sese extendit. In montanis Portæ Albanæ conspiciuntur, quæ celebres satis sunt: in planitie vero fluuij præcipui Soana Albanus, Cassius &, Cabala: vrbes insigniores numerantur Thalbe, Gelda, Albana, & aliæ, quæ nondum notæ sunt. Huic etiam duæ Insulæ adiacent, quæ Palustres nuncupantur.

Armenia maior. Armenia maior, hodierno tempore Turcomania dicta Imperio Turcico subiacet, & versus Septentrionem, parti vni Colchidis, Hyberiæ, & Albaniæ, ac simul Cirro fl. est finitima: Occidentem versus Cappadociæ: versus Orientem, Hircanico Mari: & Meridiem versus, Mesopotamiæ, Tigri fl. & vni parti Assyriæ. Præcipui Armeniæ maioris montes sunt, Moschici montes, Pariader, Gordicus, & Antitaurus: Fluuij insigniores Araxis, Cirrus, Euphrates, & Tigris. Ingentes quoque 3. Paludes habet, videlic. Thespiten, Lieniten, & Arecissam. Illic quoque sequentes comprehenduntur Prouinciæ, vtpote: Cartazene, Ossarona. Montena, Coldena, Sodúcena, Sibicena,

na, Sagapena & adhuc aliæ, quæ tamen perexiguæ sunt. Vrbes præcipuæ sunt Tigranocerta, Goderides, & Zoriga, & plureis aliæ.

Cypri. Cyprus Insula versus Occidentem mare Pamphilicum complectitur, in quod Promontoria, Acamentis, Zephirium, & Drepanus sese extendunt. In cuius latere duæ celebres vrbes sitæ sunt, nimirum Paphus noua, quæ *Baffo* & Paphus vetus appellatur. Meridiem versus, Ægyptiacum & Sorianum maria conspiciuntur. Hac in parte sequentia promontoria sese exerunt. Frurium videlicet, Curium, Dadium & Tronium, quod hodierno nostro tempore *Capo della Grotta* nuncupatur, eidemque eiusdē nominis ciuitas adiacet. Præcipui illius Prouinciæ fluuij sunt Tetius, & Licus. Vrbes, Curium, alias Limisum dictum, Amathus & Citium Versus Orientem mare habet, Sorianum, & sub eadem parte pedium fl. Eleaniam promontorium, & vrbem Salaminam, quæ hodierno tempore Famagusta nuncupatur. Septentrionem versus partem angustam Siciliani maris complectitur, vbi Promontoria, Cromonium & Calinusa, prominent, in eadē parte fluuium Lapitonem habet, cui eiusdem nominis ciuitas adiacet, iuxta quam Carpasia, Aphrodisium, Macaria, Cheronia, & Arsinonis celebres vrbes sitę sunt. Terrestri itinere Chytrus, Trimetū & Thaurmassus vrbes sitæ. Vicinæ Insulæ Clidis, & Carpadiæ Insulæ appellantur. Terrestri itinere Metropolis Nicosia sita est. Tota autem Insula Imperatori Turcico hodie subiecta est, qui eamdem Reipublicæ Venetianæ violenter armataque manu extorsit, postquam Nobilissima aliqua fœmina, ex Cornarorum familia, olim Regis Cypri coniunx, eamdem istam Insulam hæreditario, & per Testamentum à marito suo accepisset, & Serenissimæ illi Reipublicę postmodum dono dedisset.

Syria. Syria, vel Soria, versus Occidentem finitima est Ciliciæ, & vni parti Cappadociæ: Occidentem versus, Mari Soriano: versus meridiem, Palæstinæ, aut Iudææ, & vni parti Arabiæ Petreæ: Orientem versus, desertæ Arabiæ, ad Euphratem, & vni parti Mesopotamiæ; etiam ad partem aliquam Euphratis. In parte, Occidentem versus, sunt:

sunt Alexandria, Seleucia, Pieria, Heraclea, Laodicæa, quæ à Iudæis Ramata appellata fuit: hodierno autem tempore Soriani illam Liche nuncupant: Item, Gabala, à Iudæis Gebol, ab Inquilinis vero Gibel dicta. In eadem illa parte fluuium Oruntem habet, vbi hodierno tempore Portus S. Simeonis conspicitur. Terrestri itinere, Prouincia Comagena, in qua ciuitas Alepo ad Taurum montem sita. Ad Euphratem sita quoq; est Semosata, Comagene etiam dicta, ex qua Lucianus oriundus fuit. Illic quoque videre est Prouincia Cassiotis, in qua Antiochia ad Orontem fl. sita, & à Iudæis Reblatah dicta est, in qua Christiani nomen hoc primum ab Apostolo Petro sortiti sunt. Heic conspicitur etiam Prouincia Cirristica, in qua vrbes Hierapolis & Heraclea sitę. Alię huc quoq; spectantes Prouinciæ, vtpote Apamenis, Chalcidica, Calibontis, Laodicina, etiam peculiares suas quidem vrbes habent, quæ tamen minus notæ, multo minus celebres sunt. Præcipui Syriæ montes sunt Pierius, Cassius, Libanus, Antilibanus, Alsadamus, [...]as Arabiā desertam, & Hippus, Iudæam versus siti. Fluuij, Chrysoras ad Damascum, & brachium Iordani, ad Lacum Genesareth fluentis. In illa parte, quæ Syria Caua appellatur, subsequentes cernuntur vrbes, vtpote Eliopolis, alias Abila dicta, Damascus, Antiochia, Abida, Gerasa, Scitopolis, Zades, Galaat, Hessebon, Philadelphica, vrbs olim Ammonitarum, & Rabbath dicta. In eadem parte consistit quoque Prouincia Palmirena in Syria, in qua vrbs Palmira, quæ à Salomone extructa, & à Iudæis Thamor appellata fuit, quæ tamen postmodum Adrianopolis dicta est. Item, Ateia, & aliæ plureis. In Prouincia Batanea vel Gethuri, in eadem parte sita, vbi Trib. Manasses olim Sexaginta Castella possederat, Gerra & Adrama Ciuitates sitæ sunt. Finitimæ Insulæ vero sunt Tortosa & Tyrus, firmæ terræ vicina, & hodierno tempore à Nauigantibus *El Sur* nuncupatur.

Phœnicia etiam inter Syriam numeratur, & versus mare Sorianum Tortosam, Tripolim, Gebelettum, Barutum, Sidonem, olim Sichem, hodie Saito dicta: Tyrum à Iudæis Sor, hodie Sur dictam, Ptolomaidem,

Doram, Dor à Iudæis dictam, quæ Maccabeorũ temporẽ potentissima fuit, hod erno tamẽ nostro tempore exigua saltim est ciuitas, & Castellum Peregrinum dicitur. Promontoria illius sunt, *Capo Pagro*, & *Codipa*. Carmelus præcipuus istius mõs est. Præcipui fluuij, Adonis, & Leontes. Intrinsecus, terrestri itinere vrbes sese conspicuas faciunt Arca, Gabala, Cæsarea Paniæ, quæ hodierno nostro tempore Cæsarea, Philippica appellatur.

Palæstina Palæstina, quæ etiam Iudæa & Soria minor nũcupatur, versus meridiem vsq; ad Arabiam Petræam; Septentrionem versus, ad montem Libanon: versus Orientem autem, vsque ad Montana Galaad & Arnon, quę Ptolomæus Hippum nominat: & versus Occidentem, vsque ad Mare Mediterraneum sese extendit. Huius Prouinciæ latitudo duorum dierum, & longitudo, quinque dierum itinere conficitur, & vbi sane est longissima, videlicet à Bersabea, quæ terminus illius Australis est vsque ad Montem Libanon: in qua nihilominus (etiamsi nimis montosa fiet, & planicie careat, excepta Galilæa, & circa Iordanem) ex singulari *Dei Ter Optumi Maxumi* Prouidentia, tanta populi frequentia habitata est, vt quandoq; vltra quatuor millia inquilinorum millia numerata fuerint. Versus Occidentem, ad mare Mediterraneum sitæ sunt Cæsarea, stratonia, alias Flauia, Accaron. Cæsarea Palæstinæ, Apollonia, olim Azor, Ioppe, olim Iaphet, hodie Zaffo dicta, Azoth, Ascalon, quod Gadon Hebræum hodie dicitur, dein Agrippina, hodierno nostro tempore Scalona dicta. Præcipui illius fluuij sunt, Corseus & Iordanis, qui Iudæam quasi diuidit, & Lacum Asphatidem alluit. Hic autem Lacus olim eximia fuit, planities in qua Sodoma sita fuit: appellatur quoque mare mortuum, in quo nihil mergitur, sed omne natat, pessime olet, & pinguedinem quamdam, picis instar, egerit, quam Græci Asphaltum nominant, vnde etiam Lacus iste nomen suum sortitus est. Intrinsecus, & terrestri itinere in Galilæa sequentes vrbes conspiciuntur, vtpote: Saphet, Capharnaum, & Iulia, olim Bethsaida dicta, & mare Galilæum, vel Lacus Tiberiadis. In Samaria, Neapolis, olim Sichem, & hodier-

hodierno tempore Neptalin, Tena olim Tapuah, hodie Tecua dicta. Versus Occidentem Iordanis, Rama, Gaza, vel Gazara, Iamnia, Lyda, olim Diospolis, Antipatra, olim *Arsus*, nunc *Asioc*, Doatim, Sebaste, olim Samaria, Betacar, & Emaus, olim Nicopolis, Naason, Hierosolyma, quæ etiam Ælia Capitolia, à Turcis vero *Cods Barich* dicitur, Tammada Engadde, quæ palmarum Ciuitas, & Hebron. Versus Orientem Iordanis, Socoth, Coronaim, & Carath. In Idumæa, quæ plane versus Occidentem Iordanis sita est, Bersabea se conspicuam facit, quæ olim quasi *Palæstinæ Terminus* existit. Item, Celia, Eleusa, Gibelim, & Massa. Apud ante cõmemoratum mare mortuum Iericho sita olim fuit, cuius vestigia vel rudera hodierno nostro tempore vix cernuntur. *Betlehem & Nazareth*, quæ vrbes olim, ob partum & habitationẽ *Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi*, valde fuere celebres, hodierno nostro tempore duæ exiguæ villæ sunt. Sichem, vel Napolosa, & Sebasta hodie omnino in cineres fauillasque quasi abierunt.

Arabia Petræa. Arabia Petræa, non quod saxosa Petrosaq; fiet, nomen sortita est, sed ab vrbe Petra, quæ in illa sita est, & à Turcis Barab, à Strabone & Plinio autem Nabathea appellatur. Versus Occidentem finitima est vni alicui Ægypti parti; versus Septẽtrionem, Palæstinæ vel Iudææ, & vni parti Soriæ: Meridiem versus, Sinui Arabco, vel mari Erithræo, aut mari rubro, quod etiam mare Suf nuncupatur: in longitudine vsque ad Sinum Eropoliten, & Golfo Flonili vsq; se extendit: versus Orientem vero finitima est *Arabiæ* felici, & partim *Arabiæ* desertæ. Heic montes sese reddunt conspicuos, qui Neri dicti sunt. Versus Iudæam, in Occidentali parte & longitudine modo dictorum istorum montium iuxta Ægyptum Prouincia Saracenorum cernitur, in qua mons Sinai situs, & hodierno nostro tempore mons S. Catharinæ dicitur: ipsam Prouinciam Iudæi Sur appellant: Paullo infra, Occidentem versus, Prouincia Munichias, alias Medina Talbi dicta, conspicitur, in qua infelix ille Mahometes sepultus fuit: Præcipuæ illius vrbes sunt Bostra, Medauia, & Petra. In hac quoque Arabiæ parte olim Is-

maelitæ, Agareni, Moabitæ, & Ammonitæ sedes suas fixerunt.

Arabia deserta ideo sic appellatur, quod arenosa, montosa, inculta, atque inhabitabilis fiet, in qua solummodo Saraceni, ferini ferocesque populi, in campis cottidie cum vxoribus & liberis suis in currib. degentes, hinc inde vagantur. Versus Septentrionem finitima est vni parti Mesopotamiæ: Occidentem versus, parti alicui Syriæ, Iudææ, & Arabiæ Petreæ: versus Orientem, Babyloniæ, & vni parti Sinus Persici: Meridiem versus, Arabię felici. Ad Euphratem ciuitates Albira & Calab sitæ sunt: versus Mare Persicum, Ammea & Adicara: Intrinsecus, terrestri itinere, Tauba & Zagmais: à multis diuersisque insuper populis inhabitatur, quales sunt Matrini, Caucaboni, Caranij, alijque plureis. Mesopotamia à Iudæis Arã Nearoth, hoc est, Aquosa Syria appellatur. Nomen vero inde sortita est, quod inter duos percelebres fluuios, Tigrem & Euphratem videlic. tamquam Insula iaceat: hodierno nostro tẽpore Regnum Diarboes appellatur. Versus Septentrionem finitima est magnæ Armeniæ: Occidentem versus, Euphrati & Syriæ: Orientem versus, Tigri & Assyriæ, & versus Meridiem etiam Euphrates alicui parti, ac simul Arabiæ desertæ: iuxta Babyloniam quoq; descendit vsque ad illum locum, vbi Euphrates & Tigris simul coniunguntur. Ad Euphratem vrbs Nicephorion sita est, vna cum quibusdam alijs. Vbi Euphrates ita diuiditur, vt vna pars Babyloniam, altera vero Seleuciam influat, Seleucia ipsa sita est, sub qua Basilius fluuius in Tigrim labitur. Ad Tigrim vrbs Singaria iacet, & vniuersa ista Regio in peculiares diuersasq; Prouincias diuiditur, vtpote Antemasiam, Calcitidem, Acabanen, aliasque plureis. Præcipui montes sunt Mastus & Singara: fluuij, Euphrates, Tigris, Cebora, & Saocora.

Babylonia & Chaldea. Babylonia vel Chaldæa hodierno nostro tempore, partim à Nestorianis, partim à Mahometanis & Turcis incolit. Versus Septentrionem, Mesopotamiæ est finitima: Occidentem versus, Arabiæ desertæ: Orient. versus, Susianæ: & versus Meridiem, Mari Persico. Illic Basilicus, Baarsatis, & Euphrates fluuij perlabuntur, qui Babylo-

bylonjam percurrendo in duas quasi partes secat. Tantę autem magnitudinjs ciuitas ista olim fuit, vt etiam 48. Italica milliaria in circuitu sua complexa fiet, & ipsius muri ex lapide coctili adeo crassi fuerint, vt etiam in eodem duo currus sibi inuicem cedere potuerint. Saraceni illam Valdacam appellarunt: vnde etiam Francjscus Petrarcha illam Baldaccum nuncupauit. Eodem in loco oljm Nimroth altam turrim extruere conabatur: quæ ciuitas postmodum Chaldaici vel Babylonici Imperij Metropolis fuit; hodierno tamen in puluere destructa iacet, adeo vt lapidum congeries aliquot per milliaria è longinquo conspiciatur. Iuxta regionem istam itinera ob varia venenosa insectatam infesta est, vt aliquot milliarib. nullus pateat accessus. Ad Tigrim mare versus Balbi vrbs sita est, & pluteis adhuc aliæ: & infra sub cōmemorati fluuij faucibus Adacara & Ammea. In fluuio Baarsari sita est Barsita: & ad palludes Orcoa olim Hur, vbi Abraamus oriundus fuit.

Assyria. Assyria, à Iudæis Assur, hodierno autem tempore Aziniium appellatur etiam in Prouincia Syria, vel Soria, comprehenditur. Versus Septentrionem finitima est magnæ Armeniæ, ad Nifatem fluuium: Occidentem versus Mesopotamiæ: vers⁹ Meridiem, Susianæ, & versus Orientem, Mediæ, qua in parte etiam mons Cabara situs est. Ad Tigrim fl. etiam Narda & Ninus, olim Niniue, hodie Mesul dicta, iacet, qua in vrbe Propheta Ionas concionatus est maiori ex parte hodierno nostro tēpore desolata est. Intrinsecus, terrestri itinere Apollonia, gomorra, aliæque vrbes sitæ sunt: à diuersis Nationibus, vtpote Garamæis, Adiabenis, alijsque populis incolitur. Præcipui eiusdem fluuij sunt Tygris, Leucus, Licus, & Cayrus.

Paphlagonia. Paphlagoniā Ptolomæus in Galatiam ponit, quemadmodū etiam supra in descriptione Galatiæ eius mentionem fecimus.

Media. Media, hodierno tempore Seruan, Sophi Persarum Imperio paret, & versus Septentrionem alicui parti Hircani Maris est finitima, vbi ad Araxin fluuium Ciropolis, Cadusiorum vallis, Altaria Sabæa, & fluuij Cambyses, Cyrus, & Mardus siti sunt. In eodem quoque latere Palus, Marcanus conspicitur.

Versus Occidentem finitima est magnæ Armeniæ, & Assyriæ: Orientem versus, montibus Caspijs finitur, sub quibus Prouincia Marsiana sita est: Circa mare vero Cadusii alijque populi habitant. Versus Orienté quoque finitima est Hircaniæ & Parthiæ, vbi mons Zaytus, & Prouincia Coromitrene visitur: Meridiem versus, Sidici aliæque gentes habitant. Præcipui Mediæ montes sunt Zagrus, Orontes, Iasonius, & Parcothius. Intrinsecus terrestri itinere ciuitates Arsisaca, Heraclea, Morunda, aliæque plureis. Infœcunda sterilisque nimis terra est, adeo vt Inquilini, loco panis, amygdalis vesci necessum habeant. Potum de quibusdam radicibus conficiunt, quo, vini loco, vtuntur. Metropolis Mediæ Ecbatana dicitur.

Susiana hodierno tempore *Zague Ismael* nuncupatur. Appellatur autem Susiana à Suso flumine, aut ab Regia Metropoli Ahasueri Susa, estque pars Persiæ, &, versus Septentrionem, finitima Assyriæ: Orientem versus Babyloniæ, à Tigri fluuio ad mare vsque: versus Orientem, Persiæ: & versus Meridiem alicui parti maris Persici. Præcipui eius fluuij sunt Mulæus, Eulæus, & Orontis. Intrinsecus quoque lacú habet, qui *Palude Fungosa* appellatur. Celebrem quoque habet Planitiem, Doeram videlic. & Prouincias quasdam, vtpote Caracenam, Cauandinam, aliasque plureis. Præcipue eiusdem vrbes ad Tigrim fl. sitæ sunt. Post Altaria Herculis, Agra & Asia visuntur. Intrinsecus terrestri itinere Susa & Baldacum sitæ sunt, vbi summus Sacerdos, vel populorum istorum Episcopus habitat, quem Calipham vocant. Prope Susiam etiam Insula Taxiana se reddit conspicuam. Schlä. Ser.

Persis, vel Persia versus Septentrioné finitima est Mediæ: Occidentem versus, Susianæ: versus Orientem, Caramaniæ: versus Meridiem cum illo mari, quod mare Persicum dicitur: à faucibus fluuij Ruatidis, vsque ad Bangradam fluuium, quibus binis fluuijs Promontorium, Chersonesus interiacet. Præcipuæ Persidis ciuitates sunt, Thoax, Saura, Omara, Persepolis, hodie Siras dicta, quæ olim ab Alexandro Magno deuastata fuit. Finitimæ Insulæ sunt Tabiana, Socta, & Arasia Alexandri. A multis populis incolitur, *Persia.*

tur, inter quos etiam sunt Hippophagi. Terra admodum fœcunda est & frugifera, &c., ante omneis alias totius *Asiæ* Prouincias, sano temperatoq; aere inquilini vtuntur, verumq; esse multi asseuerant, quod in quibusdam locis, *Araxi* fluuio quandoque excurrente, omnis generis amœni flores, absq; vlla eorumdem plantatione, crescant. Terra quoq; vndique bene culta, & circumquaque præaltis montibus est circumdata, inter quos Caucasus sese ad mare rubrum vsque extendit. Hodierno nostro tempore sub *Persiano* Imperio comprænhendũtur *Assyria*, Susiana, Media, *Parthia*, Caramania, *Mesopotamia*, & Hircania, quæ *Ptolomæi* tempore, diuersæ *Prouinciæ*, vel etiam Regna fuerunt: hodie tamen omneis Sophi parent, & Tauris totius Regni est *Metropolis*. Idem ille Sophi cum Turcarum Imperatore perpetuum quasi bellum gerit, quum *Mahumetanæ* Legis hæreticũ illum habeat. *Ad Persidem* solam vero quod attinet, etiam peculiares suas habet *Metropolea*, videlicet Siras, &c.

Parthia. Parthia trigesima *Asiæ* est Prouincia, tuncque, vti antea commemorauimus, sub *Persia* comprænhensa. Sterilis, infœcunda, atq; montosa nimis est. Prouincia. *Parthi* omni tempore bellicosi populi, atque cum primis Romanorũ hostes fuerunt. Ab initio *Macedonio* Imperio paruerunt: postea tamen, excitata seditione proprium sibi Regem elegerunt: qui *Arsaces* dictus fuit: à quo omneis illius successores postmodũ *Arsaces* vocati sunt, non secus, quam olim *Pharaones* in Ægypto. Versus Septentrionem finitima est *Prouincia* illa *Mediæ* & Hircaniæ, Orientem versus, Meridiem, Caramœniæ desertæ. *Præcipuæ* illius vrbes sunt *Apamia*, Tastaca, & *Aspa*, vbi Portæ, Caspiæ conspiciuntur. Prouinciæ in ea porro sunt & appellantur Cominsina, *Parthiæ*na, Coroana, *Anticena*, & Tabiena.

Caramania deserta hodierno nostro tempore appellatur, Desertum Dulcinda, & versus Occidentem, cum illa parte Persidis finitima est, quæ ad Bagradam fluuium sita, & qui partocratum montem præterfluit. Septentrionem versus, Caramaniæ.

Inquilini illius Prouinciæ sunt

sunt Isarichi, Ganandopini, & Modomastici.

Arabia fœlix ideo sic appellatur, quod in ipsa rei veritate ipsoque facto terra fœlix, salubrioris æris, & fructuosa nimis, siet. Heic etenim crescunt Myrrha, Cynammomum, Calamus Aromaticus, Lignum Aloes, aliaque aromata. Perhibent etiam, quod Phœnix auis ista in Prouincia sese contineat, quæ iuxta admirandas elegantissimasque illius plumas, sola est, quingentos annos victitat, atq; seipsam denique in suauissimis odoribus & igni iterum renouat; qua de re Ariostus in Astolphi itinere ita cecinit:

Vien per l' Arabia ch' è e detta Felice,
Ricca di Mirrha, Cinnam' è incenso,
Che per suo Albergo l' vnica Phœnice
Eletto s' ha di tutt' il mundo immen.

Reperitur quoque illic aurum, Vniones, & lapilli pretiosi. Prouincia Saba illuc quoque videre est, hodierno nostro tempore; Meca dicta, vbi in aliqua ciuitate Mellada maledicti Mahumetis Sarcophagum magna deuotione Turci custodiűt, atque ad idē peregrinationes faciunt. Illa autem Prouincia tamquam cum Sinu Persico, Arabico, vel mari rubro occlusa est, adeo vt pene Insulam ex eadem faciant. Similiter & aliæ Insulæ inibi visuntur; quarum vna Scoria appellatur, & à Christianis, vti fertur, habitatur, qui etiam peculiarem suum habent Archiepiscopum. Similiter & alia quædam insula, Dæmoniorum Insula dicta, illi vicina est, & adhuc quædam alia, fœminarum Insula appellata, quod dumtaxat fæminæ illam incolant, quę viros suos, alia quadam in Insula habitantes, certo anni tempore visitare solent. Versus Septentrionem finitima est alicui parti Arabiæ Petrææ, & parti vni Arabiæ Desertæ; atque Septentrionali Plagę Sinus Persici: Occidentem versus finitima est Sinui Arabico: versus Orientem, alicui parti Sinus Persici, & mari ad promontorium Siagrum se se extendenti: Iuxta commemoratum illud mare Promontorium, Chersonesus dictum, conspicitur, & vrbs Elanis, quę à diuersis Nationibus incolitur. Terrestri itinere intrinsecus sitę sunt vrbes Aden, firmum neq;

contemnendum sane emporium, Item Thebæ, Egista, & Sana. Heic quoque villa Mesat videre est, in qua blasphemus ille Mahumetes A. DCXXIV. nefarium impiumq; suum Alcoranum conscripsit: Regiæ itidem arces, Menampe, Are, & Saue & Metropoles, Nascus, Baraba, Negara, Sabauda, Mesa, & Saphara. Heic insuper stix, male olens fœtidaque quædam Palus, quam Poetæ inferni fluuium faciunt, sita esse debet. Vniuersa vero Prouincia à multis diuersisque populis habitatur, ex quibus notiores & celebriores perhibetur Ichtiophagi, Æthei, Scenitæ, Saraceni, Nabathei, Sabei, Nasamones, Mageti, Catabeni, & Ratini: Montes celebriores sunt montes Didimi, Neri, Mariri, & mons Scala: Præcipui fluuij, Botius, Ormanus, & Lar. Vicinarum Insularum in Sinu Arabico permultæ sunt, ex quibus Soras est præcipua, In mari rubro sita est Agatoclea, & sex Coronagæ, in quib. quædam ciuitas eiusdem est nominis, ex qua celeberrimus ille Medicus Dioscorides oriundus fuit. In mari Persico Tarius, Tilus, aliæque plureis: In Sinu Scalitico autem VII, Insulæ Zenobiæ, in quarum vna Serapidis templum videre est, sitæ sunt.

Caramania, hodierno tempore Turquestan dicta, à meris Mahumetanis populis inhabitatur, & solis piscibus victitant, quos in calore Solis assare solent. Versus Septentrionem finitima est Caramaniæ desertæ: Orientem versus, Gedrosiæ in montanis. Persicis: Versus Occidentem, vni alicui parti *Persiæ*, & vni parti maris Persici, q Sinus Caramanicus appellatur, vbi ciuitas Ormuz, fluuij Darath & *A*rapus, promontoria itidem Carpellanum, & Ormuzanum sita sunt: Meridiem versus, Mari Indico. Præcipuæ illius Vrbes sunt Sormane Metropolis, *A*lexandria, Sabida, quæ hodierno nostro tempore Besenegal dicitur, & peculiarem quoq; ac potentissimum suum Regem habet, qui vulgari nomine Narsindes nuncupatur. Tisa & Cantape etiam celeberrimæ vrbes sunt: Rex plerumque Besenegalæ habitat. Præcipui Caramaniæ fluuij sunt Sarus, *S*amidorus, & Idrianus. Montes celebriores, mons Semiramidis, Strondilus, & Tondus: Promontoria, Bagium, &

Caramania.

Alba-

Albagium: notiores populi, Camelophagi & Sossorij: Insulæ finitimæ, in Sinu Persico, Sagdiana & Vorrata: In mari Indico, Palla Carminna, & Liba.

Hircania. Hircania hodierno tempore ab Inquilinis Castan appellatur: De qua Strabo quodam in loco asseuerat, quod apes illic mel arboribus inferant, adeo vt sæpenumero integræ Syluæ apiculis & melle refertæ reperiantur. Regnum Amazonum vicinum est Hircaniæ. Postquã vero Alexander Magnus Prouinciam istam potestati suæ subiecisset, Thalestrem Prouinciæ istius Reginam, veluti Historicorum monimenta testantur, hoc in loco Alexandrum visitasse, idque eum potissimum in finem vt videlicet ab ipso impraegnaretur. Versus Septentrionem finitima est Hircano mari, vsque ad fauces fluuij Ossi: Hodierno nostro tempore modo dictum mare Hircanum à Nauigantibus Marinis *Mare Abacuc*, vel *Mare di Sale* appellatur: Occidentem versus, vni parti mediæ vsque ad montem Oron: versus Meridiem, Parthiæ: &, Orientem versus, Dragianæ: Præcipuæ Regionis istius vrbes sunt Hircania, Metropolis, vnde vniuersa Prouincia nomen suum sortita est, Sorba, Casapis, aliæque plureis. Astabeni, notissimi Prouinciæ istius populi. In vicinia illius Insula Calca sita est. Vniuersa Regio multas alit tygrides: qua de re etiam Dido apud Virgilium lib. 4 Æneid. Æneam sequentem in modum compellat:

Non tibi (inquit) *Diua Parens, Generis nec Dardanus Auctor,*
Perfide, sed duris genuit te Caucasus horrens,
Caucasus, Hircanaque admorunt vbera tygres.

Margania. Margania, Occidentem versus, finitima est Hircaniæ; Septentrionem versus, vni parti Scythiæ: versus Meridiem, alicui parti Mediæ: & Orientem versus, Bactrianæ. Per hanc Prouinciam celeberrimus iste fluuius Margus fluit, qui à Massigetis inhabitatur. Eius vrbes sunt Arata, Iasonium, Rhea, & Alexandria Margiana, quam Alexander Magnus condidit, sumpta occasione à vitibus, quæ ijs in locis tantæ sunt magnitudinis, vt illas duo viri, expansis etiam brachijs vix complecti possint, & vuæ tantæ itidem magnitudinis, vt in rotunditate

ditate duab. vlnis vix comprę-hendantur. Postea tamen commemorata illa vrbs à Seleuco Seleucia appellata fuit.

Bactriana. Bactriana, versus Occidentem, finitima est Magæ: Septentrionem & Orientem versus, vni parti fluuij Offi: versus Meridiem, vni parti Ariæ, & Paropanisadis. *Præcipui* fluuij sunt Offus, Zariaspes, & Ocus: Inquilini præcipui, Maruei. Ad fluuium Offum sitæ sunt vrbes Caracarta, Carispa & aliæ plures. Ad alterum fluuium, Bactra, Regia Metropolis, & Comara.

Sogdiani. Sogdiani, etiam Corasini dicti versus Occidentem finitimi sunt. Scythiæ, ad Offam fluuium, Bactrianam, & Margianã, Septentrionem versus, parti vni Scythiæ, ad Issarram fluuium: versus Orientem, Sacis vel Orientem, Meridiem, & Occidẽtem versus Bactrianæ ad Offum fluuium, & Caucaso: Præcipui illorum fluuij sunt, Issartus, Offus, Dimus, & Bascates: Vrbes præcipuæ, Offiana, Maraca, Alexandria Offiana, & Drespa Metropolis. Ab Augalis, post montana Sogdiana, alijsque populis inhabitatur.

Saci. Saci, versus Occidentem, finitimi sunt Sogdianis: versus Septentrionem, & Orientem, Scythiæ: & meridiem versus, monti Imao. Hanc Prouinciam olim Nomades incoluerunt, qui, domicilijs carentes, in rupibus & cauernis habitarunt. Saci præterea nullas certas sedes habent, sed, cum vxoribus & liberis suis, hinc inde vagantur, sub dio, in Syluis, apertisq; Campis miseram vitam patienter ferunt. Plinius populos istos inter Scythas numerat, quẽ admodum etiam Sogdianos, & Margianos. De ijsdem populis ferunt, quod vxores, quas matrimonio sibi iungere cupiunt, armata manu impetrent & lucrentur. Si quis autem ab aduersa parte vincatur, tunc in specu ad dies vitæ suę sese continere. Hac in Prouincia mons & sylua Comedorum, & rupes, Turris lapidea dicta, conspiciuntur.

Scythia duplex est. Vna, intra montem Imaum. Scythia Occidentalis dicta, altera, extra montem illum, Orientalis Scythia appellata. Agrestes, feri, & degeneres admodum sunt populi, absque Politia & certo Imperio hinc inde discurrentes in Syluis & Campis ob-

uia omnia deprædantur: Carne humana vescuntur, & à feris & brutis saltim externa specie differunt. Qui in extremis Scythiæ oris, siue finibus habitant etiam cruda æquina carne vescuntur, piscibus, & omnib. ijs, quæ modo sibi comparare possunt. Inter illos etiam, Plinio teste, Arimaspi habitant, qui vno dumtaxat oculo, in medio fronte sito, vident. Similiter & Alani, crudeles admodū populi. Hodierno autem nostro tempore omneis Scythæ inter Tartaros numerantur, quemadmodum etiam omneis & singuli Tartarorum Chamo (ita Regem suum appellant) subiecti sunt.

Scythia, intra Timaum montem, versus Occidentem finitima est Sarmatiæ, in Asia sitæ, Septentrionem versus, ignotę terræ; versus Orientem, monti Imao: Meridiem versus, Sacis, Sogdianis, & Marglanę. Volunt autem Nonnulli Scythas istos sub Regno Catai, quod itidem Tartarorum Chamo subiectū est, compręhendi, in quo etiam quemadmodum Nicolaus Venetus scribit, Gambaleschia ciuitas sita est. Sabellicus vero Regnum Catai inter Godrosiam, & Indum fluuium collocat, cuius Præcipui fluuij sunt Rimus, Iffartes, Ossus, & Daicus: Montes, Hyperborei, qui tamen magis Orientem versus inclinant, Alani, Rimnoi, Aspesii, alijque. Vrbem suam, ad Oxum fluuium sitam, Asabottam nuncupant. A diuersis populis incolitur, vtpote Alanis, Galactophagis, Agatyrsis, alijsque pluribus, ex quibus tamen modo dicti sunt notissimi.

Scythia vero extra montem Imaum sita, versus, Occidētem finitima est Scythię interiori, & Sacis: Septentrionem versus, ignotæ terræ, versus Orientem, Sericæ, & Meridiem versus, vni alicui parti, quæ cis Gangem fl. sita est. Inter alios illius Scythiæ inquilinos etiam sunt Hippophagi: Præcipuæ eiusdem vrbes sunt Auzacia, Caucana & Secta. In illa quoque fons, siue Scaturigo Icardi fluuij suam sumit originem.

Serica quadragesima Asiæ est Prouinciā, ab Inquilinis alias Cambalu dicta, præcipuū Tartarici Chami habitaculum est. Serica autem, vti quidam perhibēt, ideo appallata fuit, quod Sericum inibi primo repertum præparatumque fuerit. Versus Occidentē finitima est isti Scy- *Serica.*

thiæ, quæ extra montem Imaum sita est: Septentrionem & Orientem versus, ignotæ terræ: & Meridiem versus, illi Indiæ, quæ cis alteram partem Gangis sita est, & Sinis. Præcipui illius montes sunt Anibi, Auxacij, Sorici, alijque plureis: Fluuij, Icordas & Bautes. Septentrionem versus Antropophagi habitant, & populi alij minus tamen noti: Celebriores vrbes sunt Dama, Asmiræa, Seuca, Paljana, Sera, regionis metropolis, aliæque plureis.

Aria. Aria, Septentrionem versus, finitima est Caramaniæ Desertæ: Meridiem versus, Drangianæ: versus Orientem, Paropanisadibus, & à diuersis populis incolitur, vtpote Cafirodis, Parudis, alijsque, ignoti tamen & ignobilis nominis. Præcipuæ illorum vrbes sunt Aria, Alexandria in Ari, Smargna, aliæque plureis. Nomen habet à fluuio Aria, illam Prouinciam transitu suo quasi dissecante. Hodierno nostro tempore etiam Regnum Turckestanum appellatur.

Paropanisadia. Paropanisadia Prouincia est Regni illius Turckestanici Tartarico Chamo subiecta: versus Septentrionem finitima est Ariæ. Occidentem versus, Bactrianæ: versus Orientem vni parti Indiæ, ad Axum fluuium: & Meridiem versus, Caramaniæ. Præcipuæ illius vrbes sunt Parsiana, Parsia, aliæque plureis. Dargamanes fluuius mediam interlabitur.

Drangiana. Drangiana partim sita est in Tartaria, & partim in Regno Guzarath: versus Occidentem & Septentrionem: finitima est Ariæ: Orientem versus, Aracosiæ, &, versus Meridiem, Gedrosiæ. Illam fluuius quidam interlabitur, qui brachium est fluuij Arabij. Præcipuæ illius vrbes sunt Ruda, Sarsiara, aliæq; plureis.

Arachosia. Aracosia etiam partim ad Tartariam, partim ad Guzaraticum Regnum pertinet, quod Pomponius Mela quoq; Arianam appellat: Versus Occidentem, finitima est Dragianæ, Septentrionem versus, Paropanisadiæ: Versus Orientem vni parti Indiæ: & Meridiem versus, vni parti Gedrosiæ. Heic Palus Acarotes sita est. Vrbes eius sunt Phoclis, Alexandria, Arbaca, aliæque plureis.

Gedrosia. Gedrosia, hodierno nostro tempore Regnum Tarsanum appellatur, & à Christianis incolitur. Versus Occidentem finitima

nitima est Caramaniæ; Septentrionem versus, Drangianæ & Aracosiæ: versus Ortũ vni parti Indiæ, ad Indum fluuium, & Meridiem versus; parti alicui Maris Indici. Vrbes eius sunt Rapara, Biaba, vel Cambaia, quæ totius Regni est Metropolis. Fluuius Arabicus illam interlabitur. Illic montes Arbiti & Barij siti sunt. Cæteræ illius vrbes Badata, Musatana, Oscanna, & Omiza appellantur, & ab ignotis, ignobilibusque populis incoluntur.

India tam immensa est regio vt sola tertia pars totius terrarum Orbis æstumetur. A magno fluuio Indo interlabente, autem sic appellatur. Fertilis atque fœcunda admodum est Regio, in qua omnis generis aromata, aurum itidem, argentum, ferrum, aliaque metalla vbertim procreantur; præsertim vero in illa parte, quæ intra Gangem fluuium sita est. Versus Occidentem finitima est Paropanisadibus; Aracosia, & Gedrosia: Septentrionem versus, Imao monti, Sogdianis, & Sacis; versus Orientem, Gangi fluuio, & Meridiem versus vni alicui parti maris Indici, quod etiam ex parte cum Occidentali latere tangit. Ad tractus Maritimos eximios portus habet, in quos sese naues recipere, ac tueri possunt. Ibi quoque præsertim vero in Sinu Barigazetrio, Ciuitas Bardassina sita est. Heic etiam Camane, Calicuth dicta, iacet, vbi omnis generis aromata coemuntur, atque in vniuersum quasi terrarum Orbem illinc distribuuntur. Dionis item & Cottiata, Metropoles, Bibala & Camaria, vna cum Promontorio Camerariano. In Sinu Gangetico vrbs Pacura iacet; vbi simul fluuij, Tindus, Dosaron, & Adamas erumpunt. Notissimi famosissimiq; huius Regionis montes sunt; Montes Apocopij, Sardonix, & Bottigius. Fluuij, ab Imao monte Indum influentes, Coas, Suastus, Bridaspus, & alij plureis. In Prouincia Pandora Bancesala Ciuitas sita est: Similiter & Caspirei, cuius Metropolis Gragansa: Datici, cuius Metropolis Megara. Item Prouincia Prasiaca, cuius Metropoles Subalaca & Canagora. Item Indoscythia, cuius Metropolis, Banagora: Sirani, cuius Metropolis Coxa, in qua optumi Adamantes reperiuntur: Adisatri Sagida: Mandrali, cuius Metropolis

lis Astagara, & Palibrota Regia sedes est. Item Bracmani, quorum Metropolis & Regia sedes Bracme. Couonagi, quorum ciuitas Dosara: Gangarides, quorum Regia & Metropolis Ganges. Inter duos fluuios, Bindam, & Pseudostomum videl. Mondogalla & Ipocura sitæ sunt. Corsari, quorum Metropolis Masopalis. Inter Pseudostomũ & Batium, fluuios, vrbs & Prouincia Purata, vbi Berillus & optumum Aloe reperiuntur. Cari, qui pedestri itinere habitant intrinsecus, quorum Metropolis Tangara, & Regia sedes Mondura. Sorici, quorum Metropolis Tennagora, & Regia sedes Ottura. Insulæ finitimæ sunt Canti & Barax, in Sinu Indico sitæ. In Sinu Colchico sita est Milzigeris, & plureis aliæ, quæ illuc quoque pertinent. Hanc Indiæ partem & peculiareis Prouincias etiam alij adhuc populi inhabitant, qui omneis & singuli singulares suas ciuitates, montes, & fluuios habent, qui tamen ex parte minus noti, partim vero adeo sunt ignobiles, vt heic, in ijsque recensendis, diutius immorari minime necessum esse iudicemus. Inter cæteros Gymnosophistæ celebriores sunt, de quib. apud Ptolomæum copiosa reperitur descriptio & instructio.

India, extra fl. Gangem sita, hodierno nostro tempore *Terra Mucinorum & India parua*, nuncupatur. Versus Occidentem finitima est Gangi: Septentrionem versus, Scythiæ & Sericæ: versus Orientem, Sinis: & Meridiem versus, Mari Indico, & vni parti Maris Praxodis. In Sinu Gangetico, post Gangis fauces, qui Antibolis dicitur, Emporia Pentapolis, & Baracura sita sũt, vna cum Latameda fluuio. Heic singulares etiam aliquæ Prouinciæ, vtpote Argira, cuius vrbs Sambra: Bisnigethæ itidem, qui Antropophagi, quorum ciuitas Berabe, cum suo promontorio, & fluuio Sipa. Aurea Chersonesus, in qua emporium Tecla, hodierno tempore Malaca dicta, quam Lusitani vi armata occuparunt, vna cum fluuijs Chrysoana, & Palanda: Corsales, quorum Prouincia hodierno tempore Regnum Pesanum appellatur, cuius vrbs Pragasa, vna cum fluuio Sabana, & mari, quod hodie à Nauigantibus *Mar del Sur* dicitur, & Metropolis Bolonga, hodie pega dicta, quæ adeo elegans

India extra Gangem.

elegans & locuples, vt cum omnibus ferme in Leuante ciuitatib. certare possit. Heic quoque Damasi montes siti sunt.

In Prouincia Cirradia optumum & pretiosissimum Malabatrum reperitur, quæ odorifera herba folium Indianum nũcupatur. In Prouincia, Argentea, plus auri, quam apud Bansiangetos, reperitur: In Calcierde, multum Cupri: In Prouincia, quam Nauigantes *de los Ladrones* appellant, quod illius incolæ infideles nimiumq; furaces sient, multi Elephantes atque tigrides inueniuntur, cuius incolæ tam duræ cutis sunt, vt ne sagitta quidem possint traijci. Heic vrbs quoque Trilongus sita, quæ albos Coruos, Psittacos, & Gallos cum longis barbis alit. Finitimæ Insulæ illa in parte sunt Bazagatta. Sindæ, vbi Antropophagi habitant, quinque Barusæ, quæ similiter ab Antropophagis incolitur, & Insula Iabadia, aurifera, cuius Metropolis *Argentea* appellatur. Similiter & adhuc IIII. aliæ Insulæ, quæ Satyrorum Insulæ dicuntur, quarum Incolæ, caudis deformati magis, quam ornati sunt: & adhuc X. aliæ de quibus ferunt, quod naueis ferreis clauis coarctatas, ad se trahant & detineant: Quocirca ad earumdem structuras nulli ferrei, sed lignei dumtaxat claui vsurpantur. Hæc pars Indiæ à multis adhuc alijs populis habitatur, & multas vrbes, montes, fluuios, & Promontoria in se complectitur, quorum ego heic ideo nullam mentionem facio, quod pene sunt incognita, & in magno pretio neutiquam habeantur.

Non procul ab illa Prouincia populi, olim Sini dicti, habitant: quorum Prouinciæ sunt Margia & Ciamba, Tartarico Chamæ subiectæ. Versus Orientem & Meridiem finitima est ignotæ terræ, hodierno nostro tempore magnum Regnum, China dicitur, & cuius Rex potentissimus totius terrarum orbis Monarcha æstumatur, quique in quodam Palatio, septem muris circumsepto, habitat, in quo omni tempore X. virorum M. permutando sempiternas agunt excubias. In commemorata ista Prouincia Sinana etiam Aurea Chersonesus est, Regnũ Malaca dicta. In arenoso maris litore ad Cottiarum fluuium, & portum Cattigaram, Æthiopes Antropophagi habitant. Quidam Neoterici huc etiam

Regnum, quod *Var Moabar* appellant, collocant. Terreſtri itinere intrinſecus vrbes Aſpitra, Sagara, & Tine Metropolis conſpiciuntur.

Taprobana. Inſula Taprobana, hodierno noſtro tempore Samotra, vel Sumatra, dicta, & in quatuor Regna, quorum vnum quodque peculiarem ſuum Regem habet, diſtributa, iuxta Indicum Promontorium *Acori* ſita eſt. Illius Incolæ in genere Sali dicti, nudi incedunt, excepto, quod corpus muliebribus Capillis tegant. Creſcit apud illos Oryza, mel, Cinciber, ac ſimul apud eoſdem Berilli, Hyacinthi, omnis generis metalla, tigrides & Elephantes reperiuntur. *Præcipui* montes ſunt montes Galij, & Maleas: Fluuij, Phaſis, Ganges, Soanis, Azanus, Burax, & alij: *Promontoria*, Ogalibanum, *Promontorium* Iouis, & *Promontorium Auium*. Vrbes, Iogena, Sindocaida, Dana, Lunæ conſecrata, Comana, & plureis aliæ. *Populi* & incolæ, Nagadibi, Nagiri, & plureis alij. Ante Inſulam Taprobanam adhuc multæ aliæ Inſulæ ſitæ ſunt, quarum trecentæ & triginta octo numerantur, inter quas Vangala, Balacca, Zaba, Ægidij, & Canatia ſunt præcipuæ: circa quas ingentes balænæ multas naues peſſumdare, & homines veneno ſo ſuo ſpiritu omnino necare ſolent.

DE APHRICA, vel *LYBIA*.

LYBIA, altera pars Mundi, quæ plerumq; à Latinis *Africa* dicitur, ab *Afro Abrahami* Succeſſore quodam, veluti Ioſephus memorat, aut à fœmina *Africa* dicta, quæ Lybij alicuius coniunx fuit, hodierno noſtro tempore in genere Barbaria, eiuſdemq; Incolæ omneis Mauri nuncupantur. Iuxta Polum *Antarcticũ* à nota terra *Auſtrali* cũ aliqua linea digreditur, quæ trans mare, ab Inſula S. Laurentij recta verſus Occidentem, per *Promontorium*, caput bonæ ſpei dictum, vſque ad *Meridianum Fortunatarum* Inſularum ducitur. Occidentem verſus dictus ille Meridianus illam ab *America* ſegregat, atque, verſus Septentrionem, vſque ad illud punctum ſeſe extendit, vbi etiam

am Europa terminatur ad Columnas Herculis: Septentrionem versus finitur in Meridionali latere Europæ: & versus Orientem in Occidentali latere Asiæ, quæ, à Promontorio Samonio, Me idiem versus, per mare rubrum sese extendit, atq; in subsequentes XI. Prouincias diuiditur.

I.	Mauritania Tingitana.
II.	Mauritania Cæsariensis.
III.	Numidia, vel Aphrica Minor.
IV.	Cirene, vel Pentapolis.
V.	Marmorica.
VI.	Lybia, proprie sic dicta.
VII.	Ægyptus inferior.
VIII.	Ægyptus superior.
IX.	Lybia interior.
X.	Æthiopia, infra Ægyptum sita.
XI.	Æthiopia, magis intrinsecus versus Meridiem sita.

Tingitania. Ambæ Mauritaniæ versus Orientem finitimæ sunt Aphricæ minori Meridiem versus, Lybiæ Interiori, iuxta Getuliam: versus Occidentem, Oceano Occidentali, & Septentrionem versus habet Fretum Herculeum, mare Ibericum, & Mare Sardoum. In Mauritania Tingitana Athlas mons situs est, qui hodierno nostro tempore Idauachal dicitur, atq; adeo vniuersa Regio Regnum *Fez* & *Maroco* appellatur; inter quod, & Hispaniam, Canariæ, olim Fortunatæ dictæ, Insulæ sitæ sunt.

Cæsariensis. Mauritania Cæsariensis, hodierno nostro, tempore Regnum Tremisenum nuncupatur.

Tingitanæ fluuij sunt, Zilia, Valon, Malua, & alij Promontoria: Spartium, Caput Guer, Promontorium Phœbi, & Oliuastrium. Præcipuę vrbes: Cala, Messa, Saburum, Arzalla, à Lusitanis vi occupata, Feza, Regni Fez Metropolis, & Marocca sedes Regia, aliæq; plureis. Montes: Diutus, Focrus, & ambo Athlantes, maior & minor videlicet. In ea quoque diuersi

populi

populi habitant. Cæsariensis fluuij præcipui sunt Siga, Cartennus, Sauus, & Sisaris. Montes: Durdus, Zalacus, Birenus, Valuas, & Gatas. Promontoria: Megianum, & Promontorium Apollinis. Ad mare illæ vrbes sitæ sunt, Siga, Oran, quæ sedes Regia est, Iulia Cæsarea, nunc Algier, olim vero Fol dicta, & Regis Iubæ quomdam sedes Regia. Postmodum, in honorem Cæsaris Augusti, Cæsarea appellata fuit, & plureis aliæ. Pedestri itinere intrinsecus sitæ sunt Themisena, Mezana, Eozula, & plureis aliæ. Iuxta Iuliam Cæsaream celeberrima quædam Insula eodem nomine appellatur.

Numidia Numidia, etiam Aphrica minor dicta, versus Occidentem finitima est Mauritaniæ Cæsariensi: Septentrionem versus, Mari Aphricano: versus Orientem, *Sirtibus* arenosis: & Meridiem versus, Prouinciæ Cirenaicæ. Fluuij illius sunt, Rubricatus & Trito, in quo etiam sunt Paludes Tritoniæ. Promontoria: Tretum, Caput bonæ spei, Hippium, Apollinis, & Caput Zudeccæ. In Sinu Numidico sitæ sunt vrbes: Hippona, Regia sedes, etiam Bona Constantia dicta, Bugia, Regia itidem sedes, Tabraca appellata, Itaca vel Vtica, etiam Bisertum nuncupata, Thunetum, Goletta à Turcis omnino deleta, Timissa & Carthago, etiam deuastata. Heic quoque celeberrimæ Sirtes, maior & minor videlicet, à nauigantibus *los Baxos de Barbaria dicta*, conspiciuntur. Ad minorem sitæ sunt vrbes Edasta, Tripolis Barbariæ, olim Neapolis, & Leptis maior. Ad maiorem Sirtem, Philenum, sub quo altaria Phileni olim iacuerunt. Montes præcipui: *Mons* Iouis, Tizibius, Audus, alijque. Paludes: Sisara, Hipponetes, & Palla. Finitimæ Insulæ: Zerbe, Gamelara, Beit, Lampedola, Limosa, Pantolarea, & Malta.

Prouincia Cirenaica, vel Pentapolis versus Occidentem finitima est Sirti maiori: Septentrionem versus Mari Lybico: Orientem versus vni parti Marmaticæ: & versus Meridiem, Desertis Lybiæ. In hac Prouincia Promontorium, Deptama & Zephirium situm est, nominaturque Pentapolis ob celebriores V. vrbes, quæ sunt, Berenices, Arsinoes, Protelemais, Apollonia, & Cirene. Meridiem versus montes iacent, qui Are-

næ Herculis appellati, & mons Beiolicus, vna cum Palude, quã Poetæ Lethe, vel Letheam Paludem appellarunt, quæque à fluuio Latono (quemadmodum & illa sub *Palinuro* sita) suam ducit originem. Finitimæ Insulæ sunt, Mirmetra & Lea, quæ etiam Insula Veneris nuncupatur.

Prouincia Marmarica, hodie Barca dicta, & à Ptolomæo Ægypto adnumerata, versus Occidentem finitima est Cirenaicæ: Septentrionem versus, mari Ægyptio: versus Orientem alicui parti Iudeæ: & Meridiem versus, Lybiæ interiori. Illius Promontoria Ceronium, & *Ardaneum*. Omnino ferme deserta atque inculta est à Tripoli vsque ad *Alexandriam* in Ægypto, quod vacuum desolatumque spacium hodierno nostro tempore cumprimis *Barca* appellatur. In hac quoque Prouincia Regnum Nubia situm est, & plureis habet Paludes, quam vlla vmquam pars mundi habet: Inter quas est Palus Sirbonia: Item, Fons Solis, Licomedea, & Lacus Mœridis. Magna Chersonesus illius Prouinciæ est Metropolis. Montes, Asiphus, *Aspidius*, & plureis alij.

Prouincia Lybia, proptie sic appellata, & quã de vniuersa hæc mundi pars nomen suum sortitum est, à Ptolomæo *Marmaricæ* adnumeratur. Eius Metropolis est Paretonium, & Promontoria *Pythium*, Leucaspium, & Glaucum. *Lybia*

Ægyptus in duas partes diuiditur, quarum vna Superior: altera, inferior Ægyptus appellatur. Ægyptus inferior Oceano proxime adiacet, & à Nilo fluuio circumdatur, adeo vt, Trianguli instar, in eodem sita fiet; qua de caussa etiam Nonnulli hanc partem inter Insulas numerare conantur, atque in eadem ista parte Babylonia & Thane sitæ fuerunt. Ægyptus superior olim quoque Thebais ideo dicta fuit, quod celeberrima vrbs Thebæ in ea sita fuerit, quæ centum portas habuit, quibus singulis, veluti Homerus in Nona sua Iliade testatur, cottidie ducenti viri curribus & equis tam in, quam rursum egrediebantur. Hac in vrbe Reges, primum Pharaones, postmodum vero Ptolomæi dicti, Regias suas sedes fixerunt, quas tamen postea Memphin, dein' Cairum, & denique Alexandriam transtulerunt. In Ægy- *Ægyptus.*

pto inferiori celeberrima vrbs Alexandria sita est, ex qua Ptolomæus Cosmographus, cuius in hoc Discursu crebra facta mentio, oriundus fuit, estque adhuc hodierno nostro tempore celeberrimum Nobilissimumque totius Orientis Emporium. Præcipuæ Ægypti vrbes sunt, Cairus, Alexandria, Damiata, Roxettum, Ptolomais, Diospolis, magna Siene, & Berenice, ex quibus tres posteriores nimis sunt calidæ. In Vernacula sua Ægyptij totam Prouinciam Eschibith, Iudæi vero Mizraim appellant. Hodie tota Turcici Imperatoris Imperio subiacet. Versus Occidentem finitima est Cirenæ: Septentrionem versus, mari Ægyptio: versus Orientem, vni parti Regionis Iudaicæ, & vni parti Maris Arabici; & Meridiem versus, Lybiæ inferiori. Diuiditur autem Ægyptus in multas Prouincias, vtpote in Memphiticam, in qua vrbs Memphis sita: Arabiam Aphroditem, in qua Babylonia & Heliopolis: in Antinoetem, vbi vrbs Antinous: in Antipolin, in qua Ciuitas Anteus. Nilus præcipuus Ægypti fluuius; Insulæ finitimæ, in mari Ægyptiaco sitæ, sunt, Edon, Tres Scopuli. Scopuli Tindarij dicti, Enasippa, duæ Bidynæ, & Pharus. In Sinu, vel mari Arabic. sitæ sunt Apitenæ, Aphroditis, & Agathonis Insulæ.

Lybia interior, versus Septentrionem finitima est ambabus Mauritanijs, & Cyrenæ: Meridiem versus, Æthiopiæ, in qua Prouincia Agisimba: versus Occidentem, Oceano Occidentali. Præcipui illius fluuij sunt Cinifus, Nigir, Bagradas, & alij; Promontoria: Caput Album, Cataneum, aliaque. Montes: Mandrus, qui Currus Deorum, & mons, qui Vallis Garamantica appellatur. Lacus vel Paludes internæ: Palus Chlonidia, Clonia, & Nigritis. Populi præcipui: Garamantes, Getuli nigri, & Pyrræi. Vrbes præcipuæ: Nigita, Garama, Gira, aliæque plureis. Insulæ finitimæ: Insula Iunonis, Autolica alias dicta, Insula inaccessa, & Canariæ, siue Fortunatæ Insulæ.

Æthiopia, intra Aegyptum, versus Septentrionem finitima est vni parti Lybiæ Interioris, similiter & versus Occidentem: versus Meridiem, Aethiopiæ interiori: & Orientem versus, mari Arabico, & Barbarico. Præcipui

cipui montes illius sunt; Montes Satyrorum, Elephas, & alij. Promontoria: Promontorium Cereris, Promontorium Aspidum, Saturni, Coronoti, Seiapionis, Altare amoris, aliaque. Præcipuæ vrbes, Ptolemais, Arsinoe, Aromatea, Malaus, Oponis, Essina, Rapta, Meroe, Assume, quæ sedes Regia, & aliæ plureis. Insulæ finitimæ Altare Palladis, Insula Mironis, Chelonitides, Insula Magorum, Insula auium, Insula Bacchi, & Antibacchi. Insula panis, Diodori, Isidis, Insula Macaria, vel Fortunata, aliæque plureis.

Intern. Æthiopia versus Septentrionem finitima est Promontorio Raptum. Occidentem versus Oceano Occidentali: Meridiem versus, terræ incognitæ, & Orientem versus, Mari Barbarico, quod, ob ingentem æstum, asperum dicitur. Heic Promontoriũ Praxum situm est, vna cum finitima Insula Menuthia. Incolitur a ista pars Æthiopię ab Æthiopib. Anthropophagis. Præcipui illius montes sunt Danuchius, Ionas, Zitas, Barditus, & apud Historicos tam celebres & famosi montes Lunæ, ex quibus, quemadmodum aliqui existumant, Nilus suam sumit originem.

DE EVROPA.

Evropa ita appellatur ab Europa, Aegenoris Regis Phœniciæ filia, quam Iupiter, Candiæ Rex, in vxorẽ duxerat. Versus Orientem per aliquam lineam, à Promontorio Samonio Insulæ Candiæ, in Mari Aegeo sitæ, vsque ad Paludem Meotidem, Tanain fluuium, & mare Drobasaph, ab Asia separatur, & meridiem versus ab Aphrica, cum vna linea à commemorato Promontorio Samonio, per mare Mediterraneum, vsq; ad Columnas Herculis ducta. Occidentem versus, Meridianus Fortunatarum Insularum terminus est, & ab illo puncto, vbi linea finitur, quæ illam ab Aphrica segregat, per Oceanum Hispanicum & Insularum Britannicarum vsque ad congelatum mare Septentrionem, versus, ducta ab America segregatur.

tur. Septentrionem versus terminus illius, per quem à Grunlandia separatur, linea est, quæ à commemorato puncto Meridiani Insularum Fortunatarum, vbi ab America separatur, versus Occidentem vsque ad mare Drobasaph, in quo Terminus Orientalis finitur, ducitur. In longitudine ab extremis Hispaniæ oris Constantinopolim vsque duo millia, Septingenta, & quinquaginta milliaria complectitur, latitudo est aliquanto strictior. In genere triginta quinque Prouincias complectitur: quæ sunt

I.	Hibernia. Insula Britannica.
II.	Albion, vel Anglia.
III.	Thule, aut Tile, Insula.
IV.	Hispania Betica.
V.	Hispania Lusitanica.
VI.	Hispania Tarraconensis.
VII.	Gallia Aquitanica.
VIII.	Gallia Lugdunensis.
IX.	Gallia Belgica.
X.	Gallia Narbonnensis.
XI.	Germania Magna.
XII.	Rhœtia & Vindelicia.
XIII.	Noricum.
XIV.	Pannonia Superior.
XV.	Pannonia inferior.
XVI.	Liburnia.
XVII.	Illyria, vel Dalmatia.
XVIII.	Italia.
XIX.	Corsica Insula.
XX.	Sardinia Insula.
XXI.	Sicilia Insula.
XXII.	Sarmatia Europæa.
XXIII.	Taurica Chersonesus.
XXIV.	Iaziges Metanastij.
XXV.	Dacia.

XXVI. Misia Superior.
XXVII. Misia inferior.
XXVIII. Thracia Græciæ.
XXIX. Macedonia Græciæ.
XXX. Chersonesus Græciæ.
XXXI. Epirus Græciæ.
XXXII. Achaia Græciæ.
XXXIII. Peloponesus Græciæ.
XXXIV. Creta Insula.
XXV. Euboea Insula Græciæ.

Hibernia, Britannica Insula in Boreali parte habet Oceanũ Hyperboreum. In parte Fauonia mare Fauonium. Versus Eurum, Oceanum Hybernicum; & Austrum versus, Oceanum Virginium, vel Anglicum. Sita est ista Insula inter Angliam & Hispaniam. In longitudine ducenta & sexaginta, in latitudine vero centum milliaria complectitur, ouo similis formata quinquaginta Episcopatus habet, & maiori ex parte Coronæ Anglicæ subiecta est, cætera pars autem à peculiaribus suis Dominis regitur. Præcipui illius fluuij sunt, Suitus, Boandus, & Sinæus. Promontoria: Caput Maris, Caput Stat, & Caput Versoda. Vrbes: Estamford, Arglas, Vaford, Diuilin, & Nagnata. Intrinsecus, pedestri itinere sũt Tors, Gamaford, & Ambreston Prouinciæ, Leginia, Hultonia, Conazia, Momonia, & Hibernia ferina. Paullo superius V. Insulæ, Hebrides dictæ, sitæ sunt. Versus Eurum, Bra, Man, Lastre, Ragrin Insulæ sitæ sunt. Estq; alias Hibernia, sana temperataque admodum Insula, in qua nullũ venenosum animal, neque herba nascitur. Incolæ ad Christianam fidem adducti sunt per S. Patritium, Canonicum Regularem Lateranensem. Ferunt Nonnulli specum, vel Purgatorium modo dicti S. Patritij illinc conspici; de quo rara admodum ab Auctoribus feruntur; quemadmodum mihi ex Insula ista oriundus quidam Canonicus quædam de eodem retulit: quamuis Ian. Thomas Phrygius, in Tractatu suo de Chorographia, omnia ista fabulosa esse contendat.

Anglia. Albeon, vel Anglia, versus Aquilonem Mare Deucalidoniū, vel Mare Calender complectitur. Versus Fauonium, Mare Hybernicum: Austrum versus, Oceanum Britannicum: & versus Eurum, Oceanum Germanicum Notandum autem, quod iuxta Ptolomæi sententiam nomen hoc Britanniæ admodum vulgare, siue commune fiet, quod omnibus in hac Insula sitis Insulis impertitur: vtpote Albioni, Hyberniæ, Orcadibus Thyle, alijsque pluribus: hodierno tamen nostro tempore ab omnibus ferme Latinis, alijsq; scriptoribus dumtaxat Albioni vel Angliæ tribuitur. Continet autem, illa Insula in toto suo circuitu mille & Septingenta milliaria, viginti duos Episcopatus, & triginta nouem Comitatus. Incolæ peculiaribus suis Statutis atq; iure vtuntur. Præcipui illius fluuij sunt, Themisis, Babrina, & Vmber, qui omnium est maxumus, & multum auri argenti, aliorumq; metallorum profert. Cumprimis vero purum elegansque Stannum inibi reperitur, quod, ad clangorem & splendorem quidem, quod attinet, cum argento ferme comparatur. Parimodo cādidæ elegantisque lanæ, carnis, omnisque generis frumenti admodum ferax & fœcunda est. Illius Promontoria sunt Cap. Hortond. Caput S. Michaelis, Caput Abroth. Caput S. Andrea. Caput Spron; & plura alia.

Ad Promontorium Rhent sita est Cantuaria, celeberrima, quædam vrbs: versus fines siue limites Scoticos Baruicum, Regis Angliæ Castellum aliquod munitissimum. Hac quoque in Insula Scotia comprehenditur, in qua pretiosus aliquis lapillus reperitur, instar Carbunculi splendens, & ferme Gagati similis. Scoti Imperialia iura sequuntur. Præcipua ipsorum Vrbs Edimburgum est. Versus Orientem, per Tuedam fl. & Occidentem versus, per Soleuum fl. ab Anglia separata est. In Britannia porro sequentes comprahenduntur Prouinciæ, vtpote: Denonscier, Chent, Locabria, Catenia, Rossia, Cheledonia, Cornoualia, Argadia, Morauia, Nortumbria, Nortualia, Vestmerlandia, Deuonia, Bercheria, Suffolgia, Sautualia, Cubria, Butania, Strauernia, Soteolanda, Galeocuda, Atolia, Maruia, Angusia, Taffa, Lidonia.

donia, & Valia. Præcipuæ illjus vrbes sunt: Londra, Metropolis Vin ellria, Glouceftria, Poucestana, Doncastre, Neuburgum, Neucaste, Dorcaste, Ilcheltie, aliæque plureis. Circumiacentes Insulæ, Orita, vel Dumna, vna cum XXX. alijs Insulis, quę Orcades appellantur, inter quas omnium maxuma Netlandia, vocatur, in qua Episcopalis aliqua vrbs Orcada nuncupata, & adhuc tres aliæ sitæ sunt, vtpote Tenus, Sæpei, & Wit, in quibus duo Castella, Galborckum, & Neuportum videlicet conspiciuntur.

Thule, vel Tile, illa est Insula, quę pene ad nostra vsq; tempora pro mundi extremitate vel fine fuit credita. Scribunt tamen Nonnulli, hanc Thulem Islandiam quidem esse, verum adhuc aliam reperiri Insulam, quæ vnius diei itinere ab illa sita fiet, præsertim vero versus Mare Glaciale, quæ vera Veterum Thyle fiet. In hac Insula, tamquam peculiares Prouinciæ, compræhenduntur, Berghen, Vestrabord, Iochel, Roch, Ostrabord, Helguial, & Vallen.

Hispania Betica nomen à Beto fluuio sortita est, qui hodierno nostro tempore Guadelqueir appellatur & mediam perlabitur. Hodie Regnum Granatense ab vrbe Granata vocatur, quam Mauri circiter Dccc. annum, à partu salutifero Domini & Seruatoris nostri IESV Christi, condiderũt, eamdemque pro Metropoli sua elegerunt.

Hæc autem Prouincia cum Italja maiori ex parte comparatur, tam ob elegantiam & fœcunditatem, copiam omnis generis fructuum, quam præstantissima ingenia, quæ plerumq; illic reperiuntur: non procul ab Insulis Fortunatis, & sub octauo, admodum sano temperatoque, Climate sita. Strabo Tudertanam illam nuncupat. Versus Occasum & Septentrionem finitima est Lusitaniæ, & vni alicui parti Hispaniæ Tarraconensis: Meridiem versus, Oceano: &, Orientem versus, Mari Balearico, Sequentes in se Prouincias complectitur, Andalusiam, Extremaduram, & Aleudiam videlicet. Præcipui eius fluuij sunt Gandalquiuir, Rio Varuater, Rio Verde, & plureis alij. Promontorium, vnum habet, *Capo de gatta*: & portum vnum, *Porto Berquer*. Præcipuæ vrbes

vrbes sunt *G.belterra*, angusta Gibraltar dicta, Varra, Granada, Medina, & aliæ. Montes, Sierra Morena, & Sierra Nieuada, apud quam est insula in mari sita, in qua vrbs est, quæ Calitz appellatur.

Hispania Lusitania

Hispania Lusitania hodierno nostro tempore Portugallia appellatur, à portu, quem Galli Normanni ante Septingentos annos occuparunt, & illic excensionem fecerunt, quando videl. prædabundi Prouinciam hinc inde perrumpebant. Gallitia etiam Hispaniæ Lusitaniæ est Prouincia, &, iuxta Ptolomæi opinionem, ita dicta à trãsitu Gallorum, tempore Caroli Magni, vel à priscis populis, qui Gallaici nuncupati fuerunt, & sedes suas illic olim fixerunt. Versus Meridiem finitima est Beticæ, Septentrionem versus, Tarraconensi ad fl. Doriũ, qua in parte portus & Ciuitas est, quæ proprie Portugallia dicta, & vnde relliqua Prouincia nomen suum sortita est: Orientem versus, Tarraconę, & versus Occidentem, Oceano Occidentali. Præcipui illius fluuij sunt *Rio Setubal, el Tago Coimbre*, & alij. Promontoria, *Cabo Picheles, S. Vincenzo*. Vrbes: Lisbona, Metropolis, Badaioz, olim Pax Iulia dicta, in qua Episcopatus Pacensis; Coimbra Alcãtar, Norba, Augusta Emerita, & adhuc plureis aliæ. Huic Prouinciæ, Insula Londrobi, vel Barlinigas, adiacet. Olim, & Patrum nostrorũ memoria peculiares suos Reges habuit, nunc vero hæreditario ad Regem Philippum deuoluta est.

Sunt autem Lusitani fortes, bellicosique viri, quemadmodum in detectione & occupatione nouarum Indiarum videre est, alijsque Hispanis à natura ferme summopere infesti sunt. In Galitia sitæ sunt *Cabo de Baiona*, *Cabo de Viana*, & *Cabo Finis terræ*. Fluuij: *Rio Auia*, Limia, & *Rio Iere*. Vrbes: *Mondognedo*, Turrigia, Salamanca, & plureis adhuc aliæ, ad Lusitaniæ latus sitæ.

Hispania Tarraconensis in se complectitur Asturiam, Biscaiam, Castiliam Veterem, Castiliam Nouam, Regnum Murziæ, Regnum Valentiæ, & Toletanum, Cataloniam, Regnũ Arragonium, Regnum Nauarrenum, & Lepuscam. Versus Occidentem finitima est Oceano Occidentali Orientem versus, Montibus Pyreneis: versus Meri-

Meridiem, & Orientem, Lusitaniæ, & Beticæ. In exteriori huius Prouinciæ parte, Beticam versus, sequentes vrbes sitæ sũt, vtpote Carthagena, Tarracona, Barcelona, & Iberus fluuius. Promontoria: *Cabo de Palos*, & *Lunano*. In Asturia sequentes visuntur vrbes, videlicet Austurica Augusta, vel Astorga, *Ouiedo*, & plureis aliæ. In Biscaia, quæ etiam Cantabria dicitur, Mirãda, & Victoria. In Regno Toledo, cuius populi olim Carpetani vocabantur, Toletum, Madritum, & Matolanda. In Regno Murzia, cuius incolæ Basticani olim dicti, Sessa, & Cattolona. In Regno Valentiano, cuius inquilini olim Contestani nuncupabantur, Valentia & Xatiua. In Regno Arragoniæ, Saragosa, Metropolis, Tortosa, & plureis aliæ. In Regno Nauarræ, vbi olim Vaschi habitarunt, Pampalona, Metropolis, Toloseta, & plureis aliæ. Finitimæ Insulæ sunt Scopuli, qui Scopuli Trileuci appellantur. Decem Insulæ, Baionæ dictæ, Insulæ Deorum, Duæ Pitiusæ, & duæ Baleares Maiorica & Minorica videl. alias Maiora & Minora.

Europæ Prouincia, Gallia, vel Occidentalis Francia, iuxta aliorum opinionem, nomen à Græco vocabulo Gala, hoc est Lac, sortita est, quod eius incolæ nimis albi esse dicantur. Alij putant populos istos ideo ita vocari, quod nimirum breui à diluuio illuc venerint, atq; ne vnquam rei illius obliuiscerẽtur, sibi ipsi tale nomen indiderint; Galatan siquidem, in Syriaca lingua, talem aliquem significat, qui ab aqua huc illuc impellitur. Alij autumant nomen illud suam sumere originem à Galatio, Herculis filio, qui, occupata Burgundia, illam à nomine suo appellauerit, & exinde postmodum in Galliam peruenerit. Circiter quadringentos annos, à partu Salutifero Domini nostri Iesu Christi, Francia vocata fuit, idque ob imperij varietatem, in quo concordes manere minime potuerunt. *dentalis Francia.*

Quocirca Regem sibi elegerunt ex Francis, Germana fortissimaque quadam Natione, cũ qua antea Galli circa DCCC. annos bella gesserant, ita tamen ne mulieres in Regno succederent, facto decreto, vt imposterum Regnum Francia vocaretur. In quo tamen neutiquam

m ad-

adquieuerunt, sed, cõtra datam fidem, & ne nominis sui honor prorsus interiret, nomen suum retinuerunt, seseque Gallos vel Galatas appellarunt, vsque ad Caroli Magni tempora. Strabo inter alia, scribit, esse Gallos fortissimos & celeberrimos populos in Occidente, quemadmodum Scythæ in Oriente. Elegãtes, celebres, nauigabilesq; habet fluuios, vtpote Ligerim, Sequanam, Rhodanum, & Girondam: in quos sese etiam alij nauigabiles fluuij effundunt. In hoc Regno, quemadmodum Ruscellius recenset, numerantur XII. Episcopatus, XCVI. Comitatus, & Abbatiarum & Parochiarum vltra 100. millia.

Galliæ diuisio multiplex. Iulius Cæsar, in Commentarijs suis, Galliam in III. partes diuidit, in Aquitaniam, Celticam, & Belgicam videlicet, quę tamen omnes sub Galliæ Comatæ nomine comprehenduntur, idq; ob singulare studium, quod illius incolæ alendis longioribus capillis impendebant. Aquitaniam, à Celtica cum fl. Garumno separat: Celticam, à Belgica, cum Sequana: & Belgicam, à Germania, cum Rheno. Ptolomæus, vice versa, vniuersum Regnum, in quatuor potiores partes diuidit, Aquitaniam, nimirum, Lugdunensem, Belgicã, & Narbonensem, quæ olim Gallia Braccata dicta fuit, ob singularem aliquam Caligarum formam, quæ tum temporis apud istos populos vsu receptæ erant.

Hodierno autem nostro tẽpore magna pars Galliæ in Germania sita est, quæ Belgium dicitur, vtpote Flandria, Hannonia, & Brabantia. Iuxta commemoratas modo diuisiones, alias quoque Gallia in duas partes diuisa fuit, nempe in Transalpinam, & Lombardiam, quæ sese fluuium Rubiconem vsque extendit, Cesenam & Riminium præterfluentem. Nunc itaque singulas illius partes ordine explicabimus.

Ad Aquitaniam, quod attinet, versus Occidentem sese extendit vsque ad Oceanum Aquitanicum: Septentrionem & Oriente versus finitima est Galliæ Lugdunensi: versus Meridiem, vni alicui parti Montium Pyrenæorũ, & alicui parti Narbonensis Galliæ. Heic Prouincia Pictauia comprehenditur, in qua vrbes Limona, & Pictauium. Prouincia Santonia, in

qua

qua Xaintes: Tarbelli, quorum ciuitas Baionia: Cadurci, quorum vrbs Cahors. Lemouici, quorum vrbs Lemouicum: Auerni, quorum vrbs Niuernium: Rutheni, quorum vrbs Ruthena, & quamplureis populi alij, qui singuli peculiares suas vrbes habent. Præcipui illius fluuij sunt, Ligeris, Canentelus, & Garonna, Promontoria, *Le Cap S. Marie, Le Port. & la'c.*

Gallia Lugdunensis, versus Septentrionem, & Orientem, finitima est Aquitaniæ: Occidentem versus Mari: & versus Meridiem, Mari Britañico. Hodierno nostro tempore illa pars communiter *Bretaigne* appellatur. Illam Sequana interlabitur: vnum habet Promontorium, *Cap. de S. Mathieu.* Vrbes sunt, Iulia bona, *Vanes Loandul, Angers, Vendosme, Orleans, Sen;* Lugdunum Parrhisiorũ. Heic quoque Prouincia Normannia iacet, in qua *Saetz & Baieux* vrbes sunt præcipuæ.

Gallia Belgica, versus Orientem, sese extendit vsq; ad Rhenum & Germaniam. Meridiem versus, vsque ad Galliam Narbonnensem: versus Occidentẽ, vsque ad Lugdunensem: & Septentrionem versus, vsque ad mare Brittannicum. Heic Flandri quidam compræhensi sunt, alias ad Germanos pertinentes. Huc etiam pertinent Picardia, Brabantia, Geldria, Lotharingia, Zelandia, Holandia, Burgundia, Heluetij, Rhæti: Præcipui fluuij sunt Mosa, Tabris, & Rhenus. Montes, Gotardus, alias S. Gotardi montes dicti. In Picardia sunt vrbes in vernacula sua *Arras, Cambraii, Cales, & Bologne.* Ambiani habent *Cambreii:* Morini Touraine: Brabantini, Antuerpiam, Bruxellas, Gandauum, Bruhas, Cliuiam, &c.

Huc spectant etiam Sicambri, vtpote Tornacenses, Romandui, Luzenburgici, Remenses, Metenses, Nannetenses, Aquisgranenses, Holandi, vbi Ambstelrodamum, Roterodamum, & vrbes aliæ. Item, Colonia Agrippina, Moguntia, Wormatia, Argentina, & Rauraci, quorum Metropolis Basilea. Item Burgundia, in quo Langresium, Borbonium, Scalonium, & vrbes aliæ.

Gallia Narbonensis. Gallia Narbonensis sese versus Orientem extendit vsq; ad Occidentalem plagam Alpium, & finitima est Aquitaniæ. Meridiem versus attingit Montes

Pyreneos, Galliam Belgicam, & similiter Lugdunensem Galliã. Hac in parte conspicitur Templum Veneris Fluuij, Varus, Illerius, & Rhodanus. Heic sunt etiam Fossæ Marianæ, quas in Vernacula sua *aign smortes* nũcupant. Iuxta modo dictos istos fluuios visuntur heic quoque Araris, Isarus, & Druentes. Præcipua illius vrbs est Mompeliera. In illa sequentes quoque sunt Prouinciæ, vtpote: Prouincia, Sabaudia, Lanquedocca, Delphinatus, & Gasconia. In Lanquedocca sitæ sunt Narbona, & Tolosa. In Delphinatu, Guyenna, & Auignona, vna cum pluribus aliis. In Gasconia, Bourdigala, & Montalbanum. Finitimæ Insulæ sunt Agatha Blascon. V. Sticades & Lironiæ. In Sabaudia sita est Geneua ad Lacum Lemanum. In Prouincia, *Digne, Arli, Marseille, & Nice.*

Germania. Germania, vel Allemania extendit sese versus Orientem vsque ad Iaziges Metanastos, hoc est, Moldauos, & Transyluanos atque Sarmatiam Europæam; Meridiem versus vsq; ad Rhætiam, Noricum, & ambas Pannonias: Occidentem versus, vsque ad Rhenum & Galliam Belgicam: &, Septentrionem versus vsq; ad Mare Germanicum.

Hi autem populi, quemadmodum Nonnulli existumant, à Gomer, Noe Nepote, alias Iano, suam sortiuntur originem. Germani autem ideo appellantur, quod sese tamquam fratres erga Gallos gesserint, &, vno eodemque periculo, ad bellum contra communes suos hostes profecti fuerint. Priscis à temporib. Teutones dicti fuerunt. Alemanni vero à Lacu Lemano appellatos credunt. Sunt autem Germani populi fortissimi & integerrimi, quorum Regio populosa nimis, & excellentissimis florentissimisq; ingenijs abundat, atque adeo omnibus rebus, ad communem vitæ vsum necessarijs, sufficienter est instructa, multasq; elegantissimas munitissimasq; vrbes in sese cõplectitur, cumprimis vero, vt Nonnulli volunt, sequentes Prouincias, vtpote Hungariam, Austriam, Bauariam, Sueuiam, Bohemiam, Hassiam, Ducatum Wurtenbergensem, Brisgoniam, Daciam, vel partem aliquã Valachiæ, quæ olim Chersonesus Cimbrica dicta fuit, Daniam, Saxoniam, Pomeraniam, Misniam, Silesiam, Thuringiam, Fuliam, Sulliam, & vnam partem Poloniæ. Fluuij illius

sunt: Rhenus, Danubius, Visargis, Albis, Mœnus, &c. Syluæ, Præcipuæ, Bohemica, Thuringica, & Hercynia, &c. Vrbes præcipuæ in Septétrionali Climate, Brandenburgum, &c. In subsequenti, Wittéberga, Magdenburgum, &c. In sequentibus Heidelberga, Neoburgum, Norinberga, &c. In Thuringia, Erfordia, &c. In Bohemia, Praga, &c. In Silesia, Vratislauia, &c. In Morauia, Olmucium, &c. In Polonia, &c. Cracouia, &c. In Austria, Vienna &c. Heic quoque, veluti Pomponius Mela scribit, attamen versus Septétrionem, magna quædam Insula sita est, quam ille Gadanoniam, Plinius vero Scandinauiam, & nos Scandiam appellamus; quæ tamen duntaxat est Peninsula, ex qua Gothi, & Amazones oriundæ sunt, & tria Regna sub se complectitur, vtpote Daniam, Noruegiam, & Sueciam. Præsertim autem in modo commemorata Suecia elegantissima, quædam vrbs in media aquis, ceu Venetiæ, in Dania vero munitissima quædã arx Calmarum dicta, sita est. In hisce Prouincijs adhuc hodie Gothi habitant & in Osthothos & Vestgothos diuiduntur.

Rhetia. Rhetia in se vniuersam Sueuiam, vnamque partem Vindeliciæ, vel partem Bauariæ, complectitur, inter Ilnam & Licum fluuios, atque, versus Occidentem, ad montem Adylam (Der Vrsler) vsq; sese extendit: Septentrionem versus, ad Danubium. Orientem versus ad fl. Anisum, & Meridiem versus, ad Alpes, quæ exinde vsque in Italiam protenduntur. Præcipui fluuij sunt; Licus, & Danubius. Vrbes, Pfulendorffium, Stulingium, & quampluteis aliæ. Danubius præterea Sueuiam & Bauariam à se inuicem diuidit. In Bauaria Ratispona, Meldinga, Oenipons, & aliæ adhuc vrbes sitæ sunt.

Norica. Norica, quæ hodierno nostro tempore quoque sub Bauaria compræhenditur, extendit sese, versus Occidentem, vsque ad Anisum fl. Septentrionem versus, ad Danubium: versus Meridiem ad vnam partem Pannoniæ Superioris, hoc est, Austriæ, & versus Ortum, vsque ad montem Cetrum. Præcipuæ vrbes sunt Lincium, Neapolis, Pernatum, inter Noricum & Italiam sita est Carinthia.

Pannonia superior. Pannonia superior, Archiducatus Austriæ appellatur, & m[illegible]ntima

nitima est, versus Occidentem, monti Cetro, & Carauaneæ: Meridiem versus, vni parti Istriæ & Illyriæ: versus Septentrionem, Danubio: & Orientem versus, Pannoniæ Inferiori, in qua Vienna, Patauia, Vesprinum aliæque vrbes sitæ sunt.

Pannonia inferior. Pannonia Inferior, hodierno nostro tempore pars Hungariæ dicta, versus Occidentem finitima est Austriæ: Meridiem versus, vni parti Illyriæ: versus Orientem, & Septentrionem vero, Danubio. Præcipui fluuij illius sunt Sauus, & Danubius. Vrbes Præcipuæ, Buda, Belgradum, & Zeghedinum: vna cum alijs pluribus. Sub hac eadem Prouincia etiam Croatia, communi nomine etiam Sclauonia nuncupata, comprahensa est.

Illyria. Illyria, vel Dalmatia, versus Occidentem finitima est ambabus Pannonijs: Occidentem versus, Istriæ: Orientem versus, Mysiæ Superiori, ad montes Sardonios: & versus Meridiem, vni parti Macedoniæ, exinde in longitudine, vsque ad fluuium Larsiam, quadringenta & octuaginta milliaria complectitur: & in latitudine, à mari ad Croatios montes vsq; centum & viginti milliaria. Præcipui fluuij sunt Larsias, Narentas, Cherchas, & Drilon. Vrbes, Zara, Segna, Scherucum, Spalatrum, Ragusium, Catarron, Budoa, Dolcignum, Stridonia, ex qua S. Hieronymus oriundus, oriundus, Nadin, & Scutarium. Finitimæ Insulæ, Lissa, in qua etiam vrbs eiusdem nominis sita, Buca, in qua vrbs Traua, Liena, Cursolaris, & Meleda.

Liburnia. Liburnia in Illyria Dalmatia comprahensa est. Illius Vrbes sunt Zomincum, Odria, Narone, Scutaris, & quædam aliæ. Finitimæ Insulæ sunt Chersus, Oxarus, Pagus, Vigilia, Labrazza, Scondonis, Stiria, Croatia, & Comitatus Zara, olim Liburnia.

Italia. Italia, celeberrima in tota Europa Prouincia, olim Hesperia, Latium, Ausonia, Enotria, & Saturnia appellata, de qua etiam scribit Higinius, quod Septingentas vrbes habuerit: & Blondus, quod adhuc ducentas sexaginta quatuor, vna cum Episcopis suis, in se complexa fuerit. Versus Occidentalé partem sese extendit vsque ad Alpes, cum vna linea, quæ à monte Adyla, vsque ad fauces fluuij Vari, & exinde per Mare Tirthenum, à Neapoli vsq; ad Leu-

cope-

copetram ducitur. Septentrionem versus sese extendit vsque ad Alpes infra Rhetiam, & montem Poeninum, Ociam & Carusadium, sub Norica iacentes. Similiter etiam ad littus maris Adriatici, quod, à fluuio Tagliamento, per Forum Iulij labitur ad montem Otrantum. Versus Meridiem, iterum à commemorato Tagliamento vsque ad fines Illyriæ sese exerit, similiter etiam ad mare Ligusticum, & mare Tirrhenū nimirum à faucibus fluuij Vari vsque ad Neapolim, & à Leucopetra, vsq; ad Otranti scopulos: & plerumque in XVIII. Prouincias diuiditur, videli. in Pædemontanam Regionem, *Riuiera di Genoa* Toscana: in qua vrbes Lunigiana & Maremma sitæ sunt, In Ducatu Spoletano, *Savina, Campagna di Romagna, Patrimonio, Terra di Lavoro, il Principato, Basilicata, Calabria, Gallogracia, Terra d' Otranto, Terra di Barri, Puglia*, vna cum *Capitanata, Abruzzo, Marca d' Ancona, Vmbria, Romagna*, ad vtrūq; padi latus Lombardia, etiam ad vtrumque dicti istius fluuij latus *Marca Triuisiana*, quæ etiam Prouincia *di Venetia* appellatur: Forum Iulij, in quo *la Cargna*, & Istria. In Pedemontio hæ sunt Vrbes, *Turino, Osta, Juurea, Vercelli, Asti, Pinaruolo*: Marchionatus *Saluzzo, Casal di Mon fer ato*: quam Prouinciam fl. Sessia interlabitur. In *Riuiera di Genoa* sequentes vrbes sitæ sunt, videlic. *Genoua, Vintimiglia, Porto Venere, Porto della specie*, & Leuania fluuius. In Toscana sitæ sunt, *Fiesole, Fiorenza, Siena, Pisa, Pistoria, Luca, Arezzo, Chiusi, Cortona, Pinzia, Borgo is. S. p. libro, Montalcino, Montalcino, Volterra*, Lacus *Bolsena*, duo portus *Liuorno*, & *Telamone*: Porro quoque post Tirrhenum mare sitæ sunt, *Luna in Lunigiana*, nō procul à *Sarzana*, quæ nunc destructa. *Librafatta, Corneto*, & *Ciuita Vechia*. In Prouincia Patrimonio sita est *Viterbo* Metropolis. In Ducatu Spoletano, in Vmbria, *Todi, Spoledo, Fuligno, Aspeili*, & *Naini*. In *Sauina*, quæ adhuc hodie nomē à priscis istis Sabinis retinet, *Norcia*. In *Campagna*, Roma, *Tiuoli, Anagni, Veletri, Aquino, Palestina, Frascati, Traietto & Fondi*. In *Terra di Lauoro, Venafro, Sessa, Cirinola, Auellino, Trepergole*, & *Tiano*. In *Princ pato: Ausidena, Triueito*, & *Beneuento*. In *Basilicata, Lorina* & *Gropuli*: In Calabria superiori: *Cosenza* & *Bissona*: In inferiori; olim Magna Græcia dicta,

cta, *Altamura* & *Siliano*. In Terra *Otranto*, *Rutigliano* & *Lece* in Regione *terra de Barri* ad fl. *Aufidio*. In *Puglia*, vel Apulia: *Nocera*, *Cidonia*, *Manfredonia*, *Siponto*, & montes: *Monte Gargano*, *de S. Angelo*, *Tremolo*, & *di Guesto*. In *Abruzzo*, *Penna*, *Aquila*, *Ortona*. In *Marca d'Ancona*, *Sinigaglia*, *Fanno*, *Pezaro*, *Fermo*, *Ascoli di Madonna de Loreto* & *Recanati*. In Vmbria: *Castello*, *Vgubbio*, *Iesi*, *Perugia Assisi*, *Camerino*, & *Notera*. In Romania, olim Gallia Togata dicta: *Flamminia* & *Emilia Regio*, *Modena*, *Bologna*, *Ferrara*, *Imola*, *Faenza*, *Forli*, *Cesenna*, *Rauenna*, *Ceruia*, *Arimino*, *Bertinoro*, *Comachio*, *Lugo*, & *Bagnacauallo*, quæ non dumtaxat vrbes, verum etiam munitissimæ arces atque Propugnacula sunt. In Lombardia: *Pauia*, *Milano*, *Nouara*, *Como*, *Cremona*, *Brescia*, *Mantoa*, *Verona*, *Bergamo* *Crema Lodi*, *Parma Piazenza*: quamuis aliqui Auctores, non solummodo harum, verum etiam in Romania contentarum vrbium, non vnius eiusdemque sient opinionis atque sententiæ: quorum vnus easdem in hanc, alter in aliam Prouinciam illas collocat: id quod tamen ea de caussa fit, quod neque Historiarum, neq; etiam Geographiæ studium sedulo excoluerint. *In Marca Triuigiana*: *Venetia*, *Triuig.*, *Padoa*, *Vicenza*, *Saravelle*, in qua *Guido Casoni* & M. Antonius Flaminius oriundi, *Ciuidal di Belluno Ceneda*, *Altino* & *Torcello*. In Foro Iulio, præsertim illa parte, quæ *Cargnia* appellatur, Concordia & Aquileia. In Istria: *Trieste*, *Parenzo*, & *Pela*. Præcipui fluuij: *Po Tesino*, *Adda*, *Adige*, *Arno*, *Tebro*, *Trebia*, *Brenta*, *Mincio*, *Oglio*, *Taro*, *Sergio*, *Sile*, *Flumesino*, *Tronto Mischio*, *Liuenza*, *Tagliamento*, *Nadisone*, & plureis alij. Montes celebriores: *Apennino*, *Gargano*, *Vesuuio*. Lacus: *Lago Maiore*, *Lago di Como*, *Lago di Garda vel Benaco*, *Lago de Perugia*, & *Lago di Bolsena*. Portus præcipui: *Ciuita*, *Vechia*, *S. Stephano*, *Corneto*, *Napoli*, *Ancona*, *Genoa*, *Sapri*, *Taranto*, *Otranto*, *Brindesi*, *Ostia*, *Chioggia Malomocco*, *Vinetia*, *Murano*, & *Pola* in Istria. In Mari Ligustico sequentes visuntur Insulæ: *La Gorgona*, *Caprara*, *Elba* Domini Piombini. In Mari Tirrheno, *La Pianosa*, *Ponza*, *Palmaria*, *Proceda*, *Bentelien*, *Ischia*, *Capri*, & *Galle*, vel *Cornuse*. In Mari Ionio V. sitæ Insulæ, Diomedeæ dictæ, vbi etiam Tramito sita est, sub Dominio Canonicorum Regularium

larium Lateranensium, vnacũ Castello in terra *dell' Aragna* sito, quæ Baronia Abbatis sui est.

Insula Cirnus, vel Corsica versus Occidentem & Septentrionem cum Mari Ligustico; Orientem versus, Mari Tirrheno, & Meridiem versus, cum illo Mari, quod inter Corsicam & Sardiniam labitur, circumdata est.

Præcipua illius Promontoria sunt: *Capo Reuelar, Graniaco, Rio*, aliaque. Fluuij: *Alteria, Circidio, Tacato, Potano*, & alij plureis. Vrbes, *Calui, Centuri, Regola, Hobeo, Marano*, & plureis aliæ. Hæc autem Insula hodierno nostro tempore Genuensium Imperio paret.

Sardinia, vel Cardegna, versus Orientem cum Mari Tirrheno; Meridiem versus cum Mari Africano; Occidentem versus cum illo Mari, quod illam & Corsicam interlabitur, circumdata est. In qua hæc præcipua sunt Promontoria, vtpote: Gorditanum, Ermeum, Promontoria Pachia, aliaque. Fluuij, *Temis, Cacro, Tirso, Epro, & Sedrio*. Portus: Olbianus, portus Herculis, portus Bieas, portus Colcius, portus Nanseus. Vrbes, *Tarra, Sancta Reparata, Nora, Giulcola, Cardus, & Valtriae*. In longitudine 140 in latitudine vero 40 milliaria complectitur.

Finitimæ Insulæ sunt: *Tintone, Elba, Nymphea Herculea, Diabate, Iezcao, Plombaria, Ficaria, & Hermea*.

Sicilia in circuitu suo non minus, quam Septingenta milliaria complectitur. Scribunt Nonnulli illam olim Calabriæ adhæsisse, & per terræ motum ab eadem quasi iterum reuulsam fuisse, vt hoc modo mare quingentos passus medium se ingesserit, id quod hodierno nostro tempore Fretum Mesinæ, vel Phari appellatur. Admodum est frumentifera, adeo vt Ecclesia Romana in singulis annos ab eiusdem Regibus X. medimnorum M. frumenti ex compacto & veteri contractu, fruatur. *Sicilia.*

Eadem porro Sicilia nõ tam armis, quam bonis literis bene instructa & ornata est. Versus Orientem & Septentrionem cũ Mari Tirrheno Meridiem versus cum Aphricano; & Occidentem versus cum Adriatico est circumdata. Eius Promontoria sunt *Peltro, Capo del Pharo, Falacrio, Tauro, Capo di S. Iordano, Pachino, vel Capo Passaro, Vlisseo,*

Capo Razi, *Tazir*, *Argeno & Lilibeo*. Montes Æthna, nunc *Mongibello* dicta; *Cratas* vel *Monte Mirego* ad Palermum situs. Vrbes, *Palermo*, *Regia*, *Meßina*, *Trapani*, *Agrigento* Emporium *Sorogia* olim & *Megara*. Finitimę Insulæ, Didima, Panaria, *Albico*, *Vulcano*, Lipara, *Vulcanelo*, *Stromboli Vstica*, *Procelli*, *Leuanso*, *Fauagnano Maretano*, *Pantalarea*, & *Æolia*. Hesc etiam famosæ istæ Rupes Scylla & Charybdis sitæ sunt.

Sarmatia Europaa. Sarmatia Europæa hodierno nostro tempore in multas Prouincias diuiditur, vtpote in Colonia, Russiam, Prussiam, Lithuaniam, Liuoniam, Podoliam, & Moscouiam. Versus Septenttionem finitima est Oceano Sarmatico ad Sinum Venedicum, Occidentem versus Vistulæ fluuio, & Sarmaticis montanis: Meridiem versus, Iazigis vel Transyluanis: & Orientem versus, Isthio fluuio, Paludi Bicæ, & Paludi Meotidi. Præcipui fluuij: Passaria, Pregel, Memel, Boristhenes, Tanais, Hipanis, Ister, Russiæ fluuius. Montes sunt Crapac, Bondinus, Alaunus, Montes Amadocij, Venedi, & Riphæi. Finitimæ Insulæ sunt Alopecia & Ienais. Notandum tamen est, quod hodierno nostro tempore hæc Prouincia maiori ex parte sub Corona Polonica compræhensa fiet, vtpote Borussia, Lithuania, Liuonia, & Miscouia, quæ peculiarem suum Magnum Ducem colit, qui Christianorum Religione profitetur, atque perpotentes alios Principes, & Tartarorum non exiguum dumtaxat numerum sibi subiectum habet. Plana, Syluosa & Paludosa admodum est Regio, adeo vt, ob frigiditatem suam, nullos fructus, quam cerasa proferat. Præcipua vrbs est Mosca, quemadmodum etiam fluuius qui eamdem alluit; & vnde vniuersa Moscouia nomen suum sortita est. In Borussia Vistula præcipuus est fluuius, Vrbes, Strabürgum, Hispergа, Mariæburgum. In Principatu Massouiæ, Burgus fl. & Plocenza, & Versouia vrbes. In Lithuania, fl. Depena, & vrbes Denuberga, Krisborga. Sylua Hercynia sese vsque ad Lithuanica deserta sese extendit. In Liuonia Riga est Metropolis, iuxta quam sunt Dromen & Legefeltia. In Russia Neogardia, Colmogora, & Viborgum. Triplices autem sunt Russiæ, rubra, nigra, & alba Russia vel. Taurica Chersonesus, quæ ho-

hodierno nostro tēpore Tartaria Gazania minor, & præcopita dicitur, Tartaris, Turcis ferme similibus, subiecta est, veluti Paulus Iouius commemorat. Illius Promontoria sunt: Carax, Paternium, & Nimphæum. Illam Danubius perlabitur. Præcipuæ vrbes: Pompeiópolis, Fanagoria, ad Bosphorum Cimmerium, & Heraclea, ad Paludem Mæotidem. Intrinsecus terrestri itinere sitæ sunt: Cimmerium, Tabazia, & Tarona. Finitima est, versus Orientem, Bosphoro Cimmerio, Paludi Mæotid, & Tanai. Meridiem versus, Mari Pontico, vni parti inferioris Misiæ, Daciæ, Iazigiæ: Occidentem versus, Sarmaticis Montanis: & versus Septentrionem Sinui Venedico, & parti vni ignotæ terræ.

Iazigia adhuc hodierno nostro tempore ita appellatur, estque illa Transyluaniæ atq; Valachiæ pars, quę superiori Hungariæ est finitima, atque partim ab Hungaris, partim à Valachis incolitur. Versus Septentrionem finitima quoque est vni parti Sarmatiæ: Orientem versus, Sarmaticis Montanis, vsq; ad montem Carpathum: Occidentem & Meridiem versus, vni parti Germaniæ. Præcipuæ vrbes sunt Tartarea, Germana, Candanus & aliæ.

Dacia etiam pars est Transyluaniæ & Valachiæ, videlicet illa pars, quæ cis Danubium, vsque ad Pontum Euxinum sese extendit. *Dacia.*

Versus Septentrionem finitima est Sarmatiæ Europeę: Occidentem versus, Iazigiæ, ad Tibiscum: versus Meridiem, Danubio: & Orientem versus, Ierasio fluuio. Præcipuæ Vrbes, Alsium, Ruconium, Prætoria Augusta, Zarmizetusa, quæ Metropolis est, atq; hodierno tempore Cronkletenburgum appellatur, aliæq; complures. Probe tamē hic notandum est, quod hæc non illa sit Dacia, quæ in Chersoneso Cimbrica sita est, & itidem Dacia appellatur quę tamen rectius Dania appellanda esset. Itaque inter ambas istas magna etiam est differentia.

Misia, in qua etiam Bosnia, Walachia, Bulgaria, & Rascia comprehenduntur, hodierno nostro tempore Turcis subiecta, versus Occidentem finitima est Dalmatiæ: Meridiem versus, Macedoniæ: versus Orientem vni parti Thraciæ, & a- *Misia Super, or.*

ficui parti Misiæ inferioris. Et, Septentrionem versus, vni parti Danubij. Ad Macedoniam, à Dardanis incolitur. Volaterranus Rasciam & Seruiam circa eamdem Regionem collocat. Præcipui illius fluuij sunt: Moscus, Danubius. Vrbes: Vlpianum, Attribantium, & Scupium, quæ à Dardanis incolitur. Ad Danubium Timacum, & Otrea sitæ sunt.

Misia inferior. Inferiorem Misiam Sabellicus Sagoriam nuncupat, cuius vna pars hodierno nostro tempore Bulgaria, altera, Seruia appellatur. Finitima est, Occidentem versus, Ciabræ & Danubio: versus Meridiem, vni parti Thraciæ. Septentrionem versus, Tiræ fluuio, & Orientem versus, ponto Euxino. Præcipui illius fluuij sunt, Danubius, Boristhenes, Ierasus, Ciaber, & Tiras. Promontoria: Sacrum, Pterum, & Tirense. Præcipuæ Vrbes: Dinogetia, Tirista, Chilia, Niconium, Tiras, & aliæ. Finitimæ Insulæ: Boristenea, Alba, & Insulæ Achillis.

Græcia. Vniuersa Græcia in sese cōplectitur Thraciam, Macedoniam, Chersonesum, Epyrum, Achajam, Peloponesum, Insulam Cretam, Euboeam, & c. quę circum sitæ sunt; quas omneis & singulas Nicolaus Sophianus non tam eleganter, quàm neruose in Charta quadam descripsit. Easdem igitur & nos, breuiter tamen, percurremus.

Thracia. Thracia, hodierno nostro tempore Romania appellatur, in qua Constantinopolis, aliæque vrbes sitæ sunt, & quæ pro celeberrima in vniuerso Imperio Turcico haberi possit, olim perea, & Scitonis dicta fuit: ob fortissimos bellicosissimosque milites etiam, qui plerumque inibi reperiuntur, Plinius illam Martis domum nuncupat. Versus Septentrionem finitima est Inferiori Misiæ: Occidentem versus, Superiori Misiæ, partiq; vni Macedoniæ: versus Meridiem, relliquæ Macedoniæ parti, vsque ad Ægeum mare: &, Orientem versus, Propontidi, quod mare Constantinopolim præterfluit, & Bosphoro Thracio: Præcipui fluuij sunt: Nessus, Mariza, Ebrus, & Mella: Montes: Mons Emos, qui etiam Catena Mundi dicitur, atque, vna cum montanis coniunctis, per vniuersam Europam se extendit. Promontoria: Tennais, & Philij. Vrbes: Constantinopolis,

polis, olim Byantium, Nicopolis, Adrianopolis, Parthenopolis, Heraclea, Phjnopolis. Finitimæ Insulæ, Proconesus, in Propontide. In Mari Ægeo sita est Thalassia in qua etiam vrbs, eiusdem nominis. Samotracis, in qua Samus, Dardania, Lebras, & Leucosia.

Macedonia, olim admodum celebris, hodierno nostro tempore omnino Turcorum iugo subiacet, vrbesque omneis incultæ atque desertę ferme sunt. Versus Orientem, finitima est Mari Ionio: Meridiem versus, Epiro: versus Occidentem, vni alicui parti Thraciæ, & Sinubus Maris Ægei. Et, Septentrionem versus, Dalmatiæ, Misiæ Superiori; & Thraciæ. Præcipui fluuij sunt: Vaiusa, Cilabrus, Penecus, alijque. Promontoria: Nipheum, Magnesia, Possidium, & alia. Montes, Athos, Olympus, Ossa, Pelius, Otrius, alijque.

In hac, tamquam Prouinciæ, comprehenduntur Chalcidica, in qua Portus Panormus, & ciuitas, vna cum Ægea, Edonis, in qua Chrysopolis: Anphastis, in qua Thadinus: Saloniche, in Sinu Sirgitrio, vbi Sratonice, postea Adrianopolis dicta; Phitiodis, in qua Thebæ: Migdonia, in qua vrbs Apollonia, & Antigonia Pelasga: quarum incolæ postmodum Argiui & Danai appellati fuerunt. Heic simul compræhenduntur Aleria, Larissa, Thessalia, in qua vrbs Lamia & Vaulantij, vbi Durazzum & Vallona. Finitimæ Insulæ sunt in Mari Ionio, Sasus, In Mari Ægeo, quod ab hodiernis Nauigantibus Arcipelagus nuncupatur, Lemnus, quæ hodie Stalimia appellatur, duæ vrbes sitæ sunt: Sciatus, vbi quoque eiusdem nominis vrbs conspicitur. *Præparata*, in qua itidem eiusdem nominis ciuitas sita: Scopulus, & Surus, in quibus eiusdem nominis ciuitas videre est.

Chersonesus, versus Septentrionem, finitima est Propontidi; Occidentem versus, Sinui Melano, vbi vrbs Cardia sita est: versus Meridiem, Mari Ægæo, in quo vrbs Ælea sita: &, Orientem versus, Hellesponto. Præcipuæ vrbes sunt Silla, Calliopolis, Sesta, & Critea. *Chersonesus.*

Epirus simili modo Turcorum potestati subiacet, suntque illius vrbes (quemadmodum Martinus Barletius testatur) olim ferme omneis à Gothis, & *Epirus.*

Gallo Græcis destructæ. Hodierno nostro tempore Albania appellatur, in qua olim Rex Pyrrhus fuit, qui cum Romanis bella gessit. Versus Septentrionem finitima est Macedoniæ: Orientem versus, Achaiæ: versus Occidentem, Acroceraunijs, qui nunc Cimmeri appellantur, & ad Acta maris Ionij habitant; & versus Meridiem, Mari Adriatico vsque ad fluuium Acheontem, & Acherontem. Portus præcipui sunt: Palermus, Santiquaranta, Cassopus, & alij. Vrbes: Noricum, Chaoniæ, Nicopolis in Sinu Ambraico, quæ *la Preuesa* nuncupatur. Terrestri itinere intrinsecus Antigonia & Omphalium.

Insulæ finitimæ; Corcyra, hodierno nostro tempore Corfu, in qua Promontorium Capo Blanco, vrbs Corfu, & *S. Maria de Casopo*, quæ olim Cassiope dicta fuit. Volunt Nonnulli fuisse illam Insulam Phœacum, quam Homerus in Odyssea sua tantopere extollit, & in qua admirandi Alcinoi siti fuerunt. Item Cephalenia, in qua eiusdem nominis vrbs, & Promontorium Sidrium, atque Tracanum. Item, Paxus: Echinades, Ithaca, in qua quoque vrbs illius nominis: Zazinthus itidem, nunc Zante, & Episcopalis sedes, cui nunc Paulus Bolognensis, Canonicus Regularis Lateranensis, vir doctissimus atq; grauissimus, summo cum Imperio præest.

Achaia, quæ in specie Græcia dicitur, versus Occidentem finitima est Epiro: Septentrionem versus, Macedoniæ: versus Orientem, Mari Ægeo: & Meridiem versus, Mari Adriatico. Præcipui illius fluuij sunt, Achelous, Ismenus, Cyphisus, & alij.

Promontoria, Ætolia, Cynosura: Montes, Parnassus, Helicon, Corax, Himettus, alijq; Prouinciæ, quæ in hac comprehenduntur, locis, in qua vrbes Anticira, Delphus, Picha, Bæotia, Creussa, Antedone, Thebe, & Thisbe: Megaris, in qua Megara vrbs. Attica: in qua Athenæ, Marathonea, Munichia, Pireum, vrbs maritimæ. Ætolia, quæ Ducatus Acarnania, in quo Chalais, & Chalidon. Dorin, in qua Erincus, & Lilea. Locris, in qua Ancisa & Lepanthus. Finitimæ Insulæ, Hiera, Zea, Io, Polycandrus Nigropontus, Terasia, Delus,

Rena,

Rena, Micon, & Ciclades; quæ hodierno nostro tempore Insulæ Arcipelagi appellantur, nimirum Andrus, Tenus, Scirus, Naxus, Patus, & Siphanus: quæ omneis etiam vrbes eiusdem nominis habent, Teno & Siphano exceptis.

Peloponesus, hodie *La Morea* dicta, in se complectitur Lacedæmonios, Sicionios, Euenses, Micenos, Argiuos, Pilios, Messeneos, & Arcades qui omneis celeberrimi sunt populi, & finitima est, versus Septentrionem, Sinui Corinthio, qui hodierno nostro tempore *Golfo di Lepanto* dicitur, & cum Isthmo illo terminatur. Versus Occidentem & Meridiem, mari Adriatico: & Orientem versus, Mari Candiæ.

Præcipui fluuij sunt Asopus, Alpheus, Panisus, Eurota, Peneus, Inachus. Montes minos, Cyparissus, & alij. Portus, Erineus, Scheneus, & Bucephalus. Promontoria, Maleum, Acrite, *Capo di Modo*, Cyparissium, aliaque. Prouincia Corinthia, in qua Corinthus, & Policastrum. Achaia, in qua Egira, & Patræ, vbi S. Andreas Apostolus occisus est. Mesenia, in qua Cyparissus, Modonis, Coronis. Laconis; vel Lacedæmonia, in qua *Maluasia*, & Esapus. Argia, in qua hodierno tempore Neapolis in Romania, & Argus. Elis, in qua vrbs Elis, & Olympia.

Sicionia, in qua Foica & Arcadia, vbi Antigonium, & Megalopolis sitæ sunt. Finitimæ insulæ sunt Strophades, in quibus olim Harpiæ commorabantur, Listriualis, Salamis, etiam Pitiusa dicta, Ægina, alias Legiena, in qua eiusdem nominis vrbs sita. Cythera, in qua vrbs Cythera, & plureis aliæ, quæ tamen nauci æstumantur.

Creta Insula hodierno nostro tempore Candia appellatur. Homerus illam Hecatonpolin ideo vocat, quod suo tempore centum vrbes habuerit: Macarona quoque olim dicta fuit.

Versus Occidentem finitima est Mari Adriatico; Septentrionem versus, Mari Cretensi: versus Meridiem Lybiæ: & Orientem versus, Mari Carpathio. Fluuij sunt Masalia, Elteia, & Letus. Promontoria, Caput Salomonis, Zephirium, Drepanum, Capa Spada, aliaq; plura. Montes, Idæus & dictus. Vrbes, Candia, Cortina, Phœnix, Gambrusia,

brusiā, Cania, Artacina, Cisamus, Ginosa, Polycastrum, Hierapolis, & aliæ. Insulæ finitimæ, Claudia, in qua vrbs eiusdem nominis, Letoa, Sandearis, Sicandrus, Melus, vel Mellus, in qua vrbs eiusdem nominis Millus hodierno nostro tempore appellatur. Hæc, omnesq; aliæ finitimæ Insulæ, Serenissimæ Reipublicæ Venetianæ subiectæ sunt.

Eubœa Insula Nigropontus hodie appellatur. Heic Promontorium Ceneum, *Cap. Mātello*, & *Capo d' Oro*. Fluui⁹, Badotus. Vrbes, Chalcidis, in qua Aristoteles mortuus est, Nigropontus, & Caristus. Insulæ vero finitimæ, Iera, & Zea.

DE AMERICA.

NOui terrarum Orbis Inuētio plerumq; Christophoro Columbo Genuensi tribuitur, qui A. C. M. CCCCXCII. consensu atque voluntate Hispaniarum Reginæ, profectionem istam in se suscepit. Postea quoque eadem Americo Vespucio Florentino, partim vero Ferdinando Magellanes, Lusitano, imputatur. Franciscus Sansouinus autem honorem illum soli *Marco Paulo* Veneto, Miloni alias, defert, qui ante Columbum, nouas regiones in marina sua nauigatione inuenit, cuius relationi tamen nulla fides tum temporis adhiberi voluit.

Certum tamen est Ptolomæo non omneis regiones fuisse cognitas, etiamsi aliquatum certam notitiam habuerit atque etiam de ijsdem libros aliquot conscripserit. Id quod tamen tamdiu non magni æstumatum fuit, donec Lusitani easdem inquirere cœperint, & inquisitione atque innentione sua notitiam istam ad posteros propagauerint: veluti in Calicuto, elegantissima i'la Prouincia & Emporio in Orientali India intra Gangem videre est, de qua perhibent illam & Prouinciam & vrbem esse, quæ tamen dictus ille Ptolomæus Cortiaram, vel antiquam Elanconem nuncupat.

Volunt Nonnulli Indiam, vel nouum mundum, in circuitu suo 9. millia, 30. & circiter mil-

milliaria verſus Septentrionale, & Meridionale mare verſus, 3.millia, 375.milliaria complecti.

Prima, à Chriſtophoro Columbo inuêta terra Inſula Guauahani fuit, quæ terreſtri itinere iuxta Inſulam Floridam & Cubam ſita eſt.

Ad Americam in ſpecie vero quod attinet, quam quartam mundi partem eſſe Nonnulli autumant, in genere quatenus tamen nota, in duas partes diuiditur in Freto S. Michaelis, adeo vt vna pars, verſus Aquilonem, America Septentrionalis, vel Noua Hiſpania: altera pars autem, Meridiem verſus, America Auſtralis, vel *Peru*, appellatur.

America Septētrionalis, aut Noua Hiſpania duodecim in ſe complectitur Prouincias, videl. Nicaraguam, Guatimalam, Mexicum, Themiſtitan, Floridam, Xaliſcum, Nouam Galliciam, Nouam Franciam, Bacalaon, Canedam, Ciuolam, Quiaitã, Iuſulam Hiſpaniolam, & Cubam.

America Auſtralis, vel Peru ſeptem alias in ſe compræhendit Prouincias, vtpote: Caſtiliam Auream, Pariam, Quito, Braſiliam, Chilem, Platam vel Argentiam, & Chincas. In quibus omnib. innumerabiles vrbes, Portus, Montes, Fluuij, Paludes, & Promontoria reperiuntur: Quemadmodum in deſcriptionib. Petri Mexjæ, Marcj Pauli Veneti, Lodoici Barthemæ aliorumque, qui de nouo mundo ſcripta ſua eruditiſſima typis publicis diuolgarunt, videre eſt.

Breuioris tamen inſtructionis ergo ſciendum eſt vltra mõtem Timaum, in Tartaria ſitũ, Mongal & Ciambalam reperiri.

Si quoque eodem in latere verſus Indiam quis vela faciat, tunc in ſuperiori parte Regnũ Tangut, & Regnum Mangi inueniuntur. Verſus Occidentem conſpicitur Prouincia, quæ *Terra del labrador* appellatur pauloque inferius, *Terra del Cacalao: Terra de Nurumbergo: Terra Fraceſca: Terra Bertona: Paradiſus: La flora: Auguleme: L' Arcadia: Florida: Toua: Guatimala: Nicaragua:* & quam plureis alię Prouinciæ. In India inferiori, *La Caſtillo de Oro, La Moria Benecuola, Paria, noua Andaluſia, Braſilia, Amazone, Lugan, Andemarca, & Quito.*

Si vero per Iſthmum quis iterum

terum retro cedat, tunc reperit Nicaraguam. Exinde per Indiam transitur, quæ circa Gangem fluuium sita est, & tunc eo in loco reperitur Regnum China, Cochingina, Regnũ Sian, Regnum Dausian, Regnum Campaa, & in Peninsula, Regnum Malacca. Et iterum, versus superiorem partem Regni Pegu, reperiuntur Regna sequentia, vtpote: Brema, Capaa, Bengala, Oriza, Aracan, Caus, & Tipura.

In illa India, hac in parte Gãgis, reperitur Prouincia Calicutana, Regnum Narsinga, Taffà, Inagori, Idescan, Malabar, & Iulita, Delli, Cochin, Coluan, Cananor, Cambaia, Colmederan, quæ certe non contemnendæ sunt Prouinciæ atq; Regna.

Quinta & Sexta mundi partes, nimirum Terra Firma versus Septentrionem & Meridiem omnino sita, quodammodo sane detectæ, nondum tamen omnino notæ sunt. Itaq;, quas videlicet in Prouincias diuisæ sient, heic scire nequimus, quemadmodum etiam nemo adhuc, in hodiernum vsque diem, aliquid certi ea de re cum posteritate communicauit.

Et hoc compendium est illius, quod Geographus, vel Cosmographus scire necessum habet, vna cum diligentissima obseruatione, distinctorum Climatum. Omneis tamen Geographicos modos, vtpote cubitos, passus, orgias, Plethra, Stadia, Diabos, Dolicos, Schena, Leucas, Parasangas, Statmos, &c. de quibus Budæus, Glareanus, Ian-Thomas Phrygius, Leonhardus de portu Vincentino alijque Auctores copiose & eleganter scripserunt, scire illum oportet.

Pari modo mundi Zonas rite ordineque distinguere tenetur, qua de re Albatengus, in libro suo de scientia stellarum, informationem edidit. Intelligat quoque Circulos Cœlestes, quos Ariel Bricardus explicauit, nec ignoret Tropicos Coluros, atque intersectiones eorumdem. Instrumenta itidem rite tractare necessum habet, cum Gnomone videlicet, Scioterio, Astrolabio, Quadrãte, & id genus alijs, in quibus semper speculationes suas exerceat, vtpote quæ illum cottidie & magis magisque ad perfectionem deducent. Ad quam eo citius peruenturus est, si omneis

Au-

Auctores, qui de tali materia, quam optume ſcriptitarunt, diligentiſſime perlegerit: cumprimis vero Pomponium Melam Alexandrinum, Tariffenſem, hunc fuiſſe Tariffenſes ſummo cum ſtudio contendunt. In libro de Situ Orbis, & in Commentarijs ſuis ſuper Ptolomæum: Polemonem Helladicum, qui de origine ciuitatum librum conſcripſit: Sciliacem Cariandeum, qui ſitum modoſq; maris, cis Columnarum Herculis partem, deſcripſit: Dionyſium Africanum, qui Geographiam verſibus Hexametris, poſtmodum à Priſciano in Romanam linguam tralatam edidit. Dionyſium Alexandrinum in libro ſuo de Situ Orbis: Dionyſiodorum, Cleomedem, Alfraganum Orontium, Schonerum, in Opuſculo ſuo de Geographia, Petrum Appianum, in prima Coſmographiæ ſuæ parte: Gemmā Friſium, Copernicum, Ioſephū Ananiæ, Franciſcum Maroliuium, Iacobum Gaſtaldum, Ian-Thomam Phrygium & alios. Qui inſuper parumper dumtaxat ſeſe in hoc ſtudio exercuerit, is omnes Tabulas Geographicas & Sphæras (quæ ſane nihil aliud, quam commodas Zonas & diuiſionem totius terrarum orbis, indicant) eo facilius intelliget, aliaſque eadem facilitate componet.

IN DISCVRSVM V.

ADNOTATIVNCVLA.

DE Geographia, & Chorographia legantur 20. & 23. libri Ian-Thomæ Phrygij, & Descriptiones Chorographicæ Cardani, libro 12. de rerum varietate; Syntaxis itidem Petri Gregorij Tholosani: Gerardus Mercator, qui Tabulas Ptolomæi correxit, atq; Nouam Orbis & Europæ Tabulam tanta laude & industria edidit, vt magna sua cum gloria alter Ptolomæus nuncupatus fieret. Item, Abrahamus Ortelius, ipsiusque elegantissimum Theatrum vrbium: & plureis alij.

DE ASTRONOMIS ET Astrologis.

DISCVRSVS. VI.

Astrologia & Astronomiæ differentia.

IVxta Isiodori aliorumque opinionem Astronomiæ & Astrologiæ differentia sane non exigua æstumanda est: Astronomia siquidem, tamquam Theoria, in vniuersum Cœlum sese extendit, atque in genere loquitur de Sphæris & Circulis: in specie vero de Spheris & Circuiis: de motu & curriculo earumdem: de Stellis fixis itidem, earumdemue Aspectibus: Item, de Theoria Planetarum, de Eclipsibus, Polis, quatuor Cardinibus, Cœli, de Climatibus, & Plagis vniuscuiusq; Hemisphærij, singularib. Circulis, Eccentricis & Concentricis videlicet, de Epiciclis, Retrogradationibus, Accessibus, raptibus, & id genus alijs rebus, quæ in Cœli curriculo & motu consideranda veniunt: vbi simul explicat, quur res quælibet peculiari suo nomine ita appellatur.

Astrologia vero (de naturali heic

Heic verba facio) circa praxin versatur, motus Cœli & Stellarum, earumdemue operationem in mutatione temporis demonstrat, ex quibus etiam, iuxta Naturæ ipsius instinctum, de futuris rebus iudicat, & nihilominus tamen à superstitiosa ista Astrologia Mathematicorum, quæ Astrologia iudiciaria nuncupatur, discernitur, in qua (iudiciaria) hominis alicuius natiuitatem, & futura contingentia plus quam superstitioso modo elicere & probare conantur: qua de re, sub finem huius Discursus, verba facturus, & simul, quantum videlicet illi tribuendum fiet, indicaturus sum: ea tamen lege atque conditione, vt omne meum studium viris Prudentibus, præsertim veræ Ecclesiæ Doctoribus subijciam, de quibus, vti aiunt, ne latum quidem vnguem recessurus sum. Opiniones præterea, Obiectiones, & Solutiones Doctorum, atque hac in scientia celeberrimorum virorum heic in medium propositurus sum.

Ad rem ipsam itaque me vt adcingam, & tam de Astronomia, quam de Astrologia, quæ duæ sorores adeo sibi inuicem coniunctæ sunt, vt etiam vna plerumque sumatur pro altera, certo certius est, quod ambæ in magno certe pretio habendæ & censendæ fient, quemadmodũ etiam Veteres eamdem omni tempore magni æstumarunt, atque venerati sunt. De ipsius initio Isiodorus lib. 3. Etymologiarum scribit, quod olim veteres apud Ægyptios inuenta fuerit: quamuis, iuxta aliorum opinionem, Chaldæi omnium primi circam eamdem versati fuerint, & iuxta cœli Constitutionem, Natiuitatibus coniectandis operam dederint. Illam autem, secundum Iosephi sententiam, ab Abrahamo didicerunt, qui, vt idem Auctor lib. 1. Antiquitatum Iudaicarum testatur, illam de manu quasi ad manum à Sethi filijs, eorumdẽque Posteris, recepit. Græci, Athlantem primum huius scientiæ inuentorem fuisse, tradunt: quocirca etiam Poetæ fabulantur, quod Olympus ipsius humeris recubuerit. Plinius lib. 6. cap. 26. inuentionem istam Belo adtribuit, cum tamen lib. 5. cap. 12. Phœnicibus inuentionis istius laudem imputat. Lucianus, in libro suo de Astrologia, Æthiopes primos illius sci-

entiæ Doctores fuiſſe aſſeuerat, & quod illa, imperfecta tamen adhuc, ad Ægyptios translata fuerit. Diodorus Siculus lib. 3. præcipuam ſcientiam & experientiam Chaldæis imputat, idemque facit Philo Hebræus, in libro ſuo de tranſmigratione Abrahami.

Cultores & Profeſſores. Verum enimuero, vtut ſiet, dignitas ſcientię illius inde elucet, quod tam præſtantes Clariſſimique viri eam tantopere excoluerint, atque multifarijs ſuis ſcriptis illuſtrarint, atq; excoluerint: Videlicet inter veteres Anaximāder Mileſius, Thaletis diſcipulus, & primus Sphęram inuenit, qua conuerſiones Solis, & Æquinoctia monſtrauit.

Eudoxus Gnidius, celeberrimus quidam Aſtrologus, ſcientiam illam verſib. deſcripſit. Conon Ægyptius eadem de ſcientia V I I. elegantiſſima & vtiliſſima volumina conſcripſit, & poſteritati reliquit: qua de re etiam à Virgilio in Bucolicis ſequentibus verſibus extollitur, dum inquit:

In medio duo ſigna: Conon & quis fuit alter?
Deſcripſit radio totum qui gentibus Orbem.

Iulius Higinius qui Quinctiliano fuit notiſſimus, & VI. libros de ſignis cœleſtib. edidit: Hipparchus Nicæus, qui de Stellis fixis, & motu Lunæ, contra Platonem ſcripſit, &, Plinio teſte, prima Inſtrumenta Mathematica inuenit: Manetus Ægyptius, qui, veluti Cælius recenſet, operationem ſtellarum carmince deſcripſit, ante quem tamen, & omneis ante alios (Manilius Antiochenns latina Poemata de Aſtrologia ſcripſit. Publius Nigidius Figulus, excellentiſſimus Aſtrologus, à Lucano ſequentem in modum celebratur:

Aut Figulus, cui cura Deos, Secretaque mundi
Noſſe fuit: quem non Stellarum Ægyptia Memphis
Æquaret viſu, numeriſque mouentibus aſtra.

Cleoſtratus, qui omnium primus Cœleſtia ſigna inuenit: Endimion, qui primo Lunæ naturam explorauit, vnde etiā Poetæ, ſumpta occaſione, Lunam cum Diana rem habere affirmarunt. Nicephus Ægypti Rex, quem Iulius Firmicus iuſtiſſimum Imperatorem Ægypti, & Aſtrologum, præſtantiſſimum appellat.

appellat. Similiter & Aratus, Thales Milesius, Theon Alexandrinus, Protagoras, Enopides Chius, Architus, Horus, Apollonius Thianæus, Ptolomæus Ægyptius, qui omnibus suis Antecessoribus illa in arte similis factus & ab Hipparcho inuenta instrumenta illustrauit.

Ita quoque & sequentes Auctores inter Astrologos & Astronomos numerantur, vtpote: Timocharea, Leptinus, Proclus, Pappus, Trasybulus, Dorochius, Alpharabius, Azarchel, Alpetragus, Thebith, Andruzagar, Welius, Albumazar, Albumatre, Albategni, Messahala, Egmondus Beton, Almanfor, Zael, Alchindus, Albohalij Halij, Heben Rodoan, Abraham, Abenazra, Omar, Tiberinus, & plureis alij, qui post illos aliquid de eadem arte atq; scientia scriptitarunt, videlic. Rex Alphonsus, Petrus de Aliaco, Guido Bonatus, Sacrobosius, Petrus Abanus, Ioan. Linerius, Franciscus Esculanius, Purbachius, Monteregius, Blanchinus, Lucius Bellancius, Stophlerinus, Iohannes Schonerus, Cyprianus Leouitius, Franciscus Soizosius, Iuntinus, Ioannes Stadius, Gerhardus Cremonensis, Iacobus Medicus, Isaaci F. Marcus Calpus, Iohannes de Sicilia, Ioannes Denacius, Ioannes Laurentius, Iohannes Carceius, & adhuc plureis alij viri Clarissimi, & tam in Astronomia, quam Astrologia Celeberrimi.

Quemadmodum igitur Astronomia, ob tam præstantissimos viros, merito magni æstumanda est, ita quoque ab alijs, qui non eiusdem Professionis sunt, maxumopere commendatur atque approbatur. *Approbatio.* Aristoteles enim (quemadmodum Ioannes-Baptista Abiosus, celeberrimus ille Mathematicus, testatur) ipse fatetur & demonstrat, lib. 2. de Cœlo & Mundo, Cœlum in Inferioribus, h.e. in ijs rebus, quæ illi subsunt, operari per motum, lumen, & influentiam: Et in lib. de Meteoris testatur omneis inferiores vires per Superiores, earumdemque configurationes, regi. In libris de Generatione tam Generationes, quam Corruptiones per inclinationem, vel recessum Solis in Circulo obliquo fieri concludit.

In Problematibus suis motum & accretionē (veluti Franciscus Iuntinus nostri huius tēporis

poris Astrologus eminentissimus testatur) etiam in vtero materno ad motum operationemque Lunæ adstringit, præsertim autem in Proemio super Politicam suam, vbi Philosophiæ vtilitatem demonstrare conatur, atq; inter alia exemplũ Thaletis Milesii introducit, q cum ipsi egestas ab aliquo obijceret ipso facto demonstrabat, q nullis omnino opibus & diuitijs indigeret, atque adeo, ipsius etiam Philosophiæ ope atque adminiculo, modo si vellet, breui posse ditescere.

Quemadmodum enim, tanquã eruditissimus Philosophus, Cœli motum apprime intelligebat, ita facile coniectabat Oleas breui damnum passuras, & exinde oleum carum & in magno pretio fore: quocirca oleum suum probe tenaciterque custodiebat, annonæ caritate autem incidente illud iterum distrahebat. atque hac vice breui etiam tempore ditescebat. Ex quo facile colligitur Astrologiam partem esse Philosophiæ, & illi, qui eamdem bene complexus esset, plurimum conducere.

Sic & Auerroes eamdem scientiam approbat, dum quatuor præcipuas qualitates corporum Superiorum Operationi & actioni tribuit, quemadmodum in secundo, capite libri sui de Substantia Orbis videre est, vbi Veterũm opinionem summopere collaudat, qui vere & ipsa cum experiẽtia dixerunt, quod quædam Cœlestia corpora caliditatem & siccitatem, quędam frigiditatẽ & siccitatem & quædam frigiditatem & humiditatem promoueant, quoq; eadem corpora cœlestia etiam quatuor istas qualitates in sese complectantur. Et in Comment. 68. libri sui 2. de Cœlo expresse ait; Stellas non solummodo vulgares suas operationes habere, verum etiam in re qualibet, iuxta genus modumque suum, operari. Exempli gratia: Quemadmodum Saturnus singularem peculiaremque suam actionem & operationem habet in Planetis, & Mineralibus, ita quoque cum cæteris Stellis omnib. comparatum est.

Ita etiam Plato in Timæo suo inquit, quod in hoc infimo mundo nihil fiat, quod non suum è superioribus habeat initium, & à caussis cœlestibus dependeat. Sic Galenus, in libro suo de semine, omni asseveratione

tione testatur, quod videlic. omneis animatæ Substantiæ ad Planetas & signa Cœlestia quasi ligatæ, eorumdemque influentijs subiecti sient. Damascenus, iu Aphorismis suis, omneis defectus, morbos, & Symptomata ex motu & mutatione Stellarum oriri asseuerat. Qua de caussa etiam Albertus Magnus memorabili hocce sermone vtitur, dum ait: *Deus*, Creator Cœli & terræ, cœlum super elementa instituit, vt suo motu generaret, cuncta corrumperet & conseruaret. Boetius, in eumdem ferme modum, ita loquitur: *Deus* per se solum cuncta disponit, sed, ad opera perficienda, inferiora per superiora dispensat. Thomas Aquinas in libro suo de *Fide*, & in summa contra Gentiles dictum illud explicat, dum inquit: Quod *Deus* inferiores & terrenas hasce res per creaturas superiores regat, per caussas secundas videlicet: Et quod inferiora, hoc est omnia, quæ in terra sint, species & formas suas de virtute & operatione Cœli sortiantur. Suessanus, Philosophus Neotericus Astrologiam non dumtaxat adprobat, verum etiã multis in locis celebrat, præsertim in libris suis de eruditione. Idem quoq; facit Perettus Mantuanus, præstantissimus, grauissimus, & doctissimus ille vir, qui, nacta, in libro suo de immortalitate animæ, de prodigijs, eorumdemque effectibus scribendi occasione, omneis istos peculiari astrorum dispositioni adscribit, vbi inter alia exemplum alicuius infantis, cuius Abenragel, vetus ille Astrologus, in suorum aliquo libro meminit, qui X X I V. horis à natiuitate sua ita loquutus fuerit: Se videl. certo temporis spatio moriturum, & nullum alium in finem natum esse, quam vt patri suo totalem interitum denunciaret. Poetæ itidem Astrologiam, & motuum Cœlestium scientiam summopere extulerunt: quem in finem Ouidius sic quodam in loco cecinit:

Felices animæ, quibus hæc cognoscere primum,
Inque domos superas scandere cura fuit,
Non Venus & vinum sublimia pectora fregit,
Officiumque fori, militiæue labor.

Eiusdem opinionis fuit quoq; Virgilius, dum lib. 2. Georg. ita dixit:

Felix, qui potuit rerum cognoscere caussas;
Atque metus omneis, & inexorabile fatum.
Subiecit pedibus, &c.

D. Hieronymus in epistola sua ad Paulinum ait: & Medicinam & Astrologiam, ad conseruandam hominis sanitatem, summopere vtilem atque necessariam esse, atque hac de scientia nunc & doctorum Ecclesiasticorum opinio nobis liquet. Pari modo & Dionysio Areopagytæ minime fuit incognita: Ex ea siquidem didicit Eclipsem Solis, in agone Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi in plenilunio factam præternaturale fuisse miraculum: eapropter etiam, tum temporis Athenis, ita exclamauit: *Aut Deus naturæ patitur, aut tota mundi machina dissoluitur.* An non etiam Christus ipse Astrologiam quasi comprobauit, dum Matt. 16. cap. ita dixit: Facto vespere dicitis, serenum erit, rubicundum enim est cœlum: & mane, hodie tempestas, rutilat enim triste cœlum.

Abbas Panormitanus, in ca. de Sortilegis, eamdem etiam admittit, tamquam honestam & certam aliquam scientiam. Et Thomas Aquinas, in Summa contra Gentil. c. 82. expresse ita inqt: Corpora cœlestia causa sũt omnis alterationis, & omnis motus in hoc infimo mundo. Scotus pari modo, in 2. sententiarum 14. qu. 3. quod Stellæ in Elementis operentur, idq; præcipue in mixtis, inanimatis, & sensitiuis. Ex quibus omnibus videre est, quo pacto videlicet Astronomia ab Ecclesiasticis, Politicis, immo ipso Christo adprobata fuerit, adeo vt nihil restet amplius, quam vt Medicorum quoque, ea de scientia, audiatur opinio.

Illi autem scientiæ illi adeo addicti sunt, vt etiam, absque illius adminiculo, artem suam non bene exercere, neq; etiam probare possint. Qua de caussa etiam præstantissimus ille Hippocrates, in libro suo de Stellarum adspectibus erga Lunam, Categorice pronunciat, quod Astronomia Medico fiet necessaria, dum ita ait: Medicus si nõ est in scientia stellarum prospectiuus: quis in eius manibus non diffidat: quia cœcus merito definiri poterit? Hipparchus in libro suo de vinculo spiritus cap. 2. Hippocrati hunc in modum

dum adstipulatur, inquiens: Medicus, sine Astrologia, est quasi oculus, qui non est in potentia ad operationem. Similiter & Apollonius, in arte sua Magica, ita ait: Medicus, sine Stellis, & Nigromanticus, sine Ossibus mortuorum, est quasi imago, quæ non est à spiritibus adiuta.

Ita quoque Albumazar, in suo Introductorio, dicit: Astrorum scientia est Principium Medicinæ. Vnde quoque Hippocrates, in libro suo de aere, inquit: Etsi ex altissimis consideraueris, inuenies Astrologiam non esse minimam partem Medicinæ. Sic etiam Hermes, lib. 1. de speculis, & Luce huncin modum loquitur: Oportet Medicum, inquit, necessario scire ac considerare naturas stellarũ, & earum operationes, ad hoc, vt diuersarum ægritudinum, & dierum Criticorum habeat notitiam: Quoniam alterabilis est ipsa natura, secundum adspectus, & coniunctiones corporum superiorum.

Hisce & illud addam, quod Ludouicus Viualdus, in suo opere Regali de perfectione Ecclesiæ *Dei*, in perfectione X. testetur, Theologum quoque Astrologiæ expertum esse debere cum in S. Scriptura sæpenumero, idque modis varijs, de Cœlo, Solis, Lunæ, Stellarumque curriculo disseratur. Vnde etiam Petrus de Aliaco Cardinalis Cameracensis, de concordantia Astronomiæ cum Theologia, peculiarem Tractatum confecit. Ad maiorem autem laudatissimæ illius artis gloriam & honorem, vna cum Bellantio contra Picum, heic aliquot Clarissimorum virorum Catalogum adponam, qui eidem arti, in hodiernum vsque diem, & magna cum nominis sui laude atque gloria, addicti sunt. Videlicet Ioannem Marlianum, qui vir celeberrimus eamdem scientiã exercere haud erubuit, Paulum Florentinum, præstantissimum illum Mathematicum, qui etiam, eius rei gratia, à Magno Cosmo nõ immerito magni æstumatur. Marsilium Ficinum, Angelum Politianum, Baptistam Albertum, qui doctissimus & præstantissimus Architectus, in Architectura sua, eamdem maxumopere extollit & commendat.

Præstantissimæ laudatissimæque illius artis vtilitas vero omnibus & singulis manifesta *Vtilitas.*

estatq; cognita: certissimum siquidem plantandi, seminandi, messem faciundi, inserendi, cædendi, &c. tempus demonstrat Superfluitatem & defectum futurum indicat: Tempestatem, ventos, pluuias, frigora, calores, terræ motus, morbos, lues hominum pecudumque contagiosas, & id genus alia necessaria requisita significat. Vnde etiam Hesiodus, quando videl. Luna, in vitium incisione, messe, & plantatione obseruanda fiet, sequentibus in versiculis demonstrauit, dum inquit:

Vna post decimam felix incidere vites:
Et tempestiuam segeti supponere falcem;
Tertia, post decimam, plantantibus optuma surgit.

Ita quoque Virgilius ex ipsa experientia testatur, quam certo videlic. Planetæ omnis generis mutationes tempestatis, ex *Dei Ter Optumi Maxumi*, singulari adpulsu & instinctu, indicent, dum, inter alia, sic ait:

Atque hæc vt certis poßimus discere signis,
Æstusque, pluuiasque, & agentes frigora ventos:
Ipse Pater statuit, quid menstrua Luna moueret,
Sol quoque & exoriens, & cum se condit in vndas,
Signa dabit: Solem certißima signa sequentur.

Pari modo Franciscus Patritius, lib. 2. de institutione Reipublicæ, indicat, quam necessaria nimirum Astrologia fiet Reipublicæ, & quantum emolumenti Agriculturæ adferat, vtpote vbi cumprimis temporis habenda fiet ratio: de quo commemoratus ille Hesiodus porro ait:

Pleiados est subigenda seges Athlantidis ortu,
Hac autem sese stella condente serendum est:

Similiter & Columella Oeconomo cuidam fideliter inculcat vt videl. singulis diebus studium Astronomicum sibi probe commendatum habeat: cuius rei gratia non dumtaxat ingētem vtilitatem in prædio suo adepturus, verum etiam, vice versa, multa incommoda, quæ solertes Astronomi præuidere & præmonere solent, declinaturus fiet. In summa, paucis heic vt complectar multa, Astrologia naturalis, non dumtaxat vera

vera ars & certa ſcientia; ſed & omni humanæ vitæ & vtilis, & ſumme neceſſaria eſt.

Interim tamen nemo quoq; negare poterit, multos craſſos errores, & infinitas innumerabileſque pene contradictiones apud illos plerumque oriri, qui veluti præſumitur, quam diligentiſſime de eadem ſcriptitarunt: quo fit vt, quemadmodum cæteris omnibus vſuuenire ſolet, in non leuem doli, vel ad minimum, contemptibilis ignorantiæ ſuſpicionem præſertim apud ignobile vulgus, incurrant.

Et primo quidem ad Principia quod attinet, magna ſane apud omneis ferme exorta eſt contentio, adeo vt quælibet ferme Natio etiam peculiarem ſuam ſententiam atque opinionem tueatur. Nam Plato, Proclus, Ariſtoteles, Auerroes, & omneis ferme illi Aſtrologi, qui ante Regem Alphonſum extiterunt, paucis dumtaxat exceptis, non magis quam VIII. Sphæras inſtituunt, quibus tamen Hermes, & quidam Babylonij, etiam nonam adijciunt: quibus Azarchel, Maurus, Thebith, M. Iſaacus, Alpetragus, & Albertus Magnus adſtipulātur. Omneis vero moderni Aſtrologi decimam adhuc ſuper adijciunt.

Alphonſus quandoque M. Iſaacum, Baran alias, ſequutus eſt, & nouem Sphæras admiſit, quadriennio tamen ante Tabularum ſuarum editionem, à priori ſua ſententia iterum receſſit, atque, vna cum Albuhaſſemo, Moro, & Albategno ſaltim VIII. admittere voluit: quemadmodum etiam M. Abraham Auenazra, M. Leui, & M. Abraham Zacuth, eiuſdem ſunt opinionis, quod videlicet nulla Sphæra mobilis octauam tranſcendere poſſit.

De motu octauæ Sphæræ, in qua fixæ immobileſque Stellæ compræhenſæ ſunt, admodum etiam inter ſeſe digladiantur. Chaldæi & Ægyptij ſiquidem, vno dumtaxat modo illam ſeſe commouere aſſeuerant, quibus etiam Alpetragus & Alexander Achillinus, Modernorum ſiue Neotericorum vnus, adſtipulantur.

Alij vero Aſtrologi, ab Hipparcho ad noſtra vſq; tempora, vnanimi omnium conſenſu illam diuerſimode ſeſe commouere aſſeuerant. Iudaici Thalmudiſtæ & Thebith duplicem

motum illi tribuunt; vnum videlicet sibi proprium, & alterum, quem à nona Sphæra adipiscitur. Azarchel, & Ioannes de Monte Regio vnum tantummodo motum trepidátem isti tribuunt. Moderni Astrologi triplicem motum illi largiuntur, vnum nempe, qui i lius proprius, estque aliqua trepidatio, in qua, in VII. annorum, M. semel dumtaxat circumagitur.

Alterum, agitationem appellant, & iste est motus, quo à nona Sphæra retro detinetur, à qua non minus, quam quadraginta nouem annorum millia habere tenetur, donec semel saltim circumagatur.

Tertius, ille motus est, quem à decima Sphæra percipit, & motus primi mobilis atq; simul motus diurn⁹ appellatur, quod ab illo in vno die naturali circumagatur, & nihilominus tamen eo, quo priori die, loco consistat. Similiter de modo motus octauæ Spheræ, stellarumque fixarum, æque minus interse inuicem consentiunt.

Ptolomæus enim Stellas fixas centum annorum spatio circa vnum gradum moueri. Albategnus ait perficere illas talem motum intra sexaginta sex Ægyptiacorum annorum spatium, cui M. Leui, in tabularum suarum correctione adstipulatur. Azarchel Maurus inquit, intra sexaginta quinque annos circa vnum gradum moueri. Sed Hipparchus septuaginta octo annos requirit. M. Iosua, M. Moyses, Auenazra & Berrodena LXX. annos, Ioannes de Monte Regio octuaginta annos postulat. Riccius, media via incedens, fieri illud inter sexaginta sex, & septuaginta annos, asseuerat.

In motu Nonæ Spheræ, quæ Cœlum Cristallinum est, itidem non vnius eiusdemq; sunt sententiæ. Ariel B icardus siquidem, in quæstionibus suis in Sphæram, illam ad circuitum aliquem, quadringentis & nonaginta annorum millibus indigere affirmat. Alij quinque annorum millia illi sufficere dictitant. Et Purbachius, in Theoria sua Sphæræ octauæ, motum istum in ducentis annis non amplius quam vnico gradu & viginti octo minutis progredi. Iuxta illum Alpetragus quoq; inquit multos peculiares motus in Cœlo adhuc esse, qui hominibus nondum noti sient,

omni

omni affeueratione teftatur. Eiufdem etiam opinionis Phauorinus Philofophus in oratione fua contra Genethliacos apud Gellium fuit. Multa præterea funt, quæ apud Aftrologos plane incerto, vel etiam omnino incognita funt, in quib. nihilominus ipforum Calculationes fundatæ funt. Quomodo autem iftis innitendum fiet, id fanæ mentis quiuis apud fe facilime colligere poterit. Ad hodiernum vfque diem Martis motum nemo indagari potuit, qua de re Iohannes de Monte Regio, in epiftola quadam ad Blanchinum, fummopere conqueritur. Ante trecentos tamen annos Guilielmus de S. Clodoaldo, percelebris ille Aftrologus defectum iftum clare demonftrauit: nullus tamen interea repertus eft, qui medelam & remedium, ad tollendum dictum illum defectum, oftendiffet. Ad hoc accedit & aliud quiddam, cuius quidem magis intereft, nimirum quod ad hodiernum vfque diem fieri non potuerit, vt aliquis inueniffet quando Sol in puncta æquinoctialia ingreditur, id quo M. Leui multis rationib. demonftrat. An non etiam Ptolomæus, & Hipparchus de motu Solis, & menfura anni, alterius funt opinionis, quam M. Leui, Albategnus, Auenazra, & Alphonfus?

Ad imagines & figuras Cœli, confiderationes itidem Stellarum fixarum, quod attinet, Indiani, Chaldæi, Hebræi, & Arabes omneis diuerfam, & pro cuiufuis natione, amplectuntur fententiam: inter quos Timotheus vni, & Arfatiles alteri fubfcribunt: Hipparchus quoque vni, & Alphonfus alteri adftipulatur.

De Planetarum ordine multo minus inter fe inuicem conueniunt. Quidam enim, vna cũ Platone, Solem in fecundam Sphæram, poft Lunam, collocant. Ægyptij vero illum in primam fubfequentem locant, vt videlicet inter Lunam & Mercurium confiftat. Ariftarchus Solem immobiliter medium in mundum collocat, circumdat dein' illum cũ Mercurio & Venere, quam magno Orbi vel Circulo imponit, quo terra & Elementa funt circumdata, in quibus etiam Luna comprehenditur, & terram illic commoueri affeuerat. Qui error à Copernico, Neoterico aliquo

Aftro-

Astrologo, denuo introductus est, cuius rei tamen multo magis flagellis, iuxta Francisci Maccholici sententiam, quam verbis & argumentis, refutandus est. Archimenides & Chaldæi Solem in quartū collocant circulum. Metrodorus Chius, Anaximander & Crates, Solem in omni extremitate, dein Lunam, subsequenter etiam alias stellas errantes, vel Planetas, & deniq; Stellas fixas consistere: de quibus Xenocrates putat, omneis & singulas in aliqua superficie commoueri.

Cum itaque omneis ferme differentias & contentiones Astrologorum in vnum quasi fasciculum redegerimus, ideo adhuc restat, vt Andreæ Summarij, celebris alicuius Mathematici verba heic in medium adferamus, qui quodam in loco sic ait: Motus Stellarum, an sciri possint, nescio: nōdum esse scitum, certissime teneo: Id quod non dumtaxat ait, verum etiam ex incertitudine instrumentorum, quibus Astrologi vtuntur, demonstrat, quorum nullū tam perfectum iustumq; perficitur, (quemadmodum etiam Henricus Machliniensis in Tractatu suo de Compositione Astrolabij testatur) quod non aliquē defectū habeat. Hunc in finem Abraham Iudæus de duob. fratrib. historiam aliquam recenset, q huius artis peritissimi fuerint artifices, & quilibet vno eodemque tempore Astrolabium aliquod summa cum diligentia simul confecerint, quo Solis, Arietem ingredientis, altitudinē eo melius anim-aduertere potuerint, duabus tamen minutis à se inuicem dissensisse. *Aliam* insuper probationem ante dictus ille Henricus recenset, quā Parisiis in duob. summa solertia factis *Astrolabijs* expertus fiet, vbi tamen multo maiorem vtpote quadraginta duarū minutarum differentiam depræhenderit. De Leone Hebræo Ioannes Picus, in nono suo cōtra *Astrologiā* libro, ipsum nouum Instrumentum confecisse, cuius Canones mirabili Mathematica subtilitate adornati fuerint. Cum vero illud cum alijs certis & vsitatis in quorumdam Planetarum obseruatione probare voluisset, non dumtaxat quarumdam minutarū, sed duorum integrorum graduum defectum, atque differentiam depræhendisse, id quod tum tēporis aeri, ne excusatio aliqua de-

deesset, imputatum fuit. Ex quibus ij, qui Astrologiæ non per omnia benecupiunt, tamdem concludunt, nihil certi vel veri in Astrologia depræhendi.

Tamdem etiam illa Scientia circa Orbes, circulos, vel Sphęras, Axes, Polos, & Cardines Cœli versatur, de quibus Proclus & Claudius libro 1. agunt. Tractat item de maioribus & minoribus circulis, de quibus Macrobius lib. 1. Satur. eleganter scripsit. Item de Stellis errantibus & fixis, de quibus Albategnus, in libro suo de scientia Stellarum, & Alfragatius, in Rudimentis suis Astrologicis, non tam scite, quam belle scriptitarunt: de quib. etiam Rabbi Dauid Kinchi asseuerat, quod illarum mille & nonaginta octo à sapientibus, rerumque Astrologicarum peritis numerétur. De primis vero, stellis errantibus videlicet, neruose scriptitarũt Alexander Picolominius, Georgius Purbachius, Erasmus Osuald⁹, Philippus Imserus, Blanchinus, Prugnerus, Lucas Gauricus, Taisnerus & plureis alij. Item, de signis Cœlestibus, de quibus Galeottus Martius in libro suo de doctrina Promiscua, scripsit, & Postellus in illo libro, quem Apotelesma Cœli appellat, in quo docet, quur videlic. ab Astrologis tali nomine insigniatur. Item, de motibus Cœlestibus de canonib. Orbium Cœlestium, eorũdẽ Curriculo, materia, forma, excessib. de antegradationibus, & retrogradationib. Stellarũ, de Planetarũ coniunctionibus, adspectibus, figuris, alijsq; pene rebus innumerabilib. quæ nõ omneis in tam simplici Discursu, qualem heic sub manibus habemus, compræhendi poterunt.

Ad Astrologiæ Principia, quod attinet, illorum tria ponuntur, vtpote Zodiacus: Planetæ: & 12. Cœli domicilia. *Astrologiæ Principia.*

Zodiacus in XII. signa Cœlestia distribuitur, de quo supra in Discursu de Prognosticantibus & Calendariorum Scriptoribus facta mentio. Illa signa iterum in mobilia, fixa, communia, & IV. qualitates diuiduntur, vbi quędam aerea, quędam aquosa, quædam terrena, & quædam ignita nominantur.

In Planetis V. potissumum res obseruantur, videl. domicilia, exaltatio, natura, qualitates, & adspectus eorumdem, quæ primo ad fundamentum collo-

cantur, in quô Astrologia Iudiciaria vaticinia, & iudicia sua fundare solet: de qua nunc etiam heic verba facturi sumus.

Astrologia Iudiciaria.

Quo melius autem illud decenti ordine fieri possit, sciendum est, quod, veluti Petrus de Aliaco, &, post illum, Franciscus Iuntinus, memorant, triplices Astrologorum opiniones sient, quarum vna quidem media via incedat, alteræ duæ autem omnino ad extrema progrediantur. Prima, ad extrema vergens, Stoicorum est opinio, & veterum hæreticorum, qui Priscillianistæ appellantur, qui omnia necessario fieri, prætenderunt, (quemadmodum Augustinus lib. 4. de ciuit. Dei, & Thomas Aquinas, libr. de Catholica veritate, cap. 85. testantur,) & docuerunt, nihil omnino euitari posse, quod è supernis, id quod Fatum appellarunt semel decretum fiet: cuius opinionis etiam, veluti Cicero in libro suo de Fato affirmat, fuere Democritus, Heraclitus, Empedocles, Aristides, & plureis alij Philosophi: inter Astrologos, Sentirio, Phrenetius, & Possidonius: inter Poetas, Lucanus, qui lib. 6. inquit: *Præsagit omnia fatum*: & Seneca, dum inquit: *Regitur fatis mortale genus*: & Ouidius lib. 3. de Tristibus. *Ratio fatum vincere nulla valet*. Quibus etiam adstipulatur Iuuenalis sequentibus suis in versiculis, vbi canit:

--- Plus etenim Fati valet hora benigni,
Quam si nos Veneris commendet epistola Marti.

Et Quintus Curtius, qui lib. 5. in hæc verba erumpit, dum ait: Equidem æterna Constitutione crediderim, nexuque caussarum latentium, & multo ante destinatarum, suum quemque Ordinem immutabili lege percurrere. Verisimile quoque apparet, Plinium eiusdem fuisse sententiæ, dum sequentia verba scriptitauit: Singulis sidera tributa sunt nobis, clara diuitibus minora pauperibus, Obscura defectis, &, pro cuiusque sorte, lucentia ad munera mortalib. Nec Quinctilianus procul ab illa opinione fuit, dum libro 5. Declamationum, sequentibus verbis vsus est. Fato, inquit, viuimus, languemus, & morimur. Medicina quid præstas, nisi vt iuxta te nemo desperet? Equidem error ille apud Gentiles, præsertim vero Chaldæos atq; Baby-

Babylonios, ita in immensum creuit, vt etiam, veluti Philo Hebræus, in libro suo de transmigratione Abrahami testatur, Intelligentijs, vel Spiritibus, corpora cœlestia mouentibus, sacrificauerint, inque omnibus suis negotijs cœlum, Stellas, earumdemque motus & curriculum obseruauerint, quasi omnis ipsorum vita, adeoque omnis eorum salus & prosperitas exinde dependerent. Verum enimuero illum ipsum errorem *Deus Ter Optumus Maxumus* detestatur, & per Prophetam Esaiam cap. 47. præcaueri iubet, minaturque istiusmodi Astrologis ipsum deserentibus & vice versa, vanitatem sectantibus: iccirco etiam sibi ipsis omnem libertatem derogant, & ex *Deo* non voluntarium, sed naturale agens constituunt.

Altera, itidem ad extrema inclinans, opinio eorum est, qui Cœlum & Stellas in hominibus aliquid operari omnino negãt, quodque *Deus* solus omnia regat, ipsiusque regimen caussis secundis nullo modo innitatur. Quæ persuasio non immerito etiam improbatur, quemadmodum etiam à Thoma Aquinate, lib. 3. summæ contra Gentiles, damnatur atque reijcitur, vbi inter alia demonstrat, etiamsi *Deus* omnia per se ipsum regat, nihilominus tamen eum, ad ordinem quidem suũ, quod attinet, executiue etiam regere inferiora corpora, terrena videlicet, & quæ in terra sunt) per superiora & cœlestia corpora. Similiter etiam Scotus, libro 2. Senten. distinct. 14. quæst. 3. ait: Stellas, ex natura sua, in corporib. nostris operari, & animum, vel ad bonum, vel ad malum, incitare.

Ita quoque Augustinus lib. 5. de ciuitate Dei sequentibus verbis vtitur. Non vsque, inquit, quaque absurde dici potest, ad solas corporum differentias afflatus quosdam valere sidereos. Damascenus lib. 2. cap. 7. in eumdem ferme modum ita inquit: Alij, & alij Planetæ diuersas complexiones, habitus, & dispositiones in nobis constituunt. Idipsum confirmat etiam Dionysius Areopagita cap. 4. de diuinis nominibus, & Bonauentura, vna cũ Ioanne Bachone lib. Sententiarum 2. Itaque cum Ptolomæo (vti Thomas Aquinas in commemorato isto libro suo c. 84. affirmat) aliquis bene dicere

poterit: Cum Mercurius fuerit in Natiuitate alicuius in aliqua domo Saturni, & ipse fortis in esse suo: dat bonam bonitatem intelligentiæ medullitus in rebus. Ita quoque Stellæ, accidentali modo, caussa bonitatis, vel malitię alicuius hominis esse poterunt. Si enim perceptio, sensus, vel intellectus bene ordinatus fiet, tunc etiam voluntas ad eamdem inclinat, & homo tunc recte decenterque sese gubernari patitur. Sin vero sensus & intellectus confundantur, tunc quoque in operatione sua neutiquam rite procedere poterit. Astrologi itaque aliquatenus de bonitate & malitia, & exinde oriundo prospero, vel infelici statu, ex Cœli Stellarumque constellatione & statu, in natiuitate hominis iudicare possunt. Qua de caussa etiam Thomas Aquinas part. 1. summæ, quæst. 115. art. 4. bene dixit; Plerumque Astrologi verum dicunt in iudicandis hominum moribus: Pauci enim sunt, qui resistunt sensui: & lib. 3. contra Gentiles cap. 92. ait; Licet Deus voluntatem nostrã moueat, & Angelus illuminet, & cœlum, ad bene, vel male agendum, inclinet; tamen cum aliquis fœlix est: quo ad *Deum*, dicitur bene rectus, quo ad Angelum, bene custoditus, &, quo ad Cœlum, bene natus: Et lib. 2. de Generatione circa finem ista ponit verba; Cum Planetæ, inquit, in Periodali circulo erunt fortiores, plures dabunt annos. Et cum debiliores, pauciores.

Si itaque aliquis virtutem & operationem signornm Cœlestium, & Stellarum in ijsdem compræhensarum recte nosset, & bene intelligeret, tunc ex influentia, de vniuersa hominis vita iudicare posset: etiamsi illæ nullam necessitatem constituant: Omnia quippe Deus in manibus suis reseruauit, omniaque mutat iuxta ipsius voluntatem atque beneplacitum. Ita etiam ipsi homines sæpenumero imminens aliquod infortunium prudenter præcauere & anteuertere possunt. Vnde dicitur: *Sapiens Dominabitur Astris*, veluti Ptolomæus Aporismo V. & VIII. testatur.

Tertia opinio media incedit via, cui etiam Sapientissimi & Prudentissimi quique adstipulantur, & statuunt: Corpora cœlestia in hominibus operari, contra secundam, non tamen

ex ineuitabili necessitate, contra primam opinionem. Iuxta illam considerationem Astrologiæ Iudiciariæ commode responderi poterit, quod quidem in genere illa, quæ necessitatem importare nititur, reijcienda: vnde etiam, in Dec. caus. 26. qu. 5. sup. cap. *Non licet Christianis*, &c. Glossa ait: Non improbatur illa Astrologia, quæ à corporibus superioribus necessitatem non imponit. Quæ autem docet, quatenus cœlestia corpora inclinationem aliquam caussentur, non solummodo non reijcienda & contemnenda, verum etiam per diuersimodas auctoritates probata & ab Ecclesia recepta est. Nec vlterius quoque Astrologia iudiciaria improbanda vel reijcienda est, nisi quatenus circa arcanas & superstitiosas inquisitiones, versetur: qua de re etiam Augustinus ait: (vti similiter causa 26. quæst. cap. sors, videre est) Astronomia apud Catholicos in desuetudinem abijt: quia dū propria curiositate ei nimis erant intenti, minus vacabant his, quæ saluti animarum erant accomodata. Homines præterea, per istiusmodi instigationem, sæpenumero in idolatriam inciderent, dum crederent, quod creaturæ per cœlestia corpora cogerentur: Id quod tamen veritati aduersatur, quemadmodum Bartholomæus, Sibilla, in suo peregrinarum quæstionum speculo, demonstrat. Cum vero Clarissimus, & pene admirandus ille Ioannes Picus Mirandulanus (si etiam Tractarus contra Astrologos ipsius & non potius F. Hieronymi Sauanarolæ est) Astrologiam Iudiciariam vehementer impugnauerit atque etiam alios insuper excitarit, qui commeratis Astrologis sese opposuerint: idcirco aliquot dumtaxat illius suorumque asseclarum Obiectiones hejc in medium adferam, & tum responsionem Bellantij, & Fr. Michaelis de Petra Sancta, præcipui alicui Dominicani Monacho Theologi, adijciam: vt hoc modo felicia ingenia aliquo modo exerceantur, atque subtilitate vnius atq; agilitate alterius partis iterum recreentur. Iuxta illa & alia quædam indicabo, vt veritas omnibus & singulis eo melius innotescat.

Primo, Astrologiam improbare, vel ad minimum tamen, tamquam inutilem, contemnere *I. Obiectio Ioannis.*

Pici Mirandulani contra Astrologiam.

nere conantur, quod Veteres Philosophi, qui tamen Sapientissimi, Celeberrimi, & Doctissimi fuerint, vtpote: Plato, Aristoteles, Democritus, Epicurus, Seneca, & plureis alij, nauci æstumarint, (tacebo heic illos, qui illam irriserint, & omnino posthabuerint) atque ita illius ne verbulo quidem mentionē fecerint. Verum enimuero ruinosum nimis illud argumentū est, q; à Bellantio exigua sane molestia iterū tollitur. Illi ipsi nim veteres Philosophi æque min⁹ de Musica, Perspectiua, Geometria, alijsq; artibus scripserunt, vt sciantur. Ideo tamen minime sequitur, quod nullius pretij fiet. Etiamsi enim Philosophi illi nihil de ea scriptitarunt, tamen id quemadmodum supra in eodem hocce Discursu indicauimus, fecerunt alij, qui sane non minoris auctoritatis & grauitatis sunt, quam illi, quibus oppugnatores isti tantopere innituntur.

II. Secundo, Astrologis Iudiciarijs dictum Esaiæ 47. obijciunt, dum inquit: Stent nunc & saluent te augures Cœli, qui contemplabantur Sidera, & supputabant menses, vt annunцient futura tibi. Ecce sancti sunt quasi stipula: Ignis combussit eos, nec liberabunt animam suam de manu flammæ. Et quemadmodum paullo ante dxierat: Sapientia hæc, & scientia tua decepit te. Veniet super te malum, & nescies ortum eius: & irruet super te calamitas, quam non poteris expiare. In quibus verb s, inquiunt, Propheta Esaias Astrologiam Iudiciariam & A iolos condemnat.

Ad hoc autem respondetur, infortunium illud tangere falsam persuasionem Stoicorum, Babyloniorum, & Chaldæorum, qui exinde necessitatem torquere conantur: & *Deus* isto in loco conqueritur, quod populus suus istiusmodi reb. magis, quam diuinis promissionibus, auxilio, & verbo nitatur: quę responsio est Bellantij, Iuntini, & Thomæ Aquinatis, libr. 2. sentent. dist. 15. q. 2. Vt autem eò melius mentem suam explicent, aiunt, quod videl. minime rectum, sed multo potius crassus error fiet, si quis necessitatem ex Cœli curriculo detorquere velit, & sibi aliquis persuadeat, se omnia contingentia in Cœlo contemplaturum, omneisque particulares differentias

tias rerum indagandarum recte diuisurum. Nisi enim omnia omnipotentis *Dei* manui & regimini subijciantur, & credatur multa fieri iuxta *Dei* voluntatẽ absque operatione astrorum, tunc haud immerito istiusmodi homines per Prophetam, Iesaiam repræhenduntur.

Tertio, demonstrant etiam scientiam Astrologiæ incertam esse auctoritate Ptolomæi lib. I. Apotelesmatum, vbi sequentia verba inuenerunt: Astrologia magis verisimilia captat, quam quicquam pro vero decernat. Item, alio tamen in loco: Ad nullam materiei huius scientiam veraciter, sed opinabiliter peruenimus. Ad illa tamen Bellantius respondet: Ptolomæum isto in loco asseuerare scientiam Astrologiæ, vniuersalem, & ea de caussa imperfectam esse. Et licet multa particularia in eadem inuestigari possint, nihilominus tamen inconuenientem aliquam esse persuasionem si quis omnia compræhẽdi velit, id quod tamen non solummodo in hac, verum etiam alijs in scientijs plerumque fieri assolet. Iuxta illud simul demonstrat, Ptolomæum multo aliter statuisse, vtpote qui in Aphorismis suis satis superque testatum fecerit, quod per illam scientiam tam cœlestia, quam terrena indagentur.

IV. Quarto, Picus cum Halij testimonijs probare nititur. Illam videlic. Astrologiæ partem nullam temerariamque esse, in qua docetur, quomodo nimirum tempus aliquod, vel dies certus, præ altero, ad expediunda singularia negotia, eligendus fiet. Id quod tamen Bellantius illi neutiquam concedit, sed vice versa asseuerat, quod dictus ille Halij, in Commento suo super VI. Aphorismum Ptolomæi, vna cum ipsa experientia, omnino doceat contrarium.

V. Quinto, Astrologus Picus eironice irridet, quando videl. affirment, si fortunatus aliquis infortunato alicui alteri sese ad societ, tunc alterum alterius qualitatis reddi participem, iuxta figuræ, illiusque prædominij, virtutem, non secus ac æger, apud Medicum, Seruus, apud herum, filius, apud patrẽ ad alias quasdam qualitates cõmode disponi possint, quam habeant, si soli sient. Cui tamen Bellantius non dumtaxat experientiam, verum etiam ipsam Thomæ Aquinatis auctoritatẽ oppo-

opponit, dum lib. 3. c. 92. contra Gentiles ita ait: Magnes ferrum adtrahit ex virtute corporis cœlestis; & lapides, & herbæ, alias occultas vires habent. Vnde nihil prohibet, quod etiam aliquis homo habeat, ex impressione corporis cœlestis, aliquam efficaciam in aliquibus operibus faciundis, quam alius non habet: puta Medicus, in sanando; agricola, in plantando; & miles, in expugnando. Illud quoque experientia satis superque testatur; & multi præstantissimi Medici reperiũtur, quorum tamen ope & auxilio pauci ægri mortis periculum euadũt: Vice versa sæpenumero aliquis Empyricus ægros suos, etiam cum multorum admiratione, pristinæ suę valetudini facilime restituit. Pari modo Picus negat, quod in terrenis ac inferioribus corporibus istiusmodi cœlestes qualitates reperiantur, q̃ Elementis minime possint adtribui. Bellantius autem ait contrarium, & illud auctoritate Scoti, lib. 2. Sentent. demonstrat, vbi sequentia verba leguntur: Metalla in quibusdam regionib. ex constellatione generantur: nam Terra non est actiua hui⁹ diuersitatis. Et Thomæ Aquinatis, qui lib. 3. de Catholica veritate ita dicit: Manifestum est, quod etiam inanimata corpora quasdam vires & efficacias à cœlestibus corporibus consequantur.

Iuxta celeberrimum illum Picũ adhuc alij Astrologiæ impugnatores reperiuntur, asseuerantes illam cœlestium influentiarum operationumq; nullam experientiam certitudinéque habere posse, cum Cœli reuolutio nondum formata fiet, & ad illam 36. annorum millia reperiuntur, quorum certe exiguam partem victitando traduximus.

Ad illud autem à Theologis respondetur. Etiamsi ista reuolutio nondum omnino peracta fiet, nihilominus tamen illius posse haberi scientiam, idq; per sciẽtiam infusam quam primus noster omnium Pater Adamus à *Deo Ter Optumo Maxumo* accéperit, atq; ad posteros suos propagauerit. Iuxta illud, quod heic quidem posset esse sufficiens, etiam cum Richardo de monte Pulciano celeberrimo quodam Mathematico, responderi & motus nonæ Spheræ omnino negari posset, quemadmodum etiam illę mira agilitate

te illum negat, & nihilominus tamen aduersarijs suis sufficienter respondet: Cum vero illum admittit, rationem hanc reddit: quod Generatio & Alteratio inferiorum corporum solummodo per motum Planetarum, & eorum luminum, quæ sub Zodiaco essent, caussentur, quorum motuum etiam hodierno tempore diuersimoda habeatur experientia; nonæ Sphæræ motus quoque parum sane, ob tarditatem suam, præstare posse. Alij hanc caussam prætendunt, quod videlic. duo Gemini simul nasci possint, qui tamen non dumtaxat corpore, verum etiam in cæteris membris omnib. fient similes: quemadmodum appareat in Procle & Ciristhene, Regibus Lacedæmonijs, etiam Geminis; vbi tamen vnius vita breuior & honestior, quam alterius exstiterit: Similiter etiam exemplum Iacobi & Esaui introducunt, qui & corpore & animo longe fuerint dissimiles: ex quibus omnibus videre est, quod de rebus istiusmodi non certo ex Astrologio iudicari possit. Si vero Astrologi respondeant, & dicant, Constellationes in vno aliquo momento fieri, & cum Gemini non simul in hunc mundum nascantur, sed multo potius sæpenumero certo temporis interuallo alternatim ex vtero materno prodeant: iccirco etiam differentiam istam in ambobus non tantopere admirandam, & constellationes etiam diuersas esse.

Nihilominus tamen D. Augustinus ijsdem fortiter resistit, & inquit: Si res sese ita haberet, tunc etiam quilibet homo diuersas Constellationes habere teneretur, cum non vno in momento, sed sensim, & cum parte corporis alterna nascatur: & ita quælibet pars hominis peculiari sua constellatione indigeret. Verum & illi ab Astrologis respondetur: Fieri nimirum impressionem quamprimum etiam homo nouum spiritum adtrahat in vniuerso corpore, etiamsi nondum omnino natus siet: & quemadmodum eius rei gratia momenta apud Geminos, & vna cum momentis etiam ipsę constellationes mutentur, ita etiam plerumque, si non corpore, attamen animo longe fient dissimiles. Quocirca ipsa D. Augustini obiectio hic nullum omnino locum habere poterit.

Ad argumentum S. Gregorij, quod in concione quadam cõtra Astrologos vsurpat: quod videlic. aliqua in vrbe Regis, & rustici alicuius filius vna in hora, immo vno in momento, & vna in constitutione cœli simul nascantur, sub quibus nihilominus Regis filius Patri in Regno succedat, rusticus vero ad aratrum, & obediendum Regi obligetur: ad illud, inquam, respondent: Numquam adhuc fuisse obseruatum, quod duo vna in hora & Constellatione simul huncin mundũ nati fuerint: Etiamsi enim verisimile, id diuersis in Regionibus atque Prouincijs fieri, nihilominus tamen Zona Constellationem mutat, & Cœlum illo in loco, aliter quam in altero consistere: Horizontes & Meridiani siquidem mox immutati sunt. Posito autem, non tamen concesso, id quandoque fieri, nihilominus tamen fatendum est, quod cum naturæ & status Parentũ sint dissimiles, vnusq; plerumq; altero fortunatior. Iuxta illud etiam Astrologi non saltim obiter affirmant, quod Cœlum, vel Constellationes proprie & suapte fortunæ vel infortunij hominis causa fient sed q illud fiat iuxta subiectam materiã, quæ, pro dispositione sua, influentiam aut magis, vel minus recipit.

Hac ipsa responsione etiam Cicero compesci poterit, dum libro 2. de diuinatione inquit, quod multi homines, illo ipso tempore & sub ijsdem Constellationibus nati esse possint, sub quibus Homerus, Aphricanus, & Alexander Magnus nati fuerint, & nihilominus nullus amplius Homerus, Aphricanus, aut Alexander vmquam extiterit. Et quando Caluinus hoc argumentum à Cicerone mutuatur, & interrogat: Quando sæpenumero in aliquo prœlio 70. hominum millia cædantur, veluti apud Cannas olim factum, num illi ipsi vnum etiam Horoscopum vel constellationem habuerint, quemadmodum vna vice, quasi & simul ceciderint, id quod tamen videri ridiculum. Ad illud iterum respondent: fieri quidem posse, quod omnibus & singulis violenta mors, per peculiarem suam cõstellationem, interminata fuerit, quæ sane multis modis à cœlo suam caussam sortiri queat: adeo vt sub generali quadam Constellatione, quæ excitandi bella

bella vim habeat, illi, quibus violenta mors minata fuerit, potierint, vtpote qui isti Constellationi aliquanto viciniores exstiterunt. Illis autem, qui, Deum solum futura nosse, respondet Thomas Aquinas lib. 3. contra Gentiles: *Deum* quidẽ omneis res scire, certa quadam scientia, vtpote qui res omneis, & quamlibet ad certum finem suum ordinauerit: interim etiam homines vniuersalem & indistinctam aliquam cognitionem habere posse. Quod autem aliqui prætendant, Astrologiam quidem certam esse, & fructu atque vtilitate sua minime carere, nihilominus tamen exercendam non esse, idque ignobilis duntaxat plebeculæ caussa, quæ illa non absque periculo haud recte vtatur: nulla autem illa est obiectio, cum simpliciores doctrinam de prædestinatione æque minus bene intelligant: Item, doctrinam de cultu imaginum: quis autem ideò prohiberet, ne quis de illa loqueretur, vel tale aliquod punctum exerceret? Sic & alij præterea Sycophantæ reperiũtur, qui laudem & gloriam, ex insurrectione contra Astrologiam, captare conantur, illique primo dictum Esaiæ, cap. 41 obijciunt, dum Propheta ait: Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis. Ad quod respondetur: Deũ quidem solum esse, qui futura prænunciare possit: hominibus tamen itidem scientiam dedisse, iuxta quam suo modo de futuris iudicare possint. Præterea illo in loco Propheta non de illis loquitur Astrologis, quemadmodum illos supra descripsimus, & probauimus, quod nũquam improbati vel reiecti fuerint, sed de ijs, qui omnia necessario ex cœlo detorquere & probare nituntur. Nam maiori ex parte Propheta inibi de falsis Prophetis loquitur, qui in populo suo surrexerant, & de ijs Idolis, quæ pro Dijs suis inuocare conabantur.

Dein' aliam quoque sententiam, ex 44. Esaiæ c. inuertunt, dum inquit: Ego primus & nouissimus, & absque me non est Deus. Quis similis mei? Vocet & annunciet, & ordinem exponat, ex quo constitui mihi populum antiquum, quæ ventura sunt, annunciet eis. Sed respondetur, Deum eo in loco diuinatoriam Astrologiam, & nihil sane aliud prohibere. Ad argu-

 men-

mentum ex lib. 2. Regum ca. 7. sumptum, vbi dicitur Israelitas punitos fuisse, quod ariolando & diuinando operam dederint, respondetur, illud idem fuisse, de quo *Deus Ter Optimus Maximus* in priori dicto & alibi conquestus fuerit, nimirum, quod Iudæi Gentiles imitari voluerint, qui superstitiosæ Astrologiæ, veneficorum diuinationi, auiumque Cantui & volatui nimium tribuebant, & quæ id genus alia fuerunt. Ad argumentum Ieremiæ cap. 10. Iuxta vias gentium nolite discere: à signis Cœli nolite timere, quæ timent gentes, &c. itidem respondetur illic timorem Cœli fuisse interdictum, præsertim in rebus hominis voluntatem concernentibus, quemadmodum Thom. Aquinas lib. contra Gent. c. 85. demonstrat. Ad dictum Ecclesiastici: Multa hominis afflictio, quia ignorat præterita, & futura nullo potest scire nuntio &c. itidem respondentur: Stultos nō immeritò illos esse Astrologos, qui omneis particularitates nosse desiderant, veluti Zael, & quā plureis alij fuerunt. Omnis nāque Astrologus, quemadmodū Ptolomæus in Centiloquio docet, summopere caueat, ne particularitates nimium inquirat: Complectitur enim ista scientia, iuxta Philosophi testimonium, Vniuersalia, nō Indiuidua: & nemo particularia, annunciare possunt, quam illi, quibus *Deus Ter Optimus Maximus* eadē in specie reuelauit, veluti apud Prophetas factum est. Ad dictum S. Pauli ad Galatas: Dies obseruatis, menses, tempora, & annos: timeo, ne forte sine causa laborauerim inter vos: respondetur Apostolum inibi nō loqui de Astronomia, multo minus de ordinaria obseruatione annui temporis: quod tamē Deus ipse populo suo præceperat; sed de superstitioso abusu, dum in precibus suis peragendis & Sacramentorum vsu certa tempora obseruabant, quemadmodum etiam Haly Benragei voluit, circumcisionem videlicet peragendam esse, quando Luna supra Venerem consisteret, veluti illud expresse apparet ex Summæ suæ part. 7. ca. 33. Ad dictum Iobi cap. 38. Nunquid nosti ordinem Cœli, aut rationem eius pones in terra? respondetur, illud Astrologiæ nostræ minime aduersari, quippe quæ ipsa doceat, hominis illam potestatem minime datam

esse.

esse. Ad Decretum Concilij Anchiritani, vbi dicitur: Qui diuinationes expetunt, & morem Gentilium subsequuntur, sub regulâ quinquennij jaceant &c. respondetur, quod ibi quoque non de Astrologia Iudiciaria, sed de Gentilium moribus, qui veneficos, & Cacodæmones interrogabant, atq; Nigromantiam, Hydromantiam, Pyromantiam, & alias istiusmodi artes malesanas exercebant, verba fiant. Ad interdictum Martini Papæ, quod caussæ 26. insertum: Non liceat Christianis tenere traditionem Gentilium, & obseruare, & colere Elementa, aut Lunæ, aut Stellarum cursus aut inanem signorum fallaciam pro domo faciunda, aut propter segetes, vel arbores plantandas, vel coniuge sociandâ, &c. respondetur cum glossa ista, quæ apud verba illa sita est, & sic inquit: Illi reprobantur, qui credunt inesse necessitatem Superioribus: vnde non est dicendum, quod superiora sint caussæ rerum, licet sint signa rerum. Ad mandatum Alexandri III. c. ex tuorum de Sortilegijs, vbi mandat, quod alicui Sacerdoti, qui, vt furtum non sibi, sed Ecclesiæ factum, recuperaret, in Astrolabium mera ex simplicitate introspexerat, annua pœnitentia imponenda esset.) respondetur: Sacerdoti isti nullam omnino factam fuisse iniuriam, quod superstitiosæ doctrinæ Zaelis adstipulatus fuisset, qui, in lib. suo de interrogationibus, prætendebat, quod per illam artem explorari possit, num videl. internus, vel externus aliquis sacrilegus sacrilegium illud commisisset. Ad Leges Ciuiles, lib. 9. c. de Maleficis, vbi sequentia reperiuntur verba: Geometriam discere atque exercere licet: Ars autem Mathematica damnabilis & omnino interdicta est. Similiter & Leg. Nouo: Nemo aruspicem consulat, aut Mathematicum, sub Pœna Capitis; &c. respondetur, quod per Mathematicos illos non nostri Astrologi intelligantur, sed venefici, isti aruspices & Harioli. Ad dictum D. Hieronymi, quod etiam caussæ 26. insertum, vbi illud ipsum meram superstitionem esse autumat, dum inquit: Obseruare auguria, requirere cursus Stellarum, & euentus ex his rimari, &c. respondetur: S. Hieronymum, illo in loco Astrologiam Diuinatoriam improba-

probare, quæ ſcient æ terminos tranſcendat: quamq; Abrahamus Auenagra, in libro ſuo de interrogationibi docet & ſimul prætendit, explorari videlic. per artem iſtam poſſe, an commiſſum aliquod furtum recuperari poſſit, necne: an fugitiuus aliquis ſeruus reuerſurus ſiet, nec ne? Ad dictum Baſilij ſuper Geneſin, vbi dicitur: Ars iſta eſt occupatiſſima vanitas, &c. reſpondetur: Baſilium illo in loco de vana, ſtulta, ac temeraria Aſtrologia, ac ridicula Geomantium ſuperſtitione & geſticulatione loqui. Ad duas auctoritates D. Hieronymi, vnam ex commentario ſupra 3. cap. Sophoniæ, vbi de Aſtrologis ita loquitur: Hi ſunt, qui eleuantur aduerſus ſcientiam Dei, & omne quod geritur in ſeculo, ficta ſibi ſcientiam pollicentes, referunt ad ortus Stellarum & occubitus, Mathematicorum ſequentes errores: alteram ſupra 47. cap. Eſaiæ, dum inquit: Hi ſunt, qui vulgo appellantur Mathematici, &c, ex Aſtrorum curſu lapſuque ſiderum, res humanas regi arbitrantur: &c, cum ſalutem alijs promittunt, ſua interim ignorant ſupplicia: reſpondetur: S. Hieronymum in binis iſtis dictis de ijs agere Mathematicis vel Aſtrologis, qui dictitant, quod omnia, etiam ipſam hominis voluntaté Cœli motui ſubiaceant: quam Aſtrologiam nos ipſimet reijcimus. Ad D. Auguſtini dictum lib. 5. c. 7. de Ciuitate Dei, dum de Aſtrologis inquit: Electo ad ſeminandum agrum, die multa grana ſimul in terram veniunt, ſimul germinant, ſimul herbeſcunt, flaueſcunt, & tamen ſpicas inde coæuas, &, vt ita dixerim, congerminales, alias rubigo interimit, alias aues depopulantur, alias homines euellunt: Ex quibus concludit, Aſtrologorum iudicia falſa eſſe, nec deſtinatum præfixumque terminum adtingere, &c. reſpondetur Auguſtinum heic etiam loqui de ijs Aſtrologis, qui itidem omnia humana negotia omnino Cœli neceſſitati ſubijciant, in quo ſane noſtri Theologi cum Auguſtino per omnia conſentiunt. Ad aliud dictum, quod idem ille D. Auguſtinus lib. 5. de Trin. c. 1. vſurpat, vbi aliquem repræhendit, qui peculiarem horam ad congreſſum vxoris eligebat. Ad quod reſpondetur: Recte ipſum feciſſe: Multi enim inuenti ſunt, qui

falſo

falso sibi persuadebant, quod Cœlum atque Stellæ necessario in homine, tam in conceptione, quam ipsa etiam Natiuitate sua operentur: quib. etiam Ptolomæus lib. 1. quadri part. cap. 3. aduersatur. Ad alium D. Augustini sermonem libro 2. Quæst. Vet. & Noui Test. dum ait: Nihil tam contra Christianos, quã si arti Matheseos adhibeant curam, hæc enim inimica dignoscitur DEI, &c. respondetur, D. Augustinũ heic de ijs loqui, q lucri emolumẽtiq; priuati causa, de istiusmodi reb. loqui conantur, quas tamẽ homini nosse non datum est; id quod non dumtaxat Legi diuinæ, verum etiam Ptolomæi doctrinæ, quadripart., è diametro quasi aduersatur. Ad aliud eiusdem D. Augustini dictum, in homilia super dictum Christi: Ego sum vitis, &c. vbi dicit: Quam multos, o bone Deus, Mathematici fefellerunt; quia sibi plerumq; lucra promiserant, & damna inuenerunt: prior illa responsio similiter danda est. Et denique Astrologiæ aduersarij adhuc vno D. Augustini, ad tuendam caussam suam, nituntur, dum, in libro suo de Natura Dæmonum, ita loquitur: Genethliaci, inquit, appellati sunt propter natalitiorum considerationem dierum. Geneses enim hominũ per 12. signa Cœli describunt: siderumq; cursus, nascentium mores, actus, & euentus prædicere conantur: & lib. 4. Confessionum, vbi ait: Illos Planetarios, quos Mathematicos vocãt, plane consulere non desistebã; quos tamen Christiana Pietas expellit, & damnat. In quibus omnibus tamen D. Augustinus illos dumtaxat intelligit, qui necessitatem exinde colligere conantur.

Causam suam, præterea, cum S. Ambrosio etiam tuentur, qui lib. 4. Hexam. cap. 4. ita inquit: Nonnulli tentarunt natiuitatũ exprimere qualitates, qualis sit vnusquisque, qui natus sit; cum hoc non solum vanum, sed & inutile sit quærentibus. Et paulo post idem ille ait: Redempti sunt Apostoli, & congregati ex peccatoribus, non vtiq; ex Natiuitatis suæ hora; Sed Christi eos sanctificauit aduentus. Ad quod itidem respondetur, Ambrosium ijs in locis de illis verba facere, qui non solummodo omnia humana negotia, verum etiam ipsam beatitudinem, vitamq; æternam, Stellarum ne-

cessitati subijciunt. Qua de causa etiam mox dictis illis suis addit: Latro in crucem damnatus, nō beneficio suæ natiuitatis, sed fidei Cōfessione ad Paradisi trāsiuit gaudia. Ionā nō vis Natiuitatis, sed diuinæ pceptionis, cōfesa pcipitauit in mare. Cui etiā adstipulatur Ptolomæus vbi, in Centiloquio, propositione prima. Et lib. 1. Quadripart. cap. 3. ita dicit: Non cogitem' ea, quæ accidunt, ex Cœlo esse necessaria, vt quæ sunt à Deo.

Porro aliqui reperiuntur, qui Astrologiam impugnant, quod Albamazar, in 2. suo libro de magnis coniunctionibus, differentia octaua, dicat per Mahometis natiuitatem duorum infortuniorum coniunctionem, significatum fuisse, & aliā quoque illius mortem denunciasse, quod illi nimirum, & vltra Astrologiæ limites transgressum esse autumant. Item, eodem in libro, differentia vltima, affirmat, ipsam etiam Christi Natiuitatem, per coniunctionem aliquam, significatam fuisse, id quod hæreticum & impium sonat. Ad illud respondetur, Albumazarem, aliquanto insolēciorem, Astrologiæ metas transilijsse, idque contra Ptolomæi doctrinam in Centil. prop. 1. & lib. 1. Quadripart. c. 3. vbi expresse particularitatum scientiam Astrologis interdicit.

Alij Astrologos persequuntur, quod ex Cœli figuris, quæ tamen mera sunt figmenta hominum, ferant iudicia, quemadmodum Albumazar, in suo Introductorio c. 1. part. 2. fateri necessum habet.

Ad quod autem respondetur: Etiamsi istiusmodi imagines ab hominibus fictæ & excogitatæ fuerint, nihilominus tamen istarum in ijsdem comprehensarum stellarum operationem ex ipsa experientia deprehendi, veluti idem ille Albumazar, in eodem isto suo Introductorio cap. 1. testatur, cui Thomas Aquinas lib. 7. Metap. adstipulatur. Simili modo etiam peruertunt id, quod Hermes in Centiloquio 66. Propositione ait, quod videlicet ille, qui in Natiuitate sua Mercurium in sexto domicilio habeat, fide sua relicta ad aliam inclinaturus siet; idque vaticinium insolentissimum esse, eo, quod istiusmodi res non à Cœlo istiusque Constellatione petendæ sient, & exinde Astrologiam etiam vanam temorariamq; esse.

Ad

Ad illa respondetur: Inficias quidem ire neminē posse, quod Astrologus res istas pro certis verisq; affirmare audeat, quemadmodum etiam omnia cætera quæ in hominis voluntate sita sunt; veluti Ptolomæus in Centiloquio suo asseuerat.

Quod autem Hermes vel errauerit, aut in Centiloquium suum forsitan intrusum fuerit, id exinde quodammodo patet, quod, vti Alcabitius testatur, sextum domicilium, sexta domus seruitutum & infirmitatū, non vero ad Relligionem inclinata fiet, quemadmodum apud 9. domum fieri plerumque assolet.

Porro & hoc etiam obiicitur, quod videl. operantes coniunctiones raro fient similes, vti Petrus de Aliaco, cap. 13. Elucidarij sui testatur, vbi inter alia sic ait: Raro concordant cōiunctiones mediæ & veræ, nisi quando Planeta est in Auge, vel in opposito Augis sui Epicycli. Ad quod respondent: Astrologum nihil certi affirmare: Indicia enim illius solummodo inter necessarium & possibile cōsistere, quemadmodum Ptolomæus in Centiloquio prop. 1. asseuerat.

Ita quoque Astrologia iudiciaria contra omnia argumenta & obiectiones illorum constans atque immota quasi consistit, qui ipsam suspicioni alicui implicare conantur, cum potiora illorum arenoso fundamento sita argumenta satis superque refutata sunt. Cuius rei gratia multa insuper certitudinis suæ experimenta deprehenduntur, quorum quædam heic adponere libuit: Vtpote Spurinæ, cuius Plutarchus meminit, qui C. Iulium Cæsarem præmonuerit, vt videlic. sibi ab Idibus Martijs caueret. Cum vero XV. illa dies Martij incidisset, nec Cæsari damnum aliquod illatum fuisset; qua de caussa etiam ipsum Cæsarem Astrologum illum risisse, Astrologum istum ita respondisse ferunt: Atqui venerunt illæ quidem, sed tamen non præterierunt: id quod etiam euentus postea testatus est: vix elapsa hora siquidem Cæsar in Senatus consessu à Cassio & Bruto miserum in modum trucidatus fuit. Mathematicus quidam, Ascletarion nomine, Domitiano præsagiebat ipsum minime naturali, sed mala morte moriturum esse: Imperator excan-

descens igitur, quali nam morte ipse moriundus esset, Astrologum interrogabat, qui, à Canibus dilaniatum fore sese, respõdebat. Imperator itaque vt hominis vanitatem retunderet, ipsum interficere atque summo studio sepelire iubet.

Verum enimuero, aut forte fortuna, vel casu quodam singulari eruitur, & dilaniatur à canibus. Quo facto consternatus Cæsar ille, vaticinium Astrologi metuens, sibi quam optume cauebat, qui tamen fatum sibi destinatum, euadere minime potuit, breui enim post, iuxta Astrologi illius vaticinium, cæsus perijt. Sic etiam Valerius Maximus de Æschylo, inter alia, commemorat: prædictum videl. ipsi aliquando fuisse, ipsum è supernis periturum. Quocirca, quantum quidem fieri potuit, tectorum transitum præcauebat, atque, ad meliorem sui securitatem, maiori ex parte sese ruri continebat. Verum & ille destinatam sibi fato sortem præterire minime potuit.

Sub dio enim aliquando, æstiuo tempore, nudatoque cap. ruri sedens, ac in libro lectitans, præteruolans in sublimi aquila testitudinem, quam frangere eiusdemque carne vesci minime valens, testudinem illam in Æscyli caluitiem, quam lapidem aliquem esse autumabant, è supernis demittebat, atque ita caluaram illius perfringebat: quo facto Æschylus, ex fatali isto casu testudinis vitam cum morte commutare necessum habuit. Sic Chaldæi Agrippinæ, Neronis matri prædixerunt, filium ipsius ad Imperium euectum promotumque iri, qui tamen eamdem necaturus fiet. Id quod vtrimque impletum fuit. De Silerico Mathematico legitur in Historijs, quod aliquando ad Othonem dixerit, ipsum propediem Neroni in Imperio successurum esse. Id quod etiam factum est. Textor de Sula Mathematico inter alia recenset, quod interroganti Caligulæ fatum & cædem suam prædixerit.

Ita quoque Ælius Mathematicus Imperatori Adriano euectionem ad Imperij culminat verę prædixit. De Anaxagora refert Plinius lib. 2. cap. 60. ipsum in 78. Olympiade prædixisse ingentem lapidem è Cœlo casurum esse: cuius rei gratia quidem primo Anaxagoram irrisum,

ſum, & nihilominus tamen circa Egeum fluuium veritatem depræhenſam fuiſſe: & libro 7. idem ille aſſeuerat, Athenienſes Beroſo Aſtrologo imaginem auream linguam in ore habentem, ob Prognoſticorum ſuorum certitudinem, erexiſſe. Similiter & Plutarchus, in vita Alcibiadis & Pyrrhi, de Meſone Aſtrologo quodam recenſet, ipſum imminenti aliquo in prælio alterius partis victoriam præſenſiſſe, quocirca, ſimulato furore, exauctoratum fuiſſe, atque hoc modo, occumbentib. Commilitonibus ſuis, vitam ſuam ſaluam conſeruaſſe. Quid autem de Auguſto memorem? Ille enim, poſtquam à Theogene Aſtrologo percepiſſet, Natiuitaté ſuam ipſi faſceis Imperij quaſi tacite deferre, tantam Aſtrologi verbis fidem habuit, vt etiam monetam argenteam cũ Capricorno, quod Cœleſte ſignum natiuitatis eius erat, cudi curauerit. Plura ſane iſtiuſmodi experimenta heic recenſere poſſemus, verum commemorata iſta de Aſtrologia noſtra Iudiciaria heic ſufficiant.

Illa ſiquidem inquirit gradus ignoti alicuius Aſcendentis per Libram Hermetis, quæ ab Albubatere cap. 3. & Leopoldo tractatu 7. de Natiuitatibus declarata fuit; vel per Regulam Animodaris, quam Omar Tiberinus lib. 3. Antonius de Monte Olmo, Schonerus lib. 1. & Guido Bonatus in Tractatu ſuo de Natiuitatibus, ordine expoſuerunt, aut per illas Regulas bonorum malorumq; alicuius hominis in Natiuitate ſua accidentium, quæ à Cypriano Leouitio, & Ioanne Stadio in Ephemeridibus ſuis, & Valentino Nabolio, in Commentario ſuo ſuper Alcabitium, explicarunt.

Indicat præterea Aſtrologia noſtra ſignificationem coniunctionum & Adſpectuum Planetarum, explicat diſpoſitionem Stellarum fixarum, figuras Natiuitatum, morbos Planetarum in XII. ſignis cœleſtib. Zodiaci, directiones domiciliorum, eorumdemue Tabularum, atque tamdem omnia Vniuerſalium rerum & accidentium iudicia.

Verum enimuero inficias quoque nemo ire poterit, quod hodierno etiam noſtro tempore temerarij aliqui Aſtrologiſtæ reperiantur, qui ſuperſtitioſa iſta Zaelis Abrahami Meſſalah

ſ 2 alio-

aliorumq; eiusdem farinæ hominum deliramenta iterum introducere conentur, omnis generis particulares Natiuitates fingant in quibus omnia futura hominibus contingentia exacte indicare volunt. Quam mendaces fallacesque autem hac in re nasutuli isti quandoq; deprahendantur, id omnibus & singulis satis superque manifestum est & cognitum. Eapropter veri & candidi Astronomi istiusmodi particularitatib. nullo modo nituntur, quasi istiusmodi res necessario virtute & operatione cœli, vel astrorum contingant.

Errores & Abusus. Vt autem, pro more meo, etiam errores & abusus tam in hac, quam alijs etiam in Professionibus occurrentes detegam, primum leueis quidam Astronomunculi heic mihi quammodo perstringendi sunt, q tot tantisque (scilicet) Prognosticis & Calendarijs, ex meris mendacijs consarcinatis, immortale sibi nomen comparare frustra adlaborant: in quibus tamen tam artificiose & circumspecte caussam suam tueri conantur, vt etiam omnia ipsorũ verba obscuriora fient, quam Apollinis Pythij oracula, adeo vt nullus Oedipus, & ne quidem ipsa Sphinx illa enodare posset: Immo tam sunt trita atque communia, vt etiam diuersis Prouincijs, atque nationibus ab ijsdem applicentur, vtut etiam res cadat, nihilominus tamen illi ad præfixum Scopum collimarunt. Nec facile etiam, ipsorum modo, quispiam aberrare potis est. Inter tot enim Stellas Cœli, quasdam esse oportet, quæ vel bonum, vel malum aliquod præsagiant. Quocirca etiam saluo calculo dicere possunt, homines quosdam longæuam vitam, honorem, opes, potentiam, victoriam, sanitatem, liberos, amicos, felicia matrimonia, census, & alia id genus temporalia bona adepturos, vice versa vero quosdam laboriosam calamitosissimamque omnium vitam traducturos esse.

Ambrosius in Hexamero suo Astrologi alicuius meminit, qui suo tempore hominibus in magna ariditate ꝓmittebat, quod instante Nouilunio exoptata aliqua pluuia terram irrigatura & humectatura esset, verum promissio illa fuit irrita, & pluuia tamdem Christianæ Ecclesiæ precib. impetrari, & cœlum ea-

earumdem effectu referari tum temporis oportuit. Picus alterum aliquem nominat, qui Bologniæ, alias tamen Astrologorum quasi matris, certo die pluuiam pollicebatur, cum tamen illo ipso die cœlum non modo nullam pluuiam demitteret, verum etiam illa ipsa dies multo, quam alij, serenior adpareret. Inter alia etiã singulare aliquod exemplum fallacitatis artis illius Hieronymi Manfredi, celeberrimi tum temporis Astrologi, memorat, qui Pino Ordelasso Foroiuliensi Principi, eo ipso anno, quo tamen vitam cum morte commutabat, integram corporis sanitatem, & talem quidem, qualem antea nũquam habuisset, promiserat.

Quid autem quæso sciuisset, is cui tamen ipsi finis proprius erat incognitus? In eo enim anno, quo moriebatur, sese adhuc mirabilia & memorabilia de futuris annis reuelaturum esse temere promiserat. Pari modo, pe gitidem ille Picus, etiam Petrus Attendulus à mendacibus istis Astrologis tum temporis deceptus fuit.

Istiusmodi Astrologos & ipse Cicero, lib. 2. de diuinatione, facete admodum irridet, & ait, quod multi Chaldæi (ita veridici olim Romæ appellabantur) Crasso Cæsari, & Pompeio annunciauerint, ipsos nimirum in sua Patria, gloriosos & fortunatos admodum in quieta senectute vitam cum morte commutaturos esse: qualem autem mortem singuli isti oppetierint, id Historiarum monimenta satis superque testantur: adeo vt neutiquam mirandũ fiet, ipsum Eudoxum, Platonis Auditorẽ, & Astrologum illo tempore celeberrimum, teste Tullio, sequentia verba in scriptis suis posteritati post se relliquisse: Chaldæis, inquit, in prædictione & notatione cuiusque vitæ, ex natali die, minime credendum est. Panetius Archelai & Cassandri meminit, qui quidem præstantissimi Astrologi fuerint, numquam tamen inter se conuenire potuerint. Diogenes Stoicus permittebat quidem, quod de naturalibus quibusdam inclinationibus aliquid coniectare, & quandoq; affirmare possint quomodo videl. aliquis sese ad rem aliquam accõmodare queat. Sin vero etiam de ingenijs, moribus, animis, forma corporis, omnisque generis actionib. negotijs, alijsque vitæ acciden-

talibus casibus aliquid affirmare atq; tueri velint, id tum absque dolo atque mendacijs fieri neutiquam posse. Illud enim ex Constellationibus pro certo affirmare velle, esse idem, veluti S. Antonius parte 2. Summæ, Tit. vltim. testatur, nihil aliud, quam certissimum superstitiosi alicuius cordis atque animi indicium, quod tam *Deo Ter Optumo Maxumo*, quam ipsis etiam hominibus omne regimen &, libertatem arbitrij in rebus externis adimit. Stellæ præterea nullum habent influxum vel potestatem supra hominis animam, vt voluntatem vel intellectum ipsius cogere valeant: Sed aliquas dumtaxat complexiones, habitus, vel dispositiones caussantur, idque in ijs præsertim corporibus, in quibus dominantur, quibus postea potentiæ sensitiuæ, organis adhærentes, diuersæ passiones vel inclinationes, vel ad virtutem, aut ad vitia, excitantur. Et ad illum sane modum facilime affirmari poterit hominem per singularem aliquam constellationem ad hoc vel illud vitium inclinare, etiamsi caussa istius principalis aliunde suam sumat originem: videlic. si ipse sui nullam rationem habeat. Item si ita consuescat, vt mala quædam consuetudo facilime in naturam quasi transmutetur: vel si alias ab improborum consortio, vel ipso etiam Cacodæmone, sese seduci patiatur. Qua de caussa quoque Halicarnassæus, Archelaus, Eudoxus, Cassander, Horchilax, & quam plureis alij, tam ex veteribus, quam ipsis etiam Neotericis expresse & Categorice fatentur, quod in hisce nihil certi iudicari possit, partim quod plureis caussæ operantes, vna cum ipso cœlo & Constellationibus, simul coincidant; partim, quoniam homo liber, & per bonam disciplinam cœlestibus influxionibus bene obuiare potest, vtpote, quæ ipsum sane, veluti Astrologi ipsi testantur, hominē inclinare, non autem cogere valeant. Partim etiam ob ipsas Regulas, iuxta quas indicia istiusmodi fieri solent, quæ multis contradictionibus, quemadmodum Picus ait, & exceptionibus suis non carent, atque adeo ipsæ omni certitudine destituuntur.

Minime itaque mirandum est, quemadmodum Suetonius Tranquillus in Historia sua testatur, *Astrologi olim e Roma*

ſtatur, quod Romanorum Imperator Tiberius Aſtrologos ab vrbe Roma excluſerit: quod Decretum tamen paullo poſt iterum abrogauit, eoſdemque ea lege atq; conditione iterum in Vrbem intromiſit, vt videlic. impoſterum ab iſtiuſmodi impoſturis abſtinerent: vel, vti Cornelius Tacitus inter alia recenſet, quod eoſdem (Aſtrologos) Vitellius iterum ex vrbe pepulerit. Item quod Alexandriæ vectigal quoddam Blacemion dictum, ideo olim inſtitutum fuerit: quod ijdem illi Aſtrologi, ex ſingulari ſtultitia, vel, vti melius quidem appellari poſſet, manifeſta impoſtura victum ſibi comparare conabantur: vel fortaſſis ea de cauſa, quod tam multi imperiti & fatui homines ad ipſos (Aſtrologos) ſuum ſumerent refugium. Fatuos & omni ſenſu atque intellectu deſtitutos eos eſſe oportet, qui perſuaderi ſibi patitur omnem ſuum ſtatum (qualiſcunque etiam ille ſiet) à Cœlo & Stellis dependere: Sin enim res ita ſeſe haberet, ſuperfluum prorſus, minimeque neceſſarium eſſet, vt homo de re aliqua eſſet ſollicitus, ſed multo potius Stellis omnia committere neceſſum haberet. Nullis furcis & patibulis Magiſtratus aliquis indigeret, vt ad illa fures adigerentur & ſuſpenderentur. Temerarium quoq; exinde eſſet, ſi quis Tyrannis vel maledicere, aut, vice verſa, pios manſuetoſque Magiſtratus, pro iure ſuo, celebrare & extollere conaretur, ſed in rebus omnib. ad Stellas ſeſe conuertere, atq; illinc, perpeſſi ſui infortunij cauſſa, vindictam inſtituere cogeretur. Stulti hac in re Poetaſtri imitandi eſſent; qui ſæpenumero, vt cupiditatibus ſuis ſatisfaciant, in aduerſis ſuis rebus amatorijs, crudele fatum, infortunatas Stellas, quaſi Cœlum & Terra in ſuum infortunium conſpiraſſent, temere in: & accuſare conantur.

Ante omnia vero damnabilis quorumdam eſt temeritas, atque ſuperſtitioſa crudelitas; qui etiam ipſis hæreticis & infidelibus peiores cenſendi ſunt, prætendentium, quod videlicet donum vaticinandi, Relligio, myſteria arcanaq; conſcientiæ, potentia ſuper cacodæmones, virtus faciundi miracula, efficacia operatioq; precum, & tamdem ipſa etiam æterna beatitudo ab aſtris & Stellis dependeant.

ant. Vnde etiam fortassis Lactantius Firmianus, lib. de erroris origine c. 6. Astrologiam artem Diabolicam appellauit.

Denique Astrologi quoque vbiuis ferme ridentur, qui alijs hominib. futura prædicere conantur, cum tamen ipsi ignorent, quid ipsis iam contingat, veluti ille (quem Morus, Britannus ille, non immerito irridet) qui alijs futura præsagire conabatur, interim tamen, coniugem suam illicitos amores sequi, & cum alijs concumbere, omnino ignorabat. Ita & Marullus quoque Biliotum quemdam, qui, ignorans venenum hauserat, sequenti in disticho facete irridet, cum ita inquit:

Dum canit Astrologus perituris sidera nauiis,
Dum sibi Boletis non cauet, ipse perit.

Ariostus vero Alpheum Astrologum sequentibus in versibus tali modo irridet:

Predetto egli s' hauea, che dl anni pie.o
Douea morir, à la sua moglie in seno
Et hor li ha messo il cauto Saracino
La punta della spada in ne la gola.

Sed hæc de Astrologis dicta nunc sufficiant: De alijs igitur hominibus nobis quoq; verba faciunda sunt.

IN DISCVRSVM VI.
ADNOTATIVNCVLA.

ANgelus Politianus in Panepistemo suo, etiam de Astrologis quædam recenset. Similiter & Ian-Thomas Phrygius lib. 9. & Petrus Gregorius Tholosanus in Syntaxi. Ad Astrologiam Iudiciariam, quod attinet, & quomodo illa improbanda reijciendaque siet, id in Palatio meo veneficorum commodissime videre est.

DE ARIOLIS IN GENERE, IN specie autem de Prophetis, Sybillis, Vatibus, Aruspicibus, Auguribus: Item de Tripudijs, Ominibus, alijsq; superstitiosis speculationibus Veterum. De arte Speculatoria quoq; ipsa, quæ consistit in raris gestibus, alijsque concidentibus adspectibus, eorumdemue significatione. De Prognosticantibus quoque ex causis Naturalibus, Oraculis, Sortilegis, Metoposcopis, Pyromantis, Hydromantis, Ætomantis, Gæomantis, Chiromantis, &c.

DISCVRSVS. VII.

INter Veteres tam imperiti insipientesq; adeo homines reperti, qui tam verbis, quam scriptis etiam adeo pertinaciter illud negare ausi sunt, quod tamen ipsa Meridiana luce clarius exstitit. Id quod diuinationis istius certitudo fuit, quæ in genere à Xenophonte, Colophonio, & Epicuro, qui tamen non adeo sinistre, in Tractatu suo de Natura Deorum, de illa balbutire solet, manifesto negata fuit.

Pari modo etiam ab Anetio, Possidonij Præceptore, & ab Antipatro illius discipulo factum est, qui etiamsi non adeo repugnet, nihilominus tamen se de ea maxumopere dubitare, satis superque innuit.

Quod autem anima, quemadmodum S. Augustinus libro de Confessionibus testatur, diuinandi, aut prædicendi potentiam habeat, siue id fiat per communicationem Idearum, iuxta Platonis opinionem, vel per imaginationem & impressionẽ causarum superiorum, vti Aristoteles asseuerat: quodq; multis modis aliquis multo ante animaduertere possit, quid antè fieri debeat id etiam rerum imperitissimo hoc in Discursu ad oculum quasi demonstrabitur.

Et primo quidem pro certo affirmamus, quod Prophetarum vaticinia in genere, extra omnem controuersiam, apud quosuis pro veris acceptentur, quippe quorum infallibilis veritas manifesta, in SS. Scriptura compræhensa, à S. Ecclesiæ Doctoribus confirmata, & per euentum, iuxta diuinam dispositionem vera inuenta semper fuit.

Pr... ta... mi... & ... sit

Ad Prophetias autem quantum attinet, ea de re Iacobus de Valentia, in Procœmio suo super Psalmos Dauidicos, ait, quod ad Prophetam, proprie sic appellandum, multa sane dona requirantur.

Primum, vt res futuras annunciet. Prophetia siquidem, S. Gregorio supra Ezechielem teste, proprietatem sui nominis amittit, si de præteritis, vel præsen-

ſentibus rebus loquatur, vt po-te quæ Prophetia ideo appelle-tur, quod de rebus futuris age-re neceſſum habeat. Vnde eti-am D. Auguſtinus Propheriam hunc in modum definit. Pro-phetia, inquit, eſt diuina reue-latio eorum, quæ procul ſunt ab humano intuitu, vbi nomi-ne Prophetiæ non proprie in ſuo, ſed in vulgari intellectu v-titur: deinde vt de myſterijs Chriſti, & Eccleſiæ ſuæ agat. Res profano-mundanæ enim ad Prophetiam minime perti-nent ſed ad Prognoſtica, & alia vulgaria vaticinia: atq; eo mo-do Origenes illos, qui in Vete-ri Teſtamento docuerunt, Pro-phetas, & Ioannem, ob Apoca-lypſin ſuam, Prophetam Noui Teſtamenti nuncupat. Iuxta illud etiam requiritur, vt iſti-uſmodi myſteria Prophetis in myſtico, alias minus noto, ænigmate præfigurentur, vtpote, quæ in ſeipſis nullam propriam compræhenſibilemque eſſenti-am habeant, & porro quod i-pſis iſtiuſmodi myſteria per di-uinam reuelationem, antea prę monſtrentur. Quocirca etiam Sermones Caiphæ & Pharao-nis nulla propria, ſed fucata dū-taxat fuere vaticinia. Ante om-nia vero requiritur, vt Prophe-ta aliquis viſiones & reuelatio-nes bene intelligat & explicet: alias enim Viſor & nullus Pro-pheta appellandus eſſet: quem-admodum etiam olim omneis illi, qui viſiones intuebantur, e-tiamſi illa minus intelligebant, viſores appellati fuerunt, quem admodum lib. 1. Samuel. cap. 9. videre eſt, & tales etiam fuere Pharao & Nebucadnezarus. Et eadem de cauſſa X. cap. Daniel. dicitur, quod in Prophetia in-tellectus ſiet neceſſarius, & ex-inde quoq; Theodorus in Con-cilio Toletano non immerito, tamquam hæreticus, damnatus fuit, quod, Prophetas viſiones & Prophetias ſuas ipſos non in-tellexiſſe, aſſeueraſſet.

Iuxta illud conſiderandum quoque eſt, quod S. Hierony-mus, in gloſſa quadam ſuper Matthęum, ait aliam adhuc eſſe Prophetiæ ſpeciem, quæ Pro-phetia præſcientiæ aut præco-gnitionis appelletur, atq; omni tempore impleatur. Exempli gratia: Si *Deus* Prophetæ alicui aliquid reuelat, quod tamen antea ipſi notum eſt, quomodo in ſe ipſo comparatum eſt: vel, quod facere apud ſe decreuit, quale eſt, myſterium de conce-

ptione filij Dei in vtero D. Mariæ Virginis.

Alia ſpecies, Prophetia comminationis nuncupatur, quæ tamen non ſemper impletur. Exempli gratia, quando Deus aliquid antea nouit, quemadmodum iuxta cauſas ſuas illud fieri poſſit.

Sin vero adhuc alia intercidant, tunc primarum cauſarum operatio vel impeditur, aut omnino iterum tollitur. Ita præuidebat Deus interitum Vrbis Niniue, ob multifaria incolarum peccata & iniquitates, eumdemque per Prophetam ſuum Ionam Niniuitis annuntiari curat: Interueniente autem ipſorum conuerſione, malum iſtud impeditur, & à Domino iterum auertitur.

Inter Comminationis Prophetias, etiam promiſſionis Prophetia comprehenditur, quæ pariter, à mutatione cauſarum, iterum immutatur: quo tamen Prophetiæ Definitio Caſſiodori neutiquam nauci æſtumatur, aut tollitur, dum ita inquit: Prophetia eſt diuina inſpiratio, rerum euentus immobili veritate demonſtrans. Licet vero ante dictæ iſtæ comminationes vel promiſſiones non ſemper impleantur, nihilominus tamen verbum & inſpiratio Dei minime immutatur, ſed ſolummodo circumſtantiæ, quatenus in rebus ipſis deprehenduntur, mutantur.

Reuelationes & Prophetiæ autem iſtæ à Dei Prophetis plerumque modo fiunt triplici; vtpote vel per corporalem, externam, & perceptibilem viſionẽ, mediantibus ſpeciebus externis, quæ per ſenſum viſus percipiuntur: vt dum Ieremias iugum ligneum, quod ex Dei mãdato, in collo ſuo circum geſtarat, ad ſignificandam Regi Sedechiæ captiuitatem, vere vidit: aut fit per viſionem imaginatiam, vt cum alicui videtur, videre ſe aliquid, mediantibus illis formis & ſpeciebus, quæ in ſenſu interiore, vtpote virtute imaginatiua, Prophetæ acceptantur. Quæ viſio aliquando fit in Somnio; quandoque etiam vigilando, vbi tamen externi ſenſus impediuntur, & ab omni ſua naturali operatione in ſubiectis ſuis auocantur: quemadmodũ Propheta Eſaias illo modo Dei imaginem, in alto quodam Throno ſedentem vidit, duorum Seraphinorum formas cũ ſex alis, in Phantaſia & imagi-

natio-

natione, sua percipiebat. Tali etiam modo Propheta Ezechiel formas quatuor animalium cum quatuor vultibus, oculis refertis, rotam agentibus conspexit: vbi Spiritus Sanctus præternaturali isto lumine intellectui Prophetarum istorum subuenit, eosdemque ita illuminauit, vt etiam mysteria & significationes istorũ animalium vel visionum rite intelligere & explicare potuerint.

Simili modo explicabant etiam illas visiones, quæ ipsis antea in imaginatione obuenerat in omnis generis obscuris caliginosisq; imaginationibus, quę intelligibiles & Propheticæ visiones fiebant, per potentiam infusi vel inspirati ipsis luminis Prophetici, vel per colloquium & reuelationem Angelorum, quos aut viderant, vel audierant: quemadmodum Moyses Mithraton, hoc est, Principem visionum, in acceptato aliquo corpore, viderat & audierat idque per 40. illos dies, quibus vitam in monte traduxerat. Vice versa Samuel saltim audiuit Angelum, qui ipsum vocauerat, vel solummodo per internam aliquã visionem animæ, à Deo illuminatæ pintelligibiles formas, & per metam inspirationem, per quam veritas elucescit: aut per Spiritualem aliquam illuminationem, quæ absq; aliis perceptibilibus imaginibus intelligitur: Exempli gratia: Dum Daniel in illuminata sua anima id videt, quod Belsazarus antea corporalibus suis oculis viderat: vel alio quodam accidentali modo, quem Iosephus Hebræus, Rabbi Salomon, & Cabalistę Vrim & Thumim nuncupant, idemq;, quod doctrina & veritas, significat. *Vrim & Thumim.* In pectorali enim Summi Sacerdotis Clypeo, (veluti Exodi 27. videre est) 12. pretiosi lapilli siti erant, vtrimq; sex, & in frontali aurea erat lamina, cui quatuor diuini nominis literæ insculptæ erant, quæ splendore suo literas istas ad duodecim istos lapillos præmonstrabat. Si etiam Israelitæ vel belli, aut alterius cuiusdam rei euentum explorare volebant, tunc illud ita cognoscebant, quando nimirum commemoratæ istæ literæ singulari aliquo splendore lapillos istos irradiabant, tũc fortunam prosperitatemq; illæ denotabant, qua de caussa etiam rem eo fortius aggrediebantur; illudq; tum Rationale vo-

cabatur, quod exinde de prospero, infortunatoque suo statu eo melius iudicare poterant. Vnde etiam legitur, quod, cum Dauid scire desideraret, num inquilini Kehilæ ipsum Sauli tradituri essent, sacerdoti Abiathari mandauerit, vt sacerdotalem habitũ indueret, peractisq; precibus Dominum, illud futurum, respondisse: id quod nullo alio modo factum, quam, vti quidem Iudæi asseuerant, quod literæ istæ lapillos splendore suo minime irradiauerint, quẽadmodum antea factum fuerat, dum (quemadmodum 1. Sam. ca. 23. legitur,) Deum de victoria contra Philisteos interrogasset: vbi Dauid per splendorem, quem literæ ad lapillos istos direxerant, de obtinenda victoria certior redditus fuerat.

Alias autem ista lamina, vna cum quatuor literis splendoreque suo, significat, quo pacto videl. Christus, tamquam *DEI Ter Optumi Maxumi*, Patris sui cœlestis æqualis imago, irradians sapientiam suam XII. Apostolis communicaturus fiet, vtpote, qui Euangelij veritatem toti terrarum Orbi annunciare, propagare, & dilatare deberent.

Idem quoque erat duplex iste Spiritus, quem Helisæus ab Elia petebat, vt videlicet ad se reuerteretur, nimirum vt aduentantis Christi mysteria per præpositas imagines posset cognoscere. Exempli gratia, dum sublationem Eliæ cerneret, libenter etiam istius significationem nouisset: quemadmodum eo ipso Christi ad cœlos ascensio præfigurata fuit. Illud ipsum tamen tum temporis intellectu erat difficile, nec ipsi etiam Prophetæ illud tam facile intelligere & compræhendere poterát: Itaque etiam Helisæo haud immerito, *Rem difficilem postulasti*, responsum est.

Et istiusmodi sane Vaticinium Propheticum etiam in impijs (ni SS. Scripturæ, Ecclesiæque Doctoribus, repugnare velimus) reperiri poterit. Vaticinium siquidem tale donum est, quod hominibus frustra & absque merito impertitur. Vnde legitur, quod etiam Saul, Caiphas, & Balaamus, licet homines impij exstiterint, vaticinati fuerint.

DE SIBYLLIS.

POST S. Prophetas merito heic Sibyllarum mentionem facimus, quæ de Christo Seruatore nostro talia sane prædixerunt quæ, non tam propter ipsam veritatem, quam mirabilitatē, merito probe obseruanda sunt. Iccirco lubentes earumdem historiam huic nostro Discursui inseremus.

Sibylla autem, Isiodoro teste, Propheticam aliquam fœminam à Deo inspiratam significat. Seruius sup. Æn. & Lactantius in suis Institutionibus illam Consilium Dei nuncupat. De quarum tamen numero Auctores variant. Nam quidam, vt Martialis Capella, illarum saltim nudam mentionem faciunt. Alij, illarum dumtaxat quatuor fuisse, asseuerant, vt Ælianus: Alij decem, vt Marcus Varro.

Prima Sambetta appellatur, cuius Nicanor, qui Alexandri Magni res gestas descripsit, honorificentissimam mentionem facit, ex Persia, vel Chaldæa, aut Iudeæ quadam Ciuitate, Noe nominata, & ad mare Erithræum sita, oriunda. Pater illius Berosus, mater vero Erimanta dicta fuit. Concionem & baptisma S. Iohannis, Christi præcursoris, sequentibus versiculis prædixit:

Tunc quoque vox quadam veniet per deserta locorum
Nuncia mortales miseros qua clamat ad omnes:
Vt rectos faciant calles, animosq; repurgent
A vitiis, & aquis lustrentur corpora mundis.

Secundam, Lybicam fuisse ferunt: cuius etiam Euripides in Prologo suæ Laniæ meminit. Illa de Christi, miraculis sequentem in modum vaticinata est: II. *Lybica.*

Ille quidem morbis pressos sanabit, & omnes
Læsos, quotquot ei fident: Cæcique videbunt:
Incedent claudi, surdis audire licebit:

Inse-

Insolitas mutis dabit formare loquelas:

Expellet furias: oppressimo, te resurgent.

III. *Athemis.* Tertia ex Delpho orta, & Athemis dicta, ante bellum Troianum vixit. Illius versus quamplurimos Homerus in scriptis suis complexus est. Diodorus autem, illam Daphnem, Tiresiæ filiam, fuisse affirmat, quam Argiui, occupatis Thebis, ad Delphos miserint, vbi in templo Apollinis Sacerdotem & Vatem factam, atq; exinde Sibyllam Delphicam nuncupatam fuisse. Huius Chrysippus, præsertim in suo de diuinatione libro, mentionem facit: De Christi passione hunc in modum vaticinata est:

Impinget illi Colaphos, & Sputa scelestis

Israel labiis, nec non & fellis amari

Apponet escam, potumque immitis aceti.

IV. *Cumana.* Quarta, Sibylla Cumæa vel Gumana appellata, ex Cuma Ioniæ ciuitate oriunda fuit, & alias quoque Amalthea, Erophile, & Demophile nuncupatur. De illa Dionysius Halicarnassæus, Solinus, Aulus Gellius, & Seruius scribunt, quod Romanorum Regi Tarquinio Superbo (Suidas, Tarquinium Priscum illum fuisse, ait) nouem libros venales exhibuerit, & pro ijsdem trecentos Philippeos postulauerit. Postquam vero Rex, pretij postulati magnitudine deterritus, libros istos emere noluisset, ipsam in conspectu illius tres ex libris istis combussisse, & nihilominus pro sex residuis idem pretium postulasse. Ridente vero Rege, Cumanæ illius stultitiam, illa iterum tres libros igne perdidit, & tamen, pro tribus adhuc restantibus, priorem summam sibi numerari postulauit. Rex itaque factum summopere miratus, & singularia in libris istis mysteria aut res arcanas alias, compræhendi ratus, libros petito pretio sibi comparauit, qui postmodum in Capitolio magno honore reuerentiaque adseruabantur & custodiebantur. Verum enimuero Plinius tres istiusmodi saltim libros fuisse asseuerat, ex quibus duos commemorato modo Cumæá concremasse, & dumtaxat vnum tanto pretio comparatum, adhuc remansisse. Sepulchrum

Sybillæ

Sibyllæ huius in Sicilia monstrat Solinus inquit, illamque Cumis, Ciuitate quadam fuisse perhibent, de qua sequentes circumferuntur versiculi:

Tunc ad mortales veniet, mortalibus ipsis

In terras similis, natus Patris Omnipotentis

Corpore vestitus, &c.

Quinta, celeberrima Erithrea, ex ciuitate Erithra in Ionia oriunda, Apollodoro Erithreo teste, Graijs excidium Troianum prædixit. Eusebius vero aliquanto iuniorem illam facit, atq; Romuli temporibus eamdem vixisse tradit. Strabo Alexandri Magni temporib. illam adnumerat, illiusque Clemens Papa, in Epistola sua ad Corinthios, mentionem facit. Fenestella quoq;, scriptor ille exquisitissimus & diligentissimus, Erithreæ istius mille versus, sub consulatu (Curionis & Constantini M. Augustj) Romam perlatos fuisse tradit.

Simili modo & Eusebius in oratione sua, quam libris, de commemorati istius Constantini vita rebusque gestis diuolgatis, addidit, vaticinium quoddam Sibyllæ huius, de aduentu Christi ad iudicium extremum, recenset, in quo primæ versuum litteræ sequentia verba *IESVS Christus Dei Filius Seruator*, constituunt.

Idem autem Imperator Constantinus meminit, quod Marcus Tullius Cicero, acceptis istis versibus, inuentionem eorumdem tanti fecerit, vt etiam illico eosdem ex Græca in Romanam linguam transtulerit. Similiter & S. Augustinus tam artificiosæ inuentionis Sibyllinorum istorum versuum libro 18. de ciuitate Dei mentionem facit, additq; Flaccianum, Græciæ Proconsulem, virum doctissimum, in peculiari quodam libro Græco mirandam versuum illorum artem indicasse, illamque multo ingeniosiorem, Romana tralatione corrupta, depræhendisse.

VI. *Samia.* Sexta, Samia ex insula Samo in Ægeo mari prope Thraciam vel ex alia, ita quoque dicta, & in eodem mari versus Ephesum, sita, oriunda, etiam Phitho dicta fuit, cuius in Samicis Chronicis quemadmodum Eratosthenes recenset, fit mentio. Illa Christi Hierosolymitanum ingressum sequentibus in versiculis prædixit:

Salue casta Sion, per multaq; passa puella;
Ipse tibi insidens o Rex en tuus intrat asello,
Erga omnes mitis dulcis tibi, quo iugo demat
Intolleranda tibi, quæ fers ceruice subacta.

VII. Cumæa. Septima, Sibylla Cumæa, Cumis, in Romana Campania sitis, oriunda est; Illius Ethnicis ex Scriptoribus, Næuius in libris suis de bello Carthaginensi, & Piso in Annalibus mentionem faciunt. Ex Christianis vero, Lactantius Firmianus lib. 4. contra Gentes, & Iustinus Martyr in Admonitorio suo ad Gentes. Illius quoque, tamquam singularis alicuius Vatis, Plato, in Phædone meminit; in Memnone autem suo certitudinem Sibyllinorum Oraculorum summopere miratur, istosque homines personas diuinas nuncupat. S. Augustinus vero, in cæpta sua epistola ad Romanos vbi de hac Sibylla loquitur, sequentia verba vsurpat.

Fuerunt, inquit, & inter Gentiles Prophetæ, in quibus etiam aliqui inueniuntur, qui de Christo cecinerunt; sicuti etiam de Sibylla dicitur: quod non facile crederem, nisi quod Poëtarum quidam Nobilissimus, antequã diceret de ea innouatione Seculi, quæ in Domini nostri Regnum satis coincidere, & conuenire videtur; præposuit verbum, dicens:

Vltima Cumæi venit nunc Carminis ætas.

Cumque um autem carmen Sibyllinum esse nemo dubitauerit. Ante ipsum Eusebius quoque, lib. 4. de vita Constantini, eumdem istum versum simili modo explicauit. Stratonicus, Cumanus Episcopus, in Collectaneis suis sequentes versus, tamquam ab ista Sibylla dimanantes, recenset:

Cum Deus ab alto Regem demittet Olympo,
Tunc terra Omniparens fruges mortalibus ægris
Reddet inexhaustas frumenti, vini, oleique:
Dulcia tunc mellis diffundent pocula cœli,
Et niueo latices erumpent lacte fluentes.

Ammianus Marcellinus itidem Sibyllinorum istorum versuum mentionem facit, Iulianumque Apostatam eosdem prope ciuitatem

tatem Enam combussisse asse-uerat.

I. Octaua, Sibylla Hellespon-
essa tiaca, Marmessa etiam dicta, ex Troiana Prouincia oriunda fuit. Illam tempore Solonis celeberrimi istius Philosophi, & Cyri potentissimi Persarum Regis temporibus vixisse scribit Heraclides Ponticus, & sequens de Christo eiusque doctrina vaticinium post se relliquisse dicitur:

Ille Dei legem complebit, non violabit
Persimilem formam referens, & cuncta docebit.

Nona, Sibylla Phrygia in ciuitate Ancyra habitauit, & sequentib. versiculis Christi mortem prædixit:

Scindetur templi velum, mediumque diei,
Nox tenebrosa tribus premet admirabilis horis:
Et tridui somno peraget mortalia fata.

Decima, Sibylla Tiburtina,
ea etiam Albumea dicta, ex ciuitate Tiole, XVI. à Roma milliaribus sita, oriunda de resurrectione & adscensione Christi Saluatoris nostri sequens cecinit vaticinium:

Sed postquam triduo lucem repetiuerit, atque
Monstrarit somnum mortalibus: atque docendo
Cuncta illustrarit, cœlestia tecta subibit
Nubibus inuectus, &c.

Sic Cicero lib. 2. de Diuinatione de Sibyllis istis admodum honorifice loquitur, vbi de elegantissimis Sibyllæ Erithreæ versibus, vti supra dictum, mentionem facit. Iosephus quoque Antiquitatum Iudaicarum lib. 1. cap. 9. alicuius Sibyllæ vaticinium allegat, quo in loco de Babylonica turri loquitur. Apud Iuuenalem itidem videre est, quanta videl. in æstumatione Sibyllina Vaticinia fuerint, dum dictorum suorum veritatem hisce verbis testatur, inquiens:

Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.

Simili modo & Clemens Alexandrinus lib. 8. Stromatum inter alia commemorat, Paulum Apostolum in quodam Scripto quod tamen non amplius hominum teratur manibus, auditores suos ad Sibyllinorum librorum lectionem sequentib. verbis admonuisse: Libros Græ-

cos, inquit, fumite, Sibyllas agnoscite, quomodo Deum vnum significent, & ea, quæ futura sunt: & inuenietis in eis filium Dei clarius & apertius scriptum.

Putat autem S. Ambrosius, in Commentario suo super primam epistolam ad Corinthios, Sibyllas à Cacodæmonib. impulsas fuisse: quem in finem etiam Aristoteles in Problematibus suis Sect. XXX. illam per atram bilem, circa sedem mentis effusam, agitatas esse. Alij easdem castas perpetuaque virginitate exornatas fæminas fuisse autumant; in quibus Dei Spiritus habitauerit, ipsisq; res futuras inspirauerit; quocirca etiam homines illas magno honore & amore prosequi, ijsdemq; fidem habere deberent.

De ijsdem tradit Cornelius Tacitus, Romanorum Imperatorem Augustum, Samum, Erithram, Troiam, Aphricam, omneisq; Colonias Italicas perlustrari curasse, cum mandato, vt certo quodam die omneis Sibyllini versus comportarentur, & à XV. viris doctissimis examinarentur, nec imposterum quispiam eosdem sibi soli reseruaret.

Quod ea de caussa illum fecisse quidam ex stumant, quod multi versus sub Sibyllinis nominib. hinc inde diuolgati fuerint, quos tamen Sibyllæ pro suis numquã agnouerint. Quadraginta tamen annis post carmina ista Sibyllina Stilico, Honorij Cæsaris Socer clandestino quodam in loco igne cremari curauit; quo facto ingentem contra Generum suum seditionem excitauit: quod sane facinus Rutilius Claudius ipsi sequentibus versiculis exprobrauit:

Nec tantum Geticis grassatus proditor armis,
Ante Sibyllinæ fata cremauit opis.

Paucos ante annos in Germania VIII. Sibyllinorum Carminum vaticiniorumq; libri, tam Græco, quam Romano etiam Idiomate editi fuerunt, in quibus, iuxta alia, omnia quoque illa vaticinia, quorum hactenus mentionem fecimus, reperta sunt. Sic & Theophilus, VI. Antiochenus Episcopus, lib. 2. ad Autolicon, LXXX. pene versus ignotæ cuiusdam Sibyllę recenset, quorum aliqui ante dictis istis libris inserti sunt.

Ad

Ad veteres, tam Masculini, quam Fœminini generis Vates, quod attinet, qui, vti fertur, omnis generis res futuras prædixerunt, eorumdem vaticinia omnia si verum fateri velimus, maiori ex parte ab ipsis suis Autorib. conficta fuerunt, quemadmodum ea de re Cicero, lib. 2. de Diuinatione, bene loquitur, dum inquit: Intelligere se haud posse, quomodo videlic. cum istiusmodi furore comparatum fiet; (quo in loco de Cassandra Troiana, de quodam vate Publio, & Vatibus Martijs verba facit) & quomodo potissimum accidat, quod stultus, aut mente captus alius quispiam, scire vel videre possit id, quod tamen prudenti & sapienti homini minime reuelatum fiet, & incognitum: quodque ille, qui tamen humanam perceptibilitatem amisisset, diuinæ scientiæ capax esse velit. Sic haud inconcinne aliquis inferre posset, Diabolum videlicet vates istos ad istiusmodi sermones vel impulisse, aut ipsum ex illis futura prædixisse, quæ certis ex caussis cognoscere potuisset; vt hac in re, tamquam elatus superbusq; spiritus, Deum imitaretur, si de rebus futuris loqui posset, aut, ni verbis eius fides haberetur, verissimos tum Prophetas suspectos redderet. Vel quod Deus ipsis istiusmodi veridicos sermones extorsisset, veluti etiam Baalami asinā loqui coegisset, quemadmodum illud ipsum p nobisque ignotam aliquam dispositionem bene fieri potuerit. Itaque simili modo ipsum cum Protheo, cuius Virgilius in Georgicis meminit, egisse affirmabimus quo de inibi ita loquitur:

Est in Carpathio Neptuni gurgite Vates
Cæruleus Protheus, &c.

Idem quoque de cæteris esto iudicium, vtpote de Mopho, apud Ouidium: de Polybio Corinthio, apud Ciceronem: de Heleo, apud Herodotum: de Arunte, apud Lucanum: de Meone, apud Statium: de Carmenta, vel Nicostrata, de Manto, Solipatra, Theano, Martha, Euesippa, & innumerabilibus ferme alijs, quorum Historici, tamquam celeberrimorum vatum, summa cum admiratione mentionem faciunt.

Ad Aruspices autem, quod attinet, qui, Isiodoro testante, ab inspiciendis horis sic dice- *De Aruspicib. & Augurib.*

bantur, quod horas, in quibus aliquid peragendum esset, obseruare solebant: & Auspices, ab auibus inspiciendis, quemadmodum Festus Pompeius recenset, ita nuncupatos, quod auium volatus obseruabant: similiter & Augures, ab auium garritu sic appellatos, quod exinde singulare aliquod vaticinium colligerent: (quamuis Nonius Marcellus prætendat, quod omneis cõiecturæ & præsumptiones auguria nuncupentur) quemadmodum etiam illos, qui ex prodigijs, abortibus, ostentis, & portentis vaticinari conantur, omneis, inquam, illi in genere suspecti, & ea de causa non immerito reijciẽdi sunt. Etiamsi enim à quibusdam admittantur & celebrentur, (quemadmodum Cicero facit in III. oratione contra Catilinam, similiter & Flauius Vopiscus, in historijs Aureliani Cæsaris: Item, Titus Liuius lib. suo V. vbi etiam sequentia verba exprimit: Quid enim est, inquit, si pulli non pascentur, si è caueis tardius exierint, si hæc cecinerit auis? parua sunt hæc, sed ista parua non contemnenda. Maiores nostri maximi hanc rem fecerunt.

Præsertim vero Quintus, Ciceronis frater, Augurum patrocinium suscipit, dum libro 1. de Diuinatione inter alia recenset, quod Romulus quoque Augur fuerit: quod Magistratuum electiones per auguria confirmata fuerint: Item quod populi in Cilicia, Pamphilia, Phrygia, Licia, Arabia, & Caria, istiusmodi auguria magni semper æstumauerint; Item quod Druides, Occidentalis Franciæ populi circa eadem occupati fuerint: quod Lacedæmonij Regibus suis omni tempore augurẽ aliquem ad latus collocaue int: quod augurium apud Veteres Regium Officium habitum, ipsiq; adeo augures magni semper æstumati fuerint: quod Pythagoras se augureum esse posse exoptauerit, quod Rex Deiotarus, ex Aquilæ volatu ab incæpto itinere cessando occasionem sumens, & retrocedens, ingẽs periculum euaserit, quod hospitium, in quod alias sese contulisset, corruerit, atque eo ipso casu obrutus fuerit: Item quod Cato vehementer conquestus sit, quod suo tempore auguria, ob illius Collegij negligentiam, omnino euanuerint, & in fumum abierint; quod

vete-

veteres isti Academici, Peripatetici & Stoici videlicet, Solo Epicuro excepto, augurijs fidem habuerint, quod Zeno, Cleas, Chrysippus, Democritus, Diogenes Babylonius, Antipater, Possidonius, & plures alij tam loquendo, quam publicis in scriptis suis, ipsis Auguribus adstipulati fuerint: quod Claudius, Appij filius, cæcus, qui Augures irriserat, quod sibi, quippe ipsos minime videns, minus damni inferre possent, & Agamemnon, qui contra auguriorum indicia ventis vela commiserat, infeliciter nauigauerint, vniuersamq; suam classem amiserint: quod Crassus, contra auguriorum monita aduersus Parthos dimicans, victus prælium amiserit: quod Dionysius, artem & scientiam istam auguriorum peruetustam esse, & à tempore Aboriginum exstitisse, asseueret: quod Ascanius, antequam aduersus Mezentium castra sua mouisset, auguria obseruauerit: quod Cornelius Tacitus, Germanos auguria sua ab equorũ hinnitu sumpsisse, testetur: Item quod Homerus Calchantem, tamquam celebrem aliquem Augurem, summopere commendet, & similiter Amphilochum & Mopsum, Argiuorum, & Amphiaraum & Tiresiam, Thebanorũ Reges, eius rei gratia, vna cum Heleno priami quodam filio, valde celebret: Item, quod Propertius Melampum, & Ouidius, in Metamorphosi sua, Tagen laudibus extollant, vtpote qui primus Hetruscos in ista arte erudierit & instituerit, qua de re ita canit:

Indigenæ dixere Tagen, qui primus Hetruscam
Edocuit gentem casus aperire futuros.

Item quod Virgilius lib. 9. Æneid. Rhamnetis mentionem faciat, qui non dumtaxat Rex, verum etiam ipsi Regi Turno gratissimus acceptissimusq; Augur exstiterit: de illo autem sic canit:

Rex idem, & Regi Turno gratissimus Augur:
Sed non augurio potuit depellere pestem.

Item, quod Cornelius Tacitus Vmbrium quemdam, Terentius Varro, Vectium aliquem: Plinius libro 10. Massurium & Mutium, & Plutarchus, in vita Pelopidæ, Theocritum quem-

dam laudibus extulerint) nihilominus tamen omnia ista auguria stabilire nequeunt; multi Gentiles siquidem ipsi, Vatum istorum vanitatem animaduertentes, scientiam vna cum ipsis suis Auctorib; contempserunt & reiecerunt: ex quibus fuere Dicearchus & Cratippus, ambo percelebres Philosophi, qui, licet vaticinia singularibus ex indicijs, vel à furiosis profecta hominibus admitterent, attamen auguria, auspicia, & aruspicia manifestissime improbarunt & damnarunt. Carneades & Panetius vanitatē istius scientiæ publice irriserunt, & istiusmodi homines facete interrogabant, num videlicet Iupiter Cornici forsitan præceperit, vt in sinistro, & Coruus dextro in latere cautum; vel garritum suum potius; perficere necessum haberent. Quibus Clarissimus Marcus Varro adstipulatur, dum nimis ciuiliter & bene quodam in loco ait, Deos nimis fore otiosos, & meros dies festos celebraturos esse, si Cornicibus & Coruis consilia sua manifestarent, ijsdemq; eadem expediunda demandarent.

Blondus, Romæ Triumphantis libro suo primo exemplum alicuius Consul's, Publij Claudij viri Sapientissimi videl. commemorat; qui, dum certior redderetur, pullos suos Gallinaceos, qui huncin finem tamquam res Sacræ circum ferebantur, sinistri aliquid ipsi denunciare, quod ab esu abstinerent, modo dictos istos Gallinaceos in Tiberim hisce verbis, ni edere velint, saltim sufficienter biberent, proijci curauit. Idem porro inter alia recenset, quo pacto nimirum Cicero Labienū iocose irriserit, qui in Pompeij Castris auguria obseruabat, &, Pompeium contra Cæsarem victoriam obtenturum esse, affirmabat: ad quæ tamen Cicero ita respondebat: Idem nobis accidit, dum, bona spe freti, & Castra, & munitiones ipsas amisimus.

Idem quoq; recenset, quod Nonio prætendente, & Pompeianos bono animo esse iubēte, quod septem aquilæ in Castris conspectæ, & à militib. suis captæ & fuerint, Cicero admodum ciuiliter, augurium istud quidem bonum esse, si cum picis bellum gerendum esset, respondérit.

Sic idem ille Cicero lib. 1. de diuinatione exemplum Flami-

nij commemorat, qui modum augurij, (quod tripudium vulgo dicitur) dum iuniores Gallinacei sub ipsa manducatione alas adtollunt, cristasq; erigunt, contempserit.

Cum enim eidem significaretur, quod tam diu proelium differret, donec galis suis gallinaceis latraret stomachus, peruibane respondit: quid tum, si nollent edere galli sui gallinacei; sibi faciundum esset, ipsiq; iterum nullo modo tum ipse prœlium committeret, iniungeretur; facete; nec absque singulari irrisione, contemptuque, respondit, grauissima ista & seria (scilicet) admodum esse indicia, quod nullum, si famelici essent galli gallinacei, prælium committendum, &, vice versa, tum demum præliandum esset, si videlic. essent Saturi galli gallinacei. Omissis itaque istiusmodi augurijs signa tollere, sese que milites sequi iussit. Idem lib. 2. de diuinatione, inter alia recenset, Hannibalem, postquam relicta Carthagine, sese ad Regem Prusiam contulisset, ipsique commodum videretur, vt Rex cum hoste suo confligeret, Rex vero, illud minime consultum esse, quod ex animalium extis sinistri aliquid collegisset, diceret respondisse, num bouis alicuius intestinis plus, quam perito senique alicui belli Duci, fideret? Vbi sane idem Cicero hęc sequentia verba addit: Quid, ait, ego Aruspicum responsa commemorem? possum quidem innumerabilia, q̃ aut nullos omnino habuerunt exitus, aut contrarios.

Eodem isto loco omnia quoque argumenta, quæ frater ipsius Quintus, ad vatum istorum defensionem, introduxerat, refutat, &, casus istos subsequutos forte fortuna accidisse, asseuerat, fieri siquidem non posse, vt aliquid certi ad istum modum dicatur vel concludatur. Casus quoque non iuxta sacrificantium fortunam dirigi, neque etiam iuxta illos, qui istiusmodi auguria consulerent. Immo eo vsque tamdem citato in loco progreditur, vt etiam Deorum inconstantiam irrideat, vtpote in quorum primis sacrificijs infortunium aliquod prædiceretur, in secundis autem summa alicui polliceretur felicitas. Magnam præterea inter ipsos esse discrepantiam, quod sacrificiorum, Apollini sacra, intestina, bona, Dianæ autem mala fient.

Concludit denique quod quemadmodum sacrificia casu & fortuito accidant, ita quoque eorumdem intestina nullo modo aliter immutari posse, quam ante factum sacrificium exstiterint.

Crassam itaque eorum populorum esse ignorantiam, qui rebus istis friuolis nimium tribuerint: quemadmodum etiam illud satis superque exinde colligatur quod tam in auib. quam cæteris etiam ad sacrificia ista destinatis animalibus, magna fiet discrepantia, & simul multi alij ridiculi superstitiosiq; casus plerumque in sacrificijs istis contingant. In summa satis superque testatum facit, se nihil omnino de istiusmodi sacrificijs sentire, etiamsi sæpenumero occultis lenibusque verbis vtitur, ne forsitan suspect⁹ Maiorum suorum patriæque relligionem omnino contemnere videatur.

Etiamsi quoque in Bruto suo summopere lætetur quodà Qu. Hortensio in Collegium Augurum receptus fuerit, nihilominus tamen ex ante commemoratis istis omnibus satis superque colligitur ipsum multo aliter de rebus istis sensisse. Licet præterea aliquid memorabile, in, & sub istiusmodi sacrificijs acciderit, vtpote cum bubone in Pirrhi, contra Argiuos expeditionem suscipientis, hasta, nihilominus tamen multa ridicula simul coinciderunt, ex quibus omnib. artis istius nullitas, & stultitia illorum, vanitati isti plus iusto tribuentium, satis superque colligitur.

Vaticinia ex volatu & cantu auium, iuxta Plinij lib. 7. c. 46. opinionem, originem suam à Care quodam, à quo etiam ipsa Regio Caria cognominata est, sortita sunt. Postea Orpheus alterum modum, qui similiter de animalibus ansam occasionemque sumit, priori addidit. Paulo post etiam Delphus quidam Aruspicinam excogitauit, quæ ars, vel multo potius vanitas, Festo Pompeio teste in V. obseruationibus consistebat.

I. Et primo quidem in Cœlo, quomodo videlic. fulgur, tempestas & pluuia orirentur, vnde etiam, tonante Ioue Romani Senatum non cogebant, & suborta magna pluuiali tempestate aliquando Pub. Clodium in iudicio grauiter accusatum, absoluerunt, vt talem, quem ipsi etiam Dij liberum esse voluerint.

Poſtea etiam volatum auium indicia obſeruarunt, vbi ſane ſtolide minuſque cauſæ plerbeculæ perſuadebatur, quod aues, veluti Ouidius quodam in loco meminit, cœlo proximiores, & cœlum verſus volantes, Deorum nuncij, Secretarij, vel Conſiliarij intimi eſſent: quæ quidem obſeruatio hunc potiſſimum in modum fiebat: Augur in præaltum quemdam locum ſeſe conferebat, &, veluti Varro & Liuius recenſent, lapidi cuidam inſedebat, & ſingulari quodam modo incuruatũ baculum, quem Lituum vocabant, manibus tenebat. Cum modo dicto iſto baculo, cœlum verſus Occidentem ab Oriente vibrabat, & dextrum illius latus Meridiem, ſiniſtrum autem Septentrionem, partem ante ſe prominentem, anteriorem, & retrorſum ſpectantem, poſteriorem partem appellabat. Dein arrepto manu læua lituo iſto dextramque vaticinium poſtulantis capiti imponebat, Iouéq; ſimul rogabat, vt in locis, à ſe ſignatis, certum manifeſtumq; ſignum ederet, præſertim vero eius rei, quam ſcire deſideret.

Tum auium volatum earumdemue cantum rite obſeruabat, quarum linguam an augures iſti intellexerint, commemorare nequeo. Hoc tamen mihi minus eſt incognitum, Veteres auibus ſingularem aliquã linguam adtribuiſſe, non ſecus quam cæteri etiam mortales homines, illam tamen non æque ab omnibus, ſed à paucis dumtaxat intelligi, quemadmodum de Melampo legitur, cuius aures ſingulares aliquot ſerpentes deuorauerint, quo facto ipſum poſtea omnia probe intellexiſſe, quæ videlicet aues inter ſe inuicem garriuerint.

Hiſtoria ridicula de paſſeribus.

Sic Philoſtratus de Apollonio Thianeo inter alia recenſet, quod, poſtquam multos paſſeres conſpexiſſet, vnuſquiſq; ad ipſos aliunde volando ſeſe contuliſſet, quo facto exultantes ſimul omneis illic iterum auolaſſe, ad circumſtantes dixerit, aduolantem iſtum paſſerem cęteris auiculis ſignificaſſe aſinum aliquem, frumento onuſtum, cecidiſſe, & laceratis, aſino ſic cadente, ſaccis, frumentum illud in via hinc inde diſperſum eſſe; quo facto paſſeres exultantes ad locum iſtum auolaſſe, & frumenti iſtius factos fuiſſe

participes: quæ res etiam postmodum, commemorato iam modo gesta, depræhensa fuerit.

Ita quoq; de Democrito legitur, quod, si aliquot sibi notarum auium comixtum sanguinem bibisset, auium cum auiculis habita colloquia probe intellexerit, & exinde etiam auguria sua petierit. Quibus tamen non plus fidei habendum, quam Medicastris istis circumforaneis & Empiricis: Mera siquidem figmenta & crassa mẽdacia esse. Pari modo Veteres vaticinia sua de omnis generis animalium quadrupedum extis, præsertim vero de iecore, captabant, & varia exinde indicia colligebant.

Auspicia in eligendis Magistratuum functionibus.

Similiter etiam Veteres, in electione Magistratuum eorũdemq; munerum auspicijs multum tribuebant, cumprimis autem ijs signis, quæ tum temporis de cœlo data fuisse credebantur, & tripudijs, hoc est, gallis gallinaceis iunioribus, de quibus bonum captabant indicium, si bene vorarent, adeo vt frumentorum grana ipsis iterum ex ore in terram deciderent.

Sic olim nautæ auspicia de Cygnis, vtpote aue aquatili, capiebant. Columbæ, Regum erant Consiliarij, quod semper coniunctim volitarent, & quẽadmodum Reges numquã soli, sed insigni quodam Comitatu, in publicum procederent. Romani anseribus plurimum tribuebant, quod, ex anseris alicuius strepitu, vigiles, canibus tum temporis minime latrantibus, excitati fuerint, postquam Galli Camilli temporibus, clam conscenso Capitolio, illud pene occupassent: qua de causa etiam aureum aliquem anserem modo dicto isti Capitolio imposuerunt. Sic vulturem ijdem illi Romani auspicatam aliquam auem esse ideo ducebant, quod duodecim vultures, Romulo Romam cõdente, ad ipsum peruenissent, ipsique felix augurium significassent. De ijsdem auibus Herodotus scribit, quod, quemadmodum etiam arbores, à Zephyro concepti fuerint, atque ea ipsa de caussa, præ cæteris auibus, puriores æstumentur. Noctua & Bubo infelices aues esse iudicantur; Coruus nullius est pretij, ita mustela, tamquam purum mundumque aliquod animalculum, bonum largie-

batur

batur auspicium: si aliquid in templum forte fortuna incidisset, tunc malum omen illud apud priscos istos Romanos habebatur.

Peculiares etiam populi isti habebant homines, qui sacrificantibus sacrificia sua explicabant; vt, si sacrificium mugiret, vel accepto ictu, ab altari fugeret, aut caderet, vel quæ id genus erant alia. Peculiares vero isti homines piaculares vocabantur.

Ita quoque indicia quædam pestifera auguria appellabant, quæ infelicissima erant omnium, si forsitan in extis defectus aliquis deprahenderetur, vt cor abesset, vel si caput in iecore non intueri possent: vbi tum piaculares illi, quomodo nimirum infortunium illud auertendum esset, rationem reddere tenebantur.

Haud ita pridem etiam Michael Scotus, homo superstitiosissimus, in libro suo de Physionomia, admodum inepte de augurijs tractauit, nec Stultam istam vanitatem scientiam nominare, est veritus, vbi simul eidem præclara, & mira ab ipso etiam Diabolo excogitata nomina adtribuit.

Tam curiose autem superstitiosum istud nimis ingenium circa professionem istam occupatus est; vt etiam 12. auguriorum genera, idque iuxta 12. signorum cœlestium numerum, constituat, & peculiaribus nominibus eamdem insigniat, vt-pote; *Fernoua, Feruetus, Confer noua, Confer vetus, riaram, Scimalar veius, Scassar noua, Scassar vetus, Emponenth, Hanenan.* Reliqua duo in isto suo libro non reperiuntur, quasi Diabolus forsitan illa eidem abstulerit. In explicatione istorum modorum autem ineptissima quæque profert, quæ pijs auribus auditu indigna sunt. Inscripsit autem istum suum Tractatũ, forsitan ebrius, aut ab ipso Diabolo ita sufficienter instructus, Imperatori Friderico. Et mea quidem sententia, si priscorum Romanorum tempore procreatus fuisset, tunc omni procul dubio Augurum Pontificem ipsum creassent, quod tantam vanitatem, cui tamen ipsi multum tribuebant, tam artificiose distinguisset.

Fernoua autem suum tale est augurium, vt si è domo tua progrediaris, & vel homo, aut auis tibi fiat obuia, adeo vt è sinistro

tuo latere secedant; bonum istud (pro stulti illius stulto iudicio) fiet indicium, quod ipsius explicator Chiappinus illi, circa Meridianum somnum occupato, reuelauit.

Viaram suum, tale est augurium, vt si homo, vel auis transuerso modo te prætergrediatur, aut prætervolet, à dextro ad sinistrum vsque latus, donec ex conspectu tuo euanescant; tunc itidem bonum fiet indicium, quemadmodum ipsum Mopsus & Melampus, qui à mortuis resurrexerunt, docuerunt.

Cum autem ex commemoratis istis duob. exemplis, quid de relliquis etiam sentiendum fiet, facile colligi possit, ideo pluribus istiusmodi præstigiatorijs ineptijs, papyrum minime commaculabimus. Operæpretium attamen est, vt homines certiores reddantur, talia auguria, fortunam, vel infortunium prænunciantia, non medijs naturalib. indicari posse. Sin vero res sese ita habeant, tunc aliunde, à Cacodæmonibus videlicet, suam illas sumere originem necessum, atque ea ipsa de caussa, iuxta Thomæ Aquinatis doctrinam, vanitas ista non immerito reijcienda est.

Sin autem naturali modo illud fieri poterit, quemadmodum corui clamore suo, & aues aquatiles per mersiones suas, imminentem aliquam pluuiam denunciant tunc sane, & absq; vlla quidem suspicione, res admittenda erit.

Sic Veteres modum aliquem vaticinandi Omen nuncuparunt, in quo indicium sumsere ex verbis, forte fortuna inconsiderate ab homine prolatis: cui rei sane multum tribuerunt, pari tamen, cum priori, superstitione: Exempli caussa, dum Paulus Æmilius contra Perseum, Regem Macedoniæ, expeditionem bellicam susciperet, ipsique forte fortuna Thracia, filiola sua, obuia facta de morte Persiæ, catelli sui, cum quo sese domi colludendo oblectare solebat, verba faceret, ad circumstantes suos ita loquutus est. Illud bonum ego omen esse iudico, & sic Perseum vincere cogito.

Simile de Cæcilia Metella legitur. Cum enim illam vna ex nepotibus suis obsecrasset, vt sibi sellam suam insidere liceret, atque nimis lassam sese

esse

esse affirmaret: tunc Cæciliam istam hoc modo nepoti suæ respondisse: Euge sellam meam tibi omnino relictura sum: quo facto vitam mox cum morte commutasse, atque hoc pacto sellæ proprietatem cum ipso defunctæ marito accepisse.

Sic de Pompeio Magno legitur, quod à prælio Pharsalico in Cyprum confugerit, inibi maiores vireis atquirere cogitarit, atque Paphum versus sese contulerit, vbi, postquam splendidum pereleganſque ædificium conspexisset, de istius nomine certior fieri voluisset, & ipsi, Cacobasileam illud nominari, responsum fuisset, tanto ipsum terrore percitum fuisse, vt etiam, ob nominis istius inauspicatum indicium, mæstitiam suam lacrumantibus oculis testatam fecerit.

Post istiusmodi mala indicia Romani, bellicam aliquam expeditionem molientes, primum militem, si tale nomen habuisset, ex quo forsitan infortunium, vel aliam quamdam calamitatem sibi metuendam esse autumarent, nullo modo acceptarunt, idque præ superstitiosa formidine, quasi propositum suum male ipsis cessurum esset. Iisdem autem indicijs Pythagorici plus, quam omneis alij prisci populi, tribuebant, nec animaduertere superstitiosi isti homines poterant, quod ista sua omina ad mutationem rerum occurrentium nihili facerent, neque quod metuenda essent talia omina, vtpote in quibus res suæ tam feliciter, quam minus prospere, cadere possent. Alias tamen, & quidem diuersimodas, superstitiosas obseruationes Veteres mirum in modum coluerunt, ijsdemque omnibus temporibus plus iusto nimium tribuerunt, quo autem fundamēto illud fecerint illud ipsum sane experientia ipsa sæpenumero satis superque testata est. Exempli gratia dum Suetonius de Cæsare inter alia recenset, quod, postquam in Aphricam contra Regem Iubam expeditionem fecisset, &, è naui descendens, in terram cecidisset, quo casu Comites ipsius territi fuissent, malum istud omen inuerterit, &, in boni auspicij significationem, hęc verba, *Teneo te Aphrica*, protulerit, quasi tota Prouincia ipsius brachijs tradita commissaque fuisset, sed talem sane exitum omen illud sortitum

tritum est, vt in Aphrica cæsus sepultusque fuerit.

Sic D. Augustinus, lib. 1. de doctrina Christiana, aliquot istiusmodi superstitiosas obseruationes commemorat, videl. quando duo amicorum simul incedentium alteruter pedem ad lapidem offendit: si infans aliquem incurrat: si quis domum aliquam transeat; si quis domum ingredi volens ad limen impingat: Item quod aliquis, mane electo sese proripiens, & sternutans, lectum illico repetere debeat: Si quis in platea cadat, quod tum non vlterius progrediundum, sed domus repetenda illi fiet: Si mures forsitan alicuius vestimenta corroserint, tum ipsi domo egredi non liceret. Et quæ plureis istiusmodi nugæ & aniles fabulæ hinc inde leguntur, atque nihilominus multis in locis adhuc plus quam superstitioso more obseruantur. Multi terrentur, si ipsis cœruleo colore tincto vestimento indutus quispiam fiat obuius, aut mortuus aliquis sibi obuiam feratur, vel mendicus, asinus, aut lupus viam ipsius transcurrat: vbi sane nihil ineptius fieri posset, quam si quis sibi de rebus istis friuolis aut fortunam, vel infortunium aliquod sibi polliceri conaretur.

Sic & olim adhuc alius prognosticandi, vel fortunam, aut infortunium indicandi, modus vsu receptus fuit, ars speculatoria videlicet, quæ haud immerito vana nullaq; speculandi ars nominari posset, per quã monstra, portenta, ostenta, tonitrua, fulgura, tempestates, Cometas, aliaque Naturæ mirabilia explicare conati sunt, sed pari futilitate, si naturalem ordinem excedant, quam priora ista, reijciuntur.

Monstra (ita cumprimis mirabiles & præternaturales partus, siue, rectius dixero, abortus, nuncupantur) ideo sic dicuntur, quod, veluti Isiodorus L. 12 Etymolog. prætendit, aliquod subitum monstrent, id quod tamen in Dei manibus situm est, eratq; vere monstrum, quemadmodum Textor testatur, quod in Coo insula Nicippi cuiusdam ouis leonem peperit.

De Hercule Ioan. Chius refert, quod recens natus Hercules tres dentium lineas in ore habuerunt. Sic Iouius inter alia recenset suæ tempore Romæ infan-

infantem cum vitulino capite natum fuisse.

In ipsa autem nostrâ Patria femina quædam duos infantes peperit, qui retrorsum interse inuicem connexi atq; conglutinati quasi octo diebus tamen dumtaxat in vita superstites fuerunt.

Portenta & Ostenta monstris per omnia ferme similia, & ideo sic dicta sunt, quod aliquid ostentare & portendere debeant. Labeo autem portenta nihil aliud esse asseuerat, quam præternaturales quosdã casus quibus quandoque boni, sæpenumero autem mali & sinistri aliquid significetur. Mirandum vero portentum illud fuit, cuius Plinius lib. 2. cap. 83. mentionem facit, quod sub Consulatu L. Martij, & Sexti Iulij, in Modenico territorio duo montes, duorum arietum instar aduersus seipsos occurrendo impetum fecerint, & multas illinc pabulantes pecudes corruperint. Alterum priori isto non minus erat inferius dum vltimo Neronis scelesti Imperij anno prata & Oleæ, in Marcinensi ditione, atque Vectij Marcelli, Romani alicuius equitis, Neronis negotia illinc expedientis, fundis consitæ, de vno ad alterum locum translatæ fuerint, adeo vt communis quædam via easdem à se inuicem diuulserit atque diuiserit. Sed hæc pauca de portentis & Ostentis nunc dicta sufficiant. Plura apud Camerarium de Prodigijs & Ostentis beniuolus Lector reperiet, ad quem tam sedulum Scriptorem Philologicum eumdem ablegatum volumus, nunc ad textum nostrum recurrimus.

Prodigia, Nonio Marcello teste, ita sic dicta perhibentur, quod, vti nonnulli autumant, futuri aliquid denuntiare debeant, plerumque tamen mala esse infortuniumque aliquod portendere creduntur, quippe per quæ Dij hominib. pœnam minentur. Istis autem mirabiles & ridiculos quosdam casus adnumerant, in quos tamquam res insignes, ingentes Commentarios scripserunt. Tale fuit prodigium, quod, quemadmodum Plinius recenset, in bello Siciliano Augusto, ex naui in terram descendenti piscis pedem ipsius transilierit, quod ab auguribus ita explicatum fuit, Neptunum videlicet Sextum Pompeium reiecisse, &, vice *Prodigia.*

versa, Augustum in filium suum adoptasse. Sic Cicero, libro 2. de diuinatione, illos irridet, qui prodigium esse crediderint quod, sub ipso apparatu belli Marsici, mures ligamenta in quibusdam Clypeis corrosissent.

Si enim, inquit, res sese ita haberet, & illud tum quoque prodigium censendum, quod mures sibi librum Platonis de Republica corosissent, & Reipublicæ Romanæ singulare aliquod infortunium portendere credendum esset: Vbi simul lepidum quemdam iocum recenset, si videlicet isti mures librum Epicuri de voluptate sibi corrupissent, quod tum farcimina aliquanto cariora exstiterint, vtpote melius contra credulos superstitiososque istos homines, qui omnia leuicula prodigia esse tam cito crederent, insurgeret, tamdem porro addit, quod istiusmodi prodigiorum explicator aliquis, cum eidem pro singulari indicio referretur, serpentem aliquem clauo cuiusdam ianuæ sese inuoluisse, apte ad ista responderit, illud minime mirandum, sed hoc vice versa mirum fuisse, si clauus sese circa serpẽtem implicasset. Et vltimo idem ille recte & prudenter, concludit, quod tria ista in Midæ ore reperta grana, postquam primo hanc mundi lucem aspexisset, & apes, quæ in Platonis labijs consederint, armorum strepitus in templo Herculis apud Lacedæmonios: Item, quod Portæ eiusdem Idololatrici tẽpli Thebis, quæ, contra omnem spem, sese sua sponte reserassent, & in alto alias pendentes clypei, humi tamen tum temporis reperti, & omnia ista pro prodigijs habita, aut fictæ sient fabulæ, aut alias per insperatum aliquem motum cõtigissent, ea propter non magni æstumanda, multo minus de ijsdem prognosticandum esse.

Inficias tamen ire nemo poterit, Deum ipsum quandoque per miracula aliquid futuri prædicere posse, de quibus tamen nihil certi nemo aut dicere possit, vel etiam debeat, antequam illa impleta fuerint, nisi id fiat per singularem aliquam, ab ipso *Deo Ter Optumo Maxumo* profectam, reuelationem, licet de ijsdem aliquis coniectare velit, num videlicet ista boni, aut mali, aliquid significent, (quemadmodum, iuxta Caroli Sigonij opi-

opinionem, prodigia sæpenumero boni aliquid portendere possint) aut etiam concludendo aliquid de ijsdem iudicare vel statuere malit, quatenus nimirum prodigia ista clara sunt, & antea quoque simili modo contigerunt: quemadmodum in historia de vita S. Ambrosij legitur, ꝙ ipsi⁹, adhuc infantis, ori examen apum adhæserit, quo insignis illius Doctoris mira facundaque eloquentia significata fuit. Sic in libro Maccabæorum 2. legitur, quod supra totam Hierosolymitanam vrbem, per XL. dies integros, distinctæ armatorum equitum turmæ conspectæ fuerint, quæ hinc inde in aere cum equis, gladijs, & armis in bello vsitatis, obambulauerint: adeo vt omneis etiam vrbis summopere consternati inquilini Deum ardentibus votis rogauerint, vt diræ ista spectra exoptatum aliquem finem sortirentur. Istis omnibus autem Deus armipotens vrbi direptionem denunciabat, quam incolæ primum ab Iasone, dein etiam ab Antiocho Epiphane perpeti necessum habuerunt.

Similiter & Iosephus singularia aliquot prodigia commemorat, quæ ante totius vrbis Hierosolymitanæ desolatioñe deuastationemq; contigerint, vtpote stellam, quæ, gladij instar, splendore suo supra vrbem sese conspiciundam præbuerit: horrendos aspectu Cometas, qui integro anno in aere ab vrbis inquilinis conspecti fuerint: lumen, quod, mediam circa noctem, altare & ipsum etiam templum per semihoram circundederit, adeo vt omneis, summum adesse diluculum, existumauerint, vaccam, ad sacrificium deductam, quæ, sub ipsis Sacerdotum manibus, agnum pepererit: portam, circa Orientem tanto pondere sitam, vt 20. viri ægre illam aperire potuerint, quæ tamen, etiamsi obicibus & catenis probe custodita obserataque fuerit, sua sponte seipsam aperuerit: multos currus, circa vesperam, Solisque Occasum, vna cum magnis militum copijs, in aere conspectos, qui, facto concursu, inter nubes ingens prælium commiserint.

Pari modo Sacerdotes, eodem Iosepho teste, in ipso festo Pentecostes noctu magnum strepitum, horrendasq; voces, *Secedamus hinc* subinde clami-

tanteis, non sine horrore, arrectisque Comis, audiuerunt. Sic plebeius quidam vir, IESVS dictus, noti Ananiæ filius, quatuor annis ante vrbis deuastationem, in ipso Tabernaculorum festo, contra omnem omnium expectationem, ita exclamare cœpit: *Vox ab Oriente: Vox ab Occidente: Vox à IV. Ventis: Vox supra Hierosolymam: Vox supra Templum: Vox supra Sponsum Sponsamq;: Vox supra Populum.* Idque absque intermissione omnib. in locis tam noctu, quam interdiu, fecit, adeo vt nullis etiam verberibus ab isto suo proposito dimoueri arcerique potuerit: neque lacrumabatur etiam, sed horrendo lamentabilique prorsus clamore, medijs quoq; in tormentis, repetebat, & quandoque ista verba: *Væ, væ, supra Hierosolymam* dictis adijciebat.

Ita etiam & illud prodigium fuisse credi posset, dum Plinius lib. 2. ca. 56. commemorat, sub Consulatu Marci Acilij lacte & sanguine pluisse: Et, sub Consulatu L. Volumnij, atque Seruij Sulpitij, carnem Cœlo decidisse. An. antequam M. Crassus à Parthis occisus fuit, in Lucania ferro pluit. Sub Consulatu L. Pauli, & Cn. Marcelli, prope Castellum, Carissanum lana pluit, vbi anno subsequente Titus Annius Milo trucidatus est. In subsequente capit. inter alia commemorat, quod in bello Cimbrico sæpenumero, tam ante, quam post illud, magni strepitus armorum, tubicinumque in aere conspecti auditique fuerint. In tertio Consulatu Marij in Amilia, & Todi duo exercitus, versus Orientem vnus, & Occidentem versus alter, aduersus se inuicem constiterunt, atque tandem prælium vtrimque commiserunt, in quo denique iste, qui versus Occidentem constiterat exercitus, diu fortiterque alteri resistens, in fugam coniectus est.

In centesimo capite recenset, quod, postquam Dionysius ex Sicilia & Regno suo pulsus fuisset, singulare etiam prodigium contigerit, & aquam maritimam in portu integrum per diem, non secus, quam fortunam aquam, dulcem esse depræhensam. Ante mortem Cæsaris & illud quoq; prodigium æstumatum fuit, quod ipsius equus lamentabilem hinnitum ediderit. Sub ipsa Caligulæ morte Iouis simulacrum clara voce

Ca-

Cachinnum emisit. Trog⁹ singulare aliquod prodigium esse putat; quod quædam mulieres in Ægypto septem simul liberos peperissent. Multo autem mirabilior fuit partus Margaritæ Hollādinæ Comitissæ, quæ Anno Christi, M. CCC. XIV. trecentos & sexaginta liberos vna vice peperit.

Omne mirabile vero excedere illud Plinius, lib. 7. cap. 4. commemorat, quod nimirum, sub Consulatu Publij Licinij Crassi, & C. Cassii Longini, Casinæ puella quædam, adhuc sub parentum suorum disciplina, in puerum transmutata; & postmodum, augurium iussu, in desertam quamdam Insulam proscripta fuerit. Eodem in loco memorat; quod Licinius Mutianus scribit, se videlic. in Argo fœminam aliquam, Arescusam dictam, vidisse, quæ in virum transformata fuerit, & vxorem duxerit. Pari modo idem ille inter alia refert, se ipsum videl. vidisse, quod in Aphrica Lucius Cossitius, Inquilinus Tisdritanus; antea virgo, in Nuptiarum suarum festiuitate, in virum transformatus fuerit. Vbi Ludouicus Dominicus; ad exemplorum istorum à Plinio citatorum, in margine addit, Ferdinandi I. Neapolitani Regis temporib. Carlottam, & Franciscam, Ludouici Guarnæ, Ciuis alicuius Salernitani, filias, ambas, 15. ætatis anno in viros transmutatas esse, atque etiam exinde nomina sua commutasse: Similiter, sub eiusdem Regis imperio Eboli virginem, prima hymenæi cum sponso suo celebrandi nocte, in virum itidem mutatam, dotem suam recepisse, & postmodum, viri instar, vitam suam traduxisse.

Credat autem omnia commemorata ista, qui volet. Nam, quemadmodum supra diximus; toti isti arti speculatoriæ non magis, quam cæteris etiam vaticinijs & augurijs, tribuendum est; adeo vt haud immerito ab Agatensi, Aurelianensi, & Carthaginensi Consilijs decretum fiet, quod tam Sacerdotes, quā Laici, circa vaticinia occupati, excommunicandi fient: quemadmodum etiam S. Gregorius in decreto quodam mancipia, circa vanitatem istam occupata, virgis cædi, libertos autem in vincula conijci contendit. Similiter & iuxta Concilium Toletanum, Clerici, Magicas istas artes tractantes, omni honore

& officio spoliantur. Leges Imperatoriæ vero l. nemo, & l. nulli, l. culpa de malef. & mathem, istiusmodi homines ad morté, bonorumque suorum Confiscationem, condemnant.

Prædictiones Medicorum.

Ex naturalibus tamen præsagijs aliquid coniectare, vel etiam ex ijsdem aliquid concludere nemini est prohibitum, quemadmodum & Medici ex naturalibus indicijs de morte vel vita alicuius patientis aliquid annunciare possunt, etiamsi hominis mors & vita in Dei manibus sitæ sunt. Eapropter Hippocrates peculiaré librum scripsit de Prognosticis. Ita quoque Galenus de istiusmodi indicijs, in libro suo dierum decretorium, & Criticorum agit. Idem etiam facit Blasius Hollerius lib. 2. Theoricæ suæ Medicinæ.

Cometarum, aliorumq; miraculorũ in Cœlo.

Simili modo est licitum, si quis ex naturalibus caussis indicare nititur, quid videlicet per Cometas, faces, Coronas siue circulos, splendorem, ignem, curriculum motumque stellarum, & alia istiusmodi miracula significetur. De quibus sane Vitus Amerbachius in Meteoris suis non tam erudite, quam vtiliter etiam differit: quemadmodum etiam Ant. Mizaldus Cometographiæ suæ lib. 1. Præsertim vero Paulus Eberus Rœtingensis in quodam suo opusculo, quod de apparitione & operatione Cometarum conscripsit.

Prædictiones ex Oraculis simili modo in Christiana Ecclesia sunt prohibitæ, quippe quæ non dumtaxat idololatria refertæ sunt, verum etiam ad omnis generis mendacia, superstitiones, & dolos ansam occasionéq; præbere solent, quemadmodum etiam apud Ethnicos ipsos suspectæ fuerunt. Et Eusebius quoque lib. 4. cap. 2. de præpar. Euangel. scribit: quod Peripatetici, Cinici, & Epicuræi responsa Oraculorum, tamquam dolosa, falsa, & mendacia, irriserint. Et cap. 1. ostendit Veterũ oracula pari modo mẽdacijs referta fuisse: Etiamsi enim quandoq; ad Scopum collimarint, illud tamen magis Fortunæ, quam Oraculo, eiusdemque veritati acceptum ferendum fuisse. Idem ille lib. 6. cap. 4. expressa quædam verba Porphyrij porro indicat, qui expresse ait, quod Apollo Delphicus ipsemet fassus fuerit, se de rebus quibusdam futuris veritatem

O(racu)la.

ritatem eloqui non potuisse, quippe qui perStellarum curriculum motumque impeditus fuerit, quo minus, pro suo lubitu, veritatem experiri potuerit: vbi tamdem Porphyrius concludit: Oraculis ad omnis generis mendacia ansam occasionemque præbere illos ipsos, qui eadem consulant, multaq; ab ijsdem scire desiderent, vtpote, quæ non omnia futura nosse possint: quicquid etiam (ait lib. de Oraculis) de morbis, bellis, & alijs istiusmodi casibus accidentalibus indicent, illud ipsũ experiri illa ex stellis, motu Cœlesti, vel ex Mathematica, quemadmodum Astrologi nostri etiam faciunt, quos tamen illa longe antecellant, vtpote, quæ certiorẽ experientiam exercitationemque in istiusmodi rebus habeant. Sic Cœlius Calcagninus, in tractatu suo de Oraculis, contendit Apollinem consulentibus sese sæpissime respondisse, ipsosque à se abegisse;

Quid frustra petitis? non nostrum est scire futura?

Enomanus, natione Græcus, & tam in Philosophia, quam Eloquentia vir eruditus & percelebris, etiamsi Gentilis fuerit, nihilominus tamen librum conscripsit de falsitate veterum Oraculorum, in quo publice istos spiritus irridet, qui à Priscis pro Dijs culti & inuocati fuerint. Ex multis etiam in Apollinem Delphicum grauissime inuehitur, cui cumprimis multa mendacissima oracula obijcit, inter cætera vero sequentibus hisce verbis vtitur: Miser igitur tu, inquit, qui Delphis habitans, inde ad vniuersum terrarũ Orbem inania fundis responsa.

Insani autem omneis homines, qui ad te, quasi ad veridicum Deum, adcurrunt. Nec me ipsum insanum fuisse inficior, qui & bis ambiguitate, ne dicam ignorantia tua deceptus fuerim. Sic Clemens Alexandrinus, libro suo, in quo Gentiles ad amplectendam fidem Christianam exhortatur, etiam sequentia ista verba vsurpat: Vltimo silentio, ait, Castalius & Colophonius fontes, cæteraque fluenta, quæ diuinandi vim habere videbantur, extincta cum suis fabulis defluxerunt, totiusq; *Vinationis* potius, quam *Diuinationis*, nefanda mysteria ceciderunt. Silet Darius, Pythius, Dydimus Amphiaraus, Apollo,

pollo, Amphilochus tacent Aruspices, augures, somniorum interpretes, & qui farina, & hordeo vaticinabantur. De eadem materia Lactantius Firmianus, lib. de origine erroris cap. 17. hisce verbis vtitur: In oraculis autem, inquit, vel maxime fallunt, quorum præstigia profundi intelligere non possunt. Vnde Clarissimus Cælius Calcagninus sumpta occasione, in iocundo quodam dialogo, dolosa quædam responsa introducit, quæ se interrogantibus illinc dedit, vbi lector beniuolus amœnam hilaremq; sui recreationem reperiet. Inter alias autem responsiones etiã hæc est, quam Lusciniolæ cuidam dederat, quæ in ipsius templo de morte mariti sui vehementer conquerebatur, ipsumq; simul interrogabat, quid nunc sibi faciundum esset, quo pacto contubernij ipsius compos redderetur: ad quam interrogationem dolosum fallacemque spiritum Lusciniolæ isti hunc in modum respondisse:

Desine noctiuagos lemures incessere fletu:
Virtuus Idalio texit de flore coronam
An epedis Pa hie P. phiolatet
aldi. us horio.

Magnum quoque scelus erat, quod idolum illud, cuius Ergianus Rhodisiensis quidam Historicus mentionem facit, in Phalanto Phœnice con mittebat, dum ipsi promittebat, ciuitatem Atheam, atque adeo omnem circumiacentem in sua, successorumque suorum potestate permansuram, donec Corui albi fierent, & pisces in poculis ad mensas natarent.

Postea, quemadmodum Polizelus in Rhodisiensi sua historia testatur, pulcherrimam Tertiam, vnam ex Iphielis amasiam, informabat, vt eius rei gratia amatorem suum certiorem redderet, ipsiq; simul monstraret, qua arte videlic. coruos dealbaret, & pisciculos phalantis poculo inijceret, eumdemque hac fallacia terreret, vt non dumtaxat seipsum, verum etiã Prouinciã suam ꝓditori isti traderet. Sic Creophilus, in descriptione Ephesinæ ciuitatis, inter alia commemorat, quod, ex mandato Oraculi, in locum istum condenda foret, vbi piscis & aper simul reperti fuerint, Interim idolum illud efficit, vt piscatores aliquot, prope fontem

rem Hipeleum, ientaculo fruantur: dum vero pisces suos exenterant, forte fortuna vnus ex illis elapsus tamdiu hinc inde saltando se fatigat, donec ad arbustum, in quo aper iste latitabat, peruenisset: aper vero igne, quem piscatores illi ad coquendos suos pisces, excitarant, conspecto, protinus, relicto arbusto, in fugam se coniecit: quo facto dicta ista ciuitas Ephesus, iuxta Oraculi illius eloquium, in locum istum fuit cōdita.

Similiter & Philippo, Macedoniæ Regi Oraculum, vt sibi à Cisijs caueret, olim suaserat, metuendum enim, ne per Cisiam sibi moriundum esset. Quocirca Rex, ab Oraculo sic admonitus, omnes cisias, currus, &, quibus vehi solent homines vehicula interdixit, sua ipsius vero disponere, &eo modo custodire iussit.

Verum & satis cautus destinatam fato sortem euadere minime potuit: Diabolus siquidem, vt, veritatem se loquutum esse, appareret, efficiebat, vt per Pausaniam, cuius ensi cisia insculpta erat, trucidaretur. Idem ferme casus, veluti Bugatus memorat, cum celeberrimo isto Capitaneo, Antonio de Leua videlicet, accidit: Cum enim ab istiusmodi spiritu vel Oraculo redderetur certior, se videlic. in Occidentali Francia moriturū, & in S. Dionysii templo sepultum iri, certo sibi persuadebat, se Lutetijs Parisiorum occupatis, olim, in dicto isto templo terræ mandatum iri, illudque de occupanda videlicet dicta ista vrbe, Romanorum Imperatori Carolo V. certo pollicebatur. Verum bonus iste Leua toto tum temporis cœlo aberrabat: nam in Gallia quidem trucidabatur, sed Mediolanum exinde deductus inibi in S. Dionisij templo sepultus fuit.

Pari etiam modo celeberrimus ille Arpinas Apollinem eiusdemque vaticinium sequentibus verbis irridet: Sed iam, inquit, ad te venio, o S. Apollo, qui vmbilicum terrarum certum obsides, vnde superstitiosa primum euasit vox fera. Tuis enim Oraculis Chrysippus totum volumen impleuit: partim falsis, vt ego opinor, partim casu veris, partim flexiloquis & obscuris, vt etiam interpres egeat interprete, & sors ipsa referenda sit ad sortes. Ambiguum dein & flexiloquum Regi Crœso

in Asia datum Oraculum, videlicet:

Crœssus, Halym penetrans, magnam peruertet opum vim,

introducit, quo accepto, bonus iste Crœssus, quemadmodum Herodotus testatur, sese Cyrum victurum, atque hoc modo potentissimum locupletissimumque illius regnum atq; Prouincias deuastaturum sibi persuadebat. Verum, spe sua frustratus, ipse vincebatur, &c, vice versa, à Cyro Captus florentissimum suum, regnum amittebat.

Sic quoque Ennius Oraculum Pyrrho Epirotarum Regi de expeditione sua, quam aduersus Romanos moliebatur, datum, vtpote:

Aio te Æacida Romanos vincere posse.

recenset, quod quidem ipse Pyrrhus ita explicabat, & Romanos sese debellaturum, atque omnino profligaturũ sibi pollicebatur, ast infortunium Pyrrhum ipsum tangebat, vt victus solo tergum obuertere cogeretur, quemadmodum etiam Oraculũ illud duplici modo poterat intelligi. Verum enimuero Cicero oraculum illud ab Ennio fictũ esse opinatur, quũ Apollo non latine, sed Græce loqui potuerit, & tum versibus non amplius responsa dederit. Id quod fortassis ideo factum, quod, senescente & nunc frigido facto Apolline, lepidissimæ Musæ illum amplius non curauerint, quemadmodum, vegeto & florente adhuc ipso, antea ab ipsis factitatum fuerat. Certum alias, & extra omnem dubitationis aleam positum est, omnia priscorum Oracula dolosa & falsa fuisse: veluti *Liber*, apud Sicilianos: *Ceres*, apud Rhodisienses: *Diana*, apud Ephesios: *Iuno*, apud Numidios: *Belus*, apud Palæstinos: *Berecinthia*, apud Romanos: *Venus*, apud Thebanos: *Proserpina*, apud Hispanos: & ante commemoratum Oraculum *Apollinis*, apud Delphos, quod celeberrimum erat in Asia Oraculum.

Sic quoque Veteres peculiares suos Vates habuerunt, quos Sortilegos appellabant, quod iactu Sortis de rebus futuris diuinare conabanť: qui tamen itidem sunt damnabiles. Notandum tamen heic forté, tam consultoriam, vbi quid experiri, & diuisoriam, vbi quid diuidere

dere volumus; concessum esse, hac tamen addita cautela, vt euentus *Deo Ter Optumo Maxumo*, commendetur, atque istis humano intellectui occultis in rebus sortem dirigere ne dedignetur. Sic lib. 1. Samuel legitur, quod Saul sorte in Regem electus fuerit, id quod tamen per Samuelem, diuino ex mandato & instinctu, factum, & electio eum in modum instituta est.

Ita quoque Matthias in Apostolum electus fuit, præmissis tamen precibus, vt Deus omnipotens actum istum iuxta clementissimam suam voluntatem dirigeret. Sic Dei etiam opus erat, vt videlicet Propheta *Ionas*, sorte inuentus, è naui in mare præcipitaretur. Sic Iosua per sortem furem Achan, & Saul filium suum Ionathan reperit, postquam parentis sui votum transgressus fuisset. Vnde D. Augustinus sup. Psalm. ait: Sors non est aliquid mali, sed res in humana dubietate diuinam indicans voluntatem. Verum enimuero (quemadmodum Hieronymus super Ionam & Beda sup. Acta Apost. inquiunt) ad Sortem non tam cito fieri debet accessio, nec etiam tam illico eidem fides habenda est. Siquidem exempla Ionæ, Matthiæ, aliorumq;, tamquam singularia, vniuersalem regulam minime constituunt. Sortilegia siquidem non, nisi vrgente necessitate, tentanda, vbi tamen, vti diximus, preces ad Deum, ad caussæ istius directionem, præmittendæ sunt: id si factum, absque superstitione tum neutiquam desperandum est, *Deum* Omnipotentem negotio isti manum admoturum esse, diuina tamen Oracula, terrena & Politica negotia dumtaxat concernentia, minime heic adplicanda sunt: qua de re D. Augustinus Ianuario, ad propositam quæstionem, recte hūc in modum respondit: Ista mihi ait, displicet consuetudo ad negotia secularia, & vitæ huius vanitatem, diuina oracula velle conuertere.

Eadem quoq; de re ait Glossa Canonum, caussa 26. quæst. 1. Sortes illas esse prohibitas, in quibus veneficæ incantationes simul immisceantur, aut quæ friuolum nulliusque pretij finem aliquem dirigantur, vel, quæ alias leuiter tractentur. Exempli gratia, dum aleis, vel chartis lusorijs & aliquid arcani, nō tamen absque superstitione, in-

quiritur. Si tamen in casu necessitatis fiat, &, deficiente humano consilio, imploratio diuini auxilij accedat, tunc sane permissæ sunt: Vbi simul exemplum D. Augustini inter alia recensetur, cuius consilio (cum in obsessa quadam vrbe quæstio ambigua, & dubia incideret, num Clerici vrbe cedere, vel in illa manere deberent) res sorte quæsita & composita fuerit. Et in Prouerbijs legitur: Contradictiones comprimit sors. Similiter etiam idem ille Augustinus in epistola ad Honorium ait; Sortem, implorato prius diuino nomine, decente cum reuentia vsurpari posse.

Sunt præterea & istæ sortes, veluti Thomas Aquinas in c. 2. quæst. 95. art. 8. inquit, falsæ & damnabiles, quæ ita vsurpantur, tamquam actus & gestus hominum, ad id requisiti, effectum & quæsitum operationem sortiantur, vel cuius effectus in singulari aliqua Constellatione ponuntur. Sic Blondus, lib. 1. de Roma triumphante, sortes Romanorum in duas species distribuit, aitque quasdam virgilianas fuisse appellatas, in quibus liber Virgilij forte fortuna aperiebatur, & illi versus accipiebantur, qui antea eo ordine & numero denominabantur, ad significationem illius, quod antea habebatur. Istarum Virgilianarum Sortium mentionē quoque facit Ælius Spartianus in vita Hadriani. Reperiebantur & vetustissimæ quædam aliæ Sortium species, quæ à Sacerdotibus suis descriptæ, Oraculis per omnia ferme similes, & certis peculiaribusque tabulis inscriptæ erant; in veterum rerum gestarum memoriam, quas commemorati isti Sacerdotes aut forte fortuna, vel tamen summo studio, altaribus immittebant, vt hoc modo populum vel Magistratus aut exhilararent, vel, vice versa, terrerent; idque pro ipsorum lubitu; & qualicunque modo ipsorum emolumentum id requirere videbatur. Illarum meminit etiam Titus Liuius libro 22. & omneis simul sunt culpabiles & prohibitæ; vna cum omnibus ijs, quæ circa tesseras aliasque res lusorias versantur, ijsdemque aliquid inquiritur. Illam inuentionem autem quidam Attico Asiatico tribuunt, circa quam Augustus & Claudius, Romanorum Imperatores, plurimum occupati fuerunt:

adeo

adeo vt etiam ipſe Cæſar Claudius peculiarem ea de re librum conſcripſerit.

Hũc etiam pertinent, quos cum Plauto, neſcio an crumenę mulgos, vel Fortunæ perdos, verius nominaueris: Circumſcriptores videl. iſti circumforanei, qui forte, tamquam ſanguiſugæ ſanguinem humanum, hominum crumenas exſugere ſolent, cum circa doloſiſſimum opificium ſient occupati: Omnis generis impoſturis ſiquidem hominibus imponunt. Illic enim ſchedulæ in quorumdam manus conſignantur, qui ſimulant, quaſi ex Olla, vel melius Fortunati marſupio, ſchedulas iſtas porrigerent: felices præ cæteris, habentur, nil tamen, niſi promiſſam ſibi mercedem Sortis iſti Promptuli domum reportant, modo vt alios alliciendo in naſſam ſuam pertrahant. In taberna ipſorum diuerſimoda omnis generis vaſa argentea cõſpiciuntur, maiori tamen ex parte falſo vel Chymico modo fabrefacta, aut, ſi ex argento, iam tenuia tamẽ, vt nudi dumtaxat oculi illinc paſcant. Multis eximiam oſtendunt patinam argenteam, aut malluuium, ſi lucratur, vix accipit ferream galeam. Sæpenumero alicui quingentis coronatis æſtumata torquis fortunæ beneficio obtigit, ſed quandoque duob. vix decem coronatis dignis, armillaribus domum ſe conferre neceſſum habet. Quatuordecim dierum terminum finitioni tabernæ ſuæ lucriferæ nugiuendæ iſti æriſugæ præfigunt, dolerent tamen ſi duob. annis ſors iſta ſua finem ſortiretur. Ne autem quis dolum fraudulentiæ iſti ſubeſſe autumet, ſimilis farinæ vulpeculam apte ſubornare poſſunt, quæ ſane haud modeſte ſchedulas, vel ſortes, ex olla depromit, caute tamen, ne deceptor arte ſua propria (vti meus Plautus dictitat) capiatur, ſibi cauet, ne illi lateri, in quo fortunatæ ſortes ſitæ ſunt, tactu ſuo inferat moleſtiam, licet quandoque ſperatæ exoptatæque ſortes in minime fortunatis iſtis marſupijs repeꝛiantur.

Inter minime conceſſas, ſed prohibitas, ſortes etiam illæ referuntur, quæ pari, vel impari numero, literis, figuris ſignorum cœleſtium, coniecturis, fortuita conformitate, terræ quodam ſonitu, motu, ruptura facta, vel alijs iſtiuſmodi friuolis,

lis ineptijs, indicare conantur, quid videlicet boni, aut mali, alicui obuenire debeat: quemadmodum etiam de vanitate ista inter Veteres, Halij: inter Neotericos, Gerardus Cremonensis, Bartholomæus Parmensis, & Tondinus aliquis, vna cum Almadele Arabe quodam scriptitarunt, qui tamen omneis mendaces, inter quos Cornelius Agrippa, rerum istarum mirus artifex, palmam nugiuendam cæteris præripit.

Sortes Pythagorica. Porro & istæ Sortes quoque sunt illicitæ, quæ Pythagoræ adscribuntur, &, quemadmodum Plinius testatur, ab ipso inuentæ sunt, quod nimirum impar vocalium numerus homini alicui cœcitatem, vel alium aliquem corporis defectum denunciet. Item, cui Pythagorici nimium tribuunt, quod omneis literæ peculiares certosque suos numeros significent, per quos, omnibus numeris in vnam summam contractis, aliquis coniectare possit, quis ex duobus, interse inuicem dimicantibus, victoriam obtinere posset, is videlicet, cuius nomen alterius nomen numero vincat.

Sic quoque in alijs casibus: In matrimonialibus, vter ex duobus procis, virginem simul amantibus, illam ducturus fiet: is nimirum, cuius nomen itidem alterius numero superauerit. Et legitur, quod ex solis istis caussis Patroclus ab Hectore, & hic vicissim ab Achille, victi fuerint, quemadmodum illud à Terentiano Poeta elegantissimis quibusdam in versibus descriptum est.

Omneis autem istæ Sortes sub Cleromantia compræhenduntur, quarum vna magis, quam altera in eo damnatur, quod nimirum vna alteram peccato & superstitione magis antecellat. Huc pertinent etiam probationes innocentiæ, quæ fiunt aut per duellum, candens ferrum, culmorum tractiones, considerationes figurarum, ex liquefacto plumbo caussatas, lineas, quæ in mensa, vel lapide aliquo, ad lunam versa facie ducuntur, fabarum tractiones, pro more apud meretrices in vrbibus Italiæ vsitato; & res superstitiosas alias, quæ apud superstitiosos homines vt plurimum obseruantur. Vnde etiam omnis generis sortes à Leone IV. Pontifice Maxumo sub excommunicationis pœna

sunt

sunt prohibitæ. Sic quoque Papa Gregorius II. in quadam ad Adrianum Notarium epistola, omneis Sortilegos, circa diuersas sortes occupatos, persequendos & puniendos esse statuit: Et Isiodorus lib. 8. Etymol. exiguam sane ipsis laudem tribuit, dũ inquit, quod homines sub doloso aliquo prætextu, & istis quidem sortibus, quas Sanctas, & Apostolorum sortes nominent, seducant: SS. Scriptura ad superstitionem suam abutantur, & circa Scripturam & Apostolos occupati fient, quemadmodum de Romanis, & Virgilianis sortib. mentionem fecimus. Et licet Cicero ipse Gentil. fiet, nihilominus tamen melius de istiúsmodi reb. loquitur, quam qui Christianos se esse contendunt, dum ait: In Sortibus nihil aliud esse, quam meras superstitiones, & fortuitos siue accidentales aliquos casus, qui tamen omni ratione & consilio careant; & ea de caussa, non immerito ab omnibus sapientibus hominibus euitari debeant.

In specie etiam de prænestinis, à Numerio Suffetio inuentis sortibus, vehementer conqueritur, quibus misera stolidaque plebecula plus iusto adhæreat. Fiebant autem istæ cum priscis quibusdam Characteribus, vel litteris, quæ, cum inuocatione Deæ Fortunæ, accipiebantur, à puero, vel puellula, miscebantur, & denique distribuebantur: quæ tamen, hodierno nostro tempore, à nullis existumationis vel auctoritatis alicuius hominibus vsurpantur sed ferme omnib. in locis, cum ipsa sua vanitate, euanuerunt.

Cum autem à prænestinis summopere sortes istæ cultæ & veneratæ fuerint, iccirco, Clitomacho teste, Philosophus Carneades vrbane dicere fuit solitus, se Fortunam nullibi magis feliciorem vidisse, quam prænesti, vbi omnis generis sortibus tam feliciter vteretur.

Ad Somnia, eorumdemue interpretes, nunc nos conuertimus, qui Coniectatores vulgo dicuntur: vbi sane concedendum nobis est, quod ex caussis naturalibus commode aliquid concludi possit. *Somnia eorumdẽue interpretes.*

Si vero aliquis totus ab istis dependeret, is non immerito, tamquam stultus rideretur ab omnibus. In hisce tamen Themistio, & Sinesio Platonico nulla omnino fides adhibenda est, dum contendunt, nullum somni-

somnium fieri frustra, sed, vti quidem ipsi opinantur, per cœlestes influentias; quæ per potentiam phantasticam coincidant, eamdemque non frustra commoueant, sed ijsdem iuxta cœlestem dispositionem istiusmodi imagines vel Phantasmata imprimant, quæ certas suas caussas, effectus, atque operationes sortiantur. Omneis siquidem fateri necessum habent quod maiori ex parte frustra, & dolose fiant, quatenus vel intrinsecus, aut extrinsecus caussantur. Ad internas, vel externas, istiusmodi caussas autem, quod attinet, in eo scriptores varij variant, hic enim illam, alter aliam quamdam opinionem amplectitur.

Platonici, Somnia fieri contendunt de speciebus & scientijs, quæ in hominis anima generentur. Auerroes, eadem ex imaginatiua: Aristoteles, ex sensu communi, qui per Phantasiam ducatur; Albertus Magnus, per influentiam superiorum Corporum, mediantibus tamen semper quibusdam speciebus, è supernis prouenientibus: per vapores & humores corporis: Macrobius & Cicero, ex affectibus & cogitationibus, circa quas homo vigilando potissimum occupatus fuerit. Arabes quidam, ex potentia intellectuali somnia oriri asseuerant, quibus Astrologi in Constellationibus suis assentiunt. Etiamsi autem, vti diximus, hic illius, alter alterius cuiusdam fiet sententiæ, nihilominus tamen apud omneis nihil certi veri que plerumque depræhenditur.

Siquidem heic omnia fiunt fortuito, & stultus est, qui timet somnium, vel etiam de eodem lætatur, qua de re Tibullus recte ait:

> *Somnia fallaci ludunt temeraria noctu,*
> *Et pauidas mentes falsa timere iubent.*

A vanis & mendacibus autem istiusmodi Somnijs heic illa potissimum Somnia separata volumus, quæ per diuinam voluntatem & inspirationem facta sunt: qualia sunt, Somnia Pharaonis, quæ ipsi Iosephus singulari instinctu Dei explicauerat: Nabuchodonozoris, à Daniele explicata, & id genus alia. Econtra autem sciendum est, quod omneis somniorum explicationes, quæ à Daldanio, Somnia diuina.

Archemidoro, vel etiam ab ijs, qui librum Abraami, Salomonis, & Danielis conscripserunt, & circa vanitatem istam occupati sunt, nil, nisi mera mendacia, & dolos in se complectantur.

Quamobrem Augustinus, in libris suis de Ciuitate Dei, inter alia recenset, quod Porphyrius ipse dixerit, omneis Somniorum explicationes à Cacodæmonibus suam sumere originem. Sic Cicero, lib. 2. de diuinatione Pythagoram & Platonem irridet, qui, vt certi aliquid ex somnijs suis colligere possent, in more habebant, vt, præmissis singularibus Ceremonijs, etiam peculiaribus cibis vterentur, antequam sese conferrent cubitum: qua de caussa Pythagorici fabarum vsum interdicebant, quibus non dumtaxat corpus, verum etiam ipsa anima intumescerer. Cicero inquit de Somnijs non magis sentiendum esse, quam de Phantasmatibus ebriorum, vel ratione captorum, quibus sæpenumero contrariũ illius, quod tamen ipsis reuera obuersatur, in imaginationibus obuenire solet, non secus quam nauigantes, qui terram ipsam moueri autumant, cum tamen ipsa nauis moueatur: & ille, qui oculorum vitio laborat, & se duo lumina intueri existumat, cum tamen vnum saltim ante ipsum consistat.

Egregie autem (scil.) cum euentu suo corresponderet, si is, qui vanum istum terræ motum in naui conspexerat, futurum aliquem terræ motum, aut fugam alicuius exercitus prædicere conaretur: aut si lippus istiusmodi prætenderet, breui seditionem in Imperio metuendam fore, quod duo lumina ante se conspexisset, quemadmodum Somnia res futuras significarent.

Etiamsi vero somnium talem, quem prædixit coniectator, euentum consequeretur, nihilominus tamen id fit fortuito, aut plerumque astu Diaboli, vt eo magis credulos homines ad superstitiosam istiusmodi vanitatem irritaret. De Cyro, inter alia, tradit Dionysius, in persiana sua historia, ipsum aliquando somniantem solem ante pedes suos situm conspexisse, quo facto, sese tertia vice inclinasse, ipsumque solem tollere decreuisse, qui tamen semper iterum è manibus *Cyri verũ somnium.*

suis elapsus fuisset. Quo intellecto Coniectatores, ipsum 30. annis regnaturum, affirmarunt, id quod postmodum etiam ita factum est. Nulla tamen certitudo heic depræhenditur, quod illud desiderium, dum tertia vice solem appræhendere conabatur, citius 30. quam tres annos significauerit. Nihil certi igitur etiam exinde concludendum est, quam, vti supra diximus, quam *Bene*, sed fortuito, *Fieri*, aut reuelatio Diaboli.

Ita quoque Heraclides Ponticus Somnium matris Phalaridis commemorat, in quo sibi videbatur, quod ex penatibus suis Mercurius, poculum sanguine refertum, in manibus suis habuerit, atque eo vniuersam domum consperserit: quod etiam somnium deinceps per horrendam immanitatem filij sui Phalaridis impletum, atque confirmatum est.

Sic Agathocles in sua historia inter alia recenset, quod Amilcar Carthaginensis, in obsidione Syracusanorum vrbis, in somnio vocē audiuerit, quæ vti sibi quidem videbatur, ad ipsum dixerit, *Cras cœnabis Syracusis.*

Id quod etiam sibi, non quidem vt Victori, sed victo & captiuo, postero die accidit. Plato de Socrate refert, ipsum in carcere suo Critonem familiarissimum suum certiorem reddidisse, quod intra triduum moriturus esset; id enim eximiæ formæ virginem sibi prædixisse, & hunc Homeri versiculum:

Tertia te Pythiæ tempestas læta locabit,

recitasse, quod etiam commemorato modo factum fuerit. Ita similiter Aristoteles de Eudemo Cyprio, bono suo amico, historiam recenset, qui in Macedoniam profectus, subsistere in egregiā aliquam Thessaliæ ciuitatem, Pheram videlicet, tum temporis ab Alexandro, tyranno quodam, grauiter pressam, diuertere necessum habuerit: in ea, per somnium speciosæ formæ adolescentem vidisse, qui consolando inter alia illum ita adloquutus fuerit: bono esto animo, mox si quidem, à recuperanda tua valetudine, tyrannus Alexander obtruncabitur: quod postmodum etiam ita contigit.

De Sophocle, celeberrim[illegible]

ist

isto Poeta, refert Cicero, lib. 1. de diuinatione, olim ex templo Herculis aureum poculum furto ablatum, & furem noctu in somnio ipsi reuelatum fuisse, quem Magistratui significasse, &, eo capto, veritatem liquido exinde constitisse. Sed ad omnia ista somnia priorem nostrã responsionem denuo heic repetitam volumus.

Hisce & Astrologi cum iudiciaria sua commode adnumerari possent. Quum vero supra, & in peculiari aliquo Discursu, ipsos pro dignitate sua & exceperimus, & perbelle, idque pro suo merito, tractauerimus, iccirco labore isto heic supersedebimus. Nam; *Crambe, bis cocta, mors est.*

Iuxta commemoratos istos omneis etiam Physionomistæ reperiuntur, qui, ex faciei atque adeo totius corporis specie, alicui homini bonum vel malum prænunciare conantur. Sed & illa ars nimium est fallax, præsertim si istiusmodi artifices naturæ terminos prætergrediuntur: adfectus siquidem animi, dispositio, & inclinatio corporis, hominisque alicuius accidentalis casus, ex tam leuibus caussis & coniecturis, non tam facile sese dirigi patiuntur. Coniectari quidem aliquid poterit, nihil certi tamen exinde concludendum est: facile enim alicui idem, quod Zopyro, contingit, qui, conspecto Socratis simulacro, ex nudo dumtaxat intuitu illum leuem & libidinosum fuisse hominem iudicauit. De hac arte, penes alios, scripsere Aristoteles, Auicenna, Constantius, Philemon, Lexus, Petrus Paduanus, Michael Scotus, &c. Verum cum & illa res sit dubia, multæque concurrentiæ & signa requirantur, si aliquid certi dicendum esset, nimis tarde etiam signa inter se inuicem conueniant, eapropter & illam sicco pede heic prætereundam censeo.

Idem quoque esto iudicium de Metoscopia, frontis lineas considerante, quæque etiam pars Physionomiæ est.

Reijciuntur & damnantur denique etiam Pyromanti, qui ex ignis flamma vera prædicere conantur, & figuras, ex flammæ motu existentes, considerant. Item & Hydromanti, ex motu aquæ, vel auxilio Diabolorum aquatilium, futura prædicentes. Aeromanti, ex figura nubiũ Pyromãti

& aeris aliquid annunciantes: Axiomanti, ex casu, vel ictu alicuius securis: Capnomanti, ex fumo: Capiromanti, ex Cristallo vel speculo, quid in longinquis fiat regionibus, denunciantes; de quo aiunt puerum aliquem vidisse, quomodo hostes, ad Occidendum Iulianum, præparauerint: cuius rei gratia Cardanus lib. 19. de subtilitate summopere miratus est. Item Coschinomanti, ex versione & rotatione cribri; Bottonomanti, ex certis herbis vaticinantes: Castronomanti, ex vitris, in quibus puerulum ostendunt, vaticinantes: Alphitomanti, ex frumentis & farina, qui vaticinantur. Tiromanti, ex caseis futura prædicentes: Geomanti, ex terræ impressis lineis, & Chiromanti, ex musculis & lineis manuum vaticinantes, qui, quemadmodum Cælius Calcagninus in tractatu suo de Magia memorat, ab Aristotele & probo adprobati fuerunt. Similiter & Pythagorici, & Phraotes, Rex quidam Indicus, Philostrato teste, futilitati huic multum tribuerunt, eidemque magnam sane auctoritatem cōciliarunt, dum studio illi mirum in modum, plus iusto tamen incubuerunt. Lucius Silla quoque, & Cæsar Dictator, vna cum multis aliis, qui libros ea de re conscripserunt, vtpote Hermes, Zael, Alchindus, Pythagoras, ante commemoratus, Phraotes, Zopyrus, Helenus, Alpharabius, Maternius, Iulianus, Philemon, Constantinus: Ex recentioribus, Petrus Abanus, Albertus Germanus, Michael Scotus, Bartholomæus Cocles, Antonius Cermilonius, Petrus de Arca, Andreas Coruus, Tricassus Mantuanus, Ioannes de Indagine, & plureis alij.

In quibus tamen omnibus præclari nihil reperire licet, nisi nullius pretij Coniecturæ, haud dignæ vt honestà ingenia iisdē macerentur, quemadmodum etiam hodierno nostro tempore à nemine alio, nisi vagabundis Pseudo-Gentilibus (vulgo Zigeuner) à Chus, Chami filio originem suam ducentibus, & inter Ægyptum atque Æthiopiam habitantibus aut, veluti volaterranus autumat, ex Persia venientibus, vana & contemptibilis ista scientia exercetur, si hominibus friuolis, ad eosdem friuolè currentibus, friuolà etiam vera præsagiunt: qui

tamen,

tamen, non quidem Pseudo-Gentiles isti, furtis & rapinis solummodo victitantes, sed Pseudo-Christiani isti & stulti, ad ipsos confugientes, iisdemque & fidem & pecuniam dantes, ridendi sunt. Quibus, vt & huic nostro Discursui tamdem vltimam, vti aiunt, manum adponimus.

IN DISCVRSVM VII.
ADNOTATIVNCVLA.

DE commemoratis nunc ordine materiebus istis omnibus Auctor noster in Palatio suo Incantationum, magna industria, & prolixitate, agit, vbi maiora sane, ad idem argumentum spectantia, colligere & cōportare nititur, quam omneis alij, qui de eadem materia aliquid ediderunt; iuxta illud, vt videlicet aliquid gratius acceptiusque in medium adferret, quam Bodin⁹ ipse, licet vno eodemq; tempore scriptitauerint.

DE MAGIS, INCANTAtoribus, Veneficis, Sagis, &c.

DISCVRSVS. VIII.

Magi nomen quid significet.

MAgi nomen, (quod primo apud Persas, veluti Porphyrius & Apuleius contendunt, aut apud Maguceos, quēadmodum Suidas meminit, vsitatum fuit) in ipsorum lingua nihil aliud significat, quam Sacerdotem vel sapientem, aut, vt nostro more modoque loquamur, Philosophum. Et fuit apud ipsos Magus idem, quod apud Græcos Sophos, vel Philosophus, idque à Pythagoræ temporibus, qui omnium primus non Sophus, hoc est, sapiens, sed Philosophus, hoc est, amator sapientiæ, appellari voluit.

Sic apud Indos etiam, Gymnosophistæ: apud Ægyptios, Sacerdotes, apud Cabalistas, siue Hebræos, Prophetæ, apud Gallos, Druidæ; apud Assyrios, Bardi, & similiter apud Babylonios & Chaldæos, in magno honore atque existumatione, quemadmodū Magi apud Persas, habiti fuerunt. Notandum tamen est honestissimum illud nomen non in proprio, siue genuino suo intellectu semper vsurpari, verum etiam maledictis præstigiatoribus, & Exorcistis quandoq; impertiri. Quemadmodum etiam à quibusdam duplex Magiæ species constituitur, quarum vna Magia naturalis, altera, Ceremonialis nuncupatur: ita quoq; nomen Magi duplici in significatione vsurpatur.

Est autem Magia nihil aliud, quam totalis & perfecta Philosophiæ Naturalis cognitio & scientia, per quam, auxilio certæ alicuius scientię, internarum arcanarumq; virium omnium rerum, eorumdemque applicationem, quasi Naturæ mirabilia adquiruntur.

Vnde

Vnde etiam Plato quodam in loco recte dixit: Istiusmodi Magiam solertem & prudentem ancilllam naturæ esse, per quã isti Magi, tamquam industrij Naturæ indagatores, postquam explorassent, quomodo videlicet opera sua præparauerit, actiua passiuis iusto tempore modoque applicare solent, quemadmodum illud Natura requirere videtur, & istiusmodi quidem effectus producunt, qui certe Plebeios in summam admirationem rapiunt. Vbi sane opus per seipsum naturale est, cui nihil amplius accedit, quam temporis anticipatio & præuentio. Exempli gratia, vt res ista melius intelligatur, si quis efficeret, vt recentes beneuolentesque rosæ circa Natiuitatem Christi, aut Maio mense maturæ vuæ crescerent, vel nubes, quæ in aere hinc inde oberrarent, aut pluuias, vel tonitrua, excitaret aut distincta viua animalia crescere faceret, quemadmodum Rogerius Bacco, qꝫ hoc sæpius fecerit, de se gloriatur, idque vnice, & solummodo caussis ex naturalibus, atque ex Magia Naturali: Et Ioannes Baptista Porta, qui itidem librum de Magia Naturali conscripsit, in quo demonstrat, quod multæ res hoc modo in effectum deduci possent. Quibus & illud adijciendum est, quod Iulius Camillus, vir fide dignissimus, de quodam suo familiarissimo recenset, quod videlicet per destillationem, aut ignis beneficium, verum ex carne & ossibus constantem infantem, non secus ac in vtero materno sic generatus fuisset, produxerit, eidemque, quamuis exiguo dumtaxat tempore, & in momento quasi spiritum inspirasse. Huc etiam pertinent omnis generis præstigiæ, ex naturalibus caussis promanantes, in quibus vna res, pro altera habetur: quod tamen præstigiatorum istiusmodi est proprium.

Reperiuntur & aliæ præstigiæ, quę per incantationes Geoticas, hoc est, per incantationes & operationes Cacodæmonum adquiruntur: ad quas peculiares vapores, fumi, candelæ, herbæ, emplastra, obligationes, & suspensiones annulorum, imaginum, speculorum, aliorumque id genus veneficiorum mediorum, instrumentorumq; vsurpantur: quorum etiam Plato libro 3. de Repub. meminit,

vbi

vbi de istiusmodi mimis & præstigiatoribus summa celeritate humanis oculis glaucoma obijcientibus; verba facit. Iuxta illas, & aliæ quædam manuum agilitates, vti in mimis & gesticulatoribus adparet, reperiuntur, quæ mirum in modum agilitate sua hominib. imponunt, in ipsa tamen rei veritate nihil præstant, nisi quod rerum, fuci, dolique imperitis, quasi ora naresque cum stupore & admiratione quasi, aperiant. Istiusmodi artifices, impostores verius, Græci Cheirosophos, hoc est, manuum sapientes, appellant, de quibus libri Hermetis de præstigijs consulendi sunt.

De præstigijs & incantationibus Iamblichus hunc ferme in modum loquitur: Illæ res, inquit, quas sibi incantati imaginantur, in se ipsis quidem nihil omnino operantur, sed dumtaxat in imaginatione consistunt: Finis enim artis & artificum istiusmodi non est, vt aliquid efficiant, sed vt saltim imaginationem fuco quodam expleant.

De Numa Pompilio Historiarum monimenta testantur, quod vanitati isti plurimum tribuerit, &, plus iusto, circa eandem occupatus fuerit; non secus, atque etiam Pythagoras, qui omnia, quæ modo vellet, sanguine speculo imprimebat, illudque ad splendorem plenilunij conferebat, adeo vt ipsi à tergo stantes nō aliter sibi persuaderent, quam quod scriptura ista in illo lunæ corpore consisteret. Dictus iste Hermes, ac simul cum illo Belenus, suspecti atq; superstitiosi admodum homines, & illud quoque inter præstigias numerant, quando nimirum homo visibiliter transmutatus, & inuisibilis factus fuerit: qua de re etiam peculiares aliquod tractatus conscripserunt, in quibus mirabilia remedia indicant, ex quibus facile colligitur, quod magis circa artes Dæmoniacas, quam naturalia media, occupati sient. Inter relliqua commonstrat, quomodo videlicet homo seipsum possit reddere inuisibilem: Item, qua arte aliquis efficiat, vt homo, per incantationem circumstantium, pro asino, equo, vel alio quodam animali, æstumetur. Inter istiusmodi præstigiatores etiam Xenophon ab Athenæo, libro 1. Deipnos. numeratur, qui efficiebat, vt ignis à se ipso exiliret,

quo facto circumstantes, præ nimia admiratione, pene in torporem conuertebantur, idque solummodo mediantibus medijs naturalibus, quemadmodum etiam eorumdem beneficio Scotus Placentinus, & Lucas Tronus, Nobilis Venetus, admiranda sane opera in effectum producebant. Istum in modum Nimphodorus quoq;, tamquam præstigiator à Duride celebratur, Diopheres, Locnis à Planodemo: Scymnus Tarentinus, Philistodes Syracusanus, Heraclides Mytilenæus, quos Alexander M. penes sese habuit; ab Athenæo. Pro tali itidem habetur Hiarcha, apud Brachmanos: Tespio, apud Gymnosophistas: Zamolxis, apud Thracios: Abbaris, apud Hyperboreos: Hermes apud Ægyptios: Zoroasper, Oromasci filius, apud Persas, & Budas, apud Babylonios.

In Magia non dumtaxat incantatoria, verum etiam Naturali, tamquam præcipui Magistri celebrantur, Bocus, Zenotenus, Almadel, Thetel, Alchidus, Ptolomæus, Geber, Zael, Nazabaruth, Thebith, Berith, Aristophanes, Hipparchus, Alcmeon, & pluteis alij, quorum scripta longis nunc temporibus interierunt. Ex Neotericis celebriores sunt Albertus Magnus, Raimundus Lullius, Rogerius Baccho, Arnoldus de Villa-noua, Petrus Abanus, & Antonius de Fantis, ex quibus duo isti posteriores Nigromantæ perhibentur.

Et hæc est Magia Naturalis, de qua Polychronius sup. Ezech, scribit, quod etiam ab Origene Tractatu V. sup. Matth. sequentibus verbis celebrata fuerit: Ars magica, inquit, non mihi videtur alicuius rei subsistentis vocabulum: sed etsi sit, non est operis mali, nec quod haberi possit contemptui. Ista autem ob verba Theophilus Episcopus Alexandrinus, qui coniuratus Origenis hostis semper exstitit, acerbissime in illum inuehitur, eique inter alia exprobrat, quasi Nigromantis & incantatoribus istis subsidio fiet. Sed viro facit injuriam: ipsi siquidem Theophilo satis superque cognitum, quatenus nimirum Origenes falsæ illicitæque Magiæ nullo in tempore inimicus fuerit, & quomodo scriptis suis eamdē semper impugnauerit, præsertim vero hom. 23. sup. Num. quib. etiam

paulo ante commemorata verba neutiquam aduersantur, vtpote, quę solummodo loquuntur de Magia Naturali: quemadmodum etiam Hieronymus lib. 1. Com. in Daniel. vbi hæc verba: Præcepit Rex vt vocarentur Arioli, & Magi, & malefici, & Chaldæi, explicat, &c. per Ariolos, incantatores: per Magos, Philosophos: per Maleficos, illos, qui circa sanguinem & Sacrificia occupati essent, & cadauera ipsa quandoque tangerent: per Chaldæos, Mathematicos, intelligit. Idem etiam lib. 2. contra Iouinianum asseuerat, quod Eubolus, qui historiam Mithræ multis in libris descripsit, triplices apud Persas Magos fuisse, prætendat, ex quibus præcipui doctissimi fuerint, solo pane, & quibusdam herbis victitauerint, atque Naturales exstiterint. Ex Hieronymo Iustinus Philosophus & Martyr quoque, lib. quæst. Gentil. quæst. 24. & 26. inter vera miracula Moysis, præstigia Ægyptiorum veneficorum, quibus Diaboli auxiliabantur, atque Apollonij Thianei, quæ per naturalem Philosophiam fiunt, singularem facit differentiam.

Simili modo etiam Philosophia ista Naturalis à Philone Hebræo, libro suo de Legibus specialibus, sequentibus verbis prædicatur. Veram Magiam, inquit, hoc est, perspectiuam scientiam, per quam Naturæ opera cernuntur, clarius, vt honestam expectandamque non solum plebei sectantur, sed etiam Reges Regum maximi, præsertim perfici, tam curiosi harum artium vt regnare non liceat, nisi cum magis versato familiariter.

Naturalibus istis Magis quidam etiam Mathematici comparandi sunt, qui in perscrutandis Naturæ mysterijs, summopere desudant: vnde etiam gloriantur, quod per suam Mathesin, Cœlestes influentias, vna cum certæ proportionis additione, istiusmodi opera perficere possint, quæ naturalibus operationibus pene fient similia: Istiusmodi videlicet corpora, quæ moueri atque intelligibiliter loqui possint, etiamsi vita animaque destituta fient: ex quorum numero fuit columba Architæ, in aerem sese subleuans, cuius Fauorinus Philosophus apud Gellium mētionem facit: Mercurij itidem ima-

M. mi M. dic

imagines, quæ loquutæ fuerunt: & fusum caput æneum Alberti Magni, cujus, penes alios, cumprimis Franciscus Georgius, in sua Harmonia mundi, mentionem facit, quod videlicet articulatam & distinctam vocem habuerit. In ista Professione Boetium insignem fuisse artificem quidam memorant, adeo vt, eius rei gratia, à Cassiodoro, in singulari quadam ad ipsum exarata epistola, mirum in modum celebratus fuerit.

Sed Magia Ceremonialis in se ipsa & impia est, & damnabilis: diuiditur in Theurgiam & Goetiam (quæ alias lato intellectu Nigromantia appellatur, idque iuxta opinionem Porphyrij, qui à S. Augustino libro 10. cap. 9. de ciuitate Dei citatur) atq; in Pharmaciam, quemadmodum Philo, in libro suo de Legibus Spiritualibus, contendit; idque propter superstitiones, incantationes, & artes Magicas, quæ in eadem vsurpantur, atque ea de caussa non immerito, in omni communi iure, damnatur atque execratur.

Etiamsi vero, Porphyrius Theurgiã quodammodo tueri conetur, prætendendo ipsam per bonos cœlestesque Spiritus Regi, & animam per ipsos ad conceptionem Angelicorum ita disponi, vt Deos intueri queat, modo sese puram mundamque contineret, & supremis Dijs incontaminata sacrificia sacrificet: contendens præterea, quemadmodum in vita Plotini memorat, quod summus ille Philosophus eodem beneficio Dijs adeo gratus acceptusque factus fuerit, vt etiam ipse mirabilis miracula ediderit: quem in finem etiam verba Pythagoræ prædicat, dicentis: Deos non per se ipsos ad nos venire, sed solummodo, quod quasi per hanc Magiam cogantur: nihilominus tamen omnia ista nullius sunt momenti, siquidem omnis generis superstitiosis Ceremonijs referta est, videlicet vt quis in vestitum, habitationibus, vasis, sacrificijs, hostijs, sanctificationibus, &c, munditiem seruet, quasi mundities ista cœlestes influentias acceleret, adeo vt diuinæ vires sese nobiscum coniungant, & denique tota à naturalibus viribus pendeat, absque vlla supremi motoris gratia. Ideo etiam ipsius Magia, quam diuinam nuncu-

pat, eo damnabilior, & eo magis vitanda est, quo magis coram simplicibus & ignaris, rerumque imperitis, extrinsecus diuinitatem quasi præ se ferre videatur. Quocirca de veteribus istis vtpote Zoroastre, eiusdem explicatoribus Genistio, Platone, & Osia Chaldæo: Item de Hesiodo, Iamblicho, Eudoxo, Plotino: Proclo, alijsque bene aliquis inferre posset, quod saltim scintillulam aliquam diuinæ sapientiæ, non autem communionem eiusdē, habuerint. Etiamsi igitur quandoque in vno, vel altero, laudem suam mereantur, in millibus tamen, vice versa; alijs partibus, tamquam superstitiosæ, & idololatricæ, non immerito, contemnuntur atq; improbantur: quemadmodum etiam eadem sane de caussa artis. Almadelis, artis Notoriæ, (quam etiam ipse Thomas Aquinas in 2.2.q.96. damnat) artis Paulinæ, & denique artis reuelationum sectatores, ob diuersimodas suas superstitiones, non immerito, tamquam damnabiles, execrantur.

Geotia vel Nigromantia. Geotia, alias in genere Nicromantia dicta, in operibus Cacodæmonum consistit, idque per eorumdem inuocationem atque incantationem, qui à veneficis, maiori ex parte sanguine humano alliciuntur, vt, in specie, è mortuis resuscitatorum appareant, ipsisq; de quæsitis respondeant, veluti Isiodorus & Augustin. memorant. Idque nomen ipsum indigetare videtur: Necros enim mortuum: Mantia autem vaticinium significat.

Multo itaque abominabilior & detestabilior est, quam Theurgia, & Pharmaciæ in malitia & abominatione ferme correspondet, quippe, quæ in certis diabolicis potionib. consistit, quæ sic potæ hominem aut ad illegitimam inconcessamque Venerem, vel ad odium irritant, plerumque vero ipsum omnino furibundum reddunt, vel eidem ad alia nefanda perpetranda facinora viribus suis ansam occasionemq; præbent. Leuissimum Diabolicæ istius artis est, quod Magi illi superstitiosis Characteribus ignotisq; nominibus morbos, vulnera, aliosque corporis defectus sanare conentur, vbi sane inuitatus Diabolus operam suam abunde confert: eapropter etiam in Decretis caussa 26. & quæ-

quæstione II. iure damnatur. Similiter & Schedulas vel ipsi conficiunt, aut alios, quomodo videlicet istæ conficiantur, docent, vtpote Diabolica incantatione in pergamena virginum Oriente sole scriptæ, & certis filis nodisque circumuolutæ, quæ hoc modo ad diuersimodarum rerum vsum applicantur.

De quibus etiam Papa Gregorius caussa XXVI. quæst. V. subintelligendus, inquiens: Si quis ariolos, aut incantatores obseruauerit, aut Philatterijs vsus fuerit, anathema esto, &c. Huc quoque pertinent omneis Magicæ & superstitiosæ Ceremoniæ, videlicet quando Romani, Blondo lib. 1. de Roma triumphante teste, athletarum sanguinem contra morbū Comitialem bibebant: Item quod sponsa, quemadmodum Plutarchus in Problematibus suis testatur, adhuc incorrupta virgo, ignem & aquam tangeret, ad futuram fœcunditatem contestandam, quæ per humiditatem naturalemq; calorem conseruatur. Illud ipsum commemorato modo apud Romanos in vsu fuisse, testatur etiam M. Varro lib. 2. de vita populi Romani. Magiisti quoque Epodes dicebantur, quod etiam infantes tangendo læderent, quemadmodum, iuxta Horatij Poetæ prætensionem, Varus adhuc puer, & primum togam adsumpserat, per veneficia famosarum istarum III. Sagarum, vtpote Foliæ, Saganæ, & Veiæ, infectus hominibus mirabilia oracula in aures insusurrabat.

Extra omnem dubitationis aleam itidem est positum, quod veneficia vocabula, ope auxilioque ipsius Diaboli, aliquid à facta incantatione, efficiundi, vireis & efficaciam habeant: iccirco etiam superstitiosorum Diabolo adhærentium hominum superstitiosa Diabolicaq; verba non semper frustra feriunt, etiamsi Plinius quæstionem illam, num videlicet istiusmodi verba sub; & in incantationibus, aliquid mali operari possint, in dubium trahere videatur: Exemplum Tucciæ, virginis Vestalis, siquidem satis superque testatur quid de istiusmodi rebus sentiendum siet: Cum enim illa impudicitiæ & corruptionis argueretur & accusaretur, peractis certis precibus, aquam cribro hauriebat, illamque, ad testandam inno- *Veneficiorum vocabulorū efficacia à Diabolo.*

centiam, confirmandamque pudicitiam, à Tybri vſque ad Veſtæ templum deportabat, id quod, à condita vrbe, Anno DC. IX. factum eſſe perhibent. Sic Virgo Veſtalis Æmilia, veluti Val. maximus inter alia recenſet, poſtquam ignem, quem tamen cuſtodire & alere debebat, per incuriam extinxiſſet, atque, ad teſtandam ſuam innocentiam, Deam Veſtam ignotis verbis inuocaſſet, cineribus iniecto peplo, ignem, vt promeritam pœnam euitaret, denuo incendebat.

Ita quoque Veſtales iſtę Virgines, vi peculiarium quarumdam incantationum, quas preces nominare ſolebant, fugitiuos ſeruos, niſi extra vrbis Romæ mœnia ſeſe contuliſſent, iterum domum compellebant. Et Lucius Piſo, lib. 1. Annalium, teſtatur, quod Tullius Hoſtilius Iouem Cœlo deducere conatus fuerit, idque eodem ſane ſacrificio, quod Numa Pompilius hanc ad rem vſurpabat: Cum vero non omneis circumſtantias rite obſeruaſſet, fulmine percuſſum fuiſſe. An non etiam, obſecro, de Cæſare fertur, quod, cum aliquando non ſine corporis periculo curru ſuo decidiſſet, poſtmodum currum conſcendens, peculiaria quædam vocabula vſurpauerit, quibus ſe ab iſtiuſmodi caſibus tutum impoſterum præſtabat? An non, quæſo, ait Attalus, ſi videlicet aliquis Scorpium videat, & Due dicat, tunc illum retrocedere, & nullum damnum homini infligere. Ita Plinius libro 28, inter alia tradit, quod in Africa, nemo aliquid efficere adtentet, niſi prius Africa dixiſſet. De Marco Seruilio, præcipuo quodam Romanorum, tradunt, ipſum, dum metueret, & ſibi ab oculorum fluxu timeret, antequam lippitudinem ſiue dolorem iſtum oculorum nominaſſet, ad Collum ſchedulam ſuſpendiſſe, in quibus duæ iſtæ Græcæ literæ P. & A. exaratæ cernebantur, atque hoc modo ab iſto dolore ſeſe impoſterum immunem futurum æſtumabat. Sic etiam Mutianus, qui tertia vice Conſulatum geſſerat, muſcam albo linteolo implicatam, itidem ad collum ſuſpendebat, atque ita nullam oculorum lippitudinem exinde ſibi pollicebatur.

Præterea Magi iſti quoque mortuos è ſepulchris ſuis, idq; non abſque incantatione & fraude

fraude Cacodæmonis, producere conantur, eoſdemque incantationibus ſuis eo tamdem adigunt, vt ad propoſitas quæſtiones ipſis reſpondere cogantur. Cuius rei gratia Prudentius, Poeta Chriſtianus celeberrimus, & Canonicus quondam Regularis Lateranenſis, ita de Mercurio olim cecinit:

Traditur exſtinctas, ſumpto moderamine virga,
In lucem reuocaſſe animas.

Et paullo poſt eadem de arte:

Murmure nam magico tenues excire figuras,
Atque ſepulcrales ſcire incantare fauillas,
Vita itidem ſpoliare alios, ars noxia nouit.

Eumdem in modum de Cynope Mago legitur, qui D. Ioanni Baptiſtæ in inſula Pathmo reſtiterit, atque etiam mortuos excitare conatus fuerit, quod tamen facere à D. Iohanne fuit prohibitus, quemadmodum Mirandulanus in hymnis ſuis de eo hunc potiſſimum in modum teſtatur, inquiens:

Et Cynopem magiæ confiſum diſpulit alta mentis Iohannes, &c.

Nam etiamſi Magi iſti, ſeſe videlicet mortuos excitare poſſe, certo ſibi polliceantur, nihilominus tamen illud meræ meræ Diaboli laruæ, & impoſturæ ſunt, dum Cacodæmones in mortuorum ſpecie ſeſe faciunt conſpicuos, quamuis Lira & Thomas Caietanus, Sagam Endorenſem, cuius lib. 1. Samuelis 28. cap. facta mentio, *Dei Ter Optumi Maxumi* permiſſum, reuera demortui Samuelis, rogante Saule, animam produxiſſe, autument. Verum, quemadmodum Auguſtinus, alijq; plureis, opinantur, certiſque rationibus atq; argumentis demonſtrant, illud nihil fuit aliud, quam Diabolica aliqua illuſio, vt & illa omnia, quæ hactenus ordine recenſuimus.

Ariolationes de futuris, amiſſis, aliiſque rebus.

Contendunt porro ijdem iſti magi, quod Cacodæmones in vitris, annulis, pretioſis lapillis, & ſimilibus rebus alijs ligare & coercere poſſint, adeo vt omnia, quæ modo vellent, ipſis ſpiritus iſti incluſi dicere neceſſum habeant. Quocirca ſi quis aliquid amiſit, vel coniugij, aut itineris alicuius proſperum vel minus proſperum euentum ſcire deſiderat, atque ad magos iſtos confugit, tunc ſuperſtitioſi

iſti

isti homines voti sui compotes redduntur.

Istam autem incantationem siue Cacodæmonum ligationem Porphyrius sequentibus in versibus describit, qui ab Eusebio Cæsariense allegantur, dum conquerentem aliquem spiritum hunc potissimum in modum introducit:

Cessa tunc tandem, & verbis iam parce, victoque
Da requiem soluens priscas, radensque figuras,
Et remoue à membris, ac lintea dura resolue.

Hac de re Franciscus Diacertus quodam in loco ait: quod videlicet Necromantici spiritus inferiores, vt & efficacia superiorum, cum quibus fœdus inire cogantur, adeo cogant, vt dictis ipsorum audientes esse, necessum habeant, &, quo modo velint, ligando coerceri possint. Idque ipsis minime heic sufficit, verum etiam, obstupescentibus & admirantibus illud audientibus, ipsos homines aliam in speciem transformare conantur: quemadmodum D. Augustinus, lib. 18. de Ciuitate Dei, famosissimæ illius veneficæ Circes mentionem facit, quod Vlyssis Socios & Comites in bruta animalia commutauerit, de qua Virgil. in Bucolicis sic canit:

Carminibus Circe Socios mutauit Vlyssis.

Idem D. Augustinus porro quoq; commemorat, quomodo nimirum & Diomedis Comites in aues commutati, longo adhuc tempore circumuolitauerint (qui tamen procul omni dubio Cacodæmones fuerunt, qui sub istiusmodi auium specie apparuerunt) & horrendum, circa infidi sui Domini sepulchrum, & templum, eiulatum excitauerint. Eusebius Cæsariensis, lib. 4. de præparatione Euangelica, etiam admirabilium istiusmodi transmutationum meminit, de quibus ipse Porphyrius fateri necessum habuit, quod præstantissimi aliquot Philosophi & celeberrimi Poetæ ea de caussa decepti fuerint.

Similiter & Isidorus lib. 8. Etym. exempli sacrificiorum, quæ Arcades idolo suo Lyceo sacrificare solebant, mentionem facit, de quibus vescentes illico in feras, aut alia bruta animalia transmutati fuerint. S.

Anto-

Antonius quoq; inter alia commemorat, eximiæ formæ virginem quamdã à maledicto Mago quodam iudaico in equam transformatam fuisse, idq; rogatu cuiusdam iuuenis, cuius libidinoso desiderio satisfacere virgo ista noluisset. Ita etiam vetustus ille Grammaticus Saxo Sagæ Cracæ mentionem facit, quæ in mensa adpositos cibos in omnis generis species transmutabat. De Mæri venefico autem Virgilius sequentes versiculos conscripsit:

Has herbas, atque hæc ponto mihi lecta venena
Ipse dedit Mœris, nascuntur plurima Ponto.
His ego sæpe lupum fieri, & se condere Syluis
Mœrin, sæpe animas imis excire sepulchris
Atque Satas alio vidi traducere messes.

Exinde quoque celeberrimus ille Poeta Ariostus in Orlando suo furioso, sumpta occasione, etiam de Alcina simile quid fingere sibi animum induxit, nimirum, quod amatores suos transmutauerit.

Qua de causa Astolphus Ruggierum, ad illam euitandam, sequentibus versiculis adhortatur inquiens:

Et percio ch' essi non vadano pe'l mondo
Di lei narrando la vita lasciua:
Chi qua chi la per lo terren fecondo
Gli muta, alter' in Abete, altr' in Oliua.

Quemadmodum igitur veneficia, incantationes, mirabilesque earumdem operationes, à perniciosis & malis spiritibus, perficiuntur, veluti Lactantius Firmianus in libro suo de Origine erroris testatur: ita etiam venefici hominibus, quomodocunque possunt, damna detrimentaque inferre satagunt, quemadmodum etiam ab ipso diabolo, nil aliud, quam hominum perniciem & interitum, mediante, ad illud summopere instigantur: quocirca etiam eiusdem ope & auxilio, quemadmodum multis id probatur exemplis hominibus omnis generis materies, non dumtaxat ad infectionem, sed etiam ad incurabiles dolores acceleran-dos, ingerunt, adeo vt in multis acus, claui, lapides, crines, filices, fila, & id genus res aliæ, re-

pertæ fuerint, quas Diabolus arte sua præparauit, atque permissione Dei, sine quo nihil omnino potest, hominibus immittit, atque iterum, pro suo lubitu, adimit.

Succubi & incubi. Similiter & Magis istiusmodi Spiritus familiares sunt, quos succubos nominant, quod, ad maiorem seductionem, seipsos, sub formosarum fœminarum specie, subijciant,

Quandoque autem sunt incubi apud Sagas & veneficas, vt easdem sibi eo arctius deuinciant, quibus etiam quandoque humanum aliquod semen tanta vi ingerunt, vt exinde concipiant, & Diabolicum fœtum pariant, quemadmodum in Merlino factum esse tradunt, quiq; ab omnibus, iuxta Theologorum opinionem, pro Diabolico quodam fœtu fuit habitus: cum quibus etiam glossa super dictum in Genesi: Dum filij Dei filios hominum viderent, &c. conuenit, vbi dicitur: Non est incredibile, quosdam homines, à quibusdam Dæmonibus genitos, qui sunt mulieribus improbi & tædiosi S. Augustinus lib. 15. de Ciuitate Dei idem admittit, quemadmodum etiam Scotus lib. 2. Sent. dist. 7 quæst. vnica: Et Richardus de media Villa in libro isto distin. 8. Item Iacobus Sprengerus, & Henricus Institor, qui diabolicam istam operationem magno studio explicant & illustrant.

Ipsi quoque Magi satis superque testatum faciunt, se omnia Diabolorum ope atque auxilio perficere: dum homines per artes suas magicas ad insanum amorem, vel irreconciliabile odium, incitant, clauicula Salomonis, cæteris imaginibus, & id genus alijs rebus vtuntur, adeo vt præ nimio horrore comæ alicui erigantur, & vox faucibus hæreat: furibundos insuper homines efficiunt, violenter abripiuntur, ita vt suorum obliuiscatur. Qua de re S. Gregorius, in Dialogis suis, historiam aliquam de virgine quadam Vestali recenset, quæ ab impio quodam Monacho adeo incantata fuerat, vt moriundum sibi esse autumaret, ni singulis diebus ab isto monacho visitaretur. Vnde etiam nostri Poetæ, occasione captata, de duobus fontibus fabulantur, quos Merlinus magicis suis artibus ita infecerit, vt fontium istorum vnus vehemen-

mentissimum aliquem amoré: alter vero irreconciliabile extremumque odium excitauerit. Vnde etiam Ariostus fortassis Alcinam introduxit, quæ Ruggierum à Bradamantis amore liberauit, vt illo solo potiretur, qua de re in suis versiculis ita canit:

La bella donna Che cotanto amaua,
Nouellamente li è dal cor partita,
Che per i canto Alcina li cor laua,
Da ogni antica amorosa sua ferita,
Et di se Sola, del suo amor lo graua,
Et in quello essa riman sola scolpita.

Neque hoc non fieri posse fortitan aliquis dubitet: multis siquidem modis Diabolus hominem ad varias illegitimas voluptates incitare, etiam ipsi dormienti in stomachum ingerere potest, quo ad libidinem incendatur: quemadmodum cottidiana testatur experientia, quod vinum, aliæque vsitatæ potiones hominem ebrium faciant, ipsumq; vero suo intellectu destituant. Sic apud Theocritum videre est, quomodo videl. Simetta, amore erga Delphum accensa, cum laurea ad similem erga se amorem pellicere conatur, qua de re hunc in modum loquitur:

Vrit me Delphis, ego hanc in Delphide laurum
Et velut hæc stridet flammis succensa, nec vsque
Cernimus è tenui cinerem superesse fauilla,
Sic paribus flammis tabescant Delphidis artus.

Apud Lucianum Samosathenum Bacchis Sociam suam Melittam informat, quomodo nimirum Compositionem aliquam præparare debeat: quam tamen ego heic minime descripturus sum; ne videlicet leuibus præposterisque ingenijs ad peccandum, & similia tendanda, ansam occasionemque præbeam: siquidem & pia candidaque alias corda per istiusmodi mixturas decipi & inescari poterunt.

Sagæ & Magi insuper se totos diabolo dedunt, Christo, & Ecclesiæ Sacramentis renunciant, damnatos spiritus inuocant, pacta cum ijsdem instituunt, Diabolo sacrificant, ad omneis nocturnos conuentus, quo *Magorũ, Sagarũq; cum Diabolo obligatio.*

quo etiam vocentur, se præsto futuros spondent, honestas vxores, virginesque, pro virili, seducere conantur, singularem aliquem Diabolum, Ductorem, atque Comitem in amatorem sumunt, cum quo etiam apud nocturnas Choreas, & epulas, quæ ipsis per Diabolorum incantationes præparantur, fœdam suam libidinem explent: quemadmodum, Lactantij testimonio, diabolus homines illudere solet, vt multa sane, sibi polliceantur, quæ tamen in ipsa rei veritate nihil sunt. Maledicti & execrandi prorsus isti diaboli artifices viro (quemadmodum Paulus Chirlandus de familiari suo testatur) quoque vires virilemque suam potentiam adimunt, idque aut per occlusionem meatuum, per quos semen emittitur, vel beneficio quarumdam herbarum, lapidum, & potionum, aut per singularem aliquam operationem diabolicam, vel etiam incantationem & occultationem pudendorum, vbi diabolus mira sua agilitate aliud corpus substituere nouit, adeo vt externi sensus decipiantur, nihilque omnino in loco isto esse sibi persuadeant.

Pari modo quoque magi Sagæque sæpenumero, non dumtaxat nuda in imaginatione, verum etiam vere, in specie alicuius felis, canis, veruecis, capri, capellæ, vel alterius cuiusdam animalis (veluti Thomas Aquinas parte 1. quæst. 8. Siluester Prieras in Tractatu suo de admirabilibus diaboli magorum sagarumque operationibus, & Thomas Brabantinus in lib. suo de apibus: Item Alphonsus de Castro, Iohannes de Turre Cremata, & Paulus Chirlandus in Tractatu suo de Sacrilegijs testantur.) ad nocturnos suos conuentus, & conuiuia diabolica deportantur. Etiamsi autem videatur, quasi res omnino in canonibus negentur, præsertim cap. Episcopi, caussæ 26. quæst. 5. inserto, vbi sequentia verba leguntur: Illud etiam non est omittendum, quod quædam sceleratæ mulieres, retro post Sathanam conuersæ, Dæmonum illusionibus, & Phantasmatibus seductæ, credunt se, & profitentur, sese nocturnis horis cum Diana, Dea Paganorum, aut

cum

cum Herodiade, vel cum innumera multitudine mulierum equitare, super quibusdam bestijs, & multa terrarum spacia intempestæ noctis silentio pertransire. Et paullo post: Quis vero tam stultus & hebes fiet, qui hæc omnia, quæ in solo spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur. Tamdem ita concludit: Quod omnibus publice nunciandum est, quod qui talia credit, & his similia, perdat fidem, &c. nihilominus tamen inficias nemo ire poterit, quod corporaliter de vno loco ad alterum circumferantur, quemadmodum, Deo permittente, ipse Christus à Diabolo ad templi pinnaculum deductus fuit. Sic de Simone mago legitur, quod à diabolo in aerem sublatus fuerit, & exinde, ad D. Petri preces, deorsum iterum ceciderit. Dictus itaque Canon non de euagationibus in se ipsis loquitur, vt nimium illud negetur, verum illud vt eximatur, quod videlic. maledictæ istæ mulieres negēt, se apud dianam, vel impudicam Herodiadem in veris istis animalibus equitent, quodque translationes istiusmodi diuino aliquo spiritu fiant, non autem per diabolum, qui istas arte sua diabolica ita incantat, & magis fraude dolisque, quam legitimis operibus, infernale suum regnum fulciat.

Maledicti, porro, isti diabolici artifices, opem ipsis ferente Magistro ipsorum, etiam ipsa elementa cogunt, dum pluuias, atque tempestates cient, & iuxta illud, hominem omni vsu intellectus sui spoliant, vel, ad minimum, eumdem vehementer perturbant, non quidem propinato veneno, sed vi & potentia verborum suorum, quibus quandoque hominem omnino enecare solent. *Tempestatum pluuiarumque coactiones* Quocirca hac de re Augustinus, in libris suis de ciuitate Dei, ait: Hi elementa concutiunt, turbant mentes hominum, ac sine vllo veneni haustu, violentia tantum carminis interimunt. De illis etiam hunc in modum canit Lucanus:

Mens hausti nulla sanie polluta veneni.

Incantata perit, &c.

Et Tibullus famosissimæ alicuius sagæ hunc in modum meminit:

Hæc se carminibus promittit soluere mentes,

Quas velit, ast aliis duras immittere curas,
Sistere aquam fluuiis, & vertere sidera retro.

Ouidius vero Micalem, celeberrimam istam veneficam, ita describit:

Mater erat Micale, quam deduxisse canendo
Sæpe reluctantis constabat cornua Lunæ.

Sic quoque Poeta Italus Anguillara Medeam introducit, quæ artem suam hunc potissimum in modum celebrat.

Nel mar, l'io voglio, hor placo, hor rompe l'onde
Fo la terra muggiar, tremare i monti:
Et facendo stupir l'istesse sponde
Tornar fo i fiumi, in su ne i proprii fonti
S'io Chiamo Borea, in aria ei mi risponde,
Et gl' Austri, & gl' Euri, al mio voler son pronti.
Et quando l'arte mia loco è contraria.
Dal ciel gli scaccia, & fa tranquilla l'aria.

Damnorũ oculis suis illationes. Certo certius est insuper, quod maledicti & perniciosissimi illi homines alteri nudis dumtaxat oculis nocere possint, id quod etiam glossa super verba Apostoli ad Galatas testatur, vbi ad ipsos ita scribit: O insensati Galati, quis vos fascinauit non obedire veritati? Vbi glossa ista asseuerat, quod quidam homines reperiantur, quorum oculi adeo accensi fient, vt etiam nudo dumtaxat intuitu alios, præsertim vero infantes, possint lædere.

Nec id sane rarum aut incredibile æstumandum est: cottidiana siquidem testatur experientia, veluti Arist. lib. de Somno & vigilia ait, quod fæmina menstruo fluxu laborans, etiam nouum perpolitum speculum commaculet. Immo si quis, vti fertur, oculorum labe notatus, sani cuiusdam alterius oculum inspiciat, tunc & idẽ ille sanus à male sano oculo inficitur. Vnde etiam Petrarcha de lacrumante sua viragine conqueritur, quod ab illa etiam rubentes oculos sortitus fuerit, dum ita inquit:

Che del destr Occhio, anzi del destro sole
Della mia donna al mio destr' occhio venne

Il mal

Il mal che mi diletta, & non mi duole.

Quomodo autem id fiat, Doctorum hac de re opiniones variant: Quidam enim illud aeri tribuunt, quo oculus fiet circumdatus, per quem malæ istius qualitates, mediantibus radijs, alium in oculum deriuentur, quam sententiam Heliodorus amplectitur.

Alij, illud animæ, eiusdemque operationi, imputant, cuius opinionis est Ferrerius.

Alij, tam ipsis spiritibus, ex oculo promanantibus, quam aeri tribuunt, quos tamen Scaliger lib. de subtilitate refellit.

Alij, Cœlestibus influentijs, veluti Pomponatius in 10. cap. libri sui, quem de magia conscripsit, testatur.

Alij, imaginationi, quemadmodum Auicenna, Algazel, & Alkindus.

Alij, vi magi, aliquem eo modo lædere satagentis, veluti Petrus Abanus: Quidam vero illud ipsi Diabolo adscribunt, qui, permittente *Deo Ter Optumo Maxumo*, iuxta malitiam agilitatemque suam, multa sane in effectum producere potest, in quibus tamen nullæ caussæ naturales depræhenduntur, veluti communiter Theologi in genere ea de re sic statuunt.

De celebr. Saga Eriphila nomen ortum est, Manutio prætendente, vt istiusmodi homines, eorumdemque effectus, Anus Eriphila nominentur. De maledicta & execranda siquidem ista venefica refertur, vt etiam, venenatis suis oculorum radijs, quoduis obuium animal solo intuitu infecerit & læserit. Idem illis accidit, qui à populis, Triballis & Illyricis dictis, & ab Villis fæminis in Scythia, quas itias appellabant, ad infortunium suum, irato oculo inspiciebantur. *Anus Eriphila.*

Porro quoque Aulus Gellius libro 8. de ijsdem affirmat, se videlicet in quibusdam libris, vtpote Aristeæ Pruconiensis, Iphigenij Niceæ, Cresiæ, Onesicriti, Polystephani, & Hegesiæ, qui omneis apud Græcos percelebres & fide digni Scriptores habiti fuerint, inaudita, & incredibilia pene, lectitasse, ex quibus & illud, (cuius etiam Plinius lib. 7. naturalis suæ historiæ meminit) quod in Africa quędam genera hominum sola voce & lingua incantent; Et quando eximiam aliquam arborem, ob pulchritudinem suam, *Voce & lingua læsiones.*

um, fruges in Campo, equum, vel aliud quoddam animal, aut etiam hominem, aliquem laudent, tunc vel mori, aut tamen confestim marcescere, vel in lethalem morbum incidere: quemadmodum etiam omnibus diris deuouenda & execranda venefica Guthurume per incantationes, artesque suas magicas, multos homines excœcauit, cũ tamen nullæ rei istius caussæ vlli mortalium vmquam constiterint. Quot infantibus, in cunabulis suis dormientibus, à veneficis istis sanguis exsugitur? Quot à pestilentissimis & Diabolicis istiusmodi, vix nomine dignis, hominibus, in vtero materno corrumpuntur, &c, per abortum, deprauantur? Quot, obsecro, exempla illorum conspiciuntur, qui, si modo à Semi-Diabolis istis, exteriùs tangantur, aut claudicare, vel sæpenumero post vehementissimos exantlatos cruciatus, omnino mori necessum habent?

Simili modo & serpentes incantare possunt vt silētes, quasi dormirent, iacere cogantur, cuius etiam Psalmus mentionem facit, dum inquit: Sicut aspidis surdæ obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, venefici incantantis sapienter Psalm. 58. Eius rei peritus fuit idololatrius sacerdos Vmbo, cuius Virgilius, libro 7. Æneid. mentionem facit, dum ait:

Quin & Marrubiæ venit de gente sacerdos.

Sic & Plinius lib. 28. de Hexagono, Oblogenorum Legato, refert, quod, in præsentia Romanorum Consulum, sese vasi, serpentibus referto, inijci passus fuerit, qui, ob incantationem suam, non solummodo ipsum nullo modo læserint, verum etiam linguis suis ipsum, adulantium instar, lambere conati fuerint. De Marsis, à Circe, vti ferunt, ortum suum ducentibus, insignis ille Poeta, Silius Italicus, sequentem in modum scriptitat:

--- At Marsica pubes
Et bellare manu, & Chelydris cantare soporem,
Viperumque herbis hebetare & carmine dentem.

Idem etiam de mago quodam, qui Harcalo dictus fuerit, refert, quod sæuissimas leænas mulserit, nec tamen vllo ab ijsdem damno adfectus fuerit, dum ait:

Har-

Harcalo non pauidus feras mulgere leones.

De alio quodam magico incantatore, Atyr dicto, idem ille Silius sic canit:

Nec non serpentes diro exarmare veneno

Doctus Atyr, tactuque graues sopire Chelydros.

Licet vero Plinius lib. 26. ca. 4. superstitiones quasdam magicas varie irrideat, quasi fluuij & Paludes iniecta herba Etiopi, exsiccarentur: Item, quod eiusdem herbæ virtute omneis feræ reserari possent: Item si Achemenis herba in minutissimas partes dissecetur, & inter hostes proijciatur, tunc illos in fugam conijci: Item, si quis herbam Lactacen, quam persarum Reges Legatis suis in viam porrigebant, penes se gestaret, tunc ipsum omnibus rebus abundare &c. nihilominus tamen fateri idem Plinius & cum admiratione quidem necessum habet, quod, ob mirandam suam potentiam imperscrutabilis fiet, atque à Diabolo suam trahat originem, quemadmodum Eusebius lib. 5. de præpar. Euangel. inquit: Magicæ autem artis Dij Gentilium & inuentores, & Doctores fuerunt: Id quod etiam ipse Porphyrius lib. respo. testatur, vbi proserpinam introducit, quæ Sagam aliquam docet, quales videlicet imagines facere, & quomodo easdem tractare debeat, idque subsequentibus in versiculis:

Quale mihi facias simulachrum aduerte docebo;

Siluestri capenata loco; atq; absynthia circum

Ponito, tum totum celato, & pingito mures,

Qui soleant habitare domos, & cætera.

Et paullo post idem ille:

Tum myrrham, thus, Styracem ipsorumque cruorem

Conterito mutum: sacra d. super inde

Verba cane. Tot vero adhibe muresque repone

Quod mihi tu esse vides formas: tum sumito laurum,

Etque eius trunco, vaginam aptato, piasque

Tunc effunde preces simulachro, & debita solue

Tota. Hec si fa. ies protinus miranda videbis.

Ad illos autem, quod attinet, qui eamdem latius dilatarunt, atque propagarunt, de ijs ait

Mercuri⁹ in Asclepio suo, quod Ægyptij omnium primi fuerint. Plinius autem lib. 30. illud Agonaci cuidam imputat, à quo postmodum Zoroaster in Persia artem illam didicisset, atque vltra C. versuum M. super illam conscripsisset, quos postmodum Hermippus diligentissimis Commentarijs illustrasset. S. Augustinus Zoroastrem Bactrianorum Regem primum magiæ inuentorem fuisse tradit: vice versa Abbas Serenus, apud Ioannem Cassianum Collatione VIII. Chamo primam magicarum artium inuentionem imputat, cui Petrus Cõnestor, in Historia sua Scholastica, adstipulatur: nihilominus tamen ipsum Chamum etiam Zoroastrem nuncupatum fuisse autumat: quemadmodũ etiam olim liber repertus est, cuius Scriptura Cham nuncupata fuit, & cuius quoq; Cæcus Asculanus in suo super Sphæram Commentario, mentionem facit.

In primis autem istis seculis circa maledictam istam professionem occupati fuerunt Apuscotus & Zazatus, ambo Medi, Marmaridius Babylonius, Hippocus Arabs, & Zarmocenidas Assyrius. Et tempore Xerxis, potentissimi illius Persarum Regis, Hostanes multis Commentarijs in magiam scripsit, atque etiam in ipso itinere, dum Regem ad debellandam Græciam sequeretur, nefanda ista sua arte Diabolica multos homines interemit. Sic Curtius lib. 6. alicuius medi meminit, qui Cobares dictus, atque in Diabolica ista arte illo tempore, quo Alexander Magnus Bactrianos debellabat, celebris admodum fuerit. Tempore Neronis Tiridates, Armenian⁹ quidam Magus famosissimus, ipsum etiam Neronem ad magicis artib. præparatum aliquod conuiuium inuitauit. Lactantius Firmianus de Apollonio Thyaneo refert, quod Diabolica ista in arte adeo excelluerint, vt etiam, dum Domitianus Imperator ipsum appræhendere & punire conaretur, illico euanuerit, & nusquam deinceps repertus fuerit. De Pasete, famoso isto mago, prouerbium, *Pa etis Se niobolus*, circumfertur, ad quem, siquid emeret & solueret, erogata pecunia iterũ reuertebatur. Quid de celeberrimo isto mago Dardano nunc dicam, à qua ipsa ars, ob eiusdem excellentiam, Dar-

Dardana appellatur? Item de populis, qui Ophiogeni dicuntur, qui, iuxta Cratis Pergameni opinionem, etiam solo tactu morsus serpentum sanare possunt? Item de Locusta quodam mago, cuius Cornelius Tacitus meminit, qui Agrippinam, quomodo videlic. Dominum suum Imperatorem Claudium veneno tolleret, docuit? Item de medea, quæ pulcherrimam Creusam, quod palmam sibi præriperet, & â Theseo plus, quam illa, amaretur, horrendo dono combussit? Item de Publica & Licinia, ambabus Romanis matronis, quæ viros suos veneno sustulerunt? Item de Imperatore Iuliano, quem Helius Spartianus furiosum hominem ideo nuncupat, quod Diabolicæ isti arti nimium deditus fuerit? Item de Orpheo, qui, Argonautis in mari nauigantibus, horrendam tempestatem hymno sedauit? Item de illo, qui Vlyssi meris dumtaxat verbis sanguinem sistebat? Minime itaque mirandum est, quod omnia scripta iura Diabolicæ isti professioni tantopere aduersentur. Sic Plutarchus, in historia de vita Artaxerxis, refert, quod Persæ veneficorum capita inter duos lapides confringerent. Immo ipsus *Deus Ter Optumus Maximus* populo suo, quemadmodum in Exodo legitur, seuerum hoc mandatum dedit, videlicet: Maleficum non patieris viuere. In 12. Tabularum Legib. grauissima pœna ijs imponitur, qui incantando frumenta corrumpunt. In Imperatorijs autem Legibus, leg. Nemo. Cod. de maleficis, cautum est vt magi bestijs obijciantur. In Decretis caussa 26. quæst. 5. veneficus Laicus excommunicatur, Clericus vero ab officio remouetur, & ad perpetuos carceres damnatur. Sed hæc de maledictis & execrandis istiusmodi præstigiatorib. nunc dicta sunto.

IN DISCVRSVM VIII. ADNOTATIVNCVLA.

VBeriorem materiæ huius exlicationẽ beniuolus Lector in Auctoris Palatio incantationum reperiet,in quo ordine,iuxta omneis circumstantias, summopere studio de reb. istis tractationem instituit. Vbi simul Lector, bonam per occasionem, ac iocunda simul cum recreatione & vtilitate depræhendet, quandopere videlicet Garzoni Palatium nuperrimo tempore editis Bodini scriptis præferendum fiet, licet ambo Auctores vno eodemque tempore scriptitauerint.

DE AVLICIS, TAM VIRIS, Quam Fœminis.

DISCVRSVS. IX.

Cortegianus Castilionii.

ETiamsi Castilionius *Cortegianum*, siue Aulicum suum tam decenter expoliuerit, & ad tantam sane perfectionem reduxerit, vt numquam tam perfectus Orator, qualem certe Cicero requirit, ita quoque nullo vmquam tempore tam absolutus Aulicus, quemadmodum talem requirit, reperturus fiet: nihilominus tamen, pro meo instituto, ne quis in Emporio meo forsitan desideretur, generales lepidi alicuius aulici qualitates heic ordine commemorabo, & simul indicabo, quomodo videlicet muneri suo satisfacere queat, ne & ille forsitan sub vulgari fama, qua tam Aula, quam ipsi etiam Aulici plerumque contaminati sunt, compræhendatur, sed multo potius apud pios, sapientes, atq; prudentes Monarchas, Reges, &

& Principes in decente respe-ctu, honore, atque existumatione conseruetur.

Equidem, vt vno verbo singula complectar, si omneis aulici, cum sapientissimi istius Regis Salomonis aulicis, comparari possent, æque quis illud miretur, quemadmodum ob illud, ipsum Regina à Meridie mirata est. Vt autem tales fiant, in id omneis Reges atque Principes summopere debent incumbere. Id quod fiet, si iuxta opinionem Angeli Perusini, (vbi præfationem super Codicem introducit, quodque eadem de caussa dicatur & statuatur, Reges & Principes omnem sapientiam & scientiam in cordis sui scrinio possidere.) omni tempore sapientes, eruditos, omniumque rerum expertos in aulis suis fouerint, vtpote quæ illarum præcipua sunt ornamenta.

Quemadmodum de vere Nobilissimo Rege Antiocho legitur, quod nimirum singulari cum lætitia Hannibali ostenderit, quatenus videlicet aula sua omnis generis fortissimorum doctissimorumq; hominum refugium, & Conuentus fuerit, quos etiam lubentissime susceperit, liberaliterque eosdem & habuerit & tractauerit. Inter omneis autem Phormionem, celeberrimum istius æui Philosophum, modo dicto isti Hannibali commonstrauit.

De Imperatore Theodosio Magno Historicorum monimenta testantur, quod, postquam aliquando interrogatus fuerit, quomodo nimirum Princeps aliquis aulam suam conforma et, vt exinde bonam famam consequeretur, responderit: Si famæ bonæ studiosus Princeps, in peregrinationibus, domi, alijsque suis recreationibus, semper sapientes syncerosque viros circa se habuerit. Id quod sibi Marcus Aurelius, præstantissimus celeberrimusque quem vmquam terrarum Orbis habuit, Imperator, teste Lampridio, omnibus temporibus curæ cordique esse passus est.

Eadem sane de caussa Lydorum Rex Crœsus, quemadmodum Mondogentus lib. suo 1. quem Horologium Principum inscripsit, testatur, tam litteris, & internuntijs vnice eo adlaborauit, quo pacto videl. Ana- *Crœsus.*

dd 3 char-

charsin in aulam suam pellice-ret.

Dionysius Simili modo etiam Dionysius, Rex Siciliæ, nullis vnquã laboribus sumptibusq; pepercit, donec celeberrimum tum temporis totius Græciæ Philosophum, Platonem nempe, in aulam suam euocasset. Quo sane illud obtinuit, vt, etiamsi in ista sua aula multifarij errores, qui sane illum minime excusant, sed multo potius incusant, obrepserint, modo dicti isti excessus leuiores existumati fuerint, ob singularem istum splendorem, quo eruditissimi viri vniuersam aulam irradiabant.

Reges Ægyptii. De Regibus Ægypti fide dignissimarum historiarum monimenta testimonium perhibent, quod Menandrum Poetam ingentibus donis & sumptuosis Legationibus in aulas suas inuitauerint, eumdemque ob eximiam illius eruditionem in magno honore atque existumatione habuerint.

Antoninus. Similiter & Imperator Antonius, cuius rei Iulius Capitolinus mentionem facit, celeberrimum illum Philosophũ Frontinum in aula sua tantopere dilexit, vt etiam ex omnibus suis Aulicis, nemo, quam Frontinus ipsi vmquam gratior acceptiorque exstiterit.

Illud ipsum affirmat etiam Suidas de Dione Prusico Sophista apud Traianum: Cœlius de Iunio Rustico, apud Marcũ Antoninum, & de Euripide, apud Archelaum Regem Macedoniæ. Idem quoque memorat Cornelius Tacitus de Salerio Basso, famosissimo tum temporis Poeta, apud Imperatorem Vespasianum: Ammianus Marcellinus, de Themistocle, ex patria sua pulso, in aula Persica tum commorante: & Volaterranus, de Iohanne monte Regiano, apud Matthiam Hungariæ, & Francisco Petrarcha, apud Robertum Siciliæ Reges.

Ita quoque Pontanus aulas Nicolai V. Romani Pontificis, & Alphonsi Neapolitani Regis celebrat, qui inter alios celeberrimos doctissimosq; viros, magno numero illic congregatos, etiam Poggium Florentinum, & Antonium Panormitanum penes se detinuerit.

Sin vero quis omnia exempla Principum Monarcharumque, qui, ad exornandam aulam suam viris doctissimis nullis sumptibus pepercerunt, heic commemorare velit, tempus

nimis

nimis longum foret: quocirca labore isto, in commemoratis adquiescentes, nunc supersedebimus.

Alias tamen pene innumerabiles partes, qualitates, & proprietates in vero aliquo aulico requiruntur: quarum saltim precipuas compendioso modo heic adponam, tamquam laudabile aliquod speculum, iuxta quod pro virili vitam suam cōformare debent, idque faciam ex præscripto præcipuorum, experientissimorumque scriptorum, qui vnquam ea de materia scriptitarunt. Ex multis autem Gueuara, in suo *Auiso de Fauoriti*, hoc est, instructione fauoris consequendi, ipsis eximias & necessarias regulas præscribit, ex quibus sequentes sunt præcipuæ: Domino suo numquam omnia sua cogitata reuelent: nec ostendant, quæ habent: non omnia accipiant, quę concupiscunt: non omnia dicant, quæ sciunt: non omnia faciant, quæ possunt: nec aut pro se ipsis, vel pro alijs, inopportuno tempore tractare conentur: In dandis consilijs non suspectos sese reddant: nemini, nisi virtute præditis, & fauore dignis viris, faueant: cum nemine alio, nisi bonis synceris q; hominibus amicitiam colant: ante omnia vero conscientiam non minus, quam honorem suum, obseruent atque tueantur: In Conclaui suo, & vbicunque locorum, modesti & verecundi fient, erga domesticos honorifici, summopere etiam caueant ne forsitan Patrifamilias vllam faciant iniuriam, vel alias eumdem aduersus se irritent: iuxta eiusdem facultates sese accommodent, cum ijsdem contenti fient, atque ita peregrinos & exteros, humanitate, Comitate, & affabilitate sua, sibi familiares reddant: vbi quoque ministris & pueris suis summo studio interdicant, ne fortassis vllam petulantiam exerceant, quemadmodum de Phalaridis tyranni famulitio legitur, quod nihil amplius, quam fenestras exturbare, ianuas violenter infringere, pauimenta corrumpere, parietes contaminare, omnem in domo petulantiam exercere, cum ancillis, atque adeo matribusfamilias ipsis familiarius conuersari vel, vti ille veterator amatorius dictitabat, cochleare: id quod summum certe in aulico aliquo est facinus, si vel ipse in tali facto depræ-

præhendatur, aut idem famulis & pueris suis permittat. Qua de re Plutarchus, in libro suo de Matrimonio, scribit, apud Lacones peculiari lege cautum fuisse, vt, si peregrinus aliquis hospes saltim cum hospita sua loquutus fuisset, hospiti isti linguam exciderint, sin vero probabile, quod libidinem cum ea exercere voluerit, tunc morte transgressorem istum punitum fuisse.

Sic de Nobili quodam Cubiculario Imperatoris Aureliani legitur, quod ipsi m. do dictus Cæsar dexteram amputari iusserit, modo quod matremfamilias, vti Imperator per fenestram è longinquo conspexerat manica traxisset, licet ambo, id ex nullo impudico aliquo adfectu factum fuisse, sancte affirmassent.

Porro aulicus aliquis vnice in id incumbat, vt honestam apud Dominum suum famam, & dein eiusdem quoq; fauorem atque gratiam consequatur, idque iuxta exemplum Alcomidæ Græci, qui dicenti ipsi, quod multos Athenis inimicos haberet, recte respondit: non se ignorare, quod omnis generis damna detrimentaque sibi ab ipsis expectanda forent: quamdiu vero Rex Philippus sua, tãquam fidi ministri, fidelitate contentus esset, non curare sese, inquit, etiamsi sibi vniuersa Græcia aduersaretur. Cum autem Plato, in libris suis de Republica, inquiat, quod Regem esse, regnare & bel a gerere, victoriam obtinere, seruire, & fauorem consequi, tres partes fient, quæ admodum incertæ in manu inconstantis volubilisq; Fortunæ consistant: iccirco bonus aulicus in se nihil quicquã desiderari patiatur, sed omnem det operam, vt ipsius fidelitas, diligentia, & integritas Domino suo innotescat, & hoc modo Domini cor lucretur.

Prudens & prouidus prætcrea aulicus summopere sibi caueat, ne videlicet Dominum suum verbis, aut gestibus offendat, aut, in aliorum hominum præsentia, male forsitan de eodem loquatur, vel eumdem alicuius imprudentiæ & iniustitiæ incuset, aut defectum armorum, vel subditorum pressionem fortassis imprudenter exprobret, quibus dictis, vt in aulis istiusmodi homines & susurrones quamplurimi repetiuntur, infortunium aut exitium facil

facile sibi accelerare posset: veluti Lucio Turboni accidit, qui ab Hadriano Romanorum Imperatore ad mortem ideo condemnatus fuit, quod in Compagnia siue Societate aliqua, male de Imperatore isto loquutus fuisset: sed omne suum studium operamque eo potissimum conuertat, vt ad Domini sui adfectus & inclinationes, præsertim vero ad illius virtutes sese accomodare valeat. Exempli gratia si Dominus Musica, venationibus, piscatu, aucupio, disputationibus, arte gladiatoria, alijsque ludis equestribus delectetur, tunc & illa idem ille sibi grata esse patiatur, in ijsdemque sedulo sese exerceat, ne forsitan vltimus vel infimus in modo commemoratis istiusmodi exercitijs depræhendatur: Plerumque enim Magnates eos solent, præ cæteris, diligere, qui ipsis in affectionibus similes esse videntur, quemadmodum de Imperatore Aureliano legitur, quod Torquatum Romanum, ipsius exemplo nulla alba vina bibentem, tanto magis dilexerit.

Sic Seneca inter alias salutares doctrinas Lucullo etiam hanc tradebat, quod videlicet, vt heri sui fauorem atque gratiam & consequeretur, & conseruaret, multa officia eidem præstaret, econtra vero pauca loqueretur. Garruli Graculi isti siquidem, multa verba, nullas tamen vires habentes, in sermone suo, quales sient, cognoscuntur, atque pro suo merito denique tractantur. Similiter & in Cottidiana Conuersatione, reuerentiæ exhibitione, loquẽdo, recreando, & facetis sermonibus vsurpandis, omni modestiæ & Ciuilitati studendum est: qua in re aulici Imperatoris Seueri morionis doctrinã obserua re, debẽt, q opportuno tempore & loco quando captata occasione alijsque circumstantijs, cum stultitia sua sapientiam coniungebat. Erga sui similes quoque verus aliquis aulicus admodum ciuilem sese præstare oportet: adeo vt fiet in conuiuijs discretus, humanus, blandiloquus, temperantię deditus, in vestitu honestus, in erogando nullus auarus tenaxque aliquis Euclio, sed, absque tamen sumptuum profusione, liberalis: in conuersatione cum vxoribus & virginibus modestus, erga omneis in vniuersa aula humanus & officiosus. Bonam

insuper correspondentiam cum Domini sui Officialibus alat, ijsdem honorem suum deferat, non superbiat, sed multo potius erga omneis sese obsequiosum exhibeat, idque iuxta exemplum Agathoclis, qui non tam ante, quam post etiam dum in Siciliæ Regem electus filium esse rotunde confessus est. In Summa in omnibus obsequijs Domino suo præsto fiet, & videat, & non videat, ne idem ipsi accidat, quod Pannonio contigit, qui sane apud Alcmenidem, Regem quemdam Græciæ, gratia & fauore multos aulicos post se rellinquebat, in certamine pilæ tamen, Domino nimium contrarius, caput amittebat, atque ita theatrum sanguine suo signare necessum habebat. Prudens & cautus itaque aulicus semper probe sibi reuocet in memoriam, quod magnus eorum fiet numerus, qui sane leuiculis nulliusq; ferme momenti de causis, gratia & clementia Dominorum suorũ abutentes, in simile infortunium inciderint. Sic Craterus ab Alexandro, apud quem tamen antea gratia & fauore præpollebat, trucidabatur. Eumdem in modum quoque Pyrrhus, Epirotarum Rex, Faustum Secretarium suum tractabat: Imperator Domitianus, Nobilem suum Cubicularium Ruffum: Hadrianus, Amproniacum: Diocletianus, Patritium, quem tamen, ob nimiam sui dilectionem, sæpenumero Socium suum appellaverat: Turcorum Imperator, Abraimum Bassam: Henricus Anglorum Rex, Thomam Morum: & Franciscus Occidentalis Galliæ Rex Comitem Stabuli. Idem crudele fatum subijt quoq; Guido Gonzaga, à Duce Frederico trucidatus, alijque quamplurimi, qui omneis sibi ab Aulicis istis exemplum capiant, & Dominum fauorem ceu ignem tractent; in quo quidem se quis calefacere potest, ne tamen omnino comburatur, prouida cura cauendum est.

Virt[...] aul[...] cui[...] obs[...] da. Iuxta commemorata illa omnia aulicus quoque sibi temperantiam, veritatem, fidelitatem, & ante omnia, constantiam, curæ cordique esse spatiatur: vnde etiam Cælius Calcagninus Tractatum suum de vita aulica, *De Patientia*, inscripsit. Similiter & sapientis Epicteti Stoici dicterium, *Abstine & Patere*, sibi probe commendatũ habe-

habeat. Eo enim modo omnium fauorem gratiamque facile consequetur.

Si autem hodierno nostro tempore aulicus quidam reperiatur, qui non vltra modum arrogans fiet, & canis ferme instar, vitam miserabilem tam diu in aula sustineat, donec officiolum aliquod adipiscatur, & exinde aliquod sibi refrigerium polliceatur: aut non turpiter aduletur, & alterum aliquem Aristippum agat, qui omnia, quæ a tyranno Dionysio peragebantur, adprobabat, modo vt hero Dominoq; suo placeret, & artificiose omnib. fumum vendat, quemadmodum Ariostus in Satyra quadam ait:

Pazzo, chi al suo Signor contradir vuole,
Se ben dicesse che da mezzo giorno
Visto ha le stelle, & à mezza notte il Sole.

vel qui non dona petat, eiusque rei gratia lamentabilem aliquã trium linearum supplicationẽ Domino suo exhibeat: aut qui non venalem linguam in ore gerat, & ex passibus immo verbis suis lucrum aliquod petat: aut qui extrinsecus sese non fidum fidelemque aliquem Socium simulet, & tamen retro alterum calumnijs conuitijsque proscindat, modo vt apud herum Dominumq; suam auctoritatem alicuius fidelitatis sibi comparet, aut qui non verberonum fiet verberabilissimus, atque omnis generis dolos, calumnias & artes excogitare norit, quibus alterum, quem sibi aduersari putat, queat traducere & opprimere: aut qui non splendidas suas moscum olentes vestes, Valentiniani Hispani instar, pluris æstumet, quam honorem, existumationem, atque integritatem suam, quemadmodum Ariostus Rugierum in Alcinæ aula depingit, vel qui non iuxta pondus & tabulaturam incedat, qui non tenellulus, elatus, lusor, mendax, blasphemus, impudicus, gulosus, & omnis generis flagitijs atque sceleribus inquinatus fiet, quibus coloribus Polycraticus, Landus, & Iohannes Vallensis in Communi loquio suo, vulgares aulicos depingunt: is sane tamquam pretiosissimum aliquod Clinodium, non immerito magnifaciundus foret.

Id quod eo dictum volo, quum hodierno nostro tem-

pore in Magnatum aulis, nil, nisi fex hominum, vtpote maliuolæ vulpeculæ, Schola omnium malorum corruptorumque morum, & incitamentum ad omnimoda scelera atq; flagitia, reperiantur: adeo vt Mondognerus non immerito de Italicis aulis ait, quod in suo idiomate *Corte* dicantur, eo quod in illis omnia animis breuia, & bona deficiant, mala facinora, scelera & flagitia, vice versa, illinc cumulatim grassentur, & nullus eorumdem defectus adpareat.

Italica aula cur Corte dicta.

Si itaque aliquis ad aulam peruenit, tunc aspis sese præparat aduersus Nasicam: Philistæus, contra Dauidem: Minotaurus, contra Theseum: Medusa, contra Perseum: Circe, contra Vlyssem: Ægisthus, contra Menelaum: horribilis Paludes, contra Corebum: fallax dolosaque Medea, contra Meleagrum: vel omnia flagitia cateruatim congregantur, vt aduentantem hospitem successu temporis sensim occupent, quo melius breui temporis spacio magnus nequam euasurus fiet. In aula porro agminatim quasi concurrendo certant, odium, inuidia, calumnia, diligens alteri nocendi studium, mali adfectus, ira, conuitia, potentia, vindicta, libido, & id genus scelera alia. Ibi cristas suas erigit Domina Superbia: Ambitio sursum vergit: Vanitas in sublime tendit. Illic pauperum pressiones sine modo præualent: libido nullo fræno coercetur: infidelitas omnino est libera: Ebrietas honori habetur: odium liberum suum habet exercitium: immo omnia flagitia in aulis tuto cohabitant: immo sola Virtus & Integritas in aulis exulant. Si enim illic aliquis virtuti studere conetur, illum, tamquam simplicium, etiam lixæ rident: Simplices itaque illic ab omnibus irridentur. Synceri persequutionem patiuntur, vice versa autem, audaculi & impudentes extolluntur: adulatores promouentur: Susurrones & Calumniatores honorantur: maliuoli omnis generis infortunij incentores laudantur, & denique bipedum nequissimi cæteris præferuntur: adeo vt bene heic dicat & exclamet aliquis, quod omneis malitiæ, etiam ipsa irrationala animalia, & feræ bestiæ in aulico quodam congregatæ reperiantur: superbus est enim,

auli-

aulicus veluti equus ferociens, ferus, vt tygris: rapax, vt lupus: pertinax & calcitrans, vt mulus: callidus, vt vulpes: inconstans, vt leopardus: mordax, vt canis: libidinosus, vt hircus: ignarus, vt veruex: rudis, vt asinus: facetus, vt simia. Illic reperiuntur quoque furibundi Centauri, periculosæ Chimeræ: lasciui Satyri: fœdæ Harpyiæ: fallaces Sirenes: biformes Scyllæ: horribiles Medusæ: mutabiles Prothei, formidabiles struthiones, crudelissimi Griphes, terribiles Dracones, & omne illud, quod vmquam natura & fabulæ crudele & terribile proferre & fingere potuerunt.

In aulis itidem quælibet virtus peculiarem suum tyrannum & persequutorem habet: illasque omne infortunium, omnisque generis difficultates atque grauamina sequuntur. In magnis enim Magnatum aulis annonæ caritas plerumque in rebus omnibus conspicitur, qua tamdem omnes merces cũ ipso pretio crescunt: Nimia quoque luxuria tam in conuiuijs, quam vestitu, vbi omnia adesse, nihil vero deesse oportet, etiamsi illud cum imminente pernicie conjunctum fiet, vna cum vniuersali destructione & mutatione omnium bonorum morum; Si vero aula forsitan loco moueatur, & alio se conferat, proh Deum immortalem, quam male olentem fœtorem tum post se relinquit: huic siquidem vxor stupratur, alteri omnino deducitur: filiæ virginesque vitiantur, filij seducuntur & corrumpuntur. Et quid amplius heic additurus sum? Omnibus in locis passim grauissimæ querelæ exaudiuntur, quæ non dumtaxat crumenam, sed, quod magis, honorem, famam, bonamque existumationem concernunt, vbi sane nihil aliud quam damnum cum ipso ludibrio, expectandum est.

Huc etiam pertinet, quod aulici ipsi in aula, tamquam captiuitate aliqua, propriæ suæ libertati renunciare cogantur: nocturno diurnoque tempore ab ambitione sua vexentur, dũ semper metuunt, ne ipsis alius quispiam præferatur: intolerabilibus insuper sumptibus, atque exinde promanantibus debitis, seipsos onerare necessum habent, ne luxu & vestitu alijs inferiores æstumentur, vana quoque spe sese illinc lactare *Aulici captiui.*

coguntur, quam tamen, quo minus confidunt, ventus in aere dispergit. Illic, si velint emergere, omnis generis pericula sustinere, & sæpius sub dio humi pernoctare coguntur: male tractantur, & illos timere necessum habent, qui ipsorum famæ, honori, atque existumationi clanculum insidiantur: oculis conniuentibus, & ridentes quasi, officijs suis inæqualem persolui mercedem, sæpenumero intuentur, quodque sæpissime ipsis Histrio, vel mimus asinus, ardelio, calumniator, aut alius quispiam nauci, nulliusque pretij, homo præferatur, qui nam plerumque viris eruditione atque integritate conspicuis in aulis palmam præripiunt.

Virgines & fæminæ aulicæ earumdēque errores.

Quemadmodum autem in aulis non dumtaxat vulgares isti, sed etiam præcipui Officiales tot tantisque erroribus implicati sunt, adeò vt omnes ne vaccinæ cuidam pelli inscribantur. ita quoque Gynæceum peculiari sua labe notatum est, non enim omneis virgines aulicæ puræ, sed singularibus, ijsque enormibus, erroribus subiectæ sunt: vtpote nimiæ superbiæ & luxuriei in vestitu, libidini, & turpi otio, omnibus virtutibus inimico.

Sin vero aliquantulum sese exerceant, tunc exercitium istud plus arti amandi, quam pietati & probitati inseruit: idcirco etiam ipsarum, quos manibus terunt, libri ludicræ sunt Comœdiæ, Nouellæ, Discursus Amadisici Cantilenæ amatoriæ, & id genus alij, ex quibus plerumque nihil aliud discunt, quam malos deprauatosque mores, petulantiam, superbiam, leuitatem, obscœna verba, &c. cum tamen alias odio, discordia, pertinacia, vindictæ cupiditate, calliditate malitia, loquacitate, libertate, omnisque generis libidine alia contaminatæ fient. Nec præterea ipsis lasciuientes aliquot vetulæ multo merobibæ desunt, quę illas ad diuersimoda facinora, cumprimis quomodo faciem fuco tingere, sese ornare, comere & pectere queant, facilime instruunt. Immo ab ijsdem, quomodo videlicet furari, fallere, mentiri, & incantando amatores ad nassas suas pertrahere debeant, turpiter informantur, quod alias fæminino sexui familiare est, vt nimirum, quemadmodum D. Hierony-

mus

mus ait, circa calliditates, dolos, venena, & incantationes vt plurimum occupatæ sient. Paucis denique multa vt complectar in aulis nihil aliud expectandum est, quam Calamitas, miseria, & infortunium, quibus plerumque ante alios infestantur, qui in aulis saluti prosperitatique suæ consulere prospicere conantur.

Id quod Domina Colonna olim bene experta est, ideoque etiam eadem de re sequentes cecinit versiculos:

Altri nelle gran corti consumando
Il piu fior de lor giouenil anni,
Mentre vtile & honor van ricercando:
Sol ritruouano inuidie, oltraggi & danni,
Merce dingrati Prencipi, ch' in bando
Post' hanne ogni virtute & Sol d' inganni,
Et di brutta auaritia hun pieno il core,
Publico danno al mondo & dishonore.

Et hisce tamdem verbis breuis hic noster Discursus finitus esto.

IN

IN DISCVRSVM IX.

ANNOTATIVNCVLA.

IN tractatu Guazzi de Ciuili conuersatione, & in scriptis Gueuaræ de aula, eiusdemue Sectatorib. plura inueniuntur, eo igitur beniuolus lector nunc ablegatur.

DE MERCATORIBVS, ARGENtarijs, Institoribus, Propolis, Trapezythis & vsurarijs, & cætera.

DISCVRSVS X.

MErcatura, quemadmodũ Plinius lib. 7. testatur, 1. ab Aphricanis, vel, vti alio in loco affirmat, à Libero Patre, inchoata est.

Iosephus autem, emptiones & venditiones à Noe temporibus suum sumpsisse initium, asseuerat: veluti etiam ex ipsa SS. Scriptura liquet: Mercaturam videlic. vetustissimum aliquod fuisse negotium, quodque non dumtaxat omnis generis merces, verum etiam ipsi homines empti venditiq; fuerint, quemadmodum Iacobi filij fratrem suum Iosephum Ismaeliticis aliquot mercatoribus vendiderunt, qui rursum ab ijsdem in Ægypto fuit venditus.

Est autem Mercatura in se ipsa, & per se quidem, laudabilis vtilisque aliqua professio, quippe à qua vniuerso terrarũ Orbi omnis generis exoticis mercibus, pro requirente necessitate, prospicitur, & sine qua nullum regnum, nulla ciuitas, nullaque

nullaq; prorſus communio poteſt conſiſtere, quemadmodum etiam Plato, dum rectam, beneque conſtitutam vrbem inſtituere conatur, expreſſe ait: quod illud abſque mercatoribus fieri haud poſſit, vtpote quæ mercatura carere omnino nequeat. Idem confirmat etiam Blondus in Romæ Triumphantis libro ſuo 5. vbi mercaturam vrbi Romæ ſumme vtilem conducibilemque fuiſſe demonſtrat.

Idem quoque fit à Tito Liuio lib. 23. vbi inter alia recenſet, quod, poſtquam Scipiones in Hiſpania, ob frumenti aliarumq; ad vitæ ſuſtentationemque neceſſariarum rerum penuriam, fame ferme cõtabuiſſent, tres Compagniæ, in quibus 19. mercatores fuerint, non dumtaxat ipſis, verum etiam Romæ, in extrema tum temporis penuriæ neceſſitate cõſtitutæ, auxilio ſubuenerint, atq; & Scipiones, & Romam ipſam rerum penuria ſubleuauerint. Vnde etiam Cicero, in oratione ſua pro Plancio, eiuſdem parentem ſummis laudibus extollit, eo quod Vrbi Romæ vtilis olim mercator exſtitiſſet. Alio in loco celebrat quoque Bythinios, vtpote qui, mercaturæ ſuæ exercitio, vrbi Romæ plurimum profuerint. De mercatura itidem idem lib. 1. Offic. ita loquitur: Mercatura, inquit ſi tenuis eſt, ſordida putanda eſt: Si magna & copioſa, multa vndique apportans, multiſque ſine vanitate impatiens, non eſt admodum vituperanda. Atque etiamſi ſatiata quæſtu, vel contenta potius; vt ſæpe ex alto in portum, ex portu ipſo in agros poſſeſſioneſque contulerit, videtur iure optimo poſſe laudari.

Plinius, illam maiori ex parte ex humanæ vitæ neceſſitate inuentam eſſe, autumat. Polidorus Virgilius illam ſummopere vtilem eſſe dictitat, vt hoc modo cum exteris Nationibus Regibus, Principibus alijſque Proceribus familiaritas atque amicitia contrahatur. Vnde etiam ſummi præſtantiſſimique viri eamdem exercere minime erubuerunt, quemadmodum de Thalete, Solone, & Hippocrate Plutarchus teſtatur. Similiter & omneis ferme celebriores ſcriptores, illam ipſam vitæ priuatæ ſumme vtilem, Reipublicæ conducibilem, ad locupletandam familiam, aptam &

idoneam, & tamdem vniuersæ alicui ciuitati honori & ornamento esse; quamuis alias grauaminibus, periculis, & innumeris difficultatibus vt plurimum fiet obnoxia, quemadmodum etiam illum ipsum in finem Laco, vel ciuis aliquis Spartanus, mercatori qui alicui, se magno cum lucro & vtilitate omneis ferme maritimas prouincias perlustrasse glorianti, recte respondit: o miserum mercatorem, tam temere & frustra gloriantem: hæc enim, addebat Laco iste, tua tam locuples messis, quam multis annis tantis laboribus, curis, atq; molestijs tibi comparasti, vno vento & momento, non secus vt iactum aleæ, amittere poteris.

Mercaturam porro summis laudibus extulerunt, Augustinus Dathus lib. 3. epistolarum, Franciscus Patritius lib. 1. de institutione Reipub. & Bartholomæus Cæpolla, in tractatu de Imperatore militum eligendo, apud verbum *Nobilitatio*, vbi inter alia recenset & Nobilitatem Venetianam mercaturæ operã dare; quemadmodum etiam Genuæ, Mediolani, Lucæ, alijsq; Italiæ locis illud ipsum fieri idem Cæpolla affirmat. Vice versa Baldus, in l. nobiliores C. de Commercijs & mercatorib. nobiles, mercaturam exercentes, Nobilitati præiudicium facere, dictitat. Vnde etiam apud Romanos, quemadmodum Blondus lib. 5. Romæ Triumphantis testatur, Senatores mercaturam exercere peculiari statuto prohibebantur, quam tamen Baldi opinionem Bartholomæus Cæpolla, & Antonius Butrius impugnant.

Ad istam professionem magna prudentia, calciditas, labor, cura, bona memoria, intellect*, & diuersimodarum rerum scientia requruntur. Exempli gratia scientia omnimodarũ monetarum, earumdemque in diuersis Prouincijs valor, atq; reductio, & in quibus lucrum, aut iactura consistat: Item scientia permutandarum Sortium, in diuersis locis vsitatarum: Cognitio itidem omnis generis mercium, quibus videlicet in locis istæ vt plurimum, & cum commoditate distrahãtur. Exempli gratia Venetiani Belgiciq; pañi, stannum, cuprum, vitrum, papyrus, cistæ, specula, & id genus Venetianæ merces, in Oriente, vtpote Corfu, in Candia, Cypro, Neapoli, in Romania sita, Constantinopoli, Alexandriæ, in

Ægypto, iiſque ad mare maius ſitis locis, atque adeo vniuerſa in Syria commode vtiliterque diſtrahuntur. Econtra vero iſtæ merces, videl. aromata & materiales merces in Italia, Occidentali Gallia, Germania, Belgio, Anglia, Barbaria, Sardinia, Sicilia, aliiſque locis pluribus, vtiliter venduntur.

Scire quoque mercatorem aliquem oportet, vbi locorum ſcilicet merces vili pretio comparentur: id quod etiam peculiaribus in libris ſcriptum reperitur: vtpote merces, quæ ex Leuante Venetias tranſportantur, ſunt: Ex locis, ad mare maius ſitis coria, olea, harengæ, aliique ſalſi ſiccique piſces. A Baruti ad nos perferuntur Serica, tapetes, Zingiber, Cinnamomum, nuces myriſticæ, Piper, Caſſia, Rhabarbarum, Zabellotæ, aliæque id genus merces plurimæ. Ex Syria tranſportantur Cardouanæ, cera, Sericum, mel, tapetes, Dactyli, ſalſi piſces, & ſimiles merces. Ex Zante vehuntur vina, mala aurea, Cytrina mala, Oliuæ, olea, lana, coria, omnis generis cubebæ, vuæ paſſæ, &c. idque magna copia. Ex Italia veniunt frumenta, vina, caſei, lana, ſal, ſericum, & omnis generis inſtrumenta ferrea. Ex Apulia, cumprimis frumenta, fabæ, ciceres, oleum, vinum, mala aurea, & id genus alia. In Marca d' Ancona & Romania, magna copia reperiuntur frumenta, ſal caſei, linum, canabis, ſalſi piſces, & omnis generis fructus alij. In Iſtria, bonum vinum agni, capellæ, & fructus diuerſimodi alij. In Foro Liuio, vina, magna in copia, farina, & frumenta alia. In Polonia omnis generis pelles. In Belgio, omnis generis amictus, picturæ, & piſces. In Germania, omnis generis elaborata inſtrumenta cuprea, ærea, ferrea, ſtannea, & innumerabiles pene merces aliæ. In Occidentali Gallia, puriſſimi panni lintei, & libri omnium artium. In Hiſpania, piſces, ſerica, vina, lana, omniſque generis fructus alij. In Barbaria, crudæ bouinæ, ouinæque pelles, lintei, vuæ paſſæ, dactyli, ficus, & fructus alij. In Sardinia, Biſcotæ (panes bis cocti) caſei, lana, pelles, equi, & rina. In Conſic, caſei, multa vina, quę cumprimis Romam tranſportantur.

In India, Lignum ſanctum, Braſſiliacum, Salſaperilla, Cinnamo-

namomum, argentum, aurum, omnisque generis aromata alia.

Simili modo & ponderum qualitates atque differentias, Mercatorem aliquem probe nosse oportet. Pondera siquidem, iuxta cuiusque Prouinciæ consuetudinem mutantur, quemadmodum etiam omnes mensuræ aliæ, quarum reductiones si quis ignorauerit, breui is mercator non mercator futurus est.

Mercium proba cognitio atque diiudicatio. Sic & mercium qualitates industrio alicui Mercatori notæ fient, vt videlicet ipsarum bonitatem, aut prauitatem cognitam habeat. Exempli gratia: Sericum absque vllo errore sibi comparabit, quod tactu durum minus nodosum, nec nimis conglutinatum est, sed quando fila facile separantur. Cardouanæ, quæ tactu pingues sunt, & pressæ manibus, sonum edunt. Cassia longa fiet, glabrum putamen, pinguemque medullam habeat, & in manu grauitatem præ se ferat. Rhabarbarum itidem graue, intrinsecus fuluum, ad album, quod pertingat, gustuque minus amarum, sed dulce fiet. Cinnamomum neque nimis crassum, neque nimis fiet tenue, gustu quoq; dulce, quod que linguam aliquantulū mordeat. Moschus nigrians, & tritus manibus, ad fuluum trahatur, odore etiam grauitatem & iocunditatem spiret. Cariophylla recentia, tactu aliquantulum pinguia, non nimis nigra, & odore grata fient. Zingiber grassus, glabrus, non vermiculosus, & pondere grauis fiet. Manna alba, parua, gustu iocunda, absque tamen odore fiet.

Scammonia nigra, grauis, odore vehemens, non tamen nimis graue fiet. Et sic subsequenter de relliquis etiam mercibus probus aliquis mercator probum sanumque etiam habeat iudicium, quas si rite diiudicauerit, breui temporis spatio, *Deo Ter Optumo Maxumo*, & Fortuna propitiantibus, in virum locupletissimum euadere poterit. Fortuna autem ipsi tergum obuertente, breui, & vnico quasi momento, totam Europam fallimento suo implebit.

Mercatorum autem statum Donna Victoria Colomna sequentibus in versiculis eleganter depinxit, dum sic inquit:

Quel altro ingordo d'aquistar tesori,

Si

Si commette al poter d.l mar in-
fido,
Et di paura pieno, & di dolori,
Trapaſſa hor queſto, hora quell'
altro lido,
Et Speſſo dell' irate onde i romo-
ri
Gli fan merce Chiamar con alto
grido.

Et quando had' arriclir piu certa ſpeme,

Perde la vita, & la ſperanza in-
ſieme.

Si autem profeſſionem iſtam per ſe ipſam bene conſidero, tunc ſane illam non dumtaxat multis moleſtijs, laboribus, curis, & periculis, verum etiam omnis generis dolis atque impoſturis refertam deprǽhendo, quib. certe vt plurimi, licet non omneis (nam & probi candidique mercatores etiamnum reperiuntur) contaminati atque commaculati ſunt.

Primum ſiquidem perpauci admodum mercatores inueniuntur, qui malas ſuas merces etiam mil'enis dulciſſimis, ſuauiſſimiſque, fallaciſſimis tamen verbis peculiari etiam quandoque iuramento addito, alicui non norint obtrudere. De quibus Horatius, qui procul omni dubio etiam in ipſorum, *Laus Deo* incidit, ſequens elegans diſtichon conſcripſit:

Multa fidem promiſſa leuant, vbi
plenius æquo
Laudat venales, quas vult extru-
dere, merces.

Sic & Poeta Moralis eximiam certe doctrinam, contra mercatorum iſtiuſmodi dolos atque impoſturas poſt ſe reliquit dum quodam in loco ſic cecinit:

Noli tu quædam referenti credere
ſemper,
Exigua eſt tribuenda fides, qui
multa loquuntur.

Andreas Fauſtolinus vero ipſis, quo videlicet cum dolis, impoſturis, atq; mendacijs ſuis pertineant, certum locum ſubſequentib. in verſiculis præmonſtrat, ſic inquiens:

Periurata ſuo poſtponit numina
lucro,
Mercator ſtygiis non niſi dignus
aquis.

Secundo, multi defectus deprauationeſque ſuarum mercium artificioſe occultare, album que, pro nigro, eleganter præmonſtrare norunt, modo, vt pro virili oculis tuis palpū obtrudant,

trudant, teque decipiant; cum tamen illi, iuxta Leges 12. Tabularum, expresse puniendi sient, qui in istiusmodi dolis atque imposturis deprehenduntur: & Lex Aquilina venditorē eo adigat, vt videl. merciū suarū defectus emptori significet, iuxta illud, ꝙ quemlibet cōscientia sua arguat, quatenus sese hac in re gerere debeat. Verum Genuensis illius intentio ferme omnibus communis est dicentis: *Qui sibi à Diabolo timet, is numquam ditescet.* Sic alter olim ita exclamabat:

Chi non sa l' arte, serra la bottega.

hoc est.

Genuensis cuiusdam mercatoris Chreia horribilis.

Qui artem nescit, officinam claudat; præsertim in vendendis lanis, linis, sericis, pannis, purpuris, pretiosis lapillis, gemmis, aromatibus, fructibus, cera, oleo, vino, equis, alijsque animantibus: adeo vt in omnibus rebus doli atque imposturæ suæ appareant, atque istiusmodi artifices & impostores tā minus abstinere valeant, quam Bertramus Moguntinus, vel Pinabellus, aut Ganus. Vnde fit vt vniuersus mundus dolis refertus, omneisque merces falsationibus atque deprauationibus commaculatæ fient. Ea ipsa quoq; de caussa etiam quādoque totæ Prouinciæ annonæ caritate maxuma adfliguntur, victualia occludantur, & aliæ merces tam diu occultentur, donec egens Nobilis, & rusticus pauper ipsorum in manus incidat, eorumdemque gratiam atque clementiam implorare & expectare necessū habet. Quo facto mox heic ille, illinc alter solum vertere, & fidem suam fallere cogitur. Tum multi miseri ciues Mercatorum artib. atque technis adeo Chirographis suis implicantur, vt neque lauare, neque natare norint: plebs quoque viuis adeo exsugitur, vt, antequam animaduertit, contabescat: illic omnes merces, quanto plus requiruntur, tanto magis fœnore & pretio, per fas, & nefas, mirum in modum augentur, tum non dumtaxat oues, verum etiam ipsæ monetæ tondentur, extenuantur, atque plus iusto augentur, modo vt Principes, Proceres, atque simul miseræ plebeculæ à Mercatoribus fallantur, decipiantur, atque eo modo tota quandoque Prouincia, atque Communio aggrauetur. In Summa tunc dolosis permuta-

tioni-

tionibus, coactis emptionibus, & venditionibus, fallacib. verbis, atque peierationibus, toti ferme mundo nugiuendulii istiusmodi mercatores, vel verius impostores, imponunt, donec omnis generis imposturis obruatur, atque tamdem omnino exsugatur. Tacebo heic simpliciores, viduas, & Orphanos, existumantes miseram suam, multis laboribus & sudoribus adquisitam, aut iure hæreditario ad ipsos delatam peccuniolam, apud tam probos synceros que Dominos (scilicet) probe custoditam esse: quocirca eamdem ad ipsos deferunt, rogantes vt, pro exiguo saltim censu annuo, eamdem acceptare ne dedignentur: sed tamdem callidis pseudomercatorum istorum fallimentis à fidifragis istis ære suo elocato fraudantur, dum dictorum istorum simpliciorum, viduarum, Orphanorumq; peccuniolam impostores illi sibi reseruant, iisdemque nil, nisi planctum eiulatumque, rellinquunt. Tacebo itidem, quod quandoque perniciosissimę proditiones atque explorationes simul intercurrant, quæ sæpenumero propriam suam patriam hostibus prodant atque vendant. Recte & prudenter itaque Carthaginenses exteros Mercatores à consortio suorum ciuium, armamentarijs, alijsque secretioribus ciuitatis suæ locis, exclu- serunt. Sic etiam Græci exoticos Mercatores in vrbem suam minime recipiebant, sed ipsis, modo vt ipsorum ciues vacarent periculo, extra suburbia, ad distrahendas vendendasque merces suas, peculiarem aliquem locum destinabant. De diuersis alijs Nationibus Historiarum monimenta testantur, quod nullis omnino Mercatoribus aditum concesserint, sed eosdem pro bonorum morum disciplinarumque Corruptoribus, ob diuersimodas innouationes, quas plerumque admissi cum ipsis mercibus secum adferre solebant, habuerint. Ita quoque olim Epidaurij, hodierno autem nostro tempore Ragusii, (animaduertentes, quemadmodum Plutarchus testatur, inquilinos suos, ob familiaritatem & conuersationẽ cum Sclauonijs, claudicare, atque ea ipsa de caussa in Prouincia sua innouationem aliquam periculosam sibi metuendam esse) prudentem rerumq; peritissi-

Veterum contra exoticos Mercatores laudabile institutum.

tissimum aliquem virum ex suo medio deligebant, eumdemq; in Sclauoniam mittebant, vt ibi omnes necessarias merces cœmeret: simulque inquilinis, ne videl. aliquid sibi à peregrinis exterisque Mercatoribus emendo compararent, interdicebant, quo facto sensim omneis exotici Mercatores abrogati sunt. Sic etiam ipse Plato cum Mercatoribus non per omnia contentus est, quocirca in sua Republica peregrinarum Nationum delitias in bene cōstituto aliquo Regimine, quod que nullus inquilinus, nisi quadragesimo ætatis suæ anno, peregrinas regiones visitare debeat, expresse prohibet, vbi simul omnes peregrini & exteri ab inquilinis arceantur, vtpote à quibus nil aliud, nisi omnis generis deprauatæ innouationes, corruptique mores discerentur, quemadmodum illudipsum etiamnum hodie, quibusdam in locis, præsertim vero Lugduni, in Gallia, & Antuerpiæ, in Belgia videre est.

Idem quoque docet Aristoteles, ne videlicet in bene aliqua constituta Republica peregrinæ innouationes, & alias mali deprauatiq; mores introducantur. Etiamsi vero Mercatorib. Respublica carere nequeat, nihilominus tamen ciuibus eosdem adnumerari idem prohibet, exiguamque simul ipsis laudem tribuit, vtpote qui, quemadmodum porro ait, nulla re magis delectentur, quam vt mentiantur, in ciuitatum foris obambulent, omnis generis rixas ferant, discordiasque alant.

Illud tamen non de omnibus in genere Mercatoribus dictum esto, sed heic celeberrimos quosdam Mercatores exceptos volo, qui Londini, Antuerpiæ, Francofurti ad Mœnum, Lugduni in Gallia, Barcelonæ, Mediolani, Florentiæ, Genuæ, alijsque celebrioribus quibusdam in Emporijs, ob ingenuum mercaturæ suæ exercitium, satis superque noti sunt, quales sunt Albizzi, Panciatici, Bonuisi, Cinaoni, Palauicini, Omelini, Fagnani, Adda, Pauerari, Aldagati, Mendesi, Fuccheri, Welzeri, Pimeli, Ritlinghi, Herbeni, alijque plureis.

Sunt autem Mercatorum requisita & negotia præcipua, vt videl. aut magnam, vel paruam Mercaturam exerceant,

Com-

Compagnias faciant, peregrinentur, mutuo dent, merces suas venales habeant, emptiones, concludant, circa accipiendam numerandamque pecuniam occupati fient eamdem erogent, vendant, idq; vili, vel caro pretio, pecuniam deponant, circa Diaria occupati fient, Chirographa faciant, contractus instituant, trapezytarum munere fungantur, Commissiones peragant, lucrentur & ditescant, aut, vice versa, substantia sua minuantur, & fidem fallant. Instrumenta ipsorum sunt: Memorialia, Iournalia, Quadernæ, Contræ, Volumen, Inuentarium, arculæ peccuniariæ, officinæ & Repositoria.

Mercatoribus quoque Trapezythæ & Vsurarij plerumque adfines sunt, qui à Budæo Argentarij ideo appellantur, quod (quemadmodum Carolus Sigonius libro 5. de antiquo iure ciuium Romanorum ait) vel circa permutationes monetarum, aut vsuram occupati fient, atque exinde necessaria vitæ subsidia sibi adqsirant. Iste autem lucrandi modus olim à Græcis Collybus appellabatur, à quibus etiam Romani verbum illud mutuati sunt, veluti quoque Cicero in epistola quadam sua ad Atticum illo vtitur, & de Celio quodam inibi loquitur, dum inter alia heic verba adposuit: Vide, inquit, quæso, ne qua lacuna sit in auro; sed certe est in Collybo detrimentum. Sic etiam Plautus, in Curculione suo, trapezythas & vsurarios per heic verba subintelligit, dum ita inquit: Sub Veteribus, ibi sunt, qui dant, quique recipiunt fœnore. Vetera autem subsellia vsuraria ideo nuncupat, quod, Dionysio Halicarnasseo teste, à Tarquinij Prisci temporibus, in Romano foro instituta fuerint. Officinarum istarum vel subselliorum fœneratoriorum etiam Titus Liuius, in descriptione Samniticorum & Carthaginensium bellorum, alijsque in locis meminit.

Vnde quoque Cicero, in epistola quadam ad Atticum, à trapezythis & vsuratijs mutuo sumptam pecuniam æs circumforaneum nuncupat, quod suis quoque adhuc temporib. subsellia vel officinæ istæ vsurariæ à priscis istis temporibus in foro Romano in vsu fuerint. Ita quoque Quintilianus lib. 11. Institut. & modo dictus iste Cicero,

cero, in Oratione sua pro Cecinna, testantur, quod suppellectilia, vel merces demortuorum, aut fidifragorum, vel alias ære alieno oppressorum debitorum, in communi foro ad officinas istiusmodi nummularias venditæ & distractæ fuerint.

Eorumdẽ contẽptus & vilitas Fœneratorum & Nummulariorum istorum negotia autem Romæ numquam magna in existumatione aut honore, sed, vice versa, contemptui & despectui semper habita fuerũt; quemadmodum ex Suetonio colligitur, vbi inter alia recenset, quod Marcus Antonius Octauiano Cæsari ignominiose exprobrauerit, quod auus ipsius in subsellio nummulario consedisset. Sic Cassius illum ipsum non magis contemnere norat, nisi quod ipsum Nummularij cuiusdam filium appellaret. Quæ ignominia exinde forsitan suam traxit originem, quod, quemadmodum Carolus Sigonius ait, trapezythæ plerumque circa vsuram occupati essent, ideoque etiam vt tales, qui illegitimo more modoque victum sibi compararent, non immerito, veluti Cicero in officijs suis de istiusmodi fœneratoribus testatur, apud omneis contemptui, & pro odiosis habebantur: quemadmodum etiam vsura per peculiares quasdam Leges & statuta, quæ à Cornelio Tacito libro 5. Annal. recensentur, primum fuit prohibita. Cum itaque Cato Senior aliquando interrogaretur, quid de fœneratoribus sentiret, respondit: inter homicidam, & vsuram ab homine petentem, nullam se ferme facere differentiam, qui etiam, dum Prætoris & Gubernatoris munere in Sicilia fungeretur, ad contestandum odium suum contra Vsurarios, tamquam homines perniciosissimos, omnes illos ex dicta ista Insula in exilium pepulit. Similiter Marcus Cato, in lib. suo de re rustica, satis superque, quid videlicet de vsurarijs istis sentiret, mentem suam explicat, dum, inter cætera, sic inquit: Maiores nostri hoc habuerunt, & ita in Legibus posuerunt, *Furem dupli condemnare, Fœneratorem quadrupli.* Et Cicero, in quadam sua ad Atticum epistola scribit: Salaminios, vsuram exercere volentes, Lege Gabinia expresse fuisse prohibitos.

Simi-

Similiter etiam Blondus, lib. 5. Romæ Triumphantis, memorat, quod Romanorum Imperator Alexander Seuerus, cuius mater Christiana, ipse vero pius aliquis Princeps exstitit, Senatoribus Romanis vsuram omnino interdixerit: Sin vero peccuniam suam mutuo dare velint, tunc honesto aliquo honorario, retributionis loco exsatiarentur. Cum vero illud, laudatissimus idem ille Imperator, obtinere haud posset, primum tum illum tres florenos per Cento, vti Mercatores nostri hodie loquuntur, concessisse, antea vero nullam omnino Constitutionem ea dere sancitam fuisse, sed quemlibet, iuxta vrgentem suam necessitatem, erogare necessum habuisse: prçsertim autem ante Legum XII. Tabularum publicationem, in quib. omneis vsuræ seuere prohibitæ, & vsurarij grauiter puniti fuerunt.

Sic etiam in Lege Mosaica cernitur, quo pacto videlic. vsura Iudæis interdicta fuerit, quemadmodum Deut. 23. legitur: Non fœneraberis fratri tuo. Exod. 22. Nec vsura opprime eum. Leuit. 25. Nec accipies vsuram ab eo. Neh. 5. Vsuras ne singuli à fratrib. vestris exigatis. Sic Regius Psaltes, Dei nomine, vsurarijs minatur, quod in monte sancto, & in tentorio suo beato habitare non debeant. Ambros. lib. 3. Offic. vsuram manifestum appellat spolium, quemadmodum etiam, in libro suo de bono mortis, idem facit. Dauid vsuram voracitatem nuncupat, dum ait: Deuorant plebem meam sicut escam panis. S. Iohan. Chrysost. peccuniam fœneratoris alicuius morsui serpentino comparat, qui serpens aspis dicitur. Quemadmodum enim ille, inquit, quem talis serpens momordit, lenissime dormit, donec tamdem moriatur: ita quoque ijsdem accidit, qui peccuniam alterius fœnore mutuo sumũt, & omnino sibi persuadent, peccuniam illam, sibi mirum in modum commodare, nihilominus tamen, antequam animaduertant, à peccunia ista omnino & ita quidem inescantur, donec ab eadem corrosi & deuorati fuerint. Vnde etiam fœneratores in vniuerso terrarum Orbe, & apud omneis passim Nationes odiosi sunt & execrabiles.

De Germanis Cornelius Tacitus

citus commemorat, quod videlic. vſuram ſemper pro re abominabili & execrabili hab. e rint. Indiani eamdem numquam inter ſe ipſos paſſi ſunt. Scythæ, quemadmodum Iuſtinus de iiſdem refert, non ſolummodo vſura.ium aliquem nauci æſtumarunt, verum etiam, omneis relliquas Nationes, quod tantopere auro atque argento inhiarent, irriſerunt. Athenienſes fœneratores tanto ſane odio proſequuti ſunt, vt etiam, iiſdem mirum in modum creſcentibus, excitato in fore igne, omnia illorum Chirographa & Diaria combuſſerint, atque Ageſilaus, Rex Athenienſium, adſtans, ſe videlic. ad dies vitæ pel ucidiorem flāmam numquam vidiſſe, exclamaue it.

Simili modo Lacedæ onij quoque vſuram, tamquam rem abominabilem, vehementer improbarunt. Et ne forſitan ſucceſſu temporis eamdem ambirent, Lycurgus, ipſorum Legislator, hanc inter ipſos Conſtitutionem condidit, ne videlicet aliquid ære mercarentur, ſed ſemper merces cum mercibus, & quiſque quidem pro exigente ſua neceſſitate, permutarent: quo facto & pecunia, vſura ipſa ex ciuitate & P ouincia ſua exterminata fuit. De Lucio Lucullo Hiſtoricorum monimenta teſtantur, quod ab omnibus ſummopere laudatus, & ferme, pro more Gentilium, diuino honore adfectus fuerit, eo quod omneis ſimul fœneratores vna vice ex vniuerſa Aſia pepuliſſet.

Pari quoque modo fœneratores, ſiue vſurarij, tam in Cæſareo, quam Pontificio iure pro infamibus æſtumantur. Si quis enim, cum fratris ſui germani, vel alterius cuiuſdam amici præiudicio, alterum hæredem inſtituiſſet, tunc teſtamentum illud, de iure ſcripto, eſſet inualidum. Sic & Theologi, ad maiorem vſuræ contemptum atque ignominiam, fœneratorem aliquem omneis ſimul creaturas in genere offendere atque lædere, aſſeuerant: tempus ſiquidem, (vti dictitant) quod commune bonum eſt, vendit, atque adeo omnibus ſanctis in Cœlo vim ir fert, quorum feſta vſurario cuidam fœnus importare coguntur, ita vt etiam ipſi Domini & Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti feſto Natalitio minime parcatur, ideo quoque fœne-

Vſurarij pro infamibus

fœneratorem non dignum esse vt ipsi apud sepulturam suam *Requiem Æternam* cantetur, veluti alijs Christianis, pro more solito, fieri assolet, & quemadmodum in vita sua debitorib. suis nullam omnino quietem concessit, ita vicissim vsurarium istiusmodi à morte sua nulla quoq; quiete dignum censendum esse.

De fœneratorum encomio autem plura scire qui desiderat, is sermonem sexagesimum Michaelis Mediolanensis, & tam Veterum, quam Neotericorum Summistarum Tractatus lectu sibi familiares reddat; qui longe alio modo, quam Discursuum more, de istis loquuntur.

Trapezythæ negotia vero sunt peccuniam contribuere, fœnerari, fœnus exigere, litteras trapezythicas scribere, acceptare, partium debita, & anti debita inscribere, & id genus alia.

Fœnerator autem fœnus pignusque capit, peccuniam mutuo sumit, pensiones siue, vti vocant, interesse, soluit, pignora reddit, monet, vrget, accusat, & quæ id genus sunt alia honesta (scilicet) negotia. Eo tamen ambo isti respiciunt, vt nil aliud, quam peccuniam & dignum peccunia pretium adquirant, neq; alijs verbis, quam dicto Ecclesiastici cap. 10. *Peccuniæ obediunt omnia, &c.* vtuntur: quocirca etiam peccuniam talem esse Deam existumant, de qua Iuuenalis sic cecinit:

——Et si funesta pecunia templo
Nondum habitas: nullas nummorum erexinus aras.

Nullam præterea aliam precationem, votum, & deuotionem habent, quam illam à Persio sequentibus versibus tam artificiose descriptam, quasi eorumdem corda introspexisset, dum inquit:

Prima fere vota, & cunctis notissima templis:
Diuitiæ crescant & opes, vt maxuma toto
Nostra sit arca foro:

Nimium & plus iusto itidem opinioni Horatianæ, vel potius vulgaris insciæque plebeculæ tribuunt, quæ subsequentibus in versibus comprehenditur:

Omnis enim res, diuina humanaque pulchris

Diuitiis parent. Quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens, etiam Rex,
Et quicquid volet.

Hisce adnumerantur etiam vulgares isti Institores, quorum mercibus diuersimodis, in Oeconomia summopere necessarijs nemo, tam in vrbib. quam pagis, carere potest, vt sunt, panni lintei, vestiarij, axungia, acus, pectines, digitalia, tintinabula, cultri, ligulæ, femoralia, fila & innumerabiles res aliæ, quibus etiam Pharmacopolas, & Aromatarios siue, vti vocant, Materialistas ipsos varietate antecellunt, ad quos nemo venit, qui non apud illos inueniat, quod sibi necessarium esse arbitretur. Inter ipsos autem, & commemoratos istos Mercatores nullum aliud est, discrimen, quam vt illi magnis, hi vero paruis summis atque adeo nummis merces suas extrudant.

Equidem multo maius ad ipsos redundaret lucrum, nisi multi alij ipsorum messi falcem suam immitterent, præsertim vero circumforanei isti tabernas suas ad collum suspendentes, & ostiatim merces suas obuijs quibusuis, eundo venales porrigentes, quorum hinc inde vt plurimi reperiuntur, præsertim autem Hebræi in Romania circumforaneum istud negotium crebro exercere solent.

Cumprimis autem ipsorum solertia & astutia probe notanda est, quod tantam mercium varietatem, quas ex tam dissitis peregrinisque locis ad Patriam suam referunt conseruant, atque tam callide tabernas suas semper nouis, miris, rarisq; mercibus exornant. Si quis autem hisce fidem minime habeat, is Venetijs, aut Mediolani, si volet, sese in tabernas conferat, ibique semper noui atque hactenus inauditi aliquid reperiet, quo vel oculos suos pascere, aut crumenulam euacuare poterit.

Ad defectus siue errores ipsorum autem, quod attinet, eosdem ferme cum Mercatoribus communes habent: idcirco me ipsum, aliosque bonos homines, heic non diutius detinebo; ipsorum tamen beniuolentiam minime tacebo, dum ita officiosos promptulj isti sese exhibent, vt etiam pro obolo ligna sulphurea vendant, quo

ancillæ

ancillæ ipſorum opera fruantur, & mane aut candelam, vel ignem accendere valeant,

Et tamdem etiam Propolæ ad Societatem iſtam referuntur, qui ad promouendā Rempublicam, diuerſimodas merces grandi ære ſibi comparant, vtpote farinam, vinum, oleum, pannum, & id genus alia, quæ poſtmodum vnicuique, pro exigente rerum neceſſitate, iterum diuendunt. Romani illos olim Tabernarios nuncupant, quemadmodum etiam fornicatæ ipſorum Cameræ Tabernæ appellantur. Vnde etiam Nonius Marcellus ſcriptitat: Tabernæ, inquit, non tantum vinariæ ſunt, ſed & omneis, quæ ſunt vſus popularis. Sunt vero Propolæ iſti Mercatoribus, in Groſſo, vti Mercatorum more loquuntur, negotiantibus, non diſſimiles, atq; adeo non dumtaxat ſibi ipſis, verum etiam alijs, ſuis mercibus indigentibus, hominibus magnam commoditatem emolumentumq; adferunt: apud ipſos ſiquidem omnis generis merces, quæ tam ad victum, quam amictum requiruntur, inueniuntur. In diuerſimodis varijſque tamen erroribus atque defectibus cum prioribus conueniunt, vnius ſiquidem farinæ ſunt, eorumdemue merces ſub calce vna eademq; ſignatura ſignantur.

Sed hæc pro tempore nunc ſufficiant.

FIN

IN DISCVRSVM X.
ANNOTATIVNCVLA.

AD Mercatores, eorumdemque requisita & negotia, quod attinet, de ijs plura reperiuntur apud Cælium Rhodiginium, libro vndecimo, Antiquarum Lectionum capite quinquagesimo sexto, & apud Calcagninum, in verbo Mercatura. Similiter & apud Petrum Victorium fol. 204.

DE FACTORIBVS, ET CVRATORIBUS, aliorum negotia tractantibus & Curantibus.

DISCVRSVS XI.

Curatores primũ institores, & cur sic dicti.

VEteres illos, qui hodierno nostro tempore Factores, vel Curatores in genere appellantur, tribus etiamnum minime ignotis nominibus nuncuparunt, eosdemque primum Institores, ab instando, quemadmodum Vlpianus autumat, dixerunt, quod à Dominis suis ad id potissumum instituebantur, vt negotia ipsorum diligenter & sedulo exequerentur. Illorum quoque mentionem facit Titus Liuius libro 5. suæ historiæ, vbi inter alia sic ait: Vrbi frequentandæ multitudo Institorum opificumque retenta.

Si autem hodierno nostro tempore Institoris vocabulum aliquis vsurpet, tunc eo ipso vulgares popularesq; isti Mercatores & propolæ subintelliguntur. Dein eosdem quoque negociatores nuncuparunt, de quib. apud Labeoné ista verba legun-

leguntur: Negotiatores, inquit, Serui videntur, qui præpositi sunt negotij exercendi caussa. Et tamdem etiam Procuratores appellantur: qua de caussa idem ille Vlpianus libro primo Procuratoribus & Defensorib. ait: Procurator, inquit, est, qui aliena negotia mandato Domini administrat. Sed nos eos dumtaxat Factores, Institores, Negotiatores vel Procuratores heic intelligimus, quibus præsertim Oeconomiæ administratio à Dominis suis demandatur.

Ad Factoris & Curatoris alicuius munus & officium autem ante omnia fidelitas, diligentia, cura, experientia, prouidentia, modestia, charitas, bonitas, affabilitas, & humanitas, aliæque virtutes plureis requiruntur, quibus plerumq; Domini Principales, vel ij, quibus cum res agitur, occasione intercurrentium negotiorum, plurimum recreantur. Omneis vero illi, quibus istiusmodi munera atque officia demandantur, summopere sibi prospiciant, ne forsitan, vti plerumque apud omneis fieri assolet, in Apuleios asinos transmutentur, & omneis modo commemoratas virtutes pariter amittant, sed potius, vice versa, sibi laudi atque honori ducunt, dum manifesto tamquam inflati superbique nequam, stolidi Thrasones, ignari Archiasini, & stupida sesquiligna in omnibus suis actionibus arguuntur atque æstumantur. In numerum bonorum, proborum synccerorum, atque fidelium Factorum siue Curatorum Caius Terentius Varro refertur, qui ex vulgari aliquô Factore, Titô Liuio teste, ad Consulatum euectus fuit, etiamsi alias minus fortuna prospera vsus cum Hannibale apud Cannas infeliciter admodum pugnasset, atque exinde apud Romanos exiguam sane lætitiam excitasset. Inter degeneres stupidosque archiasinos vero Iudas proditor pertinet, quem Factores & Fortunæ suæ propriæ fabricatores isti artificiose æmulantur atque imitantur, ideoque etiam digni, vt quemadmodum ille, impudentis insatiabilisque furis instar, sibi ipsi gulam infelicem fregit laqueo, ita quoque & illi promeritam suam mercedem tamdem aliquando simili modoque sortiantur. Est autem alicuius Factoris & Curatoris officium

ficium vt omneis Dominorum suorum reditus & expensas fideliter diligenterq; consignẽt: Sunt tamen hac in re, maiori quidem ex parte, tam rudes atque imperiti, vt ad munus istud parum apti videantur, adeo vt, pro decem, Centum, pro Centum, mille quandoq; scribant: Immo nec conforme legitimumque aliquod Diarum formare neque calculum ex vno libro ad alterum transferre & reducere norunt: ideoque etiam Dominorum suorum, redituum semipartem ad se fraudulenter pertrahunt, & expensas adeo cumulant, vt Dominis parum certe in residuo remaneat.

Si ipsis aliquid cœmundum est, tunc plerumque vilissima quęque ipsis primo obueniunt, illudq; vix ægre obtinent, modo vt vili pretio illa sibi comparare possint. Ideo etiam pisciculos Sartorinos, pro lucijs, vaccinam, pro carne bubula, passeres, pro turdis, &c. emunt, atque ante omnia, quæ fœtida & putrida adquirunt, exceptis caseis Romanijs, in quorum emptione nimium sibi fecisse arbitrantur, si maturum aliquem domum deferrent. Itaque versipelles & trandici isti Euclioneѕ quandoque forum decies obambulant, antequam pro tribus numis raphanos, duobus bacjunculis virides lactucas, aut simile quidpiam coemant: Sæpenumero semidiem insumunt, donec immaturam aliquam cucurbitam, aut nucum auellanarum manipulum ære sibi comparent. Si pauca oua, aliquot mortui cancri, &c. ad excipiendum, qui Dominum salutatum venerat, hospitem, ipsis emendi sunt, proh Deum immortalem, non dumtaxat totum forum decies obambulant, verum etiam omneis vrbis angulos circumcursitando perreptant, nullo labori & molestiæ parcentes, donec sale conditorum putidorumq; piscium particulæ abijciantur, aut fœtidæ carnes canibus deuorandæ proijciantur: quo facto, tum illico promptuli isti prompti paratique sunt: ni frustra præda ista corrupta atque semifœtida poriri possunt, vtiliter tamen tunc eamdem sibi comparant, & magis quidem pro tribus obolis, quam fortassis alij pro semifloreno. Si Domesticis quandoque gratificari aut bene facere volunt, tunc ta-

ranarum oſſicula in adipato beneque vncto ſuo ſtrophiolo domum deportant; illa tum in rancido oleo rapaceo, aut fœtido butyro torreri curant, atque tum dicti iſti domeſtici genio ſuo indulgere, & iuſculo aquoſo, triumq; raparum conuiuio ſeſe exhilarare poterunt. De diebus feſtis nulla nunc heic verba facturus ſum: In ijs ſiquidem ex ouis tantas ſane placentas Florentinas in ſartagine cõficiunt, quæ tenuitate & perſpicacitate etiam cum Muranico vitro certant, de Crutordis, quibus totus Matthiolus, cum omnibus ſuis bonis maliſque herbis, inhæret: de albis Cupedijs, in quibus Cremonenſes Phaſeoli nequaquam cum Parmenſi caſeo conuenire poſſunt, quocirca rapę illinc primas obtinent: de fritellis, præuſtis Roſmarini caulis refertis, vt, manducatæ ſonent, quaſi aliquis carbones deuoret, de cupedijs amygdalinis, in quibus Oryza adeo intumeſcit, & ad tantos honores peruenit, vt tota pene in amygdala commutata videatur. In Summa nihil etiam heic de ipſorum piſcib. dicam, quibus domeſticos ſuos adeo irretitos tenent, etiamſi neque butyro, neque Sale, neq; etiam aromate cocti conditique ſint. Item de optuma carne bubula, vel vaccina, quæ in patinis elixo cancro ſimilis: de mollibus boniſque placentis, quæ lapidi marmoreo duritie ſimiles, & in quibus non ſolummodo dentes acuuntur, ſed quandoque omnino mordendo euelluntur: De viridi ipſorum Oluſculo, quod ſibi à caſeo magis, quã Scabies à pectine, metuit: de iucundis eorumdem ſalſis pejus, Venetianorum Cloacis & latrinis, ſordentibus, fœtido aceto, rancido oleo, & id genus ſordidis rebus alijs. Et tamdem, paucis multa vt complectar, Terentiani iſti Eucliones boni ſunt Oeconomi, omnibus ſiquidem in locis optumũ, pretio tamen viliſſimo, coemunt, modo ne Oeconomia nimijs expenſis oneretur, atque exinde forſitan aliquid damni detrimentique patiatur. Verum, an non illud in Dominorum ſuorum commodum emolumentumque vergit? Immo, ſed per Antiphraſin: Si enim Dominorum ſuorum ſumptibus, atque expenſis aliquantulum parcere aut detrahere conarentur, tolerandum, atque tacen-

dum id quidem esset. Quod vero ouis elixis alijs exinde iusculum parant: alios, atque adeo Dominos ipsos; fraudulenter decipiunt & optuma esculenta clanculum sibi soli reseruant: optumis carnibus & piscibus sese in promptuario cibario stomachos suos explent: optumis vinis, & quidem Maluaticis, sese exhilarant atque recreant, illud inquam toruos facit oculos, & quidem apud eos, qui sane clandestinam furtiuamq; istam luxuriem conniuentibus ocul s intueri, atque nihilominus tamen tacere necessum habent.

Malum illud aliud & quidem grauius, auget malum, q, quemadmodũ voraciores sunt Scylla atque Charybdi; & omnia in nassam suam pertrahunt: ita quoque supra modum luxuriosi & libidinosi sunt: magnum itaque meretricum gregem de Dominorum suorum reditibus alunt; ijsdemq; Ruffiani & Lenones eximie donantur atque exornantur: Sæpius tunc corbis, aut patina occultis esculentis in virginis, aut Dominæ Ammaliæ domicilium mittitur: immo adeo quandoque feroces & impudentes fiunt, vt etiam honestorum virorum vxoribus, filiabus, immo ipsis quoque virginibus Vestalibus, nimiam aliquam familiaritatem, vel vt verius dicam, concubitum deferre minime vereantur. Tunc aut horis matutinis, vel vespertinis virginis amatæ ancilla, aut puer, ad malesani istius Oeconomi foreis conspicitur, Domino N. nomine suæ virginis, bonum mane, vel, bonam vesperam omnemque beniuolentiam & officia precantes: tunc foreis sensim reserantur, atque corbicula albo pane, lagenula optumo vino referta, vna cum assato gallo gallinaceo, alijsque bene conditis coctisque edulijs egrediuntur, & foreis iterum tam modeste occluduntur, adeo vt etiam post focum latitans canis neutiquam animaduertat. A Meridie turgida crumena itur ad viraginem amasiam, ibique tunc lepidi congerrones in honore (scilicet) congregantur, genio indulgentes, confabulantes, atque, pro more adolescentum & iuuencularum, iocantes. Et quid tum dicam aliud, nisi: *Vá Tali Domino, Tali Ministro onerato*? Nullis enim tunc parcunt sumptibus, nullis mer-

mercibus, atq; adeo omnia per ipsorum manus fluunt, non secus quam mel in æstate.

Interim Iournale, vti vocant, siue Diarium consueto suo passu semper progreditur: siue pluat, siue tonet enim; nihilominus tamen expensæ dilabuntur; etiam si foreis à fabro ferrario seris validissimis, firmissimisque obicibus probe obseratæ custoditæque fuerint. Omni tempore siquidem erogationes tum fatigantur, etiamsi quoque postes duplicare debeant; modò ne, in reddendis rationibus, ipsorum dolus pateat. Illud tamen tam diu quandoque durat, donec expergefacti Domini furaces istos raptores, cum damno atque ludibrio: abrogare necessum habet.

Nihil quoque heic de magna ipsorum diligentia & industria commemorabo, quam Volumini versipelles istæ vulpeculæ impendere solent: Illud siquidem ipsorum Homerus est: quem Alexander Magnus semper sub Ceruiculi suo reconditum habuit: ipsorum Æneis Virgilij, in qua Cæsar Augustus sese tam crebro & sedulo exercebat; Oppianus, quem Antonius, Seueri Impetatoris filius tam diligenter lectitabat: Commentarij Plinij iunioris, quos Largus Licinius tanti semper æstumabat: Tertullianus, quem Cyprianus omni tempore manibus terebat: Pædia Cyri, quam Scipio sibi ita familiarem reddebat: Philolaus Pythagoricus, qui Platoni tantopere arridebat: Speusippus, quem Aristotelis tanto amore prosequebatur: Cornelius Tacitus, de quo Cæsar Tacitus tantopere exultabat. In Summa Volumen istud ipsorum est Biblia, in quo se noctu interdiuque exercent: non quidem vt rationes rectæ & synceræ fient, sed multo potius vt, vice versa, furta infidelitatem, facinoraque sua pallient; omniaque ita collocent; vt cum Iournali siue Diario conueniant. Hæc ipsorum solertia, cura, labor, & molestia, vt videl. rationes recte ordineque ad calculum reductæ fient, etiamsi illud decies fieri debeat, donec Scopum adtingant, & Chirographa rectificentur, quo melius ipsorum expensæ, & ab alijs debitorib. expressæ peccuniæ in singulis clausulis & punctis conueniant.

Et hæc sunt fidelia Curato-

rum (verius raptorum) istorum, quam Dominis suis maiori ex parte præstant, officia, & quib. de caussis etiam sæpenumero à Dominis suis, qui de ipsis omnia prospera sibi pollicentur, magno honore afficiunt. Quocirca ad mensas suas proprias, immo ad latus eosdem collocant, pro virili ipsos promouent, Charissimos ipsos nominant non secus ac ipsis, veluti Fata Argentina, aurum, saluo honore, per aluum egesissent. Nihilominus attamen interim Factores, vel multo potius Defæcatores, manent, qui Dominis suis superfluum puluerem, adimunt, veri nebulones, inquam, sunt, substantiam alienã ad seipsos transferre, qui conãtur, suisq; Principalibus, fidem ipsis habentibus, omnis generis mala accidentia rellinquentes, quantitatem dissipantes, & *Nihil* multiplicantes, quibus, ceu pigris asinis, aduersatur, si quid boni facere iubentur.

Illa tamen omnia de ijs dumtaxat intellecta sunto, qui ad Dominorum suorum eorumdemue bonorum ruinam ansam occasionemq; præbere solent. Vice versa nihilominus etiam quidam reperiuntur, qui, vti quidẽ facere tenentur, Dominis & Principalibus suis omnem fidelitatem integritatẽque præstant, quibus, vt omni honore dignis, & ego mea quidem ex parte, omnem honorem & prosperitatem precor. Cæteris accidat, quod bene sunt promeriti, vt videlic. ipsorum capiti tamdem Corona imponatur, & torque collum circumdetur, quibus suffocari necessum habeant.

IN DISCVRSVM XI.

ADNOTATIVNCVLA.

NOTA. Infideles Factores contra omnia decem Prædicamenta impingunt. Contra Substantiam: eamdem siquidem turpiter dissipant, & Dominis suis furantur. Contra Quantitatem: Minime enim concedunt, vt Dominorum suorum reditus apud omneis passim innotescant, nec quantum in singulos dies de ijsdem expendant. Contra Qualitatem: Corruptæ enim merces cibiq; ipsorum mercaturæ sunt præcipuæ. Contra Relationem: In omnibus suis actionibus sese ad asinos referunt. Contra Locum: Lenonum meretricularumque siquidem diuerticula præcipuæ sunt ipsorum tabernæ, in quibus furta sua occultant & custodiunt. Contra Situm: Culinæ & Cibaria namque optuma ipsorum est Residentia. Contra Habitum: Æstiuo hyemalique tempore siquidem asinina pelle rigida circumvoluti sunt. Contra Tempus: Rationes & Iournalia enim ipsi omneis totius diei cogitationes adimunt. Contra Actionem: Omneis siquidem ipsorum actiones in pura puta infidelitate, & omnis generis flagitijs consistunt. Contra Passionem; Feroces namque sunt, equi instar, venas exerentis, nec quicquam boni facere possunt: damnum præterea est, quod non tempestiue satis in furcam adigantur.

DE

DE PROXENETIS, PRÆSERTIM, in Matrimonialibus, & Conducendis Seruis ac Ancillis.

DISCVRSVS. XII.

INtermediatores isti, de quib. verba nunc facturi sumus olim tam apud Romanos, quam Græcos, Proxenetæ appellati fuerunt, quemadmodum Martialis lib. 10. & S. Antonius parte III. Summæ, tit. 8. cap. 4. testantur, vbi etiam in peculiares species diuiduntur. Honesta siquidem ista negotia diuersimoda sunt, seseque, Hydræ Lerneæ instar, magis magisque indies eo latius extendũt. Quot quot itidem negotia in vniuerso terrarum Orbe, tot etiam distincti Proxenetæ reperiuntur. Inter relliquos vero sunt omnium Occupatissimi, qui Mercatoribus, in emendo, vendendo, mutuo dando, mutuo sumendo, fœnerando, permutando, in omnis generis illegitimis prohibitisq; Contractib. quoque, operam suam locant: vbi sane demandato suo munere probe funguntur, præsertim autem mentiendo, iurando, peierando, dolisque diuersimodis struendo, quod ipsis adeo commune est, quam furta Pyratis, ac rapinæ Pseudogentilibus circumforaneis. Exempli gratia, si quis in foro equorio insignem aliquem caballum aut ferocem fræna spumantia mandentem Sonipedẽ ære suo sibi comparare velit, tunc illico Hippotoxata talis esse medium infert, emptorique omnium in toto foro pessimum adeo laudat & extollit, vt licet equus omnibus defectibus fiet obnoxius, nihilominus nullum omnino in eo vitium depræhendas, donec, si eumdem domum deduxeris, omneis eiusdem defectus simul omnibus in loci appareant.

In

In alijs Mercatorum negotijs & contractib. certo tibi de Proxenetis polliceri poteris, q; tibi omnium pessimos debitores, & fidifragas personas domum remissuri sient, à quibus postmodum etiam ne quidem tres obolos recipere queas. Si merces aut ære tibi comparare, aut alijs mercib. permutare voluetis, talia sane tibi specimina, aut, vti vocant, probas exhibent, vt haud immerito ijs ipsis contentus esse possis. Sin vero contractus concludendus siet, tunc omnia sub ipsis manibus permutata sunt, pro quibus tamen ipsis deinceps mercedem, & magnam, quam impenderunt, molestiã laboremq; quodque tã probe tibi prospexerint, persoluere necessum habebis.

Illis Proxenetæ vel potius Copulatores, ad matrimonia contrahenda opellam suã promittentes, ne latum quidem, vti dictitant, vnguem cedunt, & prioribus quandoq; perniciosiores sunt, vtpote qui tales alicui merces, malam herbam siue fœminam videlicet, obtrudere solent, adeo vt sibi ipsi multo potius ædium incendium, vel pestem, quam flammivomam istiusmodi bestiam, imprecetur: id quod tamen nauci isti nebulones nauci etiam æstumãt, sed multo potius damna aliorum rident, quod, accepto nuptiali veste vel honorario, simplicio tali istiusmodi monstrum procurauerint, præ cujus fumo & fœtore ne ipse quidem in ędibus suis commorari queat. Multi siquidem hac in re tum adeo fascinantur, atque inescantur, vt nullam, nisi quæ ipsis promittitur & proponitur, elegantiorem formosioremque esse credant, etiamsi illi barba iuxta amplum fœtidumque illius os, ab vtroque latere, instar mystacis, promineat: omnium paratissima est Promptula, etiamsi, instar claudicantis felis, lumbos post se trahat: Omnium est fortissima, licet edentula, & viribus suis adeo destituta siet, vt ne erecto quidem dorso incedere valeat: Optuma est Mater-familias, & ꝓba Oeconomiæ moderatrix, licet ipsi dom⁹ toto die de collo pendeat, vel ipsi podicem monstret: Omnium est humanissima & obsequiosissima, etiamsi cottidie viri caligas induat: Omnium est ciuilissima, licet pecoris curam agat, &, Thestylis instar, vultu, verbis, & o-

peribus agrestis atque obscœna fiet: Omnium est locupletissima, licet vix trium florenorum fiet domina, eosdemque ita arcte custodit, vt etiam ad dies vitæ tuæ ea de re cum illa litigare necessum habeas, & tamdem ne vllo tamẽ obolo potiri queas: Omnium est modestissima atque probissima, etiamsi antehac omneis vrbis angulos perreptarit, & ex omnibus lacunis potarit: Omnium est Sapientissima, prudentissima, & sagacissima etiamsi ipsius parens, ꝑ furore, catenis ligatus, mater eius simplicior ansere, sorores illius stultiores atque præcociores, picis, atque adeo de tali familia procreatæ fuerint, quæ, non secus, quam ferrum magnes, omnia mala ad se pertrahat, licet centum milliaribus ab ijsdem remota fiet. Hæ sunt hominum istorum artes, adeo vt ipsis aures benignas porrigens bene se nimirum lanam Gallicam emisse, asseuerare possit. Etiamsi enim sponsa illegitimo concubitu nata & forsitan spuria fiet, nihilominus tamen pseudo proci isti patrem, matrem, atque vniuersam honestam familiam nominare possunt, ita vt de honore heic nihil omnino dubitandum fiet. E quo dein calcar addunt, & simpliciori alicui Ianiculo glaucoma obijciunt, vt se nobilissimam aliquam rosam à Damasco duxisse autumet: qua ducta, vix post octo dierum spacium dolum depræhendit, & tum, pseudoprocos istos bene de se meritos esse glorietur.

Simili prorsus modo cum ijs comparatum est, qui seruis & ancillis de Dominis prospiciũt: Illi siquidem ne crine quidem prioribus istis meliores esse depræhenduntur, modo quod hoc periculum priori aliquanto leuius est, quamuis maiores calliditates & fraudes, quam Gonellæ equus, norint. Interposita siquidem fide tibi nebulonem aliquem domum deducit, qui nocte prima, deposito pallio, cistas tuas euacuat, atq; tali quidem pernicitate sese in fugam conijcit, vt Diabolum ipsum tam cito secum abduxisse facile crederes, aut fugitiuum aliquem nauci hominem, neq; in Cœlo vel terra manentem, recipiendum tibi persuadet, spe facta ipsum, sub tua disciplina, vitam facinorosam emendaturum esse, donec ianuam apertam inueniat. Alius tibi familiaris

liaris segnem tardigradumque aliquem Corydonem ad te mittit, aut iun, kerum quemdam, qui, positis ad latera ambabus manibus, ipsius famulum requirit, & nihil agit, nisi ipse manum operi admoueas: vel inscium stupidumque aliquem Toelpelinum, omnia nescientem, & nil discere cupientem, aut eiusdem farinæ nequam aliquem, cum quo tibi primo die litigandum, atque à verbis ad verbera veniendum est: aut vagabundum alium erronem, qui alio missus, Collusores suos quærat: vel denique alium quemdam verberonem verberalissimum, qui sibiipsi consulere nesciat, taceebo, vt alijs hominibus commodam vtilemque operam præstare debeat.

Pari, nec alio modo sese res cum ancillis habet, cum quibus hera quandoque turpiter decipitur. Si enim aliqua forsitan stuprum passa fuit, & clam vterum gerat, tunc talis tibi domũ deducitur, vt puerperium apud te celebret: si interula, vel, quibus se tegat, vestibus careat, tuum erit vt auxilium ei feras, & largiaris aliquid, antequam illa sibiipsi prospiciat: Si agrestis, minus vrbana, & subrusticis prædita fiet moribus, ad te melior illius informatio pertinebit, quo facto mirum in modũ tibi obedientiam debitam præstabit, donec aliquid se didicisse existumauerit, & tunc ne bono quidem verbo amplius te dignabitur. In Summa si ne hilo quidem digna fuerit, neque elixa, neque assata, vt habetur in prouerbio, tibi proderit, tunc ex singulari amicitia heræ domum deducitur, neq; quidem id fieret, nisi notum esset, illam matrifamilias plurimum (scil.) pro futuram fore. Quocirca ex abundantia adhuc peccuniam erogare necessum habes, vt asinum in ædes tuas recipias, qualis ne in vniuersa quidem Arcadia & Syria reperiendus est. Quibus denique Discursum hunc concludimus, & ad alia properamus.

IN DISCVRSVM XII. ANNOTATIVNCVLA.

DE Copulatoribus & Proxenetis in Matrimonialib. iuxta alios, etiam legatur Petrus Victorius fol. 13 19, 462. &c.

DE SCORTIS, SCORTATORIbus & eorumdem Asseclis.

DISCVRSVS XIII.

SI immensam voraginem scelerum flagitiorumq; incompræhensibilis maris Scortatorij, assiduo magnoque cum impetu & periculo ad & decurrentis, considero, ita sane exhorresco, vt nulli mirum aliquod videretur, si in eiusdem gurgite adeo me implicarem, vt non retro iterum nauigare possem, atque adeo animus meus in Cœnosis istis paludibus omnino obrueretur, & quasi vinceretur. Nihilominus tamen puro corde, illæsaque conscientia in auxilium sumptis, ita commemoratum istud mare meretriciũ velans legens transcurram, vt etiam & alij puti animi non eo contaminentur, sed effrenis stolidaque iuuentus cauere sibi discat, ne in periculosissimo isto mari, & fallacissimis Scortorum illecebris confundatur, aut, quod maius, omnino pereat; tum etiam quomodo scortilla ista ab alijs dignoscere, easdemque tamdem, tamquam perniciosissimas Sirenes, summo studio vitare debeat.

Initium autem turpissimæ contumeliosissimæq; istius professionis, dum fæminæ isto modo victum sibi adquirere, aut alias

Scor- Scor- tionis initium.

alias effrœni suæ libidini satisfacere, eamdemque explere conantur, turpissimæ Veneri adscribitur, atque ea ipsa de caussa ad tanta honorum culmina euecta, & in Dearum numerum relata fuit, quod, tam quam impudica & libidinosa bestia, fæminas in Cypro insula opificium istud docuerit. Vnde etiam & illud suam traxit originem, quod, quemadmodum Iustinus inter alia recenset, virgines in Cypro, antequam nubant, ad maris littus collocentur, vbi peregrinantibus sua præstant officia, vt hoc modo non dumtaxat sibiipsæ dotem comparent, verum etiam Veneri virginitatis suæ primitias consecrent.

Et exinde, veluti quidam existumant, turpissima ista libidinosa lues sensim maiores vires adquisiuit, vt non solummodo peculiareis aliquot personæ, verum etiam multi populi atq; Prouinciæ eadem lue infectæ contaminatæque fuerint, adeo vt vxoribus filiabusque suis meretricium quæstum facere, absque vllo rubore, permiserint. De Babylonijs enim scribit Herodotus, quod moris apud ipsos fuerit, vt, si quis substantiam suam prodige insumsisset, tam vxorem, quam etiam filias suas prostituerit, vt hoc medio turpique lucro, absque alijs sumptibus, vires amissas aliquantulum recolligeret. Similiter & de Erisichtone Thessalo legitur ipsum, bonis suis crapula deuoratis, filiam suam Metram itidē prostituisse, quæ absq; ingenti retributione neminem admiserit, vt ita non tam seipsam, quam patrem egenum, eo citius iterum locupletaret.

Atque illud ipsum in caussa fuisse, vti quidem mihi videtur, autumo, quod Solon, celeberrimus Atheniensium Legislator, & ab Apollinis Oraculo inter V.II. Græciæ Sapientissimos relatus, Deæ Veneri, quemadmodum Menander & Philemon testantur, pretiosissimum excellentissimumq; templum condiderit, Templum Veneris Pandemiæ appellauerit, illudque meretricibus incolendum tradiderit. Iuxta illud eumdem Solonem adhuc alia publica lupanaria instituisse, Scortisque multa Priuilegia atque immunitates concessisse, Nicander Colophonius tradit: quo sane facto nomini suo, alias in toto *Veneri à Solone templum consecratum.*

terrarum Orbe honestissimo, turpissimam ignominiæ maculam immisit. Solonem imitati Ephesii Veneri Atticæ simile templum condiderunt, in quo, ad 22. diem Aprilis, omneis in genere meretrices conuenerũt, & impudicæ illi Deæ sacrificia sua obtulerunt, suffitus pararunt, eiusdemque simulachro omnis generis bene olentia serta imposuerunt.

Sic quoque Alexius Poeta, lib. 2. de rebus Samijs, scribit, quod Scorta, Periclem eiusdemque exercitum in obsidione ciuitatis Sami, iuxta, quam etiam ipsa Insula nomen sortita est, secuta, toto obsidionis tempore tantum sane lucratæ fuerint, vt facta inter se inuicem contributione, de turpi isto lucro meretricio Deæ Veneri eximium templum condiderint. Similiter etiam Clemens Heracleotes in Pindaro suo scriptitat meretrices in Græcia tanto in honore, respectu, atque existumatione fuisse, vt etiam Corinthij, condita Lege, in arduis difficilimisque rebus Venerem omni tempore inuocandam, atque, ad rerum istarum promotionem, semper meretrices pro intercessione vsurpandas esse, vtpote per quas omnia sacrificia & preces, pro toti Græciæ salute, peragi deberent: quemadmodum etiam, iuxta Theopompi testimoniũ, post quam animaduertissent Xerxẽ tanta armata vi contra ipsos bellum moturum esse, Scortis iniunxerunt, vt in omnibus Veneri extructis templis, pro auertendo imminente periculo atque infortunio, ad Deam istam preces suas funderent: qua de re Simonides sequens epigramma cecinit:

Hæ statuere super Graiorum ora re salute,
Felicem Venerem, pro laribus patriæ:
Non etenim arciferis voluit venus aurea Persis
Arcem Graiorum prodere, quam populant.

Sic etiam Xenophon Corinthius singularem deuotionem esse existumabat, quod, dum ad certamen Olympicum proficisceretur, votum præstaret, si videlicet in isto certamine tamquam Victor coronaretur, tunc domum reuersus, & magno Scortorũ agmine secum adducto, eadem Deæ Veneri, pro suo more

more modoque, diligente: & obsequenter inseruire debe-rent: quem, eadem de caussa, tamquam de re bene laudabiliterque gesta, Pindarus Thebanus subsequentibus in versiculis extollere haud erubuit:

O Cypri Regina tuum age lucum,
Laetarum puellarum greges centum,
Quas Xenophon, cum perfectis votis,
Adduxisse laetatur, &c.

Omnium pessimum autem est, quod etiam Sapientissimi Celeberrimique quique Philosophi à meretricibus inescati deceptique fuerint, quemadmodum Origenes de praestantissimo Philosopho Aristotele scriptitat, quod Scorta diuino honore adfecerit, dum Hermiae suae, quam aliquandiu secum detinuerat, sacrificium, qualia Cereri Eleusinae obferri solent, obtulit. Sic etiam pene innumerabilia exempla inueniuntur de ijs, qui meretrices mirum in modum laudibus extulere. Ita quoque Pericles, quemadmodum de illo testatur Aristophanes, Aspasiae caussa, postquam Megarense ipsi Gynecaeum suum deduxissent, bellum Peloponesiacum inchoauit. Alexander Magnus, si Clitarcho credimus, instinctu & rogatu formosissimae Thaidis, insignia atque pulcherrima templa atq; Palatia Persepoli incendi curauit, quam itidem famosus iste Poeta Menander ita laudibus extulit, vt illam Propertius postmodum Menandream nuncupauerit. Sic Sophocles erga Theoridem amore ita incendebatur, vt Deam Venerem & precibus & suspirijs precaretur, vt videlic. ipsius amoris compos redderetur, dum inter alia, sequentia verba vsurpauit: O *Nutrix iuuenum exaudi, mihi da Theoridem.*

Possidippus erga Rhodopen Doricam amoris flamma ita vrebatur, vt formosam illius pulchritudinem, pulchramque formositatem ita describeret, sic inquiens:

Dorica te capitis ornarunt mollia vincla,
Et laetum vnguentum pallia quae redolent.

Sic quoque Praxiteles, in pulcherrimae Phrynae reti & vinculis irretitus atque captus, simulachrum Cupidinis pingebat,

bat, eidemque in immensi erga illam amoris testimonium sequentes versiculos substituit.

Praxitelis,prius est, quem passus amorem,
Depromsit proprio pectore qui Archetypum.

De celebertimo illo Philosopho Platone, quem etiam aliqui *Diuinum* appellare haud verentur, etiamnum hodierno nostro tempore isti versus circumferuntur, quos Archemessæ laudem atque honorem cecinit, etiamsi illa vulgare aliquod Scortum tum temporis exstitisset. Versus autem illi sic sese habent:

Archemessam ego teneo Colophonis amicam,
Cuius & in rugis mollia ludit amor
Ah miseri, quibus hac iuuenis fuit obuia primum:
Per quantas flammas sæuus adegit amor.

Clearchus in Amatorijs suis historiam aliquam, cuius tamen fides penes auctorem ipsum esto, de Cyge, Lydorum quodam Rege, recenset, qui amasiæ suæ defunctæ post diuturna lamenta, tale quidem sepulchrale monimentum extrui curauit, quod etiam, ob mirandam illius altitudinem, per vniuersam Lydiam conspectum fuerit: vtque eo modo Rex ipse in tota sua prouincia illius sepulchrum intueri potuerit, quæ ipsum, dum viuere liceret, coangustasset, atque tamdem in morte sua ad notoriam famosissimamque istam stultitiam compulisset.

Et sane vbi gentium excellens, & tam in armis, quam liberalium artium studijs, celeberrimus quidam vir reperitur, qui non quandoque meretricinam aliquam cantilenam cecinerit, & sæpenumero sensus atque intellectus scortili cuiusdam caussa, non amiserit aut sibi non manus violentas iniecerit?

An non enim, obsecro, Sapientissimorum omnium Regum sapientissimus Rex Salomon eo ipso in insaniam & stultitiam redactus fuit, adeo, vt etiam, fæminarum siue concubinarum suarum gratia, ipsius Dei oblitus fuerit? An non, quæso, fortissimus ille heros Samson à Scorto deceptus, atque victus fuit? An non sapiens Socrates in stultum commutatur, propter Aspasiam? Plato,

propter Stellam? Aristoteles, propter Erpillam? Isocrates, propter Metaniram?

Intueantur nunc cæteri quoque vulgares Philosophi, & pauci sane reperientur, quorũ cornibus Scorta non funes suas superiniecerint? vtpote Lampris, Aristoteli; Lais, Atistippo, Glicera; Stilponi: Anticira, Nicostrato Leontia, Epicuro: Periandra, & Calidena, Pythagoræ, &c.

Inspiciantur præterea etiam Oratores, & liquido tum constabit ipsos itidem à Scortillis inescatos, & intoxicatos quasi, fuisse, videlic. Stephanus, à Niccoreta: Lysias, à Lagide: Stratocles, à Lamene: Alcidamas, à Naiade: Hypperides, à Myrthina: Demosthenes, à Laide, & cætera.

Cumprimis autem stulti Poetæ videantur, & rari tunc moriones inuenientur, qui cottidie à Scortorum fune ducuntur, adeo vt nihil ferme aliud de ijsdem & cantare & scriptitare potuerint; videl: Eubolus, de Clepsidra: Antimachus, de Chriseide: Menander, de Phannio: Orpheus, de Euridice: Musæus, de Antiope: Homerus, de Penelope: Alcæus, de Sappho: Anacreon, de Luscinia: Catullus, de Lesbia: Ouidius, de Corinna: Licinius, de Nerea: Tibullus, de Delia: Propertius, de Cynthia: &c.

Intueantur quoque Veteres illi Heroes, & tunc ferme omneis hisce vinculis & eodem in Xenodochio, irretiti reperientur; vtpote Perseum, apud Andromedam: Paridem, apud Helenam: Theseum, apud Ariadnam: Achillem, apud Briseidẽ: Piramum, apud Thysben: Herculem, apud Omphalem: Pyrrhum, apud Tigridem: Alcibiadem, apud Timandram: Teriandrum, apud Melissam, & cætera. *Heroes.*

Videantur etiam Celeberrimi Imperatores, Reges, atque Principes, & tum omnibus & singulis manifestum fiet atque cognitum, quomodo nimirum à fœminis decepti atque delusi fuerint videl. Cyrus, potentissimus ille Persarum Rex, à Phocaide: Ptolomæus Philopator, ab Agathoclea: Demetrius, à Lamia: Antigonus, à Dama: Seleucus, à Nisa: Philippus, Rex Macedonum, à Philinna: Dionysius Tirannus, à Nannio: Pompeius, à Flora: Alexander, à Thaide, & Marcus Antonius, à *Imperatores Reges, Principes.*

Cleopatra,q duo vna ista Cleopatra adeo exsatiati & contenti fuerunt, vt aliarum ipsos alta te nuerit obliuio. Quid autem heic de illis mihi dicendum est, qui sane non paucas, sed multas certe Concubinas, verius meretriculas, penes sese detinuerunt? De Ptolomæo Philadelpho siquidem Historicorũ monimenta testantur, quod Didimam, Balisticheh, Stratonicam, Mirtium, Eleusinam, Clinon, & innumerabiles pene alias secum detinuerit. De Alcibiade Pherecrates hoc conscripsit, (scil.) elogium.

Existit haud vir Alcibiades, vt patet:

Nunc omnium vir fœminarum, at denique est,

Sic Curio, eadem sane de causa, Cæsarem, quemadmodum Plutarchus testatur, omnium fœminarum virum, &, vice versa, omnium virorum fæminam appellat. Apud Idomeneum de Themistocle Atheniensi legitur, quod quatuor celeberrima & pulcherrima totius Prouinciæ Scorta, vtpote Satyrã Nannium, Scionen, & Lamiam, nuda currum suum trahere coegerit. De Nino, Ægyptiorum Rege Ctesias lib. 5. de rebus Persicis refert, quod à nemine vmquam, nisi inter Eunuchos & Gynecæum suum, conspici potuerit. De Tiberio Cæsare Suetonius Tranquillus inter alia memorat, ipsum magnũ Scortorum agmen, ad libidinem suam explendam, clandestino quodam in loco aluisse. De Surina, Rege quodam in Parthia, Plutarchus refert, quod, ad bellum proficiscens, pro se solo ducentas fæminas secum deduxerit. De Theseo scribit Hesiodus, ipsum Helenam, Ariadnam, Hippolitam, Euippen, Eglam, & permultas alias meretriculas, penes sese detinuisse. Apud Homerum Agamemnoni ab abominabili Thersiteobijcitur, quod, ad amoris sui flãmas exstinguendas, non dumtaxat vno Scortillo, sed integro meretricum exercitu vsus fuerit. Sardanapalus, Sabellico in exemplis testante, totum suum Palatium meretricibus impleuit, atque ex eo merum, putum putidumque lupanar fecit seipsum quoque, meretricum instar, scurrili meretricioque habitu induit, atque, inter Scortorum greges degens, positis circum sese vndiquaque speculis,

lis, omneis gestus impudicos satis superq; intuebatur. De Hercule tradit Herodotus, ipsum septem dierum interuallo, quinquaginta virgines constuprando impraegnasse. Similiter & de Gordiano Iulius Capitolinus scriptitat, quod videlic. viginti duas faeminas circumduxerit, quae ipsi semper praesto adesse cogebantur, adeo vt haberet, quibus cum, vigente Venere, sese oblectaretur, ne forsitan impediretur. De incommodo Commodo Lampridius scribit, quod, sese videlicet vna nocte, vnoque die (proh bipedum nequissimum, & scelerum caput!) trecentis faeminis stupra illaturum, gloriatus fuerit. Ita quoque Proclus Imperator, in quadam ad Metianum epistola, de se ipso gloriatur, vel potius rancido ore grunnit, se in Sarmatia, intra 14. dierum spacium, centum faeminas constuprasse & impraegnasse. Sic de Heliogabalo refert Lampridius, quã insatiabilis videlic. moechus, & turpis libidinosusq; hircus fuerit, qui etiam familiaribus, atque Clientibus suis, immo eorumdem quoque ministris & Officialibus, in Palatio suo singularia conclauia & lupanaria concesserit, iisdemque splendido opiparoque conuiuio exceptis, viginti duo fercula adponi curauerit, ea tamen lege atque conditione, vt quilibet, sub quolibet ferculo, cum illa, quae proxime ipsi assidebat surgeret, eamdem stupraret, peractoque coitu balneo vteretur, idque praestito iuramento commemorato modo facere tenebantur. Immo idem ille pseudo-Imperator & Scortator impurissimus Scorta à Lenonibus magno pretio sibi comparare minime verebatur, quemadmodum etiam inter alias pro vna triginta argenti libras lenoni cuidam persoluit, &, in conducendis meretricibus, nullis vmquam sumptibus pepercit, comparatoque sibi apud easdem insigni (scilicet) insignis liberalitatis & beneficentiae nomine, aliquando omneis simul circa circum Maximum, Theatrum, Amphitheatrum, omniaq; loca Romae commorantes meretrices conscripsit, atque in diribitorio singulis Ducatum persoluit. Saepenumero magnũ Scortorũ agmen, quotquot modo tum temporis cogere potuit, in Palatium suum conuocauit, atque coram istis,

quam singulari aliquo exercitu, orationes militares habuit, easdem Commilitones suos appellauit, peractaque ista oratione, vnicuique, tamquam forti alicui militi, menstruum stipendium, tres Ducatos videlic. numerari iussit. Idem ille Scortorum Patronus nefandissimus Scortilla sua multis priuilegijs & immunitatibus donauit, ijsdemque ex ærario publico peculiares aliquot reditus siue pẽsiones; vti vocant, constituit, quibus Romanæ Matronæ itidem fruerentur, si eumdem adeo laudatum dotatumq; Ordinem profiterentur.

Dii. Quid autem nunc de ijs, qui homines fuerunt, hominumq; consortia quæsiuerunt, commemorem? Intueantur siquidem Veterum Dij, atque manifesto tum constabit omnibus, & ipsos quoq; meretrices, non secus ac verueces pastores suos, insequutos fuisse. Quot enim pericula Iupiter, ob eximiam istam Europam, subire necessum habuit? Quale, obsecro, Marti fuit beneplacitum, quod Claudus iste Vulcanus ipsum reti suo inclusum captiuumque cæteris Dijs adridiculum aliquod spectaculum commonstrasset? Et quomodo Pluto, Minthiã: Apollo, Daphnen, Bacchus, Ariadnam: Pan, Siringem insequi necessum habuerunt?

Sed & nec celeberrimi aliquot scriptores sicco pede heic prætereundi sunt, qui, ad Scortorum fauorem gratiamq; consequendam, non parum sane solliciti fuerunt, eorumdemue nomina, perpetuæ memoriæ ergo, in scriptis suis consignarunt.

Quomodo enim, obsecro, Aristophanes Salaucam extollit? Antisthenes, Sinopem, & Apuam? Alexander, Log scam? Gorgias, Euphrosinam, Coronam, & Gnathenam? Hipperides, Phrinen, quam coram iudicio defendit, atque, quo melius citiusque iudices commoueret, ijsdem tenella illius vbera monstrat: quemadmodum sane Cephalus, celebris iste Orator, in Lagide, & Alchidamas, in Naiade, idem factitarunt? Alios nunc tacebo, videl. Menandrum, Apollodorum, Calistratum, Ammonium, Callimachum, Philotem, Catullum, Tibullum, Propertium, Ouidium, Horatium, Martialem, &c. qui, ad perpetuam sui ipsius ignominiam & infamiam, impura

Sc ce m

pura

pura impudicaque Scortilla in scriptis suis laudibus extollere haud erubuerunt. In celebrioribus quidem quibusdam fæminis nõ tantopere mirandum sed, ob naturæ imbecillitatem, ipsis aliquantulum conninendum condonandumque est: vt quod Sappho amatorem suum, Phaonem videl. tantis laudib. & præconijs extollat, & famosissima ista Leontia, Metrodori vxor, omneis ferme meretrices contra, Theophrasti accusationes, atque impositiones, tam strenue defendat.

Quantus autem honos, vtilitas, atque commodum à meretricibus expectanda fient, id tam in sacra, quam prophana historia luculentissime videre est.

Præstantissimus enim belli Dux Hannibal, in Camphaniæ delicijs, omnem honorem, quẽ hactenus summa cũ ipsius laude atque gloria adeptus fuerat, amisit. Cæsar Alexandriæ auctoritatem existumationemq; suam per vnicam fæminam contaminabat.

Demetrius gloriam suam perdidit in Græcia: Antonius, in Ægypto: Hercules, in Lydia, vbi, postquam omnia monstra, quæ vmquam in mundo fuerant, imo Cerberum ipsum domasset, à fæmina quadam captus est. Achilles fortitudinis suæ obliuiscitur, nec amplius pugnare cupit, etiamsi id cum totius Græcorum exercitus dãno atq; totali interitu coniunctum esset, idque vnius Briseidis gratia: quam turpiter etiam Vlysses à Circe detinetur? Midas inter fœminas suas sedens colum tractat, atque interea Regni sui adminastrionem ne hilum quidem æstumat. De Ioue Homerus scribit, ipsum omnia consilia, quæ noctu de obsidione Troiæ meditatus fuerat, diurno tempore, fæminarum in gratiam, iterum reuocasse. Sic Alcibiades vitæ suæ iacturam facit apud Timandrã: Claudius, apud Virginiam: Commodus incommodus, apud Martiam Pyrrhus, apud Hermoniam; & Iphis, ob Anaxaretam sibi ipsi laqueo gulam frangit.

Vnius insuper fæminæ, libidinosæ Helenæ videl. caussa, Europa & Asia ad arma conclamant: Samus ob Aspasiam destruitur: Phrygia, Hippodamiæ caussa, in extremum periculum & calamitatem præcipi-

 tatur:

tatur: Ægyptus exiguum capit emolumentum à Cleopatra. In Summa, si maximæ etiam Clades atque infortunia, quæ vmquam à condito mundo contigerunt, conside:atur, tunc, illa omnia à fæminis, earumdem que libidine atq; impudicitia, originem suam traxisse, liquido constabit omnibus. Et quid, quæso, boni sibi aliquis de illis polliceatur, cum ipsę omni malitia, calliditate, dolo, atque falsitate refeitæ fient? Immo nihil tam mali, perniciosi, atque periculosi vmquam excogitari poterit, quæ omnia istæ non longe antecellant. Et quis, obsecro, omneis earumdem dolos & laqueos commemorabit, quibus non dumtaxat stultam stolidamque iuuentutem, verum etiam omnium prudentissimos, sapientissimosq; quosque capiunt atque decipiunt? Quis recensere potest, qua videlicet humanitate, intuitu, verbis, amplexibus, osculatiunculis, pressiunculis, gestibus, risibus, irritamentis, lacrumis, suspirijs, remoris, permutationibus, renouationibus: In Summa, quibus tamdem dolis & laqueis illos irretire conantur, quibus aliquando potiri possunt, donec eosdem totos sibi subijciant, antequam ipsi illud animaduertant, quippe, qui ipsis, tamquam omni malitia & calliditate conspicuis, simplicitate longe inferiores, & ipsi quoque sunt Simplicij? Quibus artibus, illas sibi ipsis tam eximia & suauisona nomina tribuere existimas? Vna siquidem appellatur Geneura: altera, Virginia: alia, Isabella: altera, Olympia: alia, Helena, altera Diana: alia, Lidia: altera Victoria: alia, Domitia: altera, Lauinia: alia, Lucretia: altera, Stella: alia, Delia: altera, Flora, & quæ sunt id genus nomina alia, quibus stulti stolidique amatores ita inescantur, vt nil, nisi de istis, cogitent, illa aureis litteris consignent, arboribus & rupibus ista insculpant: montesque vallesque ijsdem impleant: illorum omnia ferme Madrigalia mentionem faciunt: in hortis omnis generis germinib. plantantur: omneis libri ijsdem referti sunt: Immo nulla prorsus lætitia, nulla recreatio, absque istis peragi poterit. Ecquid, quæso, putas, quod toties mutentur, quandoque tam suauiter rideant, ipsam humanitatem præ se ferant, tam fideliter polli-

polliceantur, & tam suauiter & blande osculentur. Vnicum eum in finem, vt amatores sectatoresque videl. suos adeo occupent, vt etiam nihil aliud scribitent, vel loquantur, quam quomodo à pulcherrima Cytherea excepti tractatique fuerint. Illarum lacrumæ, meræ sunt Didonis de Ænea lacrumæ: quærimoniæ, puræ sunt quærimoniæ illarũ Echo, quas de Charissimo suo Narcisso olim conquestæ sunt: verba, pura pudice amantis Palladis verba: humanitas ipsarum est, quẽadmodum Daphnis erga Apollinem humanitas: Promissiones tales, quas Iuno fecit Paridi: Oscula talia, qualia Venus dedit Adonidi. In Summa nihil heic est aliud, nisi omne pretiosum, omne diuinum. Quid opinaris autem, quid videl. illæ innuant cum dulcissimis istis suis cantionibus, artificiosissimis Instrumentis Musicis, hilarioribus saltationibus, ludis, conuiuijs, alijsque institutis recreationibus, quam quod in nassam suam pertractorũ marsupia apprehendant, & adhuc alios simili arte capiant, qui per ipsarum vocem Angelicam, per Cœlestem Musicam, decoros gestus, atque tamdem per istam semper duraturam læticiam & recreationem, quasi alio rapti, vigilando etiam nil, nisi de istis, somniant, atque in earumdem amore ita sese implicant atque confundunt, vt nullo vmquam tempore sese iterum exinde extricare valeant.

Ne autem in luxu ipsis nihil omnino deesse videatur, ipsarumque dilecti fideles tanto magis adferant, omnia vbique in ipsarum ædibus splendidissime exornata esse oportet. Lectus illarum sericis aureisque velamentis tectus, puluinaria, & omnis lecti apparatus de optimo linteo pretiosissime textus & intertextus est. Sedilia egregie obducta, mensæ optumis tapetibus Turcicis stratæ, Conclauia villosericis, vel aureis stragulis exornata, vitrorum repositoria splendidissimis pulcherrimisque vasis argenteis decorata, & parietes, tam intus quam extrinsecus, lasciuis artificiosissimisque picturis picti, atque adeo omneis ædium istarum anguli bene olentibus suffitibus, & pretiosis destillatis aquis hinc inde referti sunt. Hũc etiam in finem Scortilla ista tam ad foreis, quam ad fenestras,

Scortorũ summa luxuria.

ſtras, ſeſe conſpicua faciunt, manibuſque, oculorumque nutu, interiorem ſuum æſtum, cordiſque deſiderium prætereuntib. produnt, rident, peramiceque ſtultos amanteis ad ſe inuitant. Tum & litterulæ amatoriæ exarantur, omnis generis noua communicantur, amantiumq; nuncij à pedibus Ruffiani, & Lenones non tam ipſa in ciuitate, quam ruri currunt aſſidue: tunc omnis generis honoraria in occultatis tectiſque patinis, & corbibus, hincinde mittuntur: illinc mox bona, mox triſtia noua audiuntur: conuiuia & balnea inſtituuntur, choreæ ducuntur, exſpaciatum, aut aliam ad recreationem itur. Inibi quoque nullæ lotiones, tincturæ, & picturæ deſunt, modo vt ſemper formoſæ appareant. Ibi Pharmacopolæ non ſatis Ceruſſæ, floris Criſtalli, boracis præparati, deſtillati aceti, aquæ fabarum, aquæ de ſterçore Vaccino deſtillatæ, & id genus aliarum rerum, comparare poſſunt. Illinc, vt cutis niteat, facies illinitur cum aqua de nucleis malorum perſicorum deſtillata: vt crines criſpi fiant, & erecti ſtent, draganto, & ſyrupo nucleorum. Cydoniorum vtuntur, atque, de calce viuo facto lixiuio, cum aurora de rubedine certant. Illinc, ne quis decipiatur, pelludiſſima ſpecula reperiuntur: & ne quis forſitan in animi deliquium incidat, pretioſiſſimæ roſarum, aliæque bene olentes aquæ, & odores de moſco, ambra, &c. in promptu habentur. In Summa, ad conſeruandam corporis mũdiciem, omnis generis inſtrumenta tonſoria, vtpote pretioſa auriſcalpia, pectines, forcipulæ, &c. ad omneis caſus aduerſos præcauendos, capſulæ, itidem precioſiſſimis remedijs & vnguentis, in omnem neceſſitatis euentum præparatis, illinc conſpiciuntur. Inibi ſuperciliosæ ipſarũ pediſſequæ, Scortilla aſſidue circumeuntes, tam ab ante: quam poſterio e parte, herarum ſuarũ veſtimenta purgant, rugas extendendo in ordinem redigunt, & quandoq; vrgente ita neceſſitate, ſtolæ fimbriam ſiue caudam geſtant. Illinc ſæpenumero Madonna ad feneſtram admodum deuota, & inclinato capite, conſpicitur, erectis capillis, auream torquem in collo, armillaria in manibus, & annulos in digitis geſtitans, gemmis in auriculis dependentibus, diuerſicolores flores in manibus tenens: In

Summa elegantiſſimo ornatu ſeſe prætereuntibus, Ieſabellæ inſtar, conſpicuam facit, adeo vt oculi ab eadem haud facile auertantur. Nec omnia illa ſufficiunt, ſed quemadmodum circumforanei, & Medici empirici ſemper aliquid miri, rari, & noui in conſpectu & menſis ſuis habent, quibus ruſticis ora aperiunt, & homines remorantur, ita quoque, iuxta Madonnam, ſerico, auro, gemmiſque intertextas chirothecas & flabellum in manibus tenentem, ſimia vel cherchitopæcus aliquis, modo ne ſuperfluæ luxuriæ quid deſit, videre eſt.

Sæpenumero Scortillũ morbum ſimulat, vt illam viſitandi detur occaſio: altera, vt conſoletur, conqueritur: alia ſe ſe derelictam dolet, vt eo maiora dona capiat, & amatores eo magis ipſi obligentur: altera ſibi ipſi nimium, & plus iuſto tribuit, vt eo magis valeat: alia in amoris flamma pene combuſta & conſumpta eſt, vt reſtinguendi & comportandi maior habeatur occaſio, idque magna prudentia & calliditate agere norunt, nec occaſionẽ aliquam commodam ſibi è manibus eripi facile patiuntur. Quib. proſopopœis ſiquidem loquuntur? quã artificioſe lingua ſua vtuntur? quam ſcite verba formant? quã-tam denique humanitatem ſimulant; adeo vt etiam in ſomno retia & laqueos ſuos expaſſos habeant. Illic ſingulari aliqua cautela, vel potius vigilantia, dormitur: ibi omnis generis ſomnia excogitantur, ridetur, ſuſpiria & gemitus ducuntur, quandoque verba fiunt, vel cantatur etiam. Inibi iraſcuntur aliquando, & rixantur ſæpe. Si vero è ſomno, vel meretricia vigilantia verius, iterum excitentur, etiam omnia in ſomnijs obuia lactumantibus oculis commemorare, eorumdemque cauſſas probe explicare ſciunt: quæ tamen iſtiuſmodi ſermones & ſomnia ſunt, quæ miſere captorum amatorum corda penetrant, atque Scortilla maiora lucra conſequendi anſam occaſionemque habeant. In cottidiana familiarique conuerſatione omnia potiſſimum eo directa ſunt, vt omnis generis tactibus & geſtibus meretricijs ſtultos ſtolidoſque amatores eo magis implicent, irretitoſque teneant. Illic ſæpiſſime muta vox, prudens ſilentium, interque gemitus ſublatis oculis

cernuntur : mox rigent oculi, quasi profundis cogitationib. vel phantasijs scortilla implicata sient : mox surgunt, sedent, fenestram aperiunt, claudunt iterum, nunc sese derelicta conqueruntur, iam ardentem zelum simulant. Immo aliquando ita irascuntur, vt miseri capti amantes eo magis incalescant. Illic siquidem caussa ad rixosam aliquam contentionem facile reperitur: nunc vehementer Scortilla incandescunt, tunc serui seruæque indignationem suum gestibus ostendunt: Omnia quoque bello, ita, & indignatione repleta sunt, adeo vt caluas istas meretriculas timere iam necessum habeas. Illinc tunc non amplius iocuudi iocosique sermones audiuntur, nuncij & litteræ cessant, honoraria alio conuertuntur, salutationes intermittuntur, amici humanique alias vultus abalienantur, & alio vertuntur, immo aliquando charissimorum olim amatorum egregie pictæ effigies è fenestris deturbantur, & omnia pedibus sunt obnoxia. In Summa Mars & Bellona sibi olim non ita aduersabantur: omnia enim ardent, tunc cantilenæ, carmina, & risus cessant: Apollo lyram suam scamno subposuit ; Euterpe alio commigrauit ; Cupido & Venus post arbusta latitant, donec miseri capti amatores Scortillorum gratiam & clementiam implorent, tantumq; ipsis largiantur, vt conniuentibus oculis supplices amatores in gratiam recipiant.

Verum enimuero meretriculæ sæpenumero etiam spe sua frustrantur. Quandoque enim amatores euigilando illusiones vexationes, & hypocriticas vanasque Scortillorum lactationes animaduertunt, & tunc etiam nouam aliquam cantilenã canere incipiunt. Tunc quoq; Archilochus conspicitur, Pasquinus in foro auditur, tunc meretricularum artes, doli, atque imposturæ, quibus hactenus simpliciores Castratos circumduxerunt, & naso eosdem suspenderunt, reuera reuelantur. Tunc audire necessum habent, quomodo videlic. vnum deceperint, de altero mentitæ fuerint, tertium seduxerint, & quo pacto quartum in nassam suam pertraxerint. Tunc manifestum fit, quomodo videlicet verueces suos tondere possint, quomodo crumenas ipsis euacuent,

euent, & qua ratione eosdem tam diu detinere, nasoque suspendere valeant: tam diu nimirum, donec largitiones & munera durauerint, quibus cessantibus, cessat tunc quoque ipsarum familiaritas. Sic & idem ille Pasquinus ipsarum fastum, & superbiam in sermonibus, gestibus, vestitu, famulitio, & curribus suis, quibus etiam Magnates longo post se interuallo relinquunt, inter alia recenset: Item, quam facile nimirum irascantur, quomodo tonent, fulgurent, atque adeo omneis suos gestus commutent. Item, quam infestæ alijs fient, quam voraces, quam callidæ, & ad res omneis instructissimæ, quã in calumniando faciles, adeo vt nemo præterire possit, cui non aliquam famæ maculam aspergant. Item, quam pigræ negligentes in omnib. honestis rebus, & decente omnibus hominib. imposito labore, quam, si solæ sunt, impudicæ & libidinosæ fient in verbis, gestibus, factis, risu, nutuque, quam merito nimirum cum turpissima Philene, quam Philocrates viuis suis colorib. depinxit, comparentur, vel quam pudicæ & probæ fient, quemadmodum Celia, de qua Martialis sequens epigramma lusit:

Das Cattis, das Germanis, das Dacis,
Ne Cilicum spernis, Cappadumque thoros.

Alius amasiam suam Messalinæ alicui comparat, quæ Plinio teste, ancillam suam, in duello Veneris, vti quidem sibi persuadebat, etiam sese fortiter gerere posse existumantem, 25. ictibus (Physice, non Ethice loquitur heic Garzonius) vnica nocte superabat: vel Sappho cuidam, de cuius, per antiphrasin, amicitia Ouidius in epistolis suis scriptitat, quod, viris destituta, quinque eius ancillæ, nimirum Atthis, Cidno, Amithone, Telesippa, & Megara, libidinoso ipsius desiderio satisfacere necessum habuerint: aut Semiramidi, quæ cum Caballo concubuit: vel Pasiphaæ alicui cum tauro rem Veneream habenti, de qua Propertius sequentes scripsit versiculos:

Digna hera serua, & dignum patella operculum.

Vxorem quondam magnam Minois, vt aiunt,
Corrupit torui candida forma bouis.

Aliæ cum duabus Callypighis

fororibus comparantur, inter ſe inuicem, vtra pulchriores nates haberet, turpiter dimicantibus, quemadmodum Cercidas Megapolitanus ſcriptitat. Idem ille paſquinus quoq; turpem impudentemque ipſarum auaritiam deſcribit, quomodo videl. abſque vlla intermiſſione & inſtanter poſtulent, ſumant, ac furentur. Illic veſtitus, heic aurei annuli, torques, armillaria, aliaque pretioſa ſuppellectilia deficiunt, & ſemper, veluti Cytharædi, clauum ligneum in Cythara ſua habent, cujus loco argenteum vel aureum deſiderant, & expetunt: Sin etiam Caſtratos iſtiuſmodi, multum ſemper adferentes, nactæ fuerint, tunc de illis ſummopere gloriantur, quemadmodum Herodotus de Ægyptiaca quadam meretrice, Rhodope dicta ſcriptitat, quæ formoſo ſuo corpore tantum ſane quæſtum fecerit, vt inſignem aliquam pyramidem, ad ſui ſepulturam, extrui curauerit. Ita quoq; Phrine, teſte Calliſtrato, olim gloriata fuit, ſe videl. à Praxitele elegantiſſimam aliquam tabulam, in qua Cupido ſcite pictus fuerit, mercedis loco accepiſſe, atque ſimul promiſiſſe ſe Thebas muro circundaturam, modo Thebani hanc inſcriptionem, *Quos Alexander euerterat, Phrine amica excitauit*, muris inſcribi permitterent. Simili modo & Timandra apud Plutarchum gloriatur, ſe amatori ſuo Alcibiadi Regium monimentum de quæſtu ſuo corporali exſtruxiſſe. Ita etiam elegantiſſima Damo apud Heraclidē Lesbium gloriatur, quod nimirum Antigonum omnibus ſuis gazis atque theſauris ſpoliauerit: & Lamia, apud Plutarchum, ſe Regem Demetrium adeo ineſcaſſe, vt etiam omnia, quæ modo peteret, ab eodem reciperet: Superba inflataque Flora, apud Plinium, quod dumtaxat Imperatoribus, Regibus, Principibus, Conſulibus, & Quæſtoribus corporis ſui copiam fecerit, & vrbem Romam, quam hæredem inſtituiſſet, locupletem reddiderit.

Ita ſimili modo conſtat, quomodo videlic. Satyræ de impatientia ſua loquantur, ſi ipſis non omnia pro ſuo voto proſpere ſuccedunt, quomodo nimirum de ipſis conquerantur, quomodo odio exacerbentur, quomodo iraſcantur, iraque contabeſcant, quomodo vin-

dictam

dictam vltionemque spirent, quomodo clamitent ac lamentur, ac deniq; bufonum, serpentum, atque adeo ipsius Diaboli instar, ringant, atque indignentur: quam impudentes audaces, superbæ, falsæ, callidæ, atque infideles istæ sient: ibi publice ipsarum facinora, scelera, & flagitia; atque odia, & exacerbationes aduersus sei-psas, decantantur: quot itidem Simplicios honore, existumatione, atque quandoque ipsa vita, spolient: quot etiam eo adigant, vt parentes suos tristentur, ijsdemque fürentur; modo vt Scortillorum fauorem, gratiam, atque clementiam consequantur: ac denique quantis ludendo blasphemijs, *Deus Ter Optumus Maxumus* impetatur, vt maledicti scandalosique sermones heic sicco pede prætereantur. In Summa, scelerum flagitiorumque illic nullus omnino modus est.

Et denique certo certius est, à Scortillis istis nihil aliud, quã omnis generis impuritatem & turpitudinem, quæ etiam coram pijs probisque auribus minime nominanda, sed potius, præ pudore, obliteranda sunt, expectanda esse. Tunc primum illarum obscœnitas, fœditas, turpitudo, pediculositas, scabies, toto spiritu & corpore fœtor, & horror, primum innotescunt, atque, quomodo videlicet intrinsecus morbo Gallico, extrinsecus vero venenatis pustulis infectæ contaminatæque sient, nimis sero deprehenditur. Summopere itaq; ab istiusmodi Romuli atq; Remi Lupis sibi cauendum est; sed tales vaccæ Apollinis, Chimeræ, periculosæque Medusæ summo studio euitandæ, aureis, præmaledictis istis Sirenibus, obturandæ, & tamdem inexhaustæ fundoque carentes Belides istæ ab omnibus honestis Contubernijs arcendæ submouendæq; sunt, quemadmodum olim Diana Elicen, à Ioue compressam & imprægnatam hisce verbis, Ouidio testante, ex suo Contubernio relegauit:

I procul hinc, dixit, sacros ne pollue fontes.

Vice versa autem salutaris eiusdem Poetæ doctrina omnibus probe notanda & obseruanda est, dum sic inquit:

Ad mea, decepti iuuenes, præcepta venite,

Quos ferus ex omni parte fefellit amor.

Extra omnem ſiquidem dubitationis aleam eſt poſitum ab amore meretricio nihil aliud, quam ſummam ignominiam, egeſtatem, atque miſeriam reportari, quæ tamen quandoque nimis ſero deplorantur.

Rellinquite igitur Scortilla in Bordello, & alias Societates, quæ vobis honori, laudi, atque gloriæ ſient, vobis comparate.

IN DISCVRSVM XIII.

ANNOTATIVNCVLA.

DE Scortis ſcurrilibuſq; eorumdem negotijs plura reperiuntur apud Cœlium Rhodiginum libro 5. capite decimo nono. Petrum Crinitum libro 5. capite 2. & lib. 9. c. 8. apud Petrum Victorium itidem folio 458. 277. & 172.

DE

DE RVFFIANIS ATQVE Lenonibus.

DISCVRSVS XIV.

CVm meretriculæ, Ruffiani, atque Lenones adeo sibi invicem familiariter conjuncti fient, ut de ijsdem benè aliquis inquiat, cordiano nodo eosdem inter se invicem copulatos esse: iccirco operæ pretium esse autumo, ut & de nobili, (scilicet) isto opificio heic verba faciamus, nec torquem, istâ minus civiliter dissolvamus. Vt autem ista de professione mentem meam catogoricè explicé, inficias ire haud possum, sed fateri necessum habeo, quod nimirum Ruffiani atque Lenones, calliditate, astutia, & versutia sua ipsas etiam meritriculas longe post se intervallo relinquant, quippe à quibus scortilla omne illud, quod ad negotia sua requiritur, discere coguntur. Ex ista enim schola prodeunt omneis istæ callidę artes, laquei, & reticula, quibus simplices columbæ, temerè sese Nisos & Falcones simulantes, implicatur atque capiuntur.

Lenonum apud Romanos Priuilegia. Illa autem ars, quemadmodum Petrus Crinitus asseverat, priscos apud Romanos multis privilegiis donata dotataque fuit, atque in templo Veneris duabus æneis suspensisque inibi tabulis Lenonum iura & Privilegia insculpta fuere: in quibus viris permittebatur, ut videlicet fæminas inquirerent, easdem inviserent, salutarent, cum illis loquerentur, & familiaritatem alerent, iisdem persuaderent, eosdemque nemo, tàm diurno, quàm nocturno etiam tempore, sive id in domo, horto, postico, fenestra, aut alio quodam in loco occulto fiat, impediret; in omnibus quoque istiusmodi contractibus, qui inter personas istas instituerentur atque formarentur, fides integra seruaretur, resque pro virili promouerentur.

No-

Nocturno autem tempore, uti ex altera tabula liquet, à dato signo, & peracto colloquio, intrepide foreis pulsarentur, ingressus viris pateret, atque tum tempore & occasione, absque ullo impedimento, uterentur atque fruerentur.

Lycurgi Leges apud Græcos.

Celeberrimus & sapiens ille Græcorum Legistator Lycurgus ad opificium istud commodã etiam aliquam Legem tradidit, quod videlicet fœmina, ob viri sui grandævam ætatem, imbecillitatem quoque sibi non satisfacere posset maritus, juniorem & meliorem gallum tecto imponendi, potestatem haberet, ea tamam cautela atque conditione, ut vir impotens honorem reportaret, & pater vocaretur. Simili quoque modo & Solon Lenonum istorum opificio cumprimis favit, dum talem Legem condidit, quod fœminæ alicui, cuius maritus non sufficientibus calcaribus instructus fiet, licitum esset, ut videlicet ex viri familia alterũ, cui cohabitet, eligat; maritus vero exinde procreatos liberos pro suis habeat, eosdemque hæredes instituat.

Apage cũ stulto isto honore & usufructu alterius.

Lenonum amplificatio.

Postmodum autem & successu temporis opificiũ istud tàm altas in se radices egit, sesèque adeo latè explicavit, ut etiam, omnibus fermè in locis atque principiis, omnium omnis status atque dignitatis personarum animis dominetur: quemadmodum etiam, qui Historiarum lectioni saltim aliquo modo familiarem sibi reddiderunt, fateri necessum habet, quod nullus status tàm inlustris fiet, qui non lenonum sceptro sese quodammodò submiserit. Egesippus in Historia sua scribit, Paulinam nobilissimam pudicissimamque aliquam matronam nova, & alias inaudita, praxique calliditate Sacerdotum Anubis, magna sua in simplicitate Nobilissimo cuidam juveni, sub specie Dei Anubis, fuisse subpositam. De clodio Plutarchus refert, quod, arte lenonũ, fœminarum habitu vestitus, in deæ bonæ templum pervenerit, atque inibi Pompeiam, Cæsaris uxorem, compresserit, qua de caussa etiam à marito suo postmodum repudiata fuit. Apud Athenæum Aristippus Philosophus gloriatur se, inter omneis Laidis Corinthiæ amatores, solum scortillo prævaluisse, nec umquam ab eodem victum fuisse: id quod tamen cal-

lidissima ista meretricula nulla sane alia de caussa fieri permisit, quàm quod commemoratus iste Philosophus eiusdem leno fuerit, suaque auctoritate omnem discipulorum suorum gregem ad eamdem deduxerit. Tacebo heic Neronem, commodũ, & Heliogabalũ, (quem scitè Germani nostri in vernacula *Hellgabel* nuncupant) de quib. Lampridius scribit, quod non minus Lenocinio, quam ipsi etiam Scortationi operam dederint, omnique studio, & alios quoque familiares amicosque suos ad Lupanaria deducere, adlaborauerint. Veterum quoque Poetarum heic nullam mentionem faciam, qui de Priscorum populorum Dijs scriptitando affirmarunt, quod eximij lenones fuerint, quemadmodum etiam eorumdem nũcius Mercurius circa nihil aliud magis occupatus fuit, quam quod lenonum meretricularũque negotia, relliquorum Deorum nomine, expediret. Sic Momus eorumdem Ostiarius habetur, quod, tamquam perfectus aliquis leno, ipsis in omnibus præsto fiet. Venus quoque talis Dea est, quæ omnem amorem meretricium promouere solet, quemadmodum & Cupido, qui præcipui, Ruffiani siue lenones in toto negotio meretricio perhibentur. Quoties, obsecro, Iuno indignatur, quando maritum suum Iouem circa Ruffianos & lenones occupatum esse animaduertit? Mars Vulcano cornua imponit. Pan, cum Satyris suis, Faunus, & Siluanus Dianæ nymphas insequuntur: Oceanus amore ardet erga Thetidem: Glaucus, erga Melicertam: & à Priapo nulla ex omnibus tuta est.

Potentia.

Maledicta & impia præterea ars ista vbique locorum vires suas exerit, & fortissimos constantissimosque quosq; vincit. Nulla siquidem vidua tam prouida, nulla marita tam astuta, nulla virgo tam pudica, nulla bona intentio tam firma, nullaque demum continentia tam constans est, quæ non artibus imposturisque istiusmodi corruptissimorum hominum in extremum periculum incidant, & successu temporis omnino vincantur. Et vbi, quæso, talis Marpesia cautes reperitur, quæ non per crebras hominum istorum sollicitationes, & incessabiles instantias non tamdem quod-

ammodo commoueretur? Vbi locorum contra fraudulentas fraudulentorum, istorum hominum technas atque insidias sufficiens reperietur custodia? Vbi sufficiens inuenietur prouidentia? & vbi, obsecro, contra nouas ipsorum inuentiones & artes sufficiens erit vigilantia? Nulla heic potentia, nulla calliditas, nulla prouidentia, nulla sapientia, nulla celeritas, nulla ars neque eruditio ipsis resistere, multo minus vincere poterit, qui per quos omneis etiam eruditi viri, omneisque artifices vincuntur. Optumus & Doctissimus quique, ad Ruffianum aliquem collatus, nihil valet, talis siquidem summopere laudare, mirifice extollere, sapienter consulere, efficaciter dissuadere, sermones suos exornare, res suas tueri, fundamenta sua illustrare, consilia sua prædicare, contraria, vice versa, reuellere & contemnere nouit. In Summa talis simulator Ruffianus est, vt eidem omnia quoque credantur, & apud quosuis quæuis obtineat. Simplicios terret minis, pollicitationibus eosdem recreat, malis nouis illos territat, bonis vicissim eosdem ad risum commouet: irritat ipsos cõtra eos, quos odio persequitur, & contra illos eosdem irritat, qui sibi emolumentum aliquod adferunt. Verba sua artificiose collocat, gestibus suis eadem contrahit, simulata aliqua auctoritate siue grauitate ijsdem fidem concilîat, & hypocritica sua simulatione sibi singularem aliquam reputationem sibi ipsi comparat: quo facto, eo tamdem progreditur, vt etiam cordibus animisque eorum, quibus struit insidias, potiatur.

Si enim singularis ipsius loquendi modus audiatur, & quo ordine singula commemoret, qua elegantia & emphasi omnia proponat: quibus figuris sermonem suum exornet, quibus medijs vlterius progrediatur, & quomodo tamdem ad propositam metã peruenire norit, tunc fieri nequit vt ipsi aliquis resistere valeat, sed suapte ipsius voluntati & desiderio subiacere necessum habeat.

In literis suis amatoriis perfectum se ostendit Grammaticũ, easdemque tàm eleganter sciteque formare & punctis distinguere nouit, ut non immerito aliquis profundam eius eruditionem atque sapientiam mire-

miretur. In iisdem siquidem verba adeo, electa, & tàm ingeniose explicata cogitationesque suæ tàm cautè & modestè revelatæ reperiuntur, ut etiam nihil pulchrius ornatiusq; umquam alibi adpareat. Inueniuntur quoque novæ cyphræ, quibus clandestini quiddam, quodque ab aliis intelligi nequeat, ad alterum perscribitur: excogitantur noua ænigmata, obscuri Sermones, ne videlicet à nemine alio, quàm rerum istarum conscio, res intelligantur: novum peregrinumque itidem atramentum conficitur, idque de ambusto stramine, fuligine & similibus, quod, calcis & salnitri aqua deleri potest: Illic scribitur cum succu cæparum, lacte ficuum succu Citrino, aqua aluminis &c. adeo ut litteræ, cum atramento tali exaratæ, apud ignem, nec alibi, legantur: Inibi litteræ cum Cærussa, liquefacto gummi & alumine humectata, formantur. S. Ioannis aviculæ (scarabæolorum & muscarum ègenere) quoque destillantur, cum quarum succo arcana quæque exarantur: In Summa innumerabilia heic occultandi & fingendi media reperiuntur, quæ tamen, etiamsi videantur atque legantur, minimè, nisi à rerum gnaris, intelliguntur, & quæ omnia ab egregiis istis (scilic.) Ruffianis & Lenonibus originem suam sortiuntur. Ex Ruffiano siue Lenone, aliquo insignis itidem fit Poeta idque, in descriptione tristis cuiusdam casus, magna cum tristitia: & hilarioris alicuius Historiæ, adeo ut lætitia ista pene; apud seipsos percipiatur: Illinc describuntur suauissima bella Veneris, Cupidinis, millenorumque aliorum amantiũ equitum duella, Martialia: Illinc describitur, quomodo duo amantes inter se invicem certent, quomodo Satyri Nymphas insequantur: quomodo Neptunus & Nereus cum Doride & Amphitrite piscentur. In descriptione præliorum venereorum Poeta est Heroicus: in enumeratione illius lætitiæ, Lyricus: in recensione istius indignationis, Satyricus: in istius commutatione, Comicus, & Tragicus in enumerandis illius quærimoniis atque desperationibus. Subjectum eius sunt, uti & relliquorum Poetarum omnium, fabulæ: versibus, tanquam propriis suis mediis, aliquanto propius accedit: Amor *Poesis.*

est ipsius objectum: cantilena, instrumentum, & præcipuus eiusdem finis, ut videlicet illa potiatur, quam fallere & seducere sibi ante proposuerat.

Musica. Ruffianus etiam cottidie & ubique secum circumfert Petrarchæ Sonettas: Chytmos reti, de Adiia: Arcadiam Sannazarii: Madrigalia Parabosci: Orlandum Furiosũ: Amadisium, Dulcem, Taxum, præsertim vero *Strambotti* Olympii de Saxoferrato, utpote qui proposito suo omnibus intercurrentibus occasionibus facilimè & ut plurimum inserviunt. Immo Musæ ipsæ illum, in descriptione aliquid miri vel rari, juvare necessum habent: Gratiæ fucum porrigunt, quo dictis fidem faciat: Pallas sapientiam ei confert, ut intentionem sum ritè adferat in mediũ. Nec ipsa quoque Venus ipsi deest, quo melius ab eo prolata auditorum cordibus imprimãtur. Sæpenumero insignem aliquam Sonettam, vel suauisonum aliquod Madrigale manibus circumfert, vel aliam aliquam ingeniosam cantilenam, aut Poema lepidissimis verbis, emphaticis figuris, artificiosis sermonibus adeo illustratum exornatum, ut illud recens à Bembo, cato, Veniero, vel heselino natu: & profectum esse videatur. Illud insuper aut aureis, vel tamen artificiosis elegantibusque aliis litteris exaratum est, quo gratius & acceptius illud amatiæ exhibeatur: quo facto, illud tum summa suavitate, legitur, extrema jocunditate pronunciatur, profunda arte explicatur, donec tamdem Poetæ istius intentio in mediũ, adferatur: qua de re tum amasia summopere lætatur, & Ruffianus, vice versa, gloriatur, quod per Sonettam aliquam, aut aliud quodam vile poema, formosam & cautam aliquam fæminam vel virginem in nassam suam pertraxerit, earumdemve corda Lucratus fuerit.

Ruffianus præterea egregius quoque fit Historicus, & omnis generis Historias artificiosè ad sui emolumentum applicare novit, quo melius destinatæ personæ ad partes suas pertrahantur. Exempli gratia quomodo videlicet Amnon morbum simulaverit, ut eo commodius à Thamare sorore sua inviseretur: Item, quomodo delila simulata tristitia bonum istum Samsonem deceperit: quomodo

do Achilles, habitu fœminarũ indutus, deidamiam, fefellerit: quomodo Æneas, instituta venatione, ad didonem in speluncam devenerit: quomodo cleopatra magnificentia sua Marcum Antonium ad se pellexerit: & quomodo circe, incantatione & magicis suis artibus, vlissem inescauerit, sociosque ipsius in porcos transmutauerit: Illic etiam diuersimoda exempla Leno aliquis recensere nouit, tristes, ut pote, casus Loncillotti, Tristani, Amadisii ex orientali Francia, Splandiani, equitis crucis, aliorumque plurium, quibus alias mollia fœminarum viraginumque corda commovet, ut eo facilius fallantur atque decipiantur. Nam certo certius esse aliquis autumet, paucas sane fœminas, constantis prudentiæ & castitatis, per istiusmodi Historias quemadmodum istæ ab illis Magistellis recensentur, non aliquantulum flecti & mendi adeo ut existument, & se quoque amatorib. suis promptiora officia exhibere neceſſum habere. Si porro Ruffianus aliquis litteras phillidis, ad amandiſſimum suum Demophoontem exaratis, recenset, & simul Neronis, ad dilectiſſimum suum Leandrũ, datarum literarum mentionẽ facit, tunc quoq; casus Olympiæ, Geneuræ, Isabellę, aliarumque, quæ in Bocatij, Cintij & Strapolæ fabulis reperiuntur, artificiose inferere nouit, Iuxta illa omnia mentionem quoque facit furiosi amoris Rinaldi, superbæ arrogantiæ Angelicæ, amorum Ruggieri & Bradamantæ, vt libidinosarum petulantiumque historiarum istarum recensione, pudica fœminarum viraginumq; tenella corda terrere, emolire & superare queat, quæ etiam quandoq; per commemorata istiusmodi media vincuntur & illaqueantur.

Et Logicæ quandoq; etiam Leno vel Ruffianus aliquis operam dat, vt hoc modo pudicarum fœminarum virginumq; callide refutare, ijsdemq; mendacia pro veritate obtrudere possit: nouis iccirco argumentis instat, nouas obiectiones adfert in medium, nouisque syllogismis tam diu vtitur, donec tamdem concludatur: circa horam sextam vespertinam foreis apertas, & tum fidem constanter seruatam iri. De istiusmodi loquitur terminis, qui ipsi sunt per omnia similes, & ad vnum *Logicæ.*

vel alterum diem ſeſe minime extendunt. Nomina explicat, quæ plerumq; ſunt, aut Flaminius, vel Lucius, aut Lælius. Præcipuum verbum monſtrat, quod videlicet ad intentionem ſuam requiratur, nimirum currere, & operam dare, vt commiſſum ſibi negotium ſedulo exequatur. Orationem quoque aliquam componit Ruffianus, quod nimirum Flaminius erga illam amore nimio accenſus ſiet, & interni ſui deſiderij propoſitionem exinde nectit. Hypotheſin tum facit, quando videl. illa in rem conſentit. Ex amatore lepidam elegantemque aliquam figuram facit, & omneis obiectiones refutare, differentias accomodare, & animos, inter ſe inuicem adeo implicare & copulare conatur, vt etiam vtrimque in voluntate conſentiant. Tum ex fœmina ſubiectum, ex viro prædicatum, ex ambobus copulam facit, donec tamdem ad principalem Concluſionem deueniatur, & ambo, per fas nefaſque, conſtantem indiſſolubilemque vitam agere in ſeſe recipiant.

Arithmetica. Simili modo quidam Ruffianus per Arithmeticam quoque ſibi apud fæminas vtilitatem aliquam comparare poterit, vt pote cuius beneficio ipſis ſæpenumero gratificatur, eadem ſibi auctoritatem aliquam conciliat, & ſingularem aliquã animi recreationem apud eaſdem excitat: videl. ſi ipſis exemplum proponat, quid videl. fiet id, quod quinquaginta ſaltibus canem præcurrat: quomodo ruſticæ corbicula ouis referta de capite in terram deciderit, ouaque iſta confregerit, quot pecuniæ tres fæminæ, ad forum ſimul ſeſe conferentes, habuerint: quomodo annuli initium reperiatur: quomodo quis coniectura adſequatur, quot pecuniæ videlicet alter habeat in marſupio, & quæ id genus Arithmeticæ artes ſunt aliæ, quæ lenonis alicuius intentioni plurimum & commode inſeruiunt.

Geometria. Ita quoque Geometria ipſi ſubuenire poterit: ab illa ſiquidem docetur, quam alta ſcala eſſe neceſſum habeat, ſi quis aut tectum conſcendere, aut per feneſtram tranſilire velit: quam late etiam illa inferius à muro vel pariete collocetur, ne tranſuerſum cadat: quam altum itidem cubiculum amaſiæ dormientis à terra fiet, & quot funes, quibus

quib. ad illam peruenia tur, potissimum requirantur.

Nobilissima itidem ars Musica eiusdem Ruffiani intentioni opitulatur, qua tam aures, quam corda Simpliciorum occupat, animos eorumdem inflammat, & ad omnem libidinosam vanitatem turpiter irritat; Illinc cantantur omnis generis cantiones Threnologicæ, variæ cantilenæ, Villanellæ, & ad Choreas ducendas aptæ adaptæque cantiunculæ: Illic varia Instrumenta Musica pulsantur: illinc exauditur hilaris aliqua Bergomasca, exhilarans Florentia, decora Galliarda, agilis citaque Moresca, donec sensim ducendarum Chorearum fiat initium; quo facto cōfestim, & absque vllo rubore, fœminæ virginesque manu ducuntur, osculis beantur, clandestinis insusurrationibus irritantur, quandoque cum Duce Troiano & Didone ad vnam eamdemque speluncam deueniunt, in qua sane nulla Oratione Dominica, ni singularis accedat deuotio, vtuntur.

Ruffianis insuper & pictores & statuarii quandoq; opellam suam utiliter præstant per turpes libidinosasque siquidem imagines & picturas simplicia corda sæpissimè seducunt, ut pote quæ ad excitandam venerem ut plurimum conducunt: cuius rei exemplum in pigmalione videre est, qui erga sculptā aliquam imaginem, non secus, ac si illa viva virgo quædam esset, inflammabatur. Similiter in stolido isto juvene Atheniensi, qui, teste Celio, erga Fortunæ simulacrum ita accendebatur, ut etiam, cum illam nulla pecunia à Magistratu loci istius sibi comparare posset, pro illa voluntariam violentamq; mortem oppetierit. Ita quoque & alius quidam adolescens Atheniensis, quemadmodum Plinius testatur, cum elegantissima veneris Gnidiæ, à praxitele celeberrimo isto statuario facta imagine, aliquando coivit, atque hoc modo indelebili macula eamdem memoriæ ergo, contaminauit: idem quod & alii cuidam adolescenti, in Samo insula, cum virginis cuiusdam, à cresi de sculpta, imagine accidit. Simili modo & Terentius, in Eunucho suo, adolescētem aliquem introducit, qui solo tuitu alicui⁹ tabulæ, in qua pictum erat, quomodo videlicet Iupiter, sub specie aureæ alicu-

licuius pluuiæ, Daneen compresserit, ad illicitam venerem incitatus fuerit. Nec dubitandum est, quod videlicet judicium paridis, dum tres deæ nudæ coram Paride consistunt, ad libidinem magnā caussam præbuerit. Similiter & Nympharum balneum, dum Fauni ex obscuro quodam angulo easdem observant & conspiciunt: Item Dianæ lepidum spectaculum apud fluuium, Eurotam: Raptus itidem Helenæ, Lucretia, plerumque nuda: Europa, nuda tauro in mari insidens: Nereides, in mari ludentes, & id genus lascivæ picturæ aliæ, à quibus certe nihil boni fructuosique stolidæ, & à natura ad libidinem inclinanti, juventuti exspectandum est: quemadmodum etiam crates cinicus apud Atheneum inquit, dum eximiam famosissimamq; Cupidinis à praxitele factam, imaginem vidisset, quod eadem ista imago nihil sane aliud, quā meram certamque Græcorum vanitatem & lasciviam, indicet.

Pharmacopolia, & Tonsoria. Simili modo Ruffian' in pharmacopolam aliquem evadit, utpote qui fæminas instruit, qua ratione videlicet omnimodis materiebus & coloribus faciem pingere, expolire, novamque quasi formam fingere debeant. Vnde etiam beneolentia unguenta, suffitus, & destillatæ odoriferæ aquæ promanant. Illinc reperiuntur aquæ mosci sphærulæ Mecalepi &c. unde sibi bonum odoratum & splendorem fæminæ concilliant. Tonsores quoque Leno sibi familiares reddit, qui semper pulverem, ipsis convenientem atque utilem, in pera sua circumferunt, ipsisque, sub phlebotomiæ, aut alterius cuiusdam sanandi vulneris specie, illud reddit profundius, eorūdemue honorem, & si quam habent, existumationem lædit.

In Summa Ruffianus istiusmodi in omnibus suis actionibus & negotiis tàm est callidus, providus in excogitationibus, tam maliuolus & infidelis in consiliis suis, ut etiam omnibus aliis opificiis negotium facessat, & instar celerrimi alicuius Prothei, illico in omneis formas sese transmutet. Colores enim suos mutat quemadmodum Chamæleon, ut hoc modo, & omnis generis hypocriticis summissionibus omnium

um corda lucretur atque tandem ad propositum suum scopum aliquando collimet.

Sæpe numero alicuius Advocati & Procuratis vices agit, ut clientum suorum favorem atque, gratiam consequatur; iisdemque tamdem potiatur. Caussis & controversiis Matrimonialib⁹ sese quandoque immilcet, ut ita accusatam partem, si ex Nobili genere oriunda Matrona aut virago fiet, in n ssum suam pertrahat.

Ex Advocato & procuratore fit Philosophus, & naturam fœminarum explorat, præcepta illarum mensurat, concupiscētias & desideria earumdem expiscatur, atque adeo præcipuum ipsarum scopum inquirit.

Nunc quoque Medicum sese Ruffianus profitetur, pollicetur siquidē virginibus, quod virgines manere debeant etiā si quandoque familiari suo officium præstent: cum ipsis quoque modum commonstrat, quomodo videlicet, si alteri nubant & matrimonium cum ipso contrahant, sese gerere debeant: Item quomodo tàm ubera, quam ipsum ventrem suum, ne ambæ partes adeo intumescant, coercere possint: Item quomodo conceptos fœtus ex utero materno iterum propellere sese, ne denuo impraegnētur, gerere debeant. Sub specie autem illam decumbentem inuisendi, fundamento quodamadmodum, periculosæ cū summa præjudicio coniunctæ amicitiæ ponitur: quemadmodum in exemplo Eudemi, & Vectii Valentis videre est quorum unus, sub specie istiusmodi visitationis, Liuiam dr so, alter Messalinam claudio deducebat. Illinc nulla remedia, secreta, & potiones desunt, quibus illis, qui tam perniciosis Medicis fidem habent, satisfiat & auxilium præstetur.

Ruffianus præterea omnis generis dolosis attamen pretiosissimis ijsque ingentibus, promissis refertus est: in quo sane cum chymicis egregie comparatur. Hic siquidem merces & emolumentum plerumque duplicantur, aurei argenteique montes promittuntur, modo virgo in rem consentiret, nupta assentiretur, & vidua sese flecti pateretur: quo facto nulla tunc clenodia, añuli, torques armillaria, & alia id genus ornamenta deficerent, quibus & similibus promissis negotia majori *Aurerū montiū promissor.*

nn ex

ex parte perficiunt, atque ad intentionem suam commemorato modo perueniunt. Aurum siquidem potentissima clavis est, quæ omneis seras obicesq; reserat, immo omneis muros arcesque perrumpit, atque omnia quæ modo expetuntur, expedire solet: qua de caussa Ouidius (ut nunc taceam, quod illud etiam fæminarum pudicitiam violet atque vincat) benè quodam in loco sic cecinit:

Aurea nunc verè sunt secula; plurimus auro
Venit honos: auro conciliatur amor.

Astrologus. Iuxta ilia omnia Ruffianus siue Leno aliquis sese quoque Astrologum quandoque mentitur, dum sub specie alicuius vatis, Somniorum explicatoris, & ut simpliciorum fæminarum & virginum gratiam consequatur, sibique exinde aucto itatem aliquam conciliet, ipsis futurum statum in matrimonio, quot viros itidem & cũ illis liberos accepturæ sient, prædicit. Item an ipsarum prægnantes filiæ puerulos, aut puellulas, parituræ sient, id quod ex dextri aut sinistri pedis præpositione colligit: Item, quot amatores nunc habeant, & imposterum quoque habituræ sient: quam fortunatum, aut infortunatum statum illæ experiri necessum habeãt. Instar Chiromantici itidem idem ille Ruffianus, ex inspectione manuum, ipsis futura annunciat, quod nimirum senes & locupletes fieri, & ad magnos honores euchi debeant. Ipsarum insuper somnia explicant, & maiora cordium suorum desideria siue concupiscentias prænunciant. In Summa è longinquo, cum ipsis colloquendi, occasionem caussamque petunt; vt hoc modo manibus illas teneant, & aliquando, hinc inde palpitando, ad destinatum Scopum, & præcipuam ipsorum intentionem peruenire queant.

M Cumprimis vero ex ista Ruffianorũ Schola omnis generis superstitiones, magicæ artes, & veneficia prodeunt, quibus stolidæ, minus callidæ & astutæ mulierculæ sibi persuadent, sese nimirum, iuxta Ruffianorum doctrinam atque informationem suam illegitimæque Veneris fruitionem peruenire posse: quemadmodum etiam Candida, Sagana, Vbia, & Folia, apud Horatium, &c, apud Apuleium, Pam-

Pamphila, eo modo amatores suos ligare & fascinare potuerunt.

Simili modo quoque Celestina Lena, in Tragicocomœdia Calixti, Meliberam virginem informat, quomodo videlicet artes istas excolere debeat. Exinde tum proueniunt potiones Somniferæ, potiones amatoriæ, quibus sæpenumero, *Dei Ter Optumi Maxumi* permissu, ad Scopum metamque præfixam collimant: quandoq; tamen modo dictæ potiones istæ potoribus vitæ corporisq; periculum irreparabile damnum adferunt, quemadmodum de Lucullo legitur, quod tali modo vitæ suæ iacturam fecerit, ac iuxta statium, Lucretius omni intellectu sensibusque suis priuatus fuerit.

Sæpenumero etiam Ruffianus Institoris alicuius munere fungitur, modo vt ad fœminas virginesque perueniendi, atque cum iisdem colloquendi, ansam occasionemq; habeat. Quo melius autem id fiat omnis generis preciosas vulgaresq; merces, vtpote eximia tenuissimaq; fila, lintea, pepla, acu egregie picta strophiola, chirothecas, digitalia, vittas, cingula, clauium annulos, acus, gemmas, Corallinasque merces alias, quibus sane tantam etiam familiaritatem demesticorum sibi comparat, vt etiam, de proposito & intentione sua loquendi ansam occasionemque sortiatur. Neminem etiam alloqui veretur, modo vt in amasiæ ædes perueniat, etiamsi eius rei gratia lotrices conuenire, & de aditu ad ædes istas sibi parando, easdem sollicitare debeat. Immo & mendicis ipsis, ad intentionem suam in effectum deducendam, commode vti poterit, quemadmodum etiam istarum ædium famulitium, & obstetrices sibi Leno talis reddit obnoxias, quæ nam, ad promouendum aditum mirum in modum sunt conducibiles.

Ruffiano præterea vtilem quoque operam nauant Gondelarij, mercenarij, qui æque iuniorem Gallum Gallinaceum, quam aliud quoddam onus, ædibus inferre possunt, cucullati Caminarij itidem, qui mira agilitate Ruffiano aditum ad amasiam parare possunt. Quoties enim, obsecro, fit, vt verberonis istiusmodi instinctu, iuuenis aliquis circa Bacchanalia, habitu Caminarij indutus,

vrbis plateas perreptando clamitet, an videl. hac arte in domum, quam expetit, peruenire posset, præsertim quando via ipsi iam ante præparata est. Sæpissime Leno vagabundum quemdam erronem sese simulat, vt hoc astu amasiam manu comprehendere, & seorsim illi soli clandestinum suum cordolium reuelare queat. Alter, egeni mendicantisque militis instar, eleemosynam petit, vt hac arte, tamquam miles, non *Martis*, sed *Veneris*, virginis conspectu, colloquio, vsu &c. (Nam: *Quid iuuat aspectus si non conceditur vsus?* frui possit. Alius tamquam rusticus, venale quid circumfert, vt hac calliditate fæminam vel virginem alloquatur; vbi sane subrustica & agresti quadam simplicitate, desiderium suum amasiis detegere potest. Alter, sub venatoris alicuius specie, internum suum dolorem explicat. Alius, peregrinantis more, caussas suas indicare nouit, cur videl. ex patria in exilium pulsus fuerit. Multi stultos & moriones sese simulant, summa spe freti, ipsos meliore fortuna vsuros, & hac ratione simulataque stultitia intentionem suam eo facilius consequuturos esse. Illa autem omnia, Ruffianorum Lenonumque impulsu atque instructione fiunt. Quemadmodum etiam verberones istiusmodi verberabilissimi, pretio coducti, miseré amátes iuuenes egregie, fallere eosdemq; naso suspendere; ita quoque illi ipsi iisdem artio. artificiosissime vti norunt: Immo, vrgente necessitate, & occasione exigente, miram aliquam sanctitatem quandoque præ se ferunt: ideo etiam magna deuotione omnes sacras ædeis, templa, monasteria, & Sacella frequentant: rosaria manibus gestitant, magnum *Aue*, *Pater*, & *Credo* numerum deuote murmurant, donec ateri fæminarum vel virginum sese adsociare, atque tunc officio suo, clandestino occultoque more modoque, rite perfungi possint. Etiamsi autem pio sub prætextu illud peragant, nihilominus tamen meri sunt Diaboli nuncij, & corruptissimi nebulones in cute sua, qui dumtaxat, ad omnis generis infortunia, scelera, atque flagitia promouenda, promptissimi sunt & paratissimi.

Verum enimuero non solummodo viri, verum etiam ipsæ

psæ vetulæ ad id conducter,tur pissimum flagitiosissimumque istud opificium exercere solent: quemadmodum de Crobylo quodam legitur, qui duas istiusmodi scitulas facinorosasque matronas domi suæ aluerit, & cuius capillis easdem immisisset, eidem certe durissimum aliquod onus incumbebat, vnde etiam prouerbium, *Crobyli iugum*, apud Manutium exortum est.

Similiter & de Cinaro, lenone quodam, tradunt, qui apud Timæum pecculiari voto sese obligabat, quod videlic. omne illud, quod turpi lucro lucraturus esset, Veneri consecrare velit.

Ita quoque de celeberrimo famosissimoque quodam Ruffiano apud Catullum legitur, qui Silon dictus fuit: Item de lena Sinope Treeissa apud Theopompum, cuius impulsu opificiũ istud Ægina Athenas translatum fuit: Item apud Ouidium de Dipsa quadam, omnium lenarum multomerobibarum auia, de qua quodam in loco sic cecinit:

Est quædam (quicunque volet cognoscere lenam
Audiat) est quædam nomine Dipsas anus.

Caueant itaque sibi omneis honestæ fæminæ viraginesq; ab istiusmodi Lenonibus & lenis nefandissimis; ipsarum siquidẽ pudicitia nullum periculosiorem hostem habet, quam illos ipsos, qui ipsorum honori cottidie, & verbis, & promissionibus, manifesto, omnisq; generis callidis consilijs & artibus, insidiantur; atque ea ipsa de caussa aptissime cum cuniculis sensim præaltam durissimamque aliquam rupem suffodientib. donec omnino ruat, comparantur. Quæ & heic quoque nunc dicta sufficiant: ad alia igitur nobis iam properandum est.

IN DISCVRSVM XIV. ADNOTATIVNCVLA.

DE maledicto turpissimoq; isto, locis omnibus neutiquam tolerando, sed acerrimo iuris rigore exterminando, negotio legatur porro Petrus Crinitus, in Tractatu suo de honesta disciplina, libro vndecimo cap. 8.

DE CADVCEATORIBVS SIVE, vulgariter, Heroldis.

DISCVRSVS XV.

Heroldi vnde sic dicti.

PRofessio ista non dumtaxat per se Heroica, sed & auctoritate grauis est & conspicua: Tota siquidem in distributione insigniorum, clypeorum, & colorum, quemadmodum ista omnia inter Nobilitatem Ordinemq; Equestrem usitata sunt, consistit. Nominantur autem professionis istius cultores ideo Heroldi, aut, in vernacula, Ehrenholden/ quod illos, qui iisdem digni censentur, singularibus insigniis decorent: quæ maiori ex parte in istiusmodi rebus consistunt, quæ summi honoris, fortitudinis, & constantiæ laudem & indicium aliquod præ se ferunt. In ignominiam quoque nostram vergere videretur, siquis vitulum, agnum, caponem, gallinam, anserem, vel id genus aliis vilibus animalibus insignia sua exornare conaretur: quemadmodum, vice versa, laudi, & gloriæ ducitur, si quis feram aliquam bestiam, vel aliam quamdam, magnam potentiam significantem, imaginem in insigniis suis usurpet quem in finem etiam Caius Marius, qui septies Romæ consulatum gessit, Romanis Legionibus, Plinio lib.

10.

to: testante, aquilam, rapacissimam istam auem, pro signo dedit, ut videlicet eamdem in vexillis suis gererent. Eamdem etiam (Iulius Cæsar postmodũ sibi sumpsit, idque potissimum hac de caussa, quod olim aquila castra sua prætervolans, duos nimium clamitantes corvos boni augurii caussa necasset. Vnde etiam omneis subsequẽtes Romanorum Imperatores nigram aquilam in iisdem suis insigniis usurparunt. Idem insigne etiam olim Regis Antiochi fuit, ubi additur, quod dicta ista aquila draconem aliquẽ unguibus suis apptæhendisset.

Sic Phrygii aprum suis insignisis ursurparũt: Ægyptij, taurum: Armenii, veruecem: Corinthii, Pegasum: Itali, equum: Asiatici tres serpentes: Aphricani, Elephantem: Milesii Leonem: Franci, veteres Saxones, & Veneriani, etiam Leonem: Athenienses, noctuam: Archivi Soricem: peloponesiaci, testudinem: Sueci, ursum: Gothi, ursam: Alani, felem: Belgæ, bubalum: Aquitani, Leopardum: Senenses, Lupam: Neapolitani asinum ab utroque latere corbiculis onustum. Inter alios populos Scythæ, ad maiorem ipsorum fortitudinem contestandam, fulgure insignibus in suis usi fuere: Persiani, sagitta: Cilicii, belli duce, galea obtecto: Thracii, Marte: Phœnicii, Herculecum claua, & leonina pelle sua: Coralii, duabus rotis &c. Similiter & personæ quædam particulares etiam peculiaria sua insignia habuerunt, utpote Agamemnon, quemadmodum Pausanias testatur, caput Leoninum, cum tali inscriptione: *Hic est qui hominibus metum inmutit; &, qui illud gestat, Agamemnon dicitur.*

Antiochus leonem, caduceum in dextro pede gerentem. Theseus, taurum: Seleucus, bubalum: Cajus Marius duos boues uno sub jugo: Pompeius Magnus, leonem, dextro pede gladium tenentem: Lucius Papirius Cursor, pegasum: Mecœnas, aliquot ranas: Attila, coronatum Nisum: atque hac ratione singuli tale sibi animal elegerunt, quod ex aliis potissimum ipsi placuit, & quo fortitudinem & constantiam suam eo melius innuere voluit: quẽadmodum etiam nostrates (puta Italos, quos Garzonius suos heic nominat.) eadem in re Veteres istos imitati sunt, atque

modo

modo simili istiusmodi animalia, figuras, & imagines sibi elegerunt, quas nominibus, dignitatibus, & præclaris ipsorum rebus gestis conformes esse arbitrabantur. Cujus rei gratia Vrsini urso, horologium pede tenente, utuntur: Colonnesii, columna: Visconti, serpente: Sfortii, leone surculum de malo cydonio unguetenente: Roveri, quercu: cardoni, carduo: Spinel i spinæ arbusculo Bentivogli, serra: Comite de Armini co, duobis coloris marini leonibus: Comites de Fois, duabus rub is vaccis, & alii proceres Italici plureis, qui commemorato modo heroicos suos animos externis istiusmodi signis in lucem procedere conati sunt.

Anser Priscorũ Romanorum insigne. Simili modo priscos apud Romanos singularis integritatis & fortitudinis singulare, quoque erat indicium, quod (postquam strepitu vigilantiũ anserum Gallos, Capitolium conscendere conantes, prodẽtium, modo dictum illud capitolium conseruatum fuisset) anserem, simplicem stolidamque auem, pro insigni suo eligere haud fuerint veriti. Sic & alii fortassis similes sibi aues eligãt, utpote Gallum gallinaceum, innuentes, ipsos etiam ipsius solis esse propinq os, quod gallus soli tribuatur: Alii, pauonem, ad superbiam arrogantiamque suam contestandam: Alii, Vpupam, regiam quandam auctoritatem, cum diademate suo Regio in capite, præ se ferentem: cuius tamen Nobilitati in nullum vergit præjudicium, quod in stercore nidificet, quum etiam olim Romanorum Imperator Vespasianus ex urina vectigal collegerit, prætendendo, lucrum nullum tetrum idumque odorem de se spargere, undicunque etiam proueniat.

Sic Cassanæus in Catalogo suo refert, quod insignis iste Heros Achilles duos mutuo sese intuentes, leones in viridi campo insignis loco duxerit: Iudas Macchabæus, rubrum draconem in campo argenteo: Princeps Iosua, tres virides psittaces in campo aureo: Alexander Magnus, Regem Regio throno insidentem in campo cœruleo: Rex Arturus tria, in eodem cãpo aurea diademata: quæ omnia & similia insignia singularẽ aliquam fortitudinem & constantiam denotabant, quam etiam omneis nobiles & heroici animi suo quodam jure sectant,

Verum enim vero unicuiq; olim insigniorum electio libera rellicta fuit: hodierno tamen nostro tempore aliquanto honestiora æstumantur insignia, quæ alicui, ob res præclare à se gestas nobilem heroicamque eiusdem virtutem fortitudinéque ab Imperatoribus, Regibus, aliisque Monarchis clementissime largiuntur: quæ etiam, Iurisconsultoris testimonio, sola ea sunt insignia, quibus aliquid tribuitur, & quæ etiam singularibus priuilegiis suis gaudent, & fruuntur.

Nec prohibitum est, ut una familia, insignia cum alia quadam familia habeat communia, modo ne id in alterius præjudicium atque contemptum vergat: cuius rei gratia etiam judices, & Prouinciarum præsides inspectionem sibi commendatam habeant.

Qui autem, ea de re, plura scire desiderat, is legat Catalogum Mundanæ Gloriæ, præcipue vero eiusdem partem primam, una cum artificiosa explicatione omnis generis colorum, ubi sane pro suo lubitu exsatiabitur. Exempli gratia, intuentur turbanæ, (tegumenti species Persica) quam Persarũ Reges in capite gestant, albisq; rubeisque coloribus distinctæ sunt, quibus administrationis æqualitas illius Imperii innuitur. Albus enim color, lenitatem, atque mansuetudinem: rebeus vero, decentem aliquẽ rigorem, atque acerbitatem denotant.

Quum vero plerumque Imperatores, Reges, Principes, & Proceres insignia, per ad id cõstitutos Heroldos, solemniter conferre soleant, ideo plurimi sane reperiuntur, qui ipsis vitio vertunt, si quandoque eximiæ cuiusdam & Nobilissimæ familiæ viro exigium aliquod animalculum conferunt; etiamsi per eadem æque magna, immo quandoq; maiora damna, quã per leones & ursos, inferantur. Exempli gratia: Cuniculum, talpam, ranam, locustam, bufonem, serpentem, & id genus animalcula alia, de quibus Plinius testatur, quod vniuersos populos loco cedere coegerint, & quandoque ciuitates atque integras Prouincias pessum dederint & deuastauerint.

Quemadmodum etiam perniciosæ bestiæ, ad condecoranda insignia, sæpenumero expetuntur, ita quoque muscæ, pe-

diculi, & id genus alia insecta, quibus Pharao in Ægypto vexatus fuit, à quodam in insigniis suis vsurpari possent. Pluris autem plerumque ij æstumantur, qui pugionibus, gladijs, bipennibus, securibus, bombardis, turribus, rupibus, ignibus, alijsque id perniciosis, cædes, damnaque alia causantibus rebus alijs, insignia sua exornare conantur; atque exinde maliuolos suos, & solummodo ad damnum perniciemque inferendam inclinantes animos, & quomodo ipsis violentia, pertinax audacia, crudelitas, & insolentia magis, quam rectæ veræque virtutes aliæ, cui æ cordi que sient, satis superque testantur.

Colorum significatio & explicatio.

Postea etiam non adeo est laudabile, quod nasutuli quidam, & Sapientum Octaui aliquot, quemadmodum sane sitâ pluribus, de coloribus adeo sese excrucient, de ijsdem disputent, atque adeo de mera lana caprina inter se inuicem contendant.

Quidam enim nigrum colorem Saturno tribuunt, eumdemque constantiam, taciturnitatem, & patientiam significare innuunt: Cœruleum, Ioui, quem Zelum significare Galli contendunt; fuluum, Soli, illumque hilaritatem & cupiditatem significare prætendunt, idq; ob insignem eiusdem splẽdorem, & metalli sui, auri videlicet, elegantiam: rubeum, iracũdo Marti, qui iram vindictãque significent. Carnosum viridemque Veneri, quod spem & amorem denotent: album, Lunæ, puritatem integritatemque animi significantem. Omneis relliquæ vulgares colores vero inconstanti mutabilique Mercurio adscribuntur, & pari modo inconstantiam aliquam significant.

Isti autem Caduceatores, siue Heroldi, (qui, Ænea Siluio teste, olim Heroes dicti fuerunt, & ex quo nomen illud exortum esse adparet; in genere milites Veterani appellantur, etiamsi quoque, hodierno nostro tempore, homines plebei; vtpote tubicines & nuncii, peculiarib. in negotijs, eodem nomine nuncupentur) à priscis istis Imperatoribus & Regibus singularia, & magni equidem momenti, priuilegia olim accepereunt, adeo vt etiam vetus ille Bacchus, deuicta occupataque India, eosdem (Æroldos), sequen-

quentibus verbis extulerit, eosdemque ita compellauerit:

Libero vos hodierna Luce ab omnibus oneribus grauaminibusque Bellicis, & vos imposterum Milites Veteranos & Heroes appellari, iubeo. Officium vestrum esto, vt videl. Reipublicæ curam habeatis, eamdem promoueatis, improbos castigetis, probos defendatis, eorumdemque honorem tueamini. Ab omnibus oneribus quocunque etiam perueniatis, immunes sitis, illicque à Regib. & Monarchis subsidia vestra capiatis: omnes vos colant & respiciant: Principes vobis munera offerant, vosque honeste vestiant: Vxoribus vestris fides habeatur: Vos ipsi omnia mendacia & falsitates summo studio vitetis, honestarumque fœminarum integram famam calumniis probrisque Proscindentes, infames inermesque reddatis: omnes Prouincias tuto & impedite peragretis & vbicunque locorum, pro lubitu vestro, habitetis: verbis, vel operibus vos, vestrosque, lædentes securi percutiantur.

Longo tempore post Herorum Priuilegiis Alexander Magnus & hoc addidit: *Heros siue Heroldi, aurum, purpuram, regiaque vestimenta, & arma, omnibus in locis, gestare, potestatem habeant: & si quis eosdem verberare, aut verbis iniuriosis lædere conatus fuerit, is vita bonisque suis spolietur*: quemadmodum illud ipsum Thucydides, Herodotus, Dydimus, Megasthenes, & Xenophon testantur.

Dein' quoque Cæsar Octauius Augustus, postquam Romanam Monarchiam inchoasset atque confirmasset, eosdem Heroes subsequente priuilegio dotauit, atque nobilitauit:

Quum, inquit Imperator, *decem annis integris nostra stipendia & castra, siue id pedes, siue eques, à te factitatum fuerit, fideliter sequutus sies: ea propter & volo, & iubeo, ut imposterum, cuiuscunque etiam status atque dignitatis fueris, ab omnibus oneribus bellicis immunis sies, atque Heros, & miles veteranus appelleris: Nemo iccirco tam fiet audaculus, qui te ex urbe, foro, templo, diuersorio, vel ex ædibus tuis propellere conetur: nemo quoque tibi verbis umquam molestus fiet, vel te forsitan oneret, aut peccuniam à te exigat. Si ipse deliqueris, à nemine alio, nisi à solo Imperatore, puniaris: si etiam aliquis tibi iniuriam inferre in animum præsumat, is capitis reus esto*: Quibus postmodum adhuc alia priuilegia idem ille Imperator superaddit. Postremo etiam illos ipsos caduceatores Carolus Magnus, Saxonibus

Longobardisque deuictis, & Romano imperio adepto, summopere extulit, & non dumtaxat priora ista, ab Octauio Augusto ipsis concessa, Priuilegia confirmauit, sed & iisdem plura adiecit. Inter quæ & hoc deprahenditur, dum inter cætera sic ait: *Si quis vos, qualicunque etiam modo, lædere adtentarit, criminis læsæ maiestatis reus esto.*

Si quis autem plura hac de re, & quomodo videlicet à subsequentibus Romanorum imperatoribus caduceatores illi donati dotatique fuerint, scire volet, is Lucæ de Penna, celeberrimi illius Iurisconsulti, tractatus lectu sibi familiares reddat, in quib. ad satietatem vsq; sese oblectabit. Sed & hæc iam de professione ista sufficiant.

IN DISCVRSVM XV.

ANNOTATIVNCVLA.

NON leuidensis sane istius Herois, siue Veterani militis, erat inuentio & opinio, qui bubonem diademate insignitũ & substerniculo ligeno insidẽtem, pro insigni suo vtebatur, significans se, humili loco natum, ad tantum honoris culmen euectum fuisse.

DE

DE RE MILITARI IN GENERE, in specie autem, de Capitaneis, Militibus, Cunicularijs, alijsque requisitis Bellicis.

DISCURSUS XVI.

Latinum militis nomẽ, iuxtà celeberrimi istius Iurisconsulti Vlpiani opinionem, aut à vocabulo multus, quod multi milites in bello requirantur, vel à nomine malus, quod plerumque homines improbi & nequam fiant, vel quod pugnare necessum habent, ut hoc modo omne malum auertatur atque propellatur, deriuatur: aut à nomine mille, juxtà Isiodori & Marci Varronis sententiam, suam trahit originem quod priscis istis temporibus vetus Romanorum militia ex millibus militibus constaret, qui ex tribus tribubus eligebantur: aut, secundum Festi Pompei opinionem, à vocabulo mollis, per antiphrasin, videlicet, quod miles mollis, minime mollis, dicatur quemadmodum etiam milites non molles, Sardanapalistas, sed vice versa, fortes, patientes, constantesque Scipionis alumnos esse oportet.

Militiæ origo. Ad ipsam vero militiam quod attinet, omnibus liquido manifestum cognitumq; est, quod illa Marti, eiusdem inventori, videlicet, tribuatur: qua de caussa etiam Poetæ illum pro Deo belli, præliorumq;, & habuerunt, & proclamarunt: quamvis id alias Cicero, lib. 3. de natura Deorum, Palladi imputet, illamq; ea de caussa Bellonam nuncupatam fuisse asseveret. Iosephus, vice versa, lib. 1. Antiquit. Iud. longè aliam sententiam opinionemq; amplectitur, & tam à commemoratorum istorum Poetarum, quam ab ipsius Ciceronis intentione recedit, dum, inter alia, recenset, quod militia multo vetustior, & quidem ante diluuium exstiterit, ubi Tubalcaim

cam, vir fortis atque strenuus, bellare incæperit, atque adeo rem militarem longe lateque explicauerit.

Arma olim vsitata. De armis, olim bello usitatis, Aristoteles lib. 4. Polit. ita ait: Priscis istis temporibus, & ab initio bellorum, nulla alia arma, quibus tum temporis pugnabatur, in usu fuerunt, quam fustes, fundæ & pugni, id ipsũ quod non dumtaxat Herodotus lib. 4. confirma; sed etiam eadem de re sic quodam in loco canit Lucretius:

Arma antiqua manus, ungues, dentesque fuerunt.

Ita quoque Plin. lib. 7. Natur. suæ Histor. scribit Æthiopes, cum Ægyptijs belligerare incipientibus, solummodo cõtis, bacillis, & lapidibus usos esse, à quibus sensim ad alia arma progressi fuerint, eorumdemque cottidiano exercitio & inventione maiores semper vires adquisiuerint: quemadmodum etiam hodierno nostro tempore eadem mirificè augeri cottidie ferme cernimus. Idem ille Plinius, Ægyptios omnium primos contos suos circa finem acutis cuspidibus ferreis præmuniisse, atque hoc modo hastas inueuisse, asseuerat. Idem auctor porro contendit, quod Lacedæmonii primum gladios & galeas inuenerint, quemadmodum etiam iidem imputatur, quod primi rem militarem in certum iustumque ordinem redegerint, cum antea agminatim solummodo concurrissent, &, uti potuerint; verbera verberibus, mutuo rependissent, qua de caussa etiam Hannibalem, Italiæ bellum inferre conantem, in Lacedæmone belli ducem quæsiuisse. Vice versa, Ægyptios primũ galeas & clypeos inuenisse Herodotus lib. 4. docet. Loricæ autem inuentio Midæ tribuunt. Sic Penthasilæam, Amazonum Reginam, securium & clauarum usum in bello inuenisse perhibetur. Saites, Iouis filius primus sagittas inuenit, & in bello usurpauit: id quod tamen, juxtà Diodori opinionem, Perseo, vel Apollini, adscribitur. Fundæ, quemadmodum Vegetius tradit, ab inquilinis insularum Baleariũ, quæ hodierno nostro tempore Maiorca & Minorca appellantur, inuentæ sunt. In summa Militia, atque omnis generis munitiones bellicæ, per sedulam exercitationem, & ingeni-

osam inquisitionem; ad illam perfectionem, in qua etiamnũ sunt, peruenerunt.

Tribuant autem armorum inuentionem, cui etiam velint, tamen certo certius, & apud Veteres quoque notum manifestumque est, bella dumtaxat per pecuniæ, avaritiæ, arrogantiæ, & vindictæ cupiditaté efforta esse, atq; ea ipsa de caussa principem unum alteri struxisse insidias. Quocirca inter alia Iustinus, & Trogus Pompeius inquiunt, quod Ninus, Assyriorum Rex, omnium primus fuerit, qui, rellicto Regno, cum exercitu suo alias prouincias vi occupare, & ad se pertrahere molitus fuisset. Idem quoque Fabius Pictor, in exigua sua particula, quæ de omni eius Historia relliqua permansit, testatur. De Vesore auté, Ægyptiorum quodam Rege, Historicorum monimenta testantur; ipsum omnium primum fuisse, qui, arrogantiæ stimulis agitatus, absque ulla alia caussa, ex suo regno sese contulerit, & cõtra Scytharum Regem Tanaim arma mouerit: quo debellato nulla eius bona, aut prouinciarum partem ipsum ad se pertraxisse, sed solummodo contentum fuisse, quod eo ipso potétiam & fortitudinem suam uniuerso terrarum Orbi conspicuam testatamque reddidisset.

Aristoteles lib. 4. Polit. bellum, vel militiam, talem quidé rem esse æstumat, cuius in mũdo nemo bene carere posset, idque non sane ad offensionem, sed multo potius ad necessariam aliquam defensionem. Nam quemadmodum etiam Xenophon, in libris suis Oeconomicis, ait; frustra homines agros colerent, in eorumdemque cultu ad necessariam vitæ suæ sustentationem, diuersimodos labores impenderent, nisi peculiares itidem homines inuenirentur, qui quemlibet, ad bona sua conseruanda; aduersus omnem violentiam & iniquitatem tuerentur, id quod tamen absque violentia & vi bellica fieri nequeat. Qua de re & Plato quoque, libro quinto, de Republ. expresse ait: militiam rem esse per quam necessariam, vt aliquis sese contra omnem violentiam, exigente necessitate, posset defendere. *Bellũ an fiet necessarium.*

Simili modo quoque scribit Hippodamus, quod tria potissimum in ciuitate aliqua necessario requirantur, vtpote aratores

tores, opifices, & milites, quæ argumenta, ad militiæ necessitatem demonstrandam, sufficiunt: idque etiam, easdem lane ob caussas, à diversis aliis permultis auctorib. s lepidissimis emphaticisq; sententiis exornatur atque celebratur.

Valerius Maximus quoque quodam in loco ait: Militiam omnem Italiam Romano Imperio subiecisse, eidem multa Regna, potentissimosque Reges atque populos supplices fecisse: omneis angiportus & maris latitudinem eidem aperuisse: finesque suos à Tibri usque ad columnas Herculis dilatasse, eosdemque inter mare congelatum populorum septentrionalum, & feruens siue incensum mare Æthiopum conclusisse. Ita quoque Scipio Africanus apud Ennium gloriatur, quod nimirũ sibi viam ad cœlos usque præparauerit, idque per sanguinem & occisionem suorum hostium: qua in re ipsi & Cicero quoq; ad stipulatur, inquiens: Herculem eodem isto modo ad cœlos usque elatũ fuisse. Quibus sane verbis significare & innuere voluerunt, quod quis sibi per fortitudinẽ, quæ maiori ex parte in malitia conspicitur & usurpatur, immortale in mundo nomen cõparare posset. Pari modo ante commemoratus ille Cicero, in Oratione sua pro Muræna, inquit: omnia armis subiacere, iisdem obsequium præstare quemadmodum etiam Machiauellus discursuum suorum libro primo, militam sempiterna gloria eorum, qui in eadem sese exercuerint, uniuersum terrarũ orbem subegisse demõstrat. Ita quoque Polybius, lib. 3. de victoria, inquit, quod is, qui in bello victoriam obtineret, inenarrabile lucrum faciat, utpote qui, vice unica uxores, viros, urbes, thesauros, atque adeo totas prouincias & Regna, simul ad se pertrahat. Id quod etiam Hannibal apud Appianum, in oratione quadam ad milites suos, quo alacriores & animosiores ipsos redderet, innuere voluit, dum hisce verbis utitur: Ad retributionem suam accepturi essent non pretiũ unius equi, pretiosissimi alicuius annuli, vel alterius cuiusdã: sed omneis thesauros, atque diuitias uniuersi Romani Imperii, quæ ad speratam fortunatam victoriam, omneis simul ad ipsos redundaturæ essent. Ita

quoque

quoque Dionyſius Halicarnaſſæus, in deſcriptione pugnæ Pharſalicæ, ſequentibus verbis utitur: Victi, inquit, nullam reperiebant ſecuritatem, nullam fidelitatem, nullam cuſtodiam, quibus tuto fidere audebant: Vice verſa remanebat victori ingens honos, perpetua gloria, opima præda, diuitiæ, & totius denique Orientis Imperium. Similiter etiam Alexander Magnus apud Curtium, dum ultimum ſibi cum Dario prœlium committendum eſſet, ad milites ſuos aiebat: Se ipſis talem quidem victoriam promittere, qua non dumtaxat Macedonia, verum etiam tota Græcia, auro pretioſiſſimisque gemmis & lapillis impleri debeat.

Simili modo quoque Blondus, in Roma ſua Triumphante, ait: Romanos militiam tanto quidem honore affeciſſe, ut etiam militibus in theatro, in quo omnis generis ludi & ſpectacula viſebantur, decimos quartos honeſtiſſimos gradus, à Conſulibus & Imperatoribus, inſidendos conceſſerint. Et Vlpianus de Teſtemento militari, refert: Iulium Cæſarem, in honorem militum, iiſdem permiſiſſe, ut videlicet, pro ſuo lubitu, Teſtamenta conderent.

Militia autem plerumque in duas ſortes, in terreſtram videlicet, & naualem: Naualis vero iterum in Maritimam, & Fluuiatilem diuiditur: ubi, iuxta milites gregarios & nautas, ſimul Generales & Corſales requiruntur, quorum munus & officium eſt, ut videlicet naveis colligant, arment, excurrant, hoſtilium nauigiorum incurſiones præſtolentur, contra easdem impetum faciant, illas coarctando includant, cum hoſte dimicent, nauibus inſiliant, easdem ſpolient, incendant, ſubmergant, vel alio quodam modo & Stratagemate hoſti illarum uſum adimant. Militia terreſtris primum peritos veteranosque, dein quoque & tyrones, ſiue gregarios milites requirit, Illi tum in certa Regimina, Signa, Copias, Compagnias & Squadronas, uti militari more apellantur, diſtribuntur, quorum aliqui in aciei principio, alis, medio, vel à poſteriori parte, ſiue cauda, collocantur. Illis tam equitibus, quam peditibus, peculiaria capita præficiuntur, utpote Generales totius exercitus, campi du-

Militiæ diuiſio.

duces, Capitanei, Locum tenẽtes, Signiferi, Supe: Inferioresq; Conelli, sique equitum tribuni, Ductores, supe: inferiroesq; vigiliarum præfecti, & id genus officiales alii, quorum singuli demandato suo muneri sedulo incumbere necessum habent. In castris itidem multæ personæ ad prœlium & conflictum minimè ursurpantur, utpote Scriba diribitorii, Commissarius Generalis, unius cuiusque Signi particulares, supe: inferioresque, ductores, Quæstores, Rei numariæ otormentarię præfecti, Cunicularii, exploratores, Architecti, Pyrotecnæ una cum Synergis & Coadiutoribus suis.

Arma bellica offensiua Arma in bello usitata plerumque offensiua sunt, utpote hastæ, bipennes, clauæ, cestræ gladii, pugiones, bombardæ, sclopeti, omnis generis, maiora minoraque tormenta. Veteres olim solummodo catapultis & balistis utebãtur, quarum tamen loco hodierno nostro tempore ferrea & ænea tormenta usurpantur. Similiter & diversi modæ pyrotecnię, sphęrulæ, sagittæ ignitæ &c. reperiuntur. Defensiua sunt, galea, m..n.lia, brachialia, lorica, manopliæ, scuta cum ligulis suis, cancer &c. quibus pedites utuntur. Equites, vel sunt leuis armaturæ, vel cataphracti milites. Velites, siue leuem armaturam ducẽtes solummodo galea, brachialibus, &c. non secus ac pedites: Cataphracti vero, una cum equis suis, integra lorica, præmuniti conspiciuntur.

D... mo... chi... In bello itidem omnis generis machinæ usurpantur, utpote, priscis istis temporibus, testudines, falces, arietes, vineæ, plutei, Sambuccæ, exostræ, onagri, musculi &c. Illarum loco, hodierno nostro tempore, Scalarum, curruum castrensiũ, aliorumque instrumentorum bellicorum frequens usus est. Iis adnumerantur præterea signa, vexilla, tympana, tibiæ, nocturna cornua vigilum, currus annonarii, & aliæ in genus munitiones bellicæ.

Loca, quæ militibus designantur, aut in castris sunt sub dio & aperta, vel conclusa, in aliqua urbe vel arce: In aperto Campo castrorum circuitus, munitionibus, fossis, & propugnaculis probe præmunitus est, in quibus non dumtaxat militibus sua habitacula, verum etiam necessaria loca ordine de-

eenter-

centerque distribuuntur. In locis conclusis habentur munitissimæ arces, propugnacula, turres, muri, pomæria, fossæ, Camoniræ, (uti militari more appellantur) Reuelinæ, Casamattæ, clandestinæ occultæque viæ, portæ, scarpæ, contra scarpæ &c.

In bello quoque omnis generis negotia, tam ipsorum belliducum, quam militum, observanda sunt. Dominis, bella gerere volentibus, ante omnia alia incumbit, ut pecuniam sibi comparent, in tempore arma conquirant, milites conscribant, omnis generis consilia & artes excogitent, bellum inchoent, ordine decenterque gerant, inducias faciant, easdē rumpant, loca obsidione cingant, occupent, bellum finiant, pacem stabiliant, & militibus stipendia absque mora solvant. Milites conscripti ad dribitorium sese conferunt, sub signis suis sese continent, diuersoria ipsis designis suis sese continēt, diuersoria ipsis designata occupant, & belli ducibus siue Capitaneis suis debitum obsequium & obedientiam præstant; qua de causa etiam ipsis stipendia sua persoluuntur: aliquando tamen tumultuantur etiam, immorigeros sese præbent, stipendia majora prostulant, sibi ipsis habitacula pro suo lubitu designant, donec in ordinem redigantur & vi cogantur: quo facto, ipsorum Coryphæi & rebellionis Antesignani tum vinculis, virgis, laqueo, securi plectuntur, aut hastis obijciuntur. Alias singuli demandatam sibi à Capitaneo munus diligenter & sedulo exequi necessum habent: in progressu videlicet, in custodiendis sarcinis impedimentisque: Ad locum, castris designatum, ubi deuentum est, omnem rerum exactissimam explorationem habeant, fossas ducant, propugnacula exstruant, pabulatum concessu superiorum eant, arma parata semper habeant, eadem expoliant, iisdem sese instruant & arment, gladiis suis sese adcingant, hosti intrepide obuiam eant, armisque & prope, & è longinquo, respectu occasionis, utantur. Rei omen tariæ præfectis tormenta, una cum requisitis & coadiutoribus suis omnib⁹ demandata sunt, qui iisdem plantandis, onerandis dirigendis, incendēdis, & ad longuinqua, vel

propiora loca, explodendis, sedulam curam agant, eadem tegant & custodiant, munitiones fieri curent, easdem exigente necessitate, ordine collocent, omnis generis pyrobolos, siue isti manibus, aut fundis in hostem eiaculentur, conficiant. Ad rei tormentariæ præfectos quoque pertinet, vt videlicet cunicularios probe informent, omnis generis minas & suffossiones per architectos & pyrotecnas fieri curent, quibus hostiũ propugnacula, turres, & fortificationes euerti, & disiectæ fumo ad cœlum mitti possent. Ducum bellicorum & Capitaneorum munus est, vt videlicet militem ad prælium impetum faciundum, prædam, & vigilias siue excubias agendas ducant, signa vel tesseras distribuant, militem, ad prælium properantem, ad fortiter dimicandum exhortentur, eumdem intrepide contra hostem ducant, acies rite instruant, hostem mascule præstolentur vel eumdem aut cum Auantgardo, (primoribus) cum Bataillon, (medijs) vel cum Arrietegarde, (posterioribus copijs) heroico animo adoriantur In acie instruenda & hoc incumbit Capitaneis, vt nimirum omnem commoditatem nullo vmquam tempore negligant, sed eamdem, pro requirente rerum temporisque necessitate, ita instruant, vt aliquãdo Quadratam, Cuneum, forpicen, & Serram forment: Cornua itidem, alas, & caudam adeo custodiant, vt, omni commoditate nunquam neglecta, sedulo caueant, ne forsitan integra acies aliquid ab hoste detrimenti capiat.

Toto autem durantis prælij tempore omneis in vniuersum vigilantes, atque in procinctu stare oportet, quo scilicet in loco hostis commodissime impetatur, & quomodo, vice versa, suis in tempore præsto esse possint: item, vbi, & quomodo tuto progrediatur; hostis ad prælium alliciatur, omnis generis callidæ artes & Stratagemata commode applicentur, Camisatæ, siue occultæ insidiæ, instituantur, hosti omneis commoditates adimantur, eidem transitus, aditusque intercludantur: qua ratione itidem, fugam aliquam simulando, tuto retrocedatur, idoneus aliquis transitus aut aditus occupetur, hostisque denuo impetatur donec loco cedere necessum habeat. Quo facto signa ipsius ca-

giuntur, cędes fiunt promiscuę, captiui quidam, persoluto prius lytro, iterum liberantur, alij diutius in vinculis detinentur: donec spolijs locupletati victores lætabundi domum cum triumpho reuertantur: atque tum Capitaneis, in bene gestæ rei memoriam, arcus triumphales eriguntur.

Quandoque etiam in castris accidit, vt auxilia amicorum petantur, & expectentur, quæ si omnio non, aut tamen aliquãto serius compareant. tunc omnis generis morbi ingruunt, adeo ut, inuersis, vel atro panno obuolutis, signis sani milites, circa mortuorum Commilitonum suorum sepulturas, ut plurimum occupati fient. Sæpe numero Castrenses tam vehemens premit fames, ut subsidiis, rebusque ad communem vitæ sustentationem necessariis, deficientibus, de pace cum hostibus tractare necessum habeant: quæ si commode impetrari nequeat, sensim alio commigrandum est, ubi sane omnis generis periculosi casus simul coicidunt: Hostis siquidem insequens, emigrantes aut à tergo, vel à latere hostiliter adoritur, donec vel omnino dispergantur, aut singuli hinc inde ad tutiora loca sese recipere cogantur. Simili modo, in obsidenda aliqua urbe magnæ quandoque difficultates suboriuntur, dum locus obsidendus non omnino corona cingi, vel concludi totus potest: & tum sane omneis labores & sumptus frustra impensi sunt: sæpissimè enim obsessi, eruptione facta, obsidẽtes cædunt, ut retrocedere cogantur: qui simulantes sese omnino ab obsidione recessuros, quandoque obsessos securos, citra omnem spem & expectationem obruunt, & opprimunt. Sæpenumero obsidentes, viribus sufficientibus subnixi, locum sibi, dedi postulant, atq; simul obsessos in tantas sane adigunt angustias, ut pactis quibusdam conditionibus deditionẽ facere, aliquando autem victoris gratiam & inclementiam supplices implorare & expectare cogantur. Istiusmodi autem coangustatio plerumq; per inclusionem fit, quando nimirum obsessi vallis, propugnaculis, aliisq; tumultuario opere factis munitionibus adeo circumdantur, ut neque in: vel egredi ipsis liceat, neque in ipsa quoque urbe am-

plius securi fient, præsertim si ipsis fontium scaturigines alio deriuentur, vel minis, suffossionib⁹, aut tormẽtis muri, adeo & conquassentur, ut obsidentes absque periculo irrumpant. Sæpissimè etiam Victores ducendis fossis urbi obsessæ ita adpropinquant, ut, occupatis urbis mœniis loco facilime potiri queat. Quo facto, tum demum crudelissimæ cædes, fœminarũ virginũmque abominandæ violentæ constuprationes, & id genus Tyrannica facionora, perpetrantur, atque sic tandem locus, oblata occasione, omnino diruitur, desolatur, & solo quandoque æquatur.

Obsessorum intẽtiones & molitiones Vice versa & oppidani, obsidionem aliquam subolfacientes, commodiati suæ pro virili prospiciunt: Victualiorum munitionisque bellicæ copiam sibi comparant, milites conscribunt, pontes tollunt, portas claudunt, &, tormẽtis, tam maioribus, quam minoribus, diuersimodisq; fortificationibus aliis, sese ad contrariam dedefensionem, obsidionemque imminentem fortiter tolerandem, mascule præparant. Tunc enim modo dicta ista sua tormenta contra hostem explodunt, diligenterque inquirunt, ubi scilicet locorum hostis pulverem tormentarium, munitionemque suam collocatam habeat, & tunc eandem, iniecto puluere corrumpere, & incendere conantur. Eo quoque Oppidani, obsidionem metuentes, cogitant, ut videlicet (ni pulueris tormentarii, & munitionis bellicæ apparatus ipsis desit) maiora, hoste, tormenta adquirant, unde hoc in obsessorum commodum emolumẽtumque vergit, quod hostis sphærulis, in urbem eiaculis, uti possint, id quod tamen vice versa ab hoste fieri nequit. Illic siquidem contraminæ & contrarii cuniculi aguntur, excursiones fiunt, quibus hostis quãdoque ab obsidione omnino repellitur. Antequam vero ista omnia ab obsessis suscipiantur, cumprimis considerandum est, num videlicet hostis viribus pares fient, an omnino includi, & aquam amittere possint, & an munitionis annonæq; defectus ipsis forsitan metuẽdus fiet: In Summa, an defensionem vel ipsi, aut socio auxilio sustinere valeant. Quæ si desint, semper à rerum peritis melius esse existumatur, ut videlicet in tempore

pore fiat deditio, antequã hoſtis ad iram vehementiorem commoueatur, & tum obſeſſi deditionem facere cogantur: quo facto, proh Deum immortalem, quibus tum hoſtilibus furoribus victi non ſunt obnoxii, adeo ut, hinc inde delapſi, *Deo ter optumo maxumo* debitas grates perſoluere neceſſum habent, ſi, rellictis poſt ſe omnibus, vita ſaltim ſalua periculo euadere, eamdemque extremis in anguſtiis & humilitate, integram illæſamque conſeruare valeant.

Militia, vel ars bellica, porro, quomodo videlicet, terra marique, præperationes bellicæ fieri debeant, docet. Item, quomodo arces & munitiones extruendæ, atque præſidijs muniendæ, qua ratione itidem valla propugnacula, foſſæ, diuerſimodæ machinæ, atque omnis generis arma præparanda ſient, & quomodo etiam muri conſcendi, demoliri, occultis locis annona proſpici, varia callidaque conſilia conſilia excogitari, & parti aduerſæ damna (qualicunque etiam id modo fiat, quemadmodum ille, *Virtus an dolus, quis in hoſte requirat?* dicere ſolebat) inferri debeant. Pari modo docet, quomodo nimirum turres demoliendæ, aut, ſubiecto nitrato puluere, funditus diruendæ, arces & munitiones cuniculis ſuffodiendę, atque fumo in Cœlum mittendæ, qua ratione templa ſpolianda, vrbes diripiendæ, ſoloq; æquandæ, terræ fruges corrumpendæ, omnis honeſtas, diſciplina atque Leges poſtponendæ, fæminæ virgineſque vitiandæ, incolarum quidam trucidandi, quidam, verſa vice, vita ſalua ad perſoluendum lytrum, conſeruandi, atque quidam exilio mulctandi ſient. In Summa, quemadmodum adparet, ars iſta circa nihil aliud, quam ad inferenda damna, occupata eſt, præſertim hodierno noſtro tempore, vbi iſtiuſmodi ſane reperiuntur homines, qui ſibi laudi honorique ducunt, ſi vniuerſum terrarum orbem peſſum dediſſent, atque deuaſtaſſent: adeo vt bellum ferme nihil ſiet aliud, quam publica cõceſſaque cædes, quæ non dumtaxat paucos ſed multos pariter homines immaniter proſternat. Quocirca & ipſi quoque milites meri conducti latrones ſunt, qui ad perdendam Rempublicam aere conducuntur.

Verum

Militia vera vera elogia.

Verum enimuero vtut res sese habeant, nihilominus tamen Plato militiã summis laudibus extulit, atque, vt pueri, quamprimum, adquisitis viribus, ad legitimam ætatem peruenissent, in eadem diligenter instituerentur, sedulo mandauit, vt hac ratione, pro militib. & armarentur, & vsurparentur.

Simili modo etiam insignis iste Heros & Rex Cyrus de militia asseuerat, quod eadem nemo, non secus, quam agricultura, carere possit; vnde etiam non dumtaxat Romanorum, verum etiam aliarum Nationũ milites, tantis encomijs celebrati fuerunt, quemadmodum videre est in Scipione, Fabio, Silla, Mario, Iulio Cæsare, Pompeio, Marco Antonio, Claudio Marcello, Quinto Flaminio, Sicinio Dentato Paulo Æmilio, Marco Sergio, Manlio Torquato, Curtio Camillo, & alijs. Similiter & in Alexandro Magno, Hannibale, Seleuco Nicanore, Antiocho Magno, Mithridate, Demetrio, Cleomone, belli Duce Lacedæmonio, Epaminonda Thebano, Timoleone Corinthio, Ceneo Thessalo, Leonida Spartano, Conone Atheniensi, Phocione, Cimone, Temistocle, aliisque pluribus, qui eo ipso, quamdiu totius terrarum orbis machina consistet, immortalem nominum suorum laudem atq; gloriam consequuti sunt. Pari modo etiam Poetę Heroes, & Principes suos militares, non condignis satis laudibus ad cœlum quasi extollere potuerunt, nimirum Hectorem, Achillem, Aiacem, Paridem, Æneã, Turnum, Deiphobum, Patroclum, Vlyssem, Nestorem, Diomedem, Iasonem, Theseum, Pirrhum, Tydeum, Thrasibulum, & plureis alios. Post & sequentes Monarchæ militiæ laude cumprimis ante alios inclaruerunt, videlicet: Arturus, Britannorum Rex, Clodoueus, Occidentalis Franciæ Rex, Tamerlanes, Persarum Rex, Selimus, Turcorum Imperator, Carolus Martellus, Pipini primi Galliarum Regis filius, Carolus Magnus. Post illos, & nostris ferme temporibus, in militia immortalem laudem gloriamque consequuti sunt: Carolus V. Romanorum, & Solimannus, Turcorum Imperatores, animosissimus Galliarũ Rex Franciscus, inuictissimus Heros e-

iusdem

iusdem filius Henricus I. illius quoque filius Henricus II. iuxta fortissimos Heroas alios, qui, tam ipsis Romanorum Imperatoribus, quam Regibus cumprimis vtilissimam suam, cum immortali quoque laude atque gloria coniunctam, operam locarunt, vtpote Monsieur de Fois. de la Tremouille, de la Palisse, Magnus ille Momorantius, fortis Lotrecus, & Strenuus Dux Guisius, alijque Martes Procerésque Gallici, quos heic ideo, ne nimis, in recensendis aliarum Nationum laudib. copiosus fiem, sicco pede lubens prætereo. Ex eorumdem tamen numero silentio neutiquã obliterandi sunt celeberrimus ille belli Dux Don Antonio de Leua, & Petrus Nauarrus, vna cum famosissimis quibusdam Italis, Duce Sabaudo videlicet, Marchione del Guaslo, Ioanne Medices, Petro Strozza, Medichino, Comite Guidone Rãgonio, Triuultijs, Viscontis, Sfortijs, Colonnis, Vrsinis, & belli Ducibus præstantissimis alijs.

Vnde etiam factum esse autumo, quod Historici quosdam Priscorum Romanorum Centuriones, Tribunos, Legatos, Consules, Dictitatores: Item, Legiones Veteranas, Prætorianas, Vernaculas, Agrestes, Vrbanas, Palatinas, & Comitatenses: Centurias itidem, Cohortes, Turmas, Phalanges, Myrias, iuxta fortissimos alios milites, qui industria sua nomina à muneribus & dignitatibus suis sortiebantur, nimirum Hastarios, Triarios, Antesignanos, Campignenos, Ferentarios, Sagittarios, Funditores, Balistarios, Pusillatores, Ordinarios, Augustales, Aquiliferos, Draconarios, Imaginiferos, Metatores, Vexillarios, Candidatos, Primipilos, Manipularios, Velites, Peltatos, Cataphractos Clipeatos, Zoarchas, Classiarios, Nauarchos, Tirones, Rorarios, Elaphos, Accensos, Dimachos, Speculatores, Clauiferos, & alios, tot tantisque laudibus, & quidem pro ipsorum meritis prosequantur.

Capitanei, ob Matheseos studium, laude conspicui.

Simili modo quoque ij Capitanei & Duces bellici sua promerita laude neutiquam defraudandi sunt, qui in disciplinis Mathematicis experientiam aliquam sibi compararunt, præsertim vero in studio & arte Arithmeticæ, vtpote cuius adminiculo illi potissumum, quem-

admodum Plato lib. 1. de Repub. testatur, indigent, vt nimirum Squadronas & Copias rite & proportionaliter constituant.

Similiter & in Geometria, vt videl. loca, tam ad castra, quam ad aciem destinata recte metiantur, optumamque commoditatem sibi possint eligere. In Cosmographia, vt situm & qualitatem alicuius Prouinciæ probe cognitam perspectamq; habeant, atque omnibus in partibus actiones suas iuxta illam conforment.

In Astrologia, vt indicia tempestatum, pluuiæ nimirum Solis splendentis, diei ac noctis, caliginosarum lucidarumque noctium, pro vtilitate sua, probe obseruent, ijsdemque, pro directorio suo, commode vtantur.

In Mechanicis quoque Capitaneus quidam mediocrem cognitionem aliquam habeat, præsertim si hostium munitiones impetendæ fient, vbi minarum scientia summopere requiritur, in qua celeberrimus ille Petrus Nauarrus sese cumprimis conspicuum reddidit, multisque arcibus suffossis, pauco puluere tormentario & igne subiecto, easdem ita conquassauit, vt haud longo tempore eidem resistere potuerint.

Artificiosus & conducibilis autem iste, suffodiendarum vrbium, arcium, aliarumque munitionum & fortificationum, modus à Francisco Georgio Senense, celeberrimo illo Architecto in Italia primum inuentus est, qui illo ipso tempore Neapoli locupletissimo stipendio conductus fuit, quo Hispani modo dictum illud Neapolitanum regnū à Gallis ad Hispaniarū Reges violenter transtulerunt, quique Castellum del Ouo dictum, & prope ipsam Neapolim situm, in Hispanorū gratiam emolumentumq; cō-memorato modo in cineres fauillasque redegit. Præparantur autem minæ, vt de ijsdem amplius aliquid dicamus, hunc potissumum in modum: Loca subterranea, certa instructione & intelligentia, vsq; ad locum subuertendum, suffodiuntur, in quo fornax exstruitur, eidemque aliquot puluere tormentario refertæ tonnæ inferuntur, quo facto à posteriori parte arcte concluditur, ita tamen vt exiguum dumtaxat foramen ad fornacem apertum remaneat, per quod

per quod substratus puluis tormentarius in apertis tonnis incendi queat: qui tum, omni meatu & exitu destitutus, omnia superiora violenter in altum suffert & euertit.

Suffodiendi autem illius loci è longinquo finitimum, ne eius rei gratia loci istius Defensores forsitan cautiores reddantur, &, facta excursione, operariorum suffossiones aut impediant, vel contraminis eorumdem conatibus callide resistant eosdemque omnino interturbent. De constructione, occlusione, & incensione autem dictæ istius fornacis Vannuccius, pyrotecniæ suæ lib. vltimo, vberiorem locupletioremque informationem atq; descriptioné tradit, quo etiam beniuolum & Pyrotecniæ cupidum lectorem nunc ablegatum volumus.

Ante omnes autem Capitaneos ij potissimum belli Duces à Polybio, lib. 9. suæ Epitomes, laudantur, qui non, temeritate sua decepti, proprijs suis viribus confidunt, sed nihil omnino suscipiunt, nisi prius cũ rerum peritis & Veteranis militibus summo studio de re proposita consultauerint. Tunc modo dictus iste auctor decreti alicuius taciturnitatem siue silentium in aliquo Capitaneo summopere commendat. Tertio ipsam experientiam, quomodo videlicet terra marique peregrinandum, qua ratione tempori inseruiendum, & quo pacto denique impressiones commodissime perficiendæ sient eximie celebrat. Hisce Æmilius Prob. & Cæsar, in Commentarijs suis, Constantiam addunt, ne videl. Dux aliquis bellicus vulgaria vel nauci æstumet & contemnat, aut, vice versa, in rebus arduis difficillimisque forsitan animum despondeat & abijciat. In Duce bellico & Capitaneo aliquo præterea requiruntur diligentia & prudentia in omnibus suis actionibus, prudens atque sapiens oratio aut Discursus, commoda, in periculis, exercitus dispositio, milites difficili periculosoq; tempore alloquendi, eosdemque tam verbis, quam pollicitationibus, consolandi animandique scientia, frons hilaris, & intrepidus animus in periculis. Item vt exercitui suo certas quasdam leges præscribere norit, quomodo videlic. secundum omnia signa, siue ille voce, vel instrumentis, aut alio

quodammodo fiant, omneis suas actiones instituere debeant: vt militem bona sub disciplina coerceat, sese apud omneis amabilem reddat, ita tamen vt simul auctoritatem suam tueatur, atque ab omnibus timeatur, militi iusto tempore stipendia persoluat, eosdem, ob res strenue & praeclare gestas, laudibus promeritis extollat, & muneribus adficiat, eosdem, exigente necessitate, humaniter compellet, ignauos arguat, strenuis & fortibus calcar addat, timidos pusillanimosque alacriores reddat, atque ante omnia denique prae manibus habentem fortunam occasionémque è manibus sibi neutiquam eripi patiatur, sed oblata commoditate vtiliter feliciterque vtatur.

An Generalis prælio interesse debeat

De Generali Duce bellico Machiauellus scribit, opereque pretium esse autumat, si nimirum ipsus praelio intersit, quippe cuius praesentia militum animi cumprimis ad fortitudinem constantiamque excitentur, dum videant ipsorum caput ipsis tam fideliter adesse, atque vnum idemque periculum vna cum ipsis sustinere: qua de re Appianus Alexandrinus in historia sua Lybica tradit Hannibalem in praelio, non secus quam, caeteros etiam gregarios milites, fortiter pugnasse. Vice versa alij aliter statuunt, & melius esse dictitant, si Capitaneus multo potius consilio, quam gladio vtatur, ne forsitan, si ipsi aduersi aliquid contingat, totus exercitus terreatur & sic perterrefactus turpi fuga sese subducere necessum habeat, quemadmodum illud ex Historicorum monimentis videre est.

Bonus perituśq; aliquis Dux bellicus praeterea omnem hostis statum prouinciamque diligenter seduloq; explorari curet, quemadmodum Polybius lib. 3. & Xenophon lib. 6. illud ipsum de illo requirunt: id enim nisi fiat, facilime in extremam perniciem sese praecipitare poterit: quemadmodum etiam, iuxta Guicciardini libro 3. opinionem, plerumq; ingens creare periculum solet, si Dux Bellicus hostis sui consilia, moliones, & conatus ignoret. In Summa, paucis multa vt complectar, singularis aliqua prudentia, strenua moderatio, & insignis certaque experientia in celebri & famoso aliquo Duce Bellico requiruntur.

Ad ipsos

Ad ipſos autem milites, quod attinet, operæ pretium eſt, vt quemadmodum Plato de Republica inter alia cõmemorat, canum inſtar educati & informati fient, vtque domeſticos ſiue inquilinos diligant; atque erga eoſdẽ humanos, erga exteros & peregrinos autem odioſos pernicioſoſque ſeſe exhibeant.

Quocirca in arte Gymnaſticæ ſedulo frequenterq; ſeſe exerceant, atque alias ocioſi feroces ſuos animos dulciſona ſuauiſſimaque Muſica aliquantulum coerceant & recreent. Diſciplina militaris præterea ipſis, ſi viros ſeſe præſtare volent, perquam eſt neceſſaria qua ratione modoque videlicet omnis generis arma, tam contos, haſtas, ſclopetos, bipennes, & id genus alia tractare, in acie quomodo ſeſe gerere, explicare, cõtrahere ad dextram vel ſiniſtrã flectere, iuſto tempore ſiſtere, vocem vel data tubicinum tympaniſtarumq; ſigna rite intelligere, atq; tamdem omnis generis ſtratagemata callidè uſurpare debeat: quemadmodum illa omnia, juxta Polieni lib. 3. de ſtratagematibus ſententiam, non tam ab ipſis belli ducibus & Capitaneis, q̃ gregariis etiam militibus requiruntur.

Ante omnia vero militibus incumbit, ut, quemadmodum etiam ſupra commemorauimus, Ducibus & Capitaneis ſuis fidele præſtent obſequium; quemadmodum quoque Plutarchus, in vita Galbæ, inter alia fidelitatem nimirum militum Capitaneo alicui ſummè neceſſariam eſſe, demonſtrat. Obedientia. Iuxta illud inſuper, integritatem, temperantiam, humanitatem, bonitatem, affabilitatẽ, & uno verbo, virtutem præcipuum ſuum ornamentũ, ſummaſque diuitias eſſe certo ſibi perſuadeant.

Si quis autem de omnibus tam alicuius Capitanei, quam veri militis cuiusdam requiſitis plura ſcire deſideret, exempli gratia, quomodo bona diſciplina ſeruanda, exercitus legitimè ducendus, miles eligendus, caſtra diſponenda, acies formandæ, videlicet aut more Laconico, vel Perſico, aut Macedonico, vel Dorico qualia arma commode uſurpanda; Itẽ, quo ordine in itinere progrediundum, quomodo pugnandum, quomodo milites ſub obſequio retinendi, quomodo adverſus hoſtem ducendi, quo

pacto hostis impetendus, in fugam coniiciendus, quomodo victoria obtinenda, & denique triumphandum fiet. Is legat Heroidanum, Vegetium, Higinium, Onolandrum, Frontinũ, Catonem Censorinum, Cornelium Celsum, Xenophontẽ, Modestum, Ælianum, & plureis alios qui ad rem istam inseruientia utilissima scripta grata cum posteritate communicarunt. Ex Neotericis autem, Volturium, Nicolaum Machiauellum, Iacobum Comitem Porciade, Iustinianũ Globeriũ, Guiljelmum Bellaium, Cataneum, Robortellum super Ælianum, & alios, qui paullo ante nostra tẽpora de Militia eleganter & laudabiliter scriptitarunt. Honesti itaque milites isto cum encomio & gloria, quã ipsis hoc in Discursu calamo meo adtribui, contenti fient, & neutiquã offendantur, quod in hoc ipsorum catalogo etiam improborum quorumdam nebulonum facta mentio, qui sedent tamquã cimices in splendido aliquo cubiculo, vel quẽadmodum fugaces timidique lepores, & muscarum instar sunt, magnum quidem stridendo strepitum excitantium sed mera dumtaxat & damna inferentium: qui infideles insuper & periuri sunt tamquam iudæi, & pigri veluti crabrones: Optumi siquidem & promeriti ipsorum tituli sũt, fures, Prædatores, latrocinia, adulteria, scortationes, proditiones, incendia exercentes, & sub honestorum militũ pallio fucato latitantes, quorum hodierno quidem nostro tempore ut plurimi reperiuntur, à quibus etiam plerumque omneis honesti milites in genere turpi ignominiosoque nomine insigniuntur atque adeo sane diffamantur, ut, siquis verberonem aliquem verberabilissimum nominare velit, dicatur, talem esse vagabundum aliquẽ militem, vel tamen ad minimũ nauci corruptoque alicui militi persimilem: adeo ut haud immerito dolendum deplorandumque fiet, militiam hodierno nostro Seculo in nullis fermè aliis hominibus consistere, qui sane honesti milites appellari volunt, re, & ipso facto tamẽ veris veri laudabilisq; alicuius militis requisitis & elogiis destituti sunt. In illis siquidẽ nulla fidelitas, integritas, humanitas, & charitas reperitur, sed

omni

omni omnino virtute destituti sunt: omni leuitate scatent, omneis corporis gestus muliebres, manus moles, vestitur luxuriosi, vultus, verum meretricum speculum, compti crispique capilli, atque tandem corda ipsorum omni turpitudine malitia & nequitia referta sunt. Immo res eo denique, proh dolor, rediit, ut non multi amplius Martes, sed meri Adonides, Cupidines, Ganimedes (quos nulla Bellona aut Penthasilaea adcincto gladio, sed Venus sequitur) atque Saepenumero plures meretrices, quam milites, in castris reperiantur. Iuxta illud Bacchus plerumque bella nostra sequitur, & plura quandoque pocula, quam arma, usurpantur qua de causia etiam totus aliquando exercitus perire necessum habet. Steropes, & Brontes ex Vulcani officina sese subduxerunt: Hercules, coram Omphalae sua sedens, colum tractat: Achilles, veste virginea indutus, Briseidem, si pugnandum est, torue intuetur: Agamemnon in Gynecaeo suo genio indulget, quando de arduis grauissimisque consiliis deliberandum est: In Summa etiam Nobilissimi quiqui animi bellum exhorrescunt. Id quod unice exinde oritur, quod hodierna militia in feces omniũ inutilissimorum, turpissimorum, infidelissimorumq; tetrae ponderum mutata fiet: ex quorum numero paucissimi militarem gloriam honoremque sectantur, sed feroces, petulantes, immorigeri, omnibus sceleribus atque flagitiis non solummodo contaminati, verũ etiam pene immersi atque suffocati sunt, & quorum gratia militia extremè contemnitur, atque nauci aestumatur.

Ne autem longo aliquo discursu de nauci istiusmodi militibus veterum fortiumque militum aureis forsitan heic fatigagare, vel potius onerare videar; qui aegerrimè ferunt ut male aliquis de vera militia loquatur, & haec in sui ignominiam vergere existument, ique, finitio hocce nostro sermone, ad alios homines properare nostra sententia.

IN DISCVRSVM XVI. ANNOTATIVNCVLA.

AD militiam spectantia Petrus Victorius, in libris suis de vera lectione, multa complectitur, ubi rerum istarum cupidus lector plura depræhendere poterit, præsertim vero pag. 129. 136. & 137. de eadem quoque materia legantur præterea V. Veckerus lib. suo de secretis fol. 369. & 755. Polybius, eiusdemq; explicator cavalcas: Cardinalis Polus itidem, Brancatius, Patritius supra polybiũ, Tartallia, Cornazzanus &c.

DE LEGATIS ET Nunciis

DISCVRSVS XVII.

LEgati nomen (quemadmodũ Carolus Sigonius lib. 2. de antiquo jure ciuium Romanorum testatur) variè sumptum intellectumq; fuit: cumprimis autem veteres illi Romanis subiectis Provinciis residebant, & S. P. Q. Romani Vicarii ad easdemque ideo ablegati erant, ut non solummodo commemoratas istas prouíncias gubernarent, verum etiam earumdem inquilinis Romani Senatus Decreta proponerent: quemadmodum etiam, uti non nulli autumant, Marcus Varro, in libris suis de Latina lingua, isto intellectu usus fuerit, dum inquit: Legatis, qui publicè lecti quorum opera consilioque uterentur, peregre Magistratus, quique nuncii Senatus ac populi essent: veluti quoque eosdem Cicero, in quæstione contra Vatinium Nuncios pacis, ac belli curatores, interpretes bellici consilii auctores, muneris provincialis ministros, nominat.

nat. Loquitur autem inibi Cicero de talibus Legatis, qui è Senatus ordine eligebantur, quorum 10. vel 5. ablegabantur, vt videlicet recuperatas Prouincias ordinarent; vel Prouinciarum istarum præsidibus adiungebantur, vt videlic. eosdem, in administratione Reipublicæ, adiuuarent, præsertim vero in rebus bellicis ipsis præsto essent. De ijs Appianus Alexandrinus, lib. 1. de bellis ciuilibus ita loquitur: Legatos, inquit, Romani appellāt, quos Prouinciarum Rectoribus addunt, vt ijs sint subsidio. Eodem intellectu quoque Iulius Cæsar illud ipsum verbum intelligit, dum, lib. 3. de bellis Ciuilibus sic ait: Aliæ sunt, inquit, Legati partes, aliæ Imperatoris: Alter omnia agere ad præscriptum: alter libere ad summam rerum consulere debet.

Sic idem ille ante commemoratus Sigonius, ad vnam eandemq; Prouinciam non minus, quam tres istiusmodi Legatos missos fuisse autumat, idq; à Liuio sic persuasus, qui quodam in loco ita inquit: Decernunt frequentes, vt Caius Sulpitius Prætor tres ex Senatu nominet Legatos. Simile exemplum in Quinto Cicerone habetur, qui dum vt prætor in Asiam proficisceretur, tres Legatos secum sumpsit: etiamsi inficias nemo ire potest, quod Senatus Romanus, exigente necessitate, plures ablegauerit, quemadmodum etiam Cicero de Bruto & Cassio scribit, ipsis Legatorum numerum auctum fuisse: immo ipsi etiam Ciceroni, tum temporis Siciliæ Proconsuli, quatuor Legati additi fuere.

Ita quoque, Cn. Pompeium, iuxta Legem Gabiniam, decem Legatos habuisse constat. Idem etiam Auctor & hasce quoque particularitates inter alia recenset, quod nimirum in præsides vel prætores constituti plerumque pro suo lubitu Legatos denominauerint, quorum denominationes postmodum à Senatu adprobantur & confirmabantur.

Id vero non temere fiebat, sed eum potissimum in finem, vt rei militaris peritos secum haberent, ipsisque, in administratione Reipublicæ, neutiquam aduersarentur, vtpote quibus auctoritatem atque potentiam suam, requirente occasione vel necessitate, com-

municabant: Vnde etiam Fasces & Lictores, Romani Magistratus signa & indicia, sibi præferri curabant, quemadmodum illud ipsum Cicero de Verre, Dolabellæ Proconsulis Legato, testatur, sic inquiens: In Achaiam sumptu publico, & Legationis nomine cum Imperio & Securibus missus est. In Oratione pro Flacco autem idem Cicero, Legatos illos præsidum prætorumq; istorum quasi Vicarios fuisse, asseuerat, vbi de Gratidio Legato sequentia verba leguntur: Gratidius Legatus, ad quem est aditum, actionem se daturum negat, re iudicata stari ostendit placere. Vnde etiam ijdem Legati, è Prouincia discedentes, ante successorum suorum aduentum, illinc cum eorumdem istorum præsidium, vel prætorum potestate atque auctoritate remanserunt, quemadmodum Cicero in epistola sua ad Atticum scriptitat, se videlicet in digressu suo ex Prouincia fratrem suum cum plenipotentia inibi relliquisse. Et denique Legati etiam ipsis in castris potentiam suam exercebant, atque delinquentes milites, ratione respectuque delicti, castigabant. Bellè autem Legati isti cum Venetianis Procuratoribus di Sancto Marco comparantur, atq; ea de causa parum inter se inuicem differunt.

Eodem isto nomine Romani etiam illos nuncios appellabant, quos ad exteros Reges & Principes, siue illi amici siue inimici essent, ablegabant, & per quos cum illis aut de bello, vel pace, aut de inducijs, vel de rebus alijs tractabant, vtpote fœdera ineundi, auxilia & subsidia tam hominum quam pecuniæ postulandi, vel etiam, contestandæ amicitiæ ergo, eosdem inuisendi: aut etiam quandoque ijsdem, tamquam hostibus publicis, bellum manifestum indicendi, quamuis legatos siue nuncios istos non propriè *Legatos*, sed *Fœciales* nuncupare solebant. Legationes autem istæ aut magna, vel exigua dumtaxat solemnitate peragebantur, quantum quidem Regem, vel Principem aliquem æstumabát. De istiusmodi legatis siue nuncijs Hermolaus Barbarus, vir in disciplinis omnib. Clarissimus & Doctissimus, insignem vtilemq; libellum conscripsit, quem, qui volet consulat.

Eumdem

Eumdem ferme in modum etiam hodierno nostro tempore Reges atque Principes Legatis atque Ambassiatoribus suis vtuntur, in quorum electione vnice & solummodo eo potissimum spectant, vt spectatissimos, integerrimos, atque prudentissimos quosque eligant: Iccirco illud ipsum munus & officium, omnibus temporibus locisque, magno semper in honore atque existumatione fuit habitum, idque pro suo quidẽ merito, cum legatus talis, Domini sui personam in omnibus repræsentet. Sin quoque legatus aliquis demandato suo munere probe fungatur, eidemq; per omnia satisfaciat, tunc duplici honore dignus est: quo & illud pertinet, ut nimirum in proponendo fiet prouidus, Domini & Principalis sui caussam constanter defendat, cum moderatione aliqua exterorũ Regũ Principũq; corda lucretur prudẽtia totius aulæ amorẽ ergà se concitet, callida celeritate, & celeri calliditate aulę illius secreta inquirere & suis reuelare norit, atq; tandẽ Dominũ suum in omnib⁹ singulari cum constantia tueatur.

Idque permultis distinctisq; Christianorum Monarcharũ, Regum, atque Principium Legatis atque nunciis demonstrari posset, qui in legationibus suis laudabilem utilemque operam Dominis Principalibusq; suis nauarunt, utpote Cæsareæ Maiestatis, Gallorum, Hispanorum, Polonorumque Regum, Reipublicæ Venetianæ, Genuæ, Sabaudiæ, Florentiæ, Ferraræ, Mantuæ, Parmæ Vrbini, totq; Romanorum Pontificum ad diuersos Reges, Principes, atq; Respublicas ablegatis nunciis, qui non immerito cum præstantissimis Veterum legatis comparantur, atq; quorum in Historicorum monimentis laudabilis facta mentio. Atque eo modo Taxus, in Messagiero suo, Franciscum Barbarum, Dominum Octauium de S. Cruce, Dominum Franciscum Laureum, Dominum Hannibalem de Capua, Comitem Porcianum, Comitem Fuluium, Rangonem, Dominum Renatum Catum, Gualengum, Fascum, duos Ferrarienses nobiles, & Dominum Baptistam Guarinum, summis laudibus extollit. Taceat nunc igitur Virgilius cum Iride sua, quam Iunonis Deam fuisse per-

hibent, & de qua aliquo in loco sic cecinit:

Irim de Cœlo misit Staturnia Iuno:

Singuli enim isti sapientia, prudentia, & fidelitate modo dictá, illam Deam longo post se interuallo rellinquunt. Pari quoque modo Ouidius, una cum Mercurio, non tam suo, quam omnium Deorum nuncio sese occultet, dum ita de illo scriptitat:

Hinc se sustulerat paribus caducifer alis.

De commemoratis istis Dominis Legatis ante dictus iste Catus sequentes versiculos recenset:

Passando il cerchio del gentil Messaggio

Di Gioue, & l'altro della fredda Luna.

Illi ipsi siquidem prudentem eloquentemque Mercurium, in expediundis suis negotiis, apud Reges, Principes, aliosque Proceres & Magnates longè antecellunt. Sileat quoque nunc Virgilius de Idmone suo, quem Turnus, tamquam nuncium, ad Aenam ablegauerat, de quo sic canit:

Nuncius hæc Idmon Phrygio mea dicta Tyranno

Haud platitura refer &c.

Illi namque, tam prudentia, constantia, animoque intrepido Idmonem multum superát. Et denique Æneas de callido suo Ilioneo; Phyrrhus, de fortissimo suo Cinea: Arsaces, Parthorum Rex de prudentissimo suo Agrisio: Mithridates, de animoso suo Clatho: Augustus, de suo Proculeo: Marcus Antonius, de Turullio suo: Agesilaus, de Syllo, suo: Traianus, de suo Longino: Cajus, de Pontio suo, quasi sapientes, prudentes, fideles, & imperterriti Legati fuerint, non ta[n]topere glorientur: plureis siquidem istiusmodi viri reperiuntur, qui sapientia, prudentia, integritate, fidelitate, animo intrepido, aliisque heroicis, nobilissimisque virtutibus, (quæ tam in ipsorum munere, quam omnibus etiam eorumdem actionibus, lucidissimorum luminum instar, cumprimis emicant) iis omnibus neutiquam inferiores sunt, qui in Historiographorũ monimentis tantopere commendantur. Plura autem de legatis siue nunciis scire qui volet,

let, is ante commemorati Domini Torquati Taxi in toto terrarum Orbe famosissimū Messagierum lectu familiarem sibi reddat, eumdemque fidelissimè sibi commendatū habeat.

IN DISCVRSVM XVII.

ADNOTATIVNCVLA.

DE Legatis & legationib. Xenophon quoque opusculum quoddam conscripsit, in quo rerum istarum cupidus lector vberiorem instructionem reperiet.

DE MASCARIS, VEL (vulgo) Mascaradis.

DISCVRSVS XVIII.

PRIMA, quæ omnium vmquam in toto terrarum Orbe exstitit, Mascara, absque omni dubio ipsi horribili Diabolo adtribuitur, qui, sub habitu & specie callidi maliuoliq; serpentis, primam nostram matrē eo adegit & seduxit, vt etiam in creatorem suum, tam turpiter grauiterque deliquerit, atq; eo ipso omne infortunium, calamitatem, atq; miseriam, immo ipsam quoq; æternam mortem & damnationem ad posteros suos, atque adeò totum humanum genus, transtulerit. Idem ille Cacodæmon etiam hodierno nostro tempore, sub Angeli lucis specie, hinc inde obambulat, &, tamquam mendax & latro ab initio mundi, quærit, quomodo videli. homines decipiat, ipsisque mortuam suam mercem, vtpote omnis generis mendacia, scelera, atq; flagitia, sub veritatis, iustitiæ, fortunæ,

atque prosperitatis, felicitatisque specie, obtrudere valeat.

Hypocritæ. Idem opificium callidi maliuolique hypocritæ quoq; inter homines ab eodem (Sathana) didicerunt, qui dolos, malitiam, nequitiamq; suam tam artificiose tegere norunt, vt nemo sibi mali quidpiam de istis sibi polliceatur, donec ipsum laqueis & retibus suis in nassam suam pertraxerint.

Lasciuæ fæminæ. Idem ille Cacodæmon lasciuis impudicisque fæminis quoque modum præmonstrauit, quomodo nimirum faciē pingere, expolire, exornareque debeant: adeo ut omnis generis coloribus præparato pudore in facie sua incedant, & fictitia sua formositate stolidas minusque cautes aues decipiant, atq; tandem non dumtaxat in temporalem, verum etiam sempiternam perniciem easdem præcipitent.

Negotia & Commercia. Idem ille totius humani generis conjuratus perpetuusque hostis se quoque omnibus negotiis, commerciis, & opificiis immiscuit, &, quomodo videlicet omnia artificiosissimè falsanda sient, fraudulentos homines docuit: unde etiam & hoc exortum est ut omnia illa negotia dolis & impostutis diversimodis referta, & nulla amplius fides atque integritas in iisdem omnibus reperiunda sient.

De Metra, Erisichthonis filia, Ouidius scribit, quod in omnis generis species sese transmutare potuerit, dum de illa sic ait:

Nunc equa, nunc ales, modò bos, modo ceruus abibit.

Pari quoq; modo de Acheloo ferunt, quod, dum cum Hercule propter pulcherrimā Decianiram certare conaretur, Herois istius viribus autem sese longè inferiorem depræhenderet, mox in serpentem, mox in taurum, & denique in fluuium commutauerit: & de Protheo, Thetidis filio, quā Latini Vertumnum appellarunt, quod in diuersimodas species sese itidē transformare potuerit, de quo Ouidius lib. 4. Fastorum ait:

Ille suum faciem transformat, & atterit arte:
Mox domitus vinclis in sua membra redit.

Omnia autem illa, ad abominabiles petulantissimasque istas transformationes, circa *Bacchanali*

Bac-

Bacchanalia apud nos (Italos) usitatas, collata, nihil sunt: ubi bene aliquis inquiat, quod Diabolus omnium rarissimas etiã Metamorphoses in mediũ adferat, & quidem multo admirabiliores, quam mirabilia olim priscorum Poetarum capita vel fingere, vel excogitare potuerunt. In Romanis Bacchanalibus, quemadmodum Blondus, in Roma sua triumphante, & Vincentius Chartarius, in libro suo de imaginibus Deorum scriptitant, furiosæ Bacchæ, vel Menades, nudæ pene, cum iuuenib. circumuagabantur, dissolutis crinibus, deque vitibus earumdemque folijs contextas corollas in capitibus, & Thyrsos vitibus implicatos in manibus suis gestantes, atque nihil aliud, quam *io Bacche*, clamitanteis: adeo etiam deformatæ erant, vt omnino non cognoscerentur, modo vt turpitudinem, scelera, atque flagitia sua tuto, & absque omni pudore, exercere possent: quemadmodum etiam illud ipsum plerumque noctu fiebat donec à quodam Ebutio, & Ferenia quadam proderentur, & Magistratui indicarentur, quanta videl. scelera atque flagitia nocturnis istis in conuentib. perpetrarẽtur, (quæ sane illis sceleratis flagitiosisq; grassationibus in valle Lucernensium perpetratis, & nunc Magistratus edicto publico iterum sublatis, non multo erant dissimilia) quocirca etiam ista Bacchanalia à Gentilitio isto Magistratu omnino interdicta, & transgressores illius edicti, atque in scelere tali deprænhensi, seuerissime castigati fuerunt.

Hodierno autem nostro tempore inter Christianos, Magistratu conniuentibus oculis scelus intuente, nec in sontes decente modo animaduertente, circa Mascaras, vel Mascaradas istiusmodi sane res perpetrantur, tot libidines atque stolidæ vanitates hinc inde exercentur, vt priscæ istę Menades nunc cubitum sese conferre necessum habeant: Pseudo-Christiani siquidem isti, porcorum instar, sese adeo profunde in leuitatis, scelerum, flagitiorumque cœno volutant, atque immergunt, vt illius fœtor etiam vniuersum ferme terrarum orbem occupauerit.

De Mascaris & Mascaradis in Bacchanalibus vsitatis Polydorus Vergilius lib. 5. refert, illas à ludis Quinquatrijs & Megalesis

galesis suam traxisse originem, in quibus Romani omnis generis facetias, & iocosa certamina per totius vrbis plateas instituebant; quemadmodum illud etiamnum hodie fieri solet, & motiones exinde in vniuersum terrarum Orbem euolarunt, à quibus etiam omneis Prouinciæ particulam suam sortitæ fuerunt, atque in hodiernum vsque diem retinent, qui tempori iniuriam fieri autumant, ni Bacchanalia ipsis celebranda fient: vnica Britannia (pergit idem ille Polydorus) excepta, in qua Mascaræ & Mascaradæ sub pœna corporis sunt prohibitæ.

Sic etiam Celius Calcagninus, vir vndiquaque doctissimus Apologum siue defensionem Mascararum & Mascaradarum instituit, idque magis, meo quidem iudicio, ad acuendum acutissimum suum ingenium, quam vt vanitatem leuitatemque istam adprobet. Inter alia, omnis generis argumenta introducit, quibus demonstrare nititur, quod etiamsi faciei obuolutiones siue deformationes minime laudentur atque adprobentur, nihilominus tamen easdem non omnino contemnendas, multo minus plane reijciendas esse. De Socrate idem commemorat, quod aliquando fabulam de rebus amatorijs aperta facie recitare noluerit, sed eamdem veste sua texerit, & exinde quasi Mascaram aliquam effecerit. Item, Æschilum & Aristophanem, præstantissimos istos atq; celeberrimos Poetas & Comicos, numquam Proscenium conscendere voluisse, nisi Mascaram induissent. Item, quod Vlysses & Achilles prudenter fecerint, quod peregrinas vestes induissent, atque hoc modo sese ignotos reddidissent, id quod etiam Mascaræ quoddam genus appellari potuit.

Item, quod Ægyptij in supplicationibus suis, quas in Deorum suorum honorem peragebant, (veluti fabula de Milesia testatum facit.) sese omnis generis raris vestimentis plus deformauerint, quam exornauerint. Item, quod etiam ipse Alexander Magnus, post subiectam suæ potestati Indiam, hædera & lauri ramusculis coronatus, omneis ciuitates atque Prouincias perlustrasset. Item, quod apud Tibarenos populos viri, postquam ipsorum vxores par-

tum suum exclusissent, in earumdem lectos sese contulerint, atque ipsi puerperia celebraverint, quasi ipsi labores istos exantlassent. Item, quod viri in Lycia, circa exequias & & sepulturas suarum vxorum occupati, muliebrem habitum induerint, atq; hoc modo Bacchanalicam aliquam Mascaram effecerint. Item, quod in Germania fæminæ, instar Furiarum vestitæ, cum vitis maritisq; suis ad bella profectæ fuerint. Item, quod Romæ, in Nonis Caprotionibus, fœmulæ herarum suarum vestes induerint, atq; hoc modo libertarum Matronarum instar, omneis vrbis angulos perreptarint.

Et denique ipsum quoque Momum (quem tamen heic quemadmodo excusatum volumus) accusare videtur, quod aliquando in Deorum Consistorio conquestus fuerit, quod videlicet homo tàm inconstans & immutabile alias animal, relliquis animantibus præpositus esse debeat, quodque ipsi nullas fenestras in pectore fecerint, ut eiusdem cor inquiri & videri possit, qua constantia & intelligẽtia videlicet tanta præeminentia usurus fiet. Et quæ nam istæ obsecro stultitia, vel potius insania, est, ut aliquis, vix pultem milianam soluere qui potis est, & cum uxore sua etiam de castanea saltim rixatur, apud Iudæum aliquem vestimentum mutuo sumat, de eodem censum persolueat instar nobilis alicuius personatus incedat; & non dumtaxat aljos homines, verum etiam seipsum sæpenumero decipiat, adeo ut cum uxore & liberis quandoq; incœnatus sese cubitum conferre necessum habeat? Quale, quæso stolidum est facinus alterius cuiusdam, tres solis instar formosas filias habentis, & nihilominus tamen easdem tamdiu innuptas vitam cœlibem agere permittentis, donec flos virginitatis ad sexaginta annos usque esse extendat earumdem dentes fiant sicut ebenum capita & supercilia veluti argẽtum, aut ebur, dum is interim genio indulget, atque in mascara sua omnia paganalia & delicias sequitur? An etiam morione tali stultior aliquis Nabal umquam repeciundus erit?

Verum enim vero omneis in genere mascaræ nullam omnino laudem merentur nec ullam aliquam utilitatem pariunt, *Mascaradarum utilitas.*

quam ut principes & Proceres sub istis, ignotoque vestitu eo tutius in ditionibus, aula, & ciuitatibus suis, obambulare, propriisque suis oculis Officialium suorum administrationẽ Oeconomicam intueri, atque adeo auribus quoque, suis audire & percipere possint, quid videlicet ipsorum subditi, aut de se ipsis, vel tamen de Reipublicæ administratione sua loquantur, ut hoc modo non tam suos, quàm ministrorum aulicorum officialiumque suorum errores, & defectus commodo corrigere & emendare valeant. Id quod non solummodo laudabile, verum etiam utile nuncupandum solisque Mascaris tribuendum est. In cæteris tamen nil aliud, nisi meræ omnis generis levitates, scelera, atque flagitia quærenda atque invenienda sunt, quamuis Ferrarienses, singularem ergà S. Stephani Protomartyris diem deuotionem gerentes, mascaram suam in eo tueantur, quod, ita personati atque laruati, non tantum, quantum alias, panis comedant, atq; sic commemorato more modoque negotia sua multo facilius expediant; Ita siquidem nulla omnino grauitate indigent, nec singulari pompa equis insidentes cum à pedibus suis urbem obequitare necessum habent, quẽadmodum alias, ad reputationem grauitatemq; suam conseruandam, facere tenentur. Idque quidem locum habere posset, si modo Florentini essent. Verum enim vero rem ita comparatam esse depræhendimus, ut commodum aliquod etiam damnorum millia in tergo ferat. Sæpe numero enim fit, ut, sub ista licentia, alicuius uxor personata ad talia loca deducatur, è quibus incorrupta rursum egredi nequit, sed furtim in domum suam sese proripere cogitur, & talem quandoque secum thesaurum adfert, qui toti familiæ & domesticis omnibus longo tempore negotium facessit. Licet quoque inficias nemo eat, quod personata istiusmodi fæmina, etiam absque mascaræ alicuius usu, pudicitiæ metas transilire possit, atque ita transgressio ista neutiquam mascaræ tribuenda siet; nihilominus tamen heic damnum duplex depræhenditur, quod videlicet usitatis vestibus & aliæ multo maioris pretji superiniiciantur, vel pro-

procenſu multoque fœnore apud Iudæos mutuo ſumantur, ut eo ſecurius ad lupanaria aditus pateat. De magna leuitate heic nunc nulla verba faciam, quæ, licet nihil aliud metuendum fiet, tanta eſt, ut etiam ignorem, an alia cum iſta comparari poſſit Mattacinarum ſiquidem veſtitus ſatis ſuperque teſtatur, non vulgarem ſana illud leuitatem, ſed extremam aliquam ſtultitiam vanitatemque eſſe. Si porro omneis perſonatorum laruatorumq; actiones aliquanto acutius intueantur, atque conſiderentur diligentius; tunc ſane nihil aliud deprehenditur, quàm actiones eorumdem leues, geſtus ridiculi, motus turpes, nutus (qui ipſorum verba ſunt] ſtolidi, inuentiones libidinoſæ, atque adeo omnia ipſorum inſtituta ſcelerata. Illic ſæpenumero auctoritate & exiſtumatione grauis aliquis cernitur nobilis qui perſonatus tam indigna nomine & ſtatu ſuo ludicra & ſcurrilia pene committit, vt rubore pudoreque ſuffundatur, ſi de illis apud honeſtos homines fiat mẽtio. Multi quandoque Proceres laruati perſonatique conſcenſis ſcamnis illic, empiricorum more, vnguenta venalia clamitant. Et modo ne ſtulti deſint, ipſe celebrem aliquem Doctorem noui vidique; qui circumuoluto Sacco omnis generis ſtulta & inepta protulit. In Summa illic omnia tam confuſo ordine inter ſe inuicem miſcentur, vt vanitatum vanitatem iſtam non ſatis aliquis mirari poſſit. Nullus inibi ſiquidem terminus, nullus modus, nullus omnino ordo, ſed omnia confuſe aguntur, adeo vt bene heic aliquis exclamare poſſit: Quid ſubagreſtibus Paniciſque ruſticis cum ſtudioſis intercedit commercij? Bolognenſi Gratiano, cum Poeta, aut Philoſopho? Caminario, cum Ganimede, vel alio quodam comptulo? Hoſpiti, cum medico? Cerdoni, cum aliquo Capitaneo? Magnifico alicui, cum Florentino? Quæ, inquam, inter diſpares iſtiuſmodi homines, inclinatio, familiaritas, & coniunctio eſſe poterit? Equidem iuuenibus illud quodammodo, (& quidem taliter qualiter) condonandum & indulgendum eſſet: ſed & fœminæ eoſdem heic in ſimili imitari volunt; quandoque enim inſignis aliqua perſonata fœmina per vrbis compita

equitat: Sæpenumero Scortillum aliquod virili habitu indutum incedit, modo vt rotundis ſuis pedibus deſiderium & libidinem excitet, viroſque erga ſe inflammet. Quam enim, obſecro, honeſtatem perſonatæ iſtiuſmodi fæminæ præ ſe ferre poterunt? Immo ad nihil aliud, quam omnis generis leuitates, turpitudinem, ſcelera, atque flagitia illæ ipſæ anſam occaſionemque præbent: ipſæ ſui ſunt lenones, nauci ſibique per omnia ſimiles homines ad ſe pertrahentes: ſæpiſſime ſiquidem iſtiuſmodi Scortillum de mercede meretricia iam ante cum Scortatote ſuo conuenit, adeo vt quandoque res non ſine cæde peragantur. Nec ſane quiſpiam inficias ire vmquam poterit, quod omnis generis doli, impoſturæ, damna atque ſcelera inde exoriantur. Omneis ſiquidem tunc effrenes feroceſque ſunt, & induta ſemel Maſcara, omnis, vice verſa, honeſtas, timor, diſciplina, & bona intentio exuitur, atque adeo omnis libido & turpitudo abſque vllo pudore perpetrantur.

Maſcararum frigidi Nonnulli, Maſcaras tueri atque defendere conantes, illam modicam aliquam hilaritatem, honeſtamq; quamdam recreationem eſſe contendunt. *de- res* Sin vero iſtiuſmodi Maſcaræ propugnatores res aliquanto melius conſiderarent, tunc procul omni dubio ipſi fateri neceſſum haberent, illam ipſam diuturnam aliquam recreationem eſſe, è qua diuturnum damnum detrimentumque exoriatur: tantam hilaritatem, quæ ingens aliquando excitet cordolium: exhilarationem nullorum honeſtorum animorum, ſed talium Scurrarum, naucique, de grege porcorum, hominum, qui, contra omnem naturam, ſceleribus flagitijſque ſeſe contaminent, atque quandoque etiam iuſtam promeritamque mercedem accipiant, cum qua ſimul non dumtaxat honorum ſuorum, verum etiam temporalis, æternæque ſalutis iacturam faciant. Nam, vbi, obſecro, melior ad explendam libidinem & ſcortandum reperitur occaſio, quam ſub ipſo maſcararum tegumento? Vbi Scortilla melius domum deducuntur, quam in ijſdem maſcaradis? Vbi Scortatorijs fæminis, vel ancillis melius datur mæchandi indicium, quam ſub tali Modoneſiaca facie, quæ cum potiſ-

potiſſimum in finem præparata atque facta eſt? Vbi nequam commodius occultatur, quàm ſub horribili tali myſtace? Et, quod magis eſt, quomodo, quæſo, infidelis perfidusque aliquis ſicarius honeſtum aliquẽ virum à tergo melius interimere & necare poterit, quàm in nefanda iſta Maſcara? Et quomodo hoſtis melius è medio tolli poterit, quàm commemorato iſto modo? Id autem perraro fit: nihilominus tamen, quomodo Iuniores ſimplicio resque retibus meretriciis melius implicari & capi poſſunt, quàm in tanta perſonatarum Ferrarienſium Nympharũ varietate & leuitate, quas totum agmen bene exornatarum meretricum comitari & ſequi ſolet? Quomodo occulta clandeſtinaq; alicujus cordolia tutius deteguntur, atque amatæ amaſiæ facilius proponuntur quam in & ſub ipſis joco ſeriis ſermonibus, quos perſonatus aliquis Burattinus, vel *Pedant*, aut *Zani*, vel Bolognenſis quidam Gratianus ſcitè apteq; nouit proponere? An ignoratur quod pueri, Scholam frequentare debentes, eamdem declinent, & Maſcaradarum ineptias ſequantur? An non compertum perſpectumque eſt omnibus, quod virgines eaſdem noctu in feneſtris præſtolentur atque obſeruent? Cui, quæſo, incognitum eſt, quod ancillæ toto die circa hauriendam adferendamque aquam occupatæ ſient, modo ut perſonatorũ laruatorumq; morionum ipſis in plateis fiat copia? quod uxores toto die in plateis eadem de cauſſa circum curſitent, aut quandoque etiam curribus vehantur, modo ut ſcurrilium iſtarum leuitatum reddantur participes? quod vulgares iſti opifices, rellictis officinis, & viro-juuenes, multorum ſtultorum inſtar, omneis urbis angulos perreptent? eruditi, ita inescati[;] ſtudia ſua rellinquant? Studioſi juniores lupanaria ingrediantur, cum ſcortillis luſitent, etiamſi, ea de re, & libros ſuos oppignorare debeant? In ſumma omneis, laxatis frenis, nimia licentia deteriores redduntur: Choreæ, feriæ, duella, vigiliæ, Matinatæ, ſcortationes, omnisq; generis leuitates Maſcaradis proxime adfinitate cõjunctæ, ſunt adeo ut benè aliquis inquiat, quod omne bonum ab iiſdem longè receſſerit;

econtra vero omne malum atque scelus illis ipsis nimis propinquum vicinumq; fiet: quēadmodū etiā omneis hactenus à nobis commemoratæ vanitates atq; leuitates, nihil sane aliud sunt, quàm mera Diaboli instrumenta cymbæque charontis, quibus luxuriosi isti juuenes viraginesque ad Stygiam Paludem deuehuntur, ubi etiā easdem sedentes sudantesq; rellictas volumus.

IN DISCVRSVM XVIII.

ANNOTATIVNCVLA.

MAscarā quadruplices habere effectus auctor est Pamphilus, nimirū quod personam aliquam ignotam audacem reddat: Male vestitorum penuriam egestatemque tegat: verecundos loquaces faciat: quodq; tamdē illos ipsos, qui alias decenti grauitati studere necessum habent, liberos atq; impudentes fermè efficiat.

DE DVELLIS, SIVE LVDICRIS equestribusque certaminibus.

DISCVRSVS XIX.

Duellorum in iure Canonico sublatio.

ETiamsi duella in jure Canonico ea de caussa iterum sublata fient, quod plerumque non absque corporis vitæque periculo & discrimine peragantur, nihilominus tamen illud de iis neutiquam heic intelligendum est, quæ ad equestria nobilissimaque exercitia curtis gladiis suscipiūtur, utpote quæ in aulis Principum, in honorem peregrinorū exterorumq; Dominorum, ad exercendam juniorem heroicamque Nobilitatem,

tatem, [quæ quandoq; iisdem ludis equestribus amasiarum suarum fauorem beniuolentiamque captare nititur] permittuntur. Iccirco etiam istiusmodi nobiles armorum industriã peritamque tractationem, in præsentia Principum, aliorum Procerum, eorumdemue Gynæcei, commode demonstratam, probatam, testatamque reddere poterunt, ut hac ratione, quantum videlicet ipsis in casu necessitatis fidendum tribuendumque fiet, liquido manifestoque adpareat.

Illa autem exercitia originem & initium suum à spectaculis, & ludis Theatralibus sortiuntur, qui ab athletis & pugilibus priscos apud Romanos in publicis ipsorum Theatris instituebantur: quemadmodum etiam legitur, quod illa cumprimis sub Augusto, Caligula, Cæsare Claudio, Nerone, Domitiano, Gordiano, aliisq; potentissimis Romanorum Imperatoribus instituta habitaque fuerint. Ex illis quidam Retiarii ideo appellabantur, quod sub clypeis suis rete quoddam tegerent, eodemque contrariam sibi, minusque cautam, partem implicarent atque irretirent. Alios, pugiles, alios vero, Scutatores nuncupabant: ex quibus quidam Marti, alii Neptuno, alii autem Vulcano in honorem operam suam locabant, quemadmodum Franciscus Patritius lib. 2. de institutione Reipublicæ testatur.

Vsus in quibusdã locis Italiæ.

De istiusmodi duellis siue ludis equestribus Mondus lib. 2. Romæ Triumphantis scriptitat, quod memorabile aliquod certamen ludicrum & equestre Rimini, sub nuptiarum celebratione Galeati Malatestæ, viderit, ad quas præcipuus totius Italiæ Ordo Equestris inuitatus fuerit: quemadmodum etiam & alia id genus ludicra certamina in aliis quibusdam Italiæ locis, utpote Romæ, Neapoli, Florentiæ, Mediolani, Bolognæ, Ferraræ, Mantuæ, Pezari, Placentiæ, Sienæ, aliisque urbibus, magna pompa certantium equitum, & summa spectatorum lætitia atque recreatione habita fuerunt.

Ornatus & elegantia certãtium equitum.

Præcipuum vero certantium istorum equitum studium eo potissimum directum est, ut videlicet quàm elegantissimè, &c, quantum quidem ab ipsis fieri potest, splendidissimè in arenam descendant. Vbi sane quilibet

libet eo cumprimis ſpectat, quomodo nimirum omnibus aliis equitibus ornatu atque elegantia palmã præripere queat. Eapropter omnis generis auro argentoque exornata arma, thoraces, & loricæ, pretioſiſſimè intertextæ veſtes, elegantiſſimi equi, cum omni ſuo apparatu pulcherrimè exornati, conſpiciuntur: Illinc à pedibus, inſignibus diverſicoloribus veſtibus induti, heros ſuos circumcurſitant; inibi quilibet eques ſingularem ſuum ſuſceptorem inſigni quoque caballo ſeſe conſpicuum reddentem, ſecum ad arenam vel Theatrũ deducit; ibi etiam judices ad diſtribuenda in medium adlata munera, ſiue præmia, in ſolemnitate & pompa ſua viſuntur; Eodem in loco pretioſiſſimæ è mera chalybe factæ galeæ elegantiſſimi gladii, quales ad iſtiuſmodi exercitia atque certamina potiſſumum requiruntur, firmæ ornatiſſimæque lanceæ, ad ludos iſtos equeſtres adaptatæ, criſtatæ galeæ & equi, omnium ſpectatorum oculis ſunt obuii, quibus cogitationũ præeminentiam & ſublimitatem teſtatam facere & ſignificare conantur.

Cumprimis autem in iſtiuſmodi exercitiis ludicris ſingulorum equitum inſignia atq; colores, quos in clypeis ſiue ſcutis ſuis depictos gerunt, obſeruantur: eapropter etiam omneis ſuas cogitationes intentionesque eo potiſſimum dirigunt, qua ratione videlicet, pro more priſco, ſingulare aliquid in mediũ adferre poſſint: quẽadmodũ etiam apud Pauſaniã de Agamemnone legitur, quod Scutum ſuum leonino capite cum tali inſcriptione: *Hic clypeus terror hominum: Et qui illum gerit Agamemnon eſt.* Pari modo etiam alii de Antiocho referũt, quod in clypeo ſuo leonem, unà cum Mercurii caduceo, depictum geſſerit. Sic Hector duos aureos leones in campo rubro, Theſeus taurum, Seleucus bouem, Alexander, regem aureo ſolio inſidentem, in campo cæruleo; Lucius Papyrius Curſor, Pegaſum: Alcibiades, Cupidinem; Cæſar, aquilam: Pompeius leonem, ungue gladium tenentem: Dauid, auream Cytharam: Iudas Machabæus, rubrum draconem in cãpo argenteo: Veſpaſianus, Gorgones; Attila, coronatum vulturem; Arturus, tres coronas aureas

aureas &c. in ſcutis ſuis geſſerunt. Iſta & ſimilia exempla etiam hodierni noſtri equites certantes imitari, & ſinguli aliquid rari ſibi præ cæteris eligere ſolent, quo etiam peculiare quiddam ſignificare & innuere volunt. Exempli gratia: Hic pauonem, ille Sciurum; alter perlaqueatum leonem, ille Salamandram: hic urſum, alter ſerpentem: hic vulpem, ille aliud quiddam in Clypeo ſuo gerit, idque pro ſuo lubitu, & intentione phantaſiaque ſua ita requirente. Atque in eo quidem ſibi perſuadere volunt, quod cum fortiſſimis celeberrimisq; iſtis populis atque Nationibus comparentur: quemadmodum de Romanis Hiſtoricorum monimenta tradunt, ipſos aquilam auium omnium rapaciſſimam, elegiſſe, atque eo ipſo fortitudinem agilitatemque ſuam denotare voluiſſe. Similiter & Thraces Martem in clypeo ſuo geſſerunt: Perſiani, arcum: Armeniani, Veruecem: Scythæ, fulgur: Phænices, Herculem quemdam: Cilices, caput galea inſignitum: Ægyptii, Ibidem: Iſraelitæ, Græcum T: Athenienſes, noctuam: Argiui, ſoricem: Albani, teſtudinem; Itali, equum: Aſiatici, tres ſerpentes: Aphricani, elephantem: Phrygii, ſuem cum porcellis ſuis: Gothi, urſum: Alani, felem: Franci veteres, leonem: Belgæ, bouem, ad agilitatem fortitudinemq; ſuam conteſtandam. Qua in re etiam priſcos iſtos deos imitari volunt, qui, quēadmodum Poetæ fabulantur, etiam ſingulis peculiaribuſq; ſuis inſigniis uſi ſunt, utpote Iupiter fulgure: Neptunus, Tridente: Mars, gladio: Cupido, arcu cum ſagitta: Hercules, claua: & quæ id genus ſunt alia, de quibus equites iſti variè ſpeculantur, varia que ſibi imaginantur: veluti etiam videre eſt, quod arma, gladios, pugiones, ſecures, clauas, forcipes, turres, arces, omnis generis machinas, ignem, & res iſtiusmodi plureis in clypeis ſuis uſurpent: quæ tamen omneis plerumque damna detrimentaq; inferunt, & è quibus facile aliquis apud ſe colligere poſſit, quomodo nimirum iſti equites in cordibus ſuis adfecti ſient: Qui etiam ex illorum numero juxtà regulas Bartoli, in Tractatu ſuo de armis & inſignibus ſeſe aptiſſimè conformare poſſunt, is plerumque o-

mniū p udentiſſimus & optumus habetur. Quocirca ſummo ſtudio eò reſpiciunt, ut anterior animalium aliarumque picturarum pars, quibus clypeos ſuos exornare ſolent, rectà aduerſus enſem, vel lanceam directa ſiet, ut videlicet illud ipſum animal in naturali ſuo ordine imitentur & ſequantur, quaſi ab eodem iſto animali ſcutum geratur, alias enim quis forſitan dicere poſſet, quod animal violenter per lanceam trahatur. Dein iſta quoque animalia erecta ſtare oportet, atque quaſi in optuma ſua fortitudine, & motu eminentiſſimo, in quo pes dexter ſiniſtro præferatur. In armis & ſcutorum tegumentis tamen anterior commemoratorū iſtorum animalium pars ſemper dextrum latus reſpicere neceſſum habet: ſin etiam illa in plureis diſtinctasque partes & colores diuiſa ſient, tunc nobiliſſimi colores, utpote à quibus ſummus honor adquiratur, in ſublimi conſpiciantur.

Diuerſorum Regū urbiumq; inſignia. In hiſce ſimilibus, equites iſti etiam cum præcipuis Regibus, Principibus, & Vrbibus, quarum in hiſtoriis hinc inde fit mentio, comparari volunt, veluti Romanorum Imperatores nigram bicipitem aquilam in campo aureo, quod primum (Iulii Cæſaris inſigne fuit, pro inſigni ſuo uſurpaut. Sic Occidentalis Franciæ Reges tria aurea lilia in campo cœruleo gerunt, quemadmodum illa Regi Clodoueo mirabili quodam modo è cœlo olim data fuiſſe traditur; quemadmodū Gaguinus, in rebus geſtis Francorum, illud ipſum teſtatur: Rex Angliæ tres Leopardos aureos in rubro aliquo campo gerit: Hiſpaniarum Siciliarumque Rex duos cœruleos leones, & duo aurea caſtella: Rex Nauarræ, tres cœruleos leopardos in campo quodam aureo: Luſitaniæ Rex quinque argentea Scutula rubro margine, turriculisque munita: Rex Phrygiæ, campum argenteum, rubris quibuſdam lineis diſtinctum, cum cœruleo margine quatuor loriceis circundata: Siciliæ & Hieroſolymæ Rex, crucem auream: Nauarræ Rex carbonem auro conſperſum, & tria aurea lilia in campo cœulreo diſpoſita: Noruegiæ Rex, tres coronas aureas in campo rubro: Rex Polonorum duas argenteas aquilas, virumque argenteuin, ar-

rum, argenteo itidem equo insidentem: Hungariæ Rex quatuor rubras Gemellas in campo argenteo: Rex Hyberniæ, Regem aureum throno insidentem, liliumque manu tenentẽ, in nigro campo: Abyssinorum Rex, alias Petro Ioannes, vel, juxtà quorumdam opinionem, pretiosus Ioannes; nigram Christi Crucifixi imaginem, cum duobus flagellis, in campo aureo: Respublica Venetorum: leonem cum libro quodam: Genua, S. Georgium aliquem: Siena, lupam: Florentia, leonẽ & lilium, quod insigne ciuibus à Carolo Andegauensi, Lodoici Gallicarum Regis fratre germano, dono datum fuit. In summa istis, & similibus insignibus Phantastici illi equites sese etiam conspicuos reddere conabantur. Benè itaque illi, qui pulcherrimis honestissimisque insignibus & coloribus, in tot Principum aliorumque Principum & Nobilissimi Gynecæi præsentia (omnia tàm ipsis in equitibus, quàm equis, profundè considerantium) palmam aliis præripere poterit.

Quum etiam iis ipsis equitibus probè perspectum cognitumque fiet, quo nimirum studio hominum oculi in colores atque Liureas suas, uti nominant, coniiciantur, iccirco omne suum studium eo potissimũ conuertunt, quo melius istæ varietate interse inuicem luxurient atque adspectu omnium oculos in se conuertant: qua in re omnium nitidissimos nobilissimosque colores eligere conantur, quo melius omnium acutissimi ingeniosissimique equites & habeantur & prædicentur. Vt autem istius sui instituti meliorem certioremque informationem & instructionẽ habeant: iccirco Bartholus inter alia porro commemorat, quod ipsorum intellectus ex eo magis magisq; omnibus innotescat, si illi ipsi colores instituto suo, cumprimis autem eorum signorum, imaginum, Emblematumq; explicationi, quibus clypeos vel scuta sua exornare solent, inseruiant. Posthæc idem ille colorum istorum significationes sequentem in modum indicat. Color albus siue candidus lucem denotat, & pro summo summæ Nobilitatis gradu & indicio habetur quemadmodum, vice versa, color ater tenebras significat, & pro infimo Nobilitatis gradu

 plerum-

plerumque sumitur. Medii autem, inter utrosque modo dictos istos, colo es pro altioribus, inferioribusque Nobilitatis indiciis, quatenus ad unum, vel alterum, eo proprius accedunt, aut lucidiores, vel obscuriores sunt, intelliguntur. Quapropter in eligendis coloribus nobilissimis singuli certant, ubi semper alter alteri palmā praeripere nititur: quemadmodū etiam, illa ipsa de caussa, Reges Persici candidam aliquam Cidarim, vel Turbanam, Regii alicuius diadematis loco, capiti imponunt: id quod tamen nihil est aliud, quam peplum aliquod candidum rubris lineis hincinde distinctum, & in rotunditatem ab ipsis complicatum: in quo sane color albus & candidus gratiam atque clementiam, ruber vero vehemētiam & rigorem significat: & quo ipso innuere voluerunt, quod videlicet ipsorum Reipublicae administratio & clementia & stricto iuris rigore intermixta fiet. De istiusmodi & similibus significationibus in Iudaeorum Commentariis legitur, quod aliquando Iudaicus aliquis Rabbinus Principi cuidam inter alia commemorauerit, ipsorum Messiam, in asino equitantem, ad ientū ū esse: quo audito, princeps respondit, si illud suo tempore fieret, Messiae isti tū insignem aliquem caballum dono daturū esse, ne posthac tam vili abiectoque animali equitare cogeretur. Instabat autem ad ista Iudaeus, &, asinum videlicet istū centum coloribus notatum, tum eiq; similem nullū inventū iri, asseuerabat: Sermo praeterea iste non adeo simpliciter intelligendus esset, sed per istam equitationem Messiae imperium, per centum colores, insignem Messiae excellentiam, & tamdem per ipsum asinum totius orbis obsequium, quodque Messias universum terrarū Orbem sibi subiecturus esset, Princeps intelligeret. Quae non adeo rara inauditaque alias Iudaei illius glossa fuit, cum eiusdem generis sermones apud alios quoque scriptores, praesertim vero apud Iamblichum & Plotinum reperiantur, dum, Deos coelum obequitare, dictarunt, coeli videlicet motum coelestiumque intelligentiarum operationes subintelligentes.

In Liureis siue coloribus vero equites isti plerumque colore aureo utuntur, qui hodier-

tro nostro tempore pro nobilissimo semper habetur, idque ob lucis præstantiam & excellentiam, quòd semper cũ lucidissimis solis radiis comparatur: Quapropter etiam Ecclesiæ, cum Reginæ aliqua comparatæ, decus atque ornamentum ita describitur: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate.* Sic & alibi eidem aureæ fimbriæ tribuuntur dum de illa sequentia verba leguntur: *Omnis gloria eius ab intus in fimbriis aureis circum amicta.* Pari quoque modo idem ille color fidem & dominationem significat, quemadmodum etiam Regius Propheta Dauid in Psalmis suis fidem cum auro comparat, quod septuplici sub igne purgatur & probetur: Lucanus autem aurum cunctis rebus imperare ostendit, dum ita inquit:

Ferrum mortemque timere
Auri nescit amor &c.

Apud eosdem quoq; equites color argenteus vsitatus est, atque amoris dolum iocumq; denotat, quemadmodum etiam argentum à Chymicis quãdoque auro tingitur, vt homines eo facilius decipiant. Sic & Luna mutabilis noctu sæpenumero in colore argenteo sese conspicuam reddit; & Venus ipsa sese aliquoties miseris perturbatisque amatoribus in curru suo eburneo, argentei coloris stola amicta, ostendit. Sic color albus siue candidus vestibus immiscetur, ad contestandam victoriam, quæ per eumdem colorem innuitur: quẽadmodum etiam D. Ioannes in Apocalypsi sua Dei Sanctos, post obtentam victoriam, albis vestibus, coram Throno stantes, conspexit, & Ecclesia de SS. Martyribus ita cecinit: *Te Martyrum candidatus laudat exercitus &c.*

Simili modo in Fastis Ouidij de Theseo legitur, quod videlicet ipsi à parente suo iniunctum fuerit, vt, postquam victoriam obtinuisset, candida vela in naui sua expanderet. Idem iste color præterea puritatem innocentiamque sæpenumero significat, veluti etiam ipse Dominus & Seruator noster Christus, albis niui similib. in vestibus in monte declaratus apparuit. Sic quoque Virgilius lib. 6. Æneid. puris castisque Sacerdotibus album vestitum tribuit. Quandoque etiam idem color seruitutem & mæstitiam denotat: quocirca man-

cipia, ad vendendum publice expoſita, pedes ſuos albos ideo lauare, atq; etiam poſtmodum nudis albiſq; pedibus ſuis ſemper in publicum prodire neceſſum habuerunt, vt, ſeſe omni ſua libertate priuatos ſpoliatoſque eſſe, oſtenderent. Similiter etiam Plutarchus in Quæſtionibus ſuis teſtatur, quod apud Græcos Matronæ viduæ, viriſque ſuis ſpoliatæ, candido alboque veſtitu, mæſtitiam ſuam teſtatam fecerint, vtpote impoſterum ab omni hilaritate atq; lætitia abſtinerent: Idque etiamnum hodie apud Gallos vſu receptum eſt, quod videlicet Reginæ, à morte ſuorum Regum, *La Roine blanche*, h. e. albæ Reginæ, appellentur, quoniam albo veſtitu mæſtitiam viduitatemque ſuam teſtantur. Alij eodem iſto colore lætitiam innuere videntur: Vnde etiam Lucianus inter alia commemorat, quod Athenis, in feſti Quinquatrium celebratione, nemo niſi albis candidiſque veſtibus Indutus, comparere debuerit: quemadmodum etiam videre eſt, quod Eccleſia Dominicam in albis, ad conteſtandam publicam lætitiam, de Chriſti Reſurrectione è mortuis, albis in veſtibus celebret. Item ſi infantulus aliquis baptizatus fuerit tunc, lætitiæ teſtandæ gratia, albo induſiolo veſtitur, iuxta ſequentes Pontij Paulini verſiculos:

Quinda dal ſacro fonte il Sacerdote
Leua i fanciulli come noue bianchi
Nel habito, nel corpo, nel Spirito.

Eumdem etiam vſum ſemper in Eccleſia obſeruatum fuiſſe D. Ambroſius, in libro ſuo de Baptiſmo, teſtatur, veluti etiam ex hodierno iſto Catechiſmo videre eſt: Id quod contra Barbatianum probe obſeruandum prætendentem quod D. Auguſtinus, mox ab accepto SS. baptiſmate, nigra cucullam onaſtica indutus fuerit.

Per illum ipſum album candidumque colorem quoq; honorum degradationem quidā innuere voluerunt: quemadmodum etiam Priſcos apud Romanos, Vegetio teſte, Tirones albis veſtibus induebantur, & Candidati potiſſumum ea de cauſſa appellabantur, quod nihil adhuc præclari præſtitiſſent, neque hoſtium ſanguine manus ſuas commaculaſſent, quē

in finem quoque album, in quo nihil omnino scriptum depictumque erat, Clypeum gestare cogebantur. Quocirca etiam Persius de Iuuenibus virilem togam adsumentibus quodam in loco scriptitat, ipsos adhuc alba candidaq; scuta gestare. Et Liuius lib. 9. Samnitici cuiusdam exercitus mentionem facit, qui totus albis vestibus indutus fuerit, innuens omneis istos inexpertos nouosque adhuc milites fuisse.

Pari quoq; modo Herodes Christũ alba veste vestiuit, non quidem, vti quidam autumant, ad testandam ipsius innocentiam, sed ad maius eiusdem ludibrium atque ignominiam, eumdemq; crassum, simplicem, rerumq; imperitum hominem esse innuens.

Sic & alij Equites colore cœruleo ea de caussa lubentius vtuntur, quod profundas altasque intentiones & cogitationes significet.

Quocirca, ex Veterum Instituto, Sacerdotes Isidis tali colore vestiti fuerunt, & Ahasuerus Rex Palatium suum eodem isto colore exornauit, quo Regias & in altum tendentes cogitationes suas innuere voluit: quocirca etiam, iuxta Persii opinionem, in altum tendentes eodem isto colore lubentes vtuntur. Alij lurido colore in luteis suis delectantur, innuentes se videlicet, amoris gratia, ne ipsam quidem mortem timere. Alij mixtis diuersimodisque coloribus, ad varias phantasias suas contestandas, vtuntur.

Alij fuluo & Croceo colore, ad spei suæ renouationem declarandam, scuta sua exornant: quemadmodum etiam Athenienses ipsam auroram, fuluo colore mixtam, spem nuncuparunt, quod post illam omnia illico renouentur. Simili modo & nouæ nuptæ Matronæ Romanæ fuluo peplo capita tegebant, ad indicandam suam fiduciam procreandæ sobolis: qua de re Virg. lib. 1. Æneid. ita cecinit:

Et circumtextum croceo velamen acantho.

Alij rubro colore gaudent, eoque insecuritatem incertitudinemque significant. Sic leo ignem, eiusdem coloris caussa, exhorrescit, quemadmodum Plinius & Claudianus scriptitant. Ceruos quoque inter venandum rubris cristis terreri

auctor

auctor est Ouidius. Tyranni autem ideo Purpurei ab Horatio Oda XXXV. appellantur, quod plerumque timidi, & nusquam securi depræhendantur.

Sic & alij viridem colorem ideo vsurpant, vt nimirum, omnem spem fiduciamque sese amisisse testentur. Vnde Petrarcha in aliquo *Sonetto*, cuius initium: *Gi fiam megiaua l' amorosa stella, &c.* spem suam ad viridem vsque peruenisse, conqueritur. Idem quoque innuere vult Virgilius, dum lib. 3. Æneid. Polydori sepulchrum viridibus ramusculis tegit: &, Andromachen demortui sui fratris tumulum renouasse, viridibusque cespitibusque operuisse, idem testis est.

Similiter & Seruius, supra lib. 8. Æneidos, Romanas Matronas, pro indicio se videlicet omnem lætitiæ spem amisisse, currus suos viridi tegumento obuelasse, inter alia commemorat. Vice versa, per eumdem viridem colorem lætitiam significari, Alexander Farra autumat, idque subsequentibus Franc. Petrarchæ versiculis testatur, dum aliquem, spe amoris sui frustratū, ita compellat:

Fugge il Sereno e' l verde
Non t' appressar do sia riso e canto.

Alij colore asinino delectantur, quo deceptos sese esse demonstrent. Nominatur autem color iste à Græcis Doris Cilon, quo nomine, quemadmodum Iulius Pollux testatur, etiam asinum appellare voluerunt. Quoniam vero hic color ab Ægyptijs infaustus credebatur, iccirco etiam asinum, præ relliquis animalibus omnibus, odio eosdemque pro impuris, immo ab ipso Diabolo obsessis animalibus, habuerunt: Quemadmodum etiam Belgici aliquot Proceres, præsertim vero Princeps Auraicus, Comes Egmondanus, alijque plureis, ab initio hodiernum bellorum Belgicorum, eodem isto colore ideo delectati sunt, quod sese videl. ab Hispanicis Consiliarijs delusos spretosque esse, demonstrarent.

Et denique apud quosdam etiam color ater in vsu est, idque tristitiæ mæstitiæq; testandæ gratia, qua de re Petracha quodam in loco ita ait:

E Vedera in ella morte d' mariti
Tutte vestit' a bran le domo perse.

Apud Licios dies infausti olim atris lapillis notabantur, &, Virgilio lib. 3. Æneid. teste, tempestati, tam quam malæ perniciosæque rei, nigra animalia sacrificabantur. Ita quoque sponsa, in Cantico Canticorum Salomonis, seipsam nigram, omnisque generis infortunijs calamitatibusq; subiectam esse testatur, dum ita inquit: *Nigra sum sed formosa filia Hierusalem*: quo innuere voluit, quod per eandem istam nigredinem vel calamitatem ad istam formositatem atque excellentiam peruenerit. Quo forsitan etiam Petrarcha respexit, dũ de Andromeda loquitur, quod videlic. illa, ob nigredinem suam, Perseo placuerit, sic inquiens:

Andromada li piacque, in Etiopia
Virgine bruna, i begli occhi e le chome

Vbi quidem non nigrum illius colorem, sed perturbatum videlicet eiusdem statum, & quod à monstro marino deuoranda esset, deplorat: quemadmodum etiam plerumque fieri solet, quod fæminarum cordolia non dumtaxat commiserationem atque condolentiam, verum etiam eo ardentiorem amorem in amatoribus suis excitent. Cum igitur isti equites splendidissimè exornati in arenam descenderint, tunc aut indignabundi magno impetu cõcurrent, vel celeribus equis ad Quintanam properant, atque sæpenumero fortitudinem suam ita testatam faciunt, ut omneis spectatores eosdem mirentur, & inuitatæ elegantes formosæque virgines ipsorum amore capiantur. Et denique, re bene fortiterque gesta, & præmiis, pro suo merito acceptis, atque à caduceatoribus siue Heroldis publicè laudatis, magna lætitia tubarumq; clangore tamdem domum deducuntur. Quo facto eorumdem laudes honoresque in omnibus totius terrarum Orbis aulis passim decantantur: quemadmodum videre est in Henrico Rege Gallorum, Domino Marchione *del Vasto*, Domino Ferdinando Gonzaga, Duce Guisio, Duce Ferrariensi, Comite Manfredo, Comite Cesanio, Comite *de colle alto*, Comite Brandolino, aliisque omnium Populorum Nationumq; Proceribus, quorum, alio quodam in loco honorificam mentionẽ facturi sumus.

In iſtiuſmodi autem ludicris Equeſtribuſque certaminibus quandoque Grobiana Seſquiligna minime deficiunt, arenã, ceu aſinus forum equarium, exornantia, Aſtolphumque Arioſti in omnibus ſuis actionibus repræſentantia: Laniorum ſiquidem calcitronibus, contemptibilique prorſus apparatu ſocii iſti ſubruſtici in arenam deſcendunt, atque adeo magis obſunt, quàm cæteri ſtrenui commilitones proſunt: Iccirco etiam tàm à nobilibus, quã ignobilibus viris, & fæminis, cum totius ſuæ familiæ cõtemptu, non immerito irridentur, & ludibrio habentur, atque adeo plus laudis reportaſſent, ſi domi apud ancillas pecoris curam habentes, remanſiſſent, nec unquam adeo turpiter ad arenam ſeſe contuliſſent. Particularium iſtiuſmodi perſonarum ignominia & dedecus tamen principali negotio e, & iis, qui non libidinoſum impurũque Priapum, ſed fortem conſtantemque Martem in cordibus ſuis impulſorem habent: nihil umquam derogare poterit. Sed de hiſce nunc ſatis, ad alias itaque profeſſiones pro more noſtro noſmet convertimus.

IN DISCVRSVM XVIIII. ADNOTATIVNCVLA.

DE ludis Equestribus Cassaneus in Catalogo suo quædam particularia recenset, quo etiam rerum istarum cupidum lectorem nunc ablegatum volumus.

DE VECTORIBVS, VEL IIS, QVI, extra publica diuersoria, peregrinantibus equos, & cubicula subministrant.

DISCVRSVS XX.

EQuorum Subministratores à Latinis in genere Vectores appellantur, quo eodem nomine etiam Ouidius lib. 2. Fast. Sileni asinum dignatur, ubi verbum in Actiua significatione pro concesso quodam asino usurpat: quemadmodum illud ipsum Marcus Varro, lib. 2. de re Rustica, eodem intellectu usurpare videtur, dum de equis loquitur, quod aliqui ad bellum, quidam vero vecturã & concessionem sient idonei. Nuncupantur etiam præterea Agasones, vellut Plinius lib. 35. suæ historiæ pictoris cuiusdam mentionem facit, qui in elegãtissima quadam tabula istiusmodi agasonem, una cum equo suo, depinxerit. Sunt autem isti abiecti & contemptibiles admodum homines, qui omnis generis peregrinantibus non dumtaxat proprio suo corpore, verum etiam animantibus suis, tolerabili sane pretio, inseruiunt. Si etiam Viatori alicui e-

quum concrediderunt, tunc pedes equitem istum insequãtur, ut eumdem suum equum retro & domum iterum deducant. Ex illorum autem numero quidam eo processerunt, ut non dumtaxat asinos, equos, mulos, verum etiam cubicula, nauigia, currus, atq; cisias dent mutuo, quibus omnibus tamẽ pecculiares suæ quærimoniæ numquam desunt: Pollicentur siquidem alicui sæpenumero tàm mansuetum sonipedem, ut etiam puerperæ iisdem uti possent: Sin vero Sessorem admiserit, adeo illius intestina concutiuntur, ut jam jam illorum eruptio equitanti metuenda fiet: Vel alium quemdam ferocem Calcitronem peregrinanti substernunt, qui in altum sese erigens, sæpe numero caput ad equitis collum impingit, in aqua sese submergit, & pluribus istiusmodi vitiis se ipsum prodit, adeo ut peregrinans eques sæpissimè summa cum impatientia descendere, nullius pretii equo nares dissecare, aureis rescindere, aut tamen illum ita signare necessum habeat, ne forsitan in reditu cum eodem iterum forsitan decipiatur, modo ni plane illum in foueam aliquam præcipitet, ne imposterũ honesto alicui viro in itinere maius aliquod crearet periculum. Cubiculum si ab ipsis conducas, tunc exigua sane fortuna tibi illinc expectanda est: aut enim undiquaque ingratum de se fœtorem spargit cubiculum, aut cimices & pulices hospitem humanissimè (scilicet) excipiunt: vel laquearia è sublimi adeo periculosè dependent, ut jam jam eorumdem ruina tibi metuenda fiet: aut fenestræ tam sunt incertæ, ut etiam, si foras prospicere velis, præcipitationem aliquam exinde metuere necessum habeas: vel lecti ita comparati sunt, ut quoque in stramine, aut scamno dulcius requiescere possis. Sin alicui mulum subministrent, tunc sane tale animal nequaquam diebus festis, multo minus in celebratione Nuptiarum usurpãdum est: alias siquidem & in genere omne is tàm duræ cervicis, & Diaboli instar, præfractæ mentis sunt, vt fustib. & verberibus plus quam blandis verbis aliquid efficias: adeo recalcitrant quemadmodum S. Valentinus, & quandoque tàm immoti consistunt, ut loco vix dimoueri queant, omni nequitia refer-

tiâ refert, immo ipſo Gonellæ equo deteriores ſunt, non ſecùs quàm ſi à Diabolo ipſo obſeſſi eſſent.

In ſumma de Agaſonibus iſtis nemo aliquid boni ſibi polliceri poterit. Peregrinantibus ſiquidem officia ſua ipſi ita ſæpenumero obferunt, ut ſarcinis eoſdem ſubleuent, atque itinera ipſorum eo melius promoueant, cumprimis vero viatorum crumenas exactiſſimè obſeruant. Cum hoſpitibus aliquando adeo ſcite & clanculum colludere norunt, ut deinceps, adepta viatoris præda, eâdem æqualiter diuidant. Omnia quoque ipſis bellè inſeruiunt, quę modo eorumdem manibus ſunt obuia, utpote cultri, calcaria, ocreæ, puluinaria, lora, Stapedes, fræna, & quæ id genus alia peregrinantes, ad ſuam commoditatem exigentẽque neceſſitatem ſecum circũferre neceſſum habent. Ipſis quoque hoſpitibus, atque adeo fures furibus, neutiquam parcunt; ſed, modo pateat aditus capſulas auenarias ipſis euacuant, & Stabulariis pileos, vittas, collaria, aliaqua ire non valentia, cuſtodiunt. Peracto tamdem itinere, pro tàm fideli ſeruitio etiam adhuc præmium aliquod ſibi dari poſtulant, cũ tamen ſæpenumero multo potius laqueum, quàm præmium fuerint promeriti.

Nihil heic dicam de mercede vel pretio conductitio, quo hodierno noſtro tempore peregrinantes, quaſi Hugenotæ vel Turci eſſent, exſuguntur, dum de quinque milliaribus tres Paulini, aut tres Iulii, vel dimidium Coronati exigitur. Itaque etiam eo minus mirandum eſt, quod Agaſonum iſtorum equi ſæpiſſimè perforata latera, cricrobrorum inſtar, ſecum reportent; aut alias malè mulctati domum reuertantnt: atque hoc modo impatientes viatores agaſonibus iſtis par pari cõmodè referunt. Dici enim vix poteſt quam tenaces in elocando ſient, & non dumtaxat grandem mercedem, verum etiam ingentes inſuper gratias expetunt, ſi videlicet alicui vetulum ſignipedemque aliquem equũ ſubminiſtrent, qui varia moleſtaque concuſſione corpori tuo talem ſane dolorem inferat, ut vix dierum aliquot interuallo iterum exinde conualere valeat. Et, uno verbo ut concludam ſingula, quemadmodum nihil

omnino boni in istiusmodi Vectoribus depræhenditur, ita quoque pro stolido menteque capto habendus est ille, qui aliquid boni sibi de illis pollicetur, utpote qui & ipsa intestina, modo possent, peregrinanti alicui furari neutiquam erubescerent. Sed & de hisce pauca ista dicta sufficiant: ad alios itaque homines nunc nos conuertimus.

IN DISCVRSVM XX.

ANNOTATIVNCVLA.

PRæcipua istiusmodi Vectoris proprietas est, ut nimirũ, quemadmodum hospes ad Angelum Fani dicere solebat, unicè & solummodo eo intentus siet, qua ratione videlicet peregrinantis alicuius scarinas aliquanto leuiores reddere valeat: quemadmodum etiam ipsius nomen in Idiomate Italico illud ipsum requirere videtur, in quo *Vetturino*, ut *Venturino*, vel *Venturiero* appellatur: utpote qui dumtaxat fortunam suam sequitur.

DE LVDIMODERATORIBVS, Diſcipulis, Studioſis, & Profeſſoribus Academicis.

DISCVRSVS XXI.

POſtq̃ verum aliquẽ Ludimoderatorem, (qui non ſolummodo paruos pueros, verum etiam eos adoleſcentes, qui iam ad iuſtam ætatem peruenerunt, ſcite probeque inſtituere debeat, cum omnibus ſuis requiſitis atque proprietatibus depingere conſtituerim; idcirco operæ pretium me facturum æſtumaui, ſi etiam ipſos ad ſcholam ſuam frequentantes liberos ſimul quodammodo delinearum, ne forſitan hæc ipſa materia mutilata, ſed tota, quantum quidem fieri poterit, perfecta tractaretur.

Quo melius autem ætati cõpetentem præcedentiam obſeruem, non immerito heic de Ludimoderatorib. ſermonem meum exordior, & aio, quod nimirum omneis veri Ludimoderatores, & omneis illi, qui iuuentutem informare debent, quaſi pellucida pulcherrimaq; ſpecula eſſe oporteat, quique bonis moribus, virtute, atque honeſtate, fidei ſuæ commiſſis diſcipulis, ipſos aſſidue obſeruantes atque intuentes, cottidie præluceant. Quæ ſane præcipua pars eſt, quam Quinctilianus in ipſis requirere videtur: conſiderando, quod per iſtiuſmodi Ludimoderatorum probitatem atque integritatem multa bona iuuentuti implantentur, atque, verſa vice, mala plurima præcaueantur: Omnium ſiquidem petulantiſſimi quoq; conſpicua quadam grauitate ſub frœno coercentur.

Parimodo etiam Plutarchus in eo, qui teneræ iuuentuti cum fructu præponi debet, intemeratam inculpabilemque vitam deſiderat, præſertim in iſto libello, quem de educatione & diſciplina liberorum conſcripſit, vbi

psit, vbi inter alia sequentia verba reperiuntur: *Inquirendi sunt*, inquit, *praeceptores filiis, quorum vita nullis sit obnoxia criminibus, irreprahensi mores, & optimum sit experimentum.* Certo certius enim, & cognitum mari festum que est, quod nimirum liberi multo citius aliquid, siue illud bonum, siue malum fiet, praeceptoribus suis, addiscant. Neque in hoc mentitus est idem ille Plutarchus, dum, in aliqua ad Imperatorem Traianum epistola, scriptitat, quod errores in pueris depræhensi plerumq; à præceptoribus suam trahant originem. Vnde etiam aliqui, Neronis malitiam à perniciosa Senecæ, præceptoris sui, disciplina atque institutione profectam esse asseuerant. De Socrate legitur, quod, conspecto immorigero corruptoque adolecente, illius præceptori equum dono dandum esse dixerit. Ita quoque Diogenes Babylonicus de Alexandro inter alia commemorat, ipsum scilicet à præceptore suo Leonida flagitia ista imbibisse, quæ postea, adsumpta virili toga, nullo modo occultare potuerit.

Dein' in istiusmodi Præceptore eruditio necessario requiritur, adeo vt etiam alios rite docere, & bene instituere possit, quæ etiam præcipua causa est, cuius gratia liberi à parentibus suis ad scholam remittuntur, quemadmodum etiam Aulus Gellius de Philippo, Alexandri Magni parente, scribit, ipsum videl, Dijs gratias maximas egisse, quod non dumtaxat sibi filium largiti fuerint, verum etiam, quod iste suus filius illo ipso tempore natus fiet, quo Aristotelem præceptorem habere posset.

Vice versa ipsa testatur experientia, quod si indoctus rerumque imperitus aliquis Ludimoderator omnis generis asininas ineptias iuuentuti inculcet, omneis istæ per totam vitam eidem adhæreant. Sapienter admodum itaque Philosophus ille eos infelices esse proclamauit, quæ ita nati essent vt prima ipsorum fundamenta non recte posita custoditaque fuerint: quemadmodum etiam, celeberrimus ille Iureconsultus, Ioannes Petruccius Perusinus, summopere conquestus est, quod in iuuentute sua ab imperito aliquo Præceptore rancidas aliquas nugas didicerit, quarum, etiam septuagesimo ætatis suæ

tis suæ anno, obliuisci minime potuerit.

Quamobrem etiam D. Hieronymus in epistola ad Lætam, de institutione Pauli, vniuersam iuuentutem fideliter adhortatur, ne videl. inconueniens quiddam addiscat, cum illud postmodum difficile iterum obliuioni tradere valeat.

Ad ipsam autem eruditionem, aliásque alicuius Præceptoris qualitates, quod attinet, omneis istæ à D. Martino de Fano, in epistola de modo studendi, ordine copioseque recensentur: Vt videlic. eruditus fiet, & scitu necessaria iuuentuti commode instillare possit: Vt haud grauatim discipulis suis ad propositas quæstiones respondeat: Vt ingeniose & acute obiectiones refutet, easdemque patienter audiat & excipiat: Vt nihil, absque certo fundamento, in medium adferat: Vt sententiosus fiet in sermonibus suis, elegans in lectionibus, intelligibilis sine comprehensibilis in docendo, in pronunciatione prudens, in allegatione certus, atq; in omnibus suis actionib. minime inutilis. Hæc in vero aliquo præceptore requiruntur, quem etiam probi parentes vel ij qui alicuius ciuitatis vel communionis nomine talē adquirere necessum habent, summo studio indagare iuuentutique præficere debent, quemadmodum Homerus de Peleo scriptitat, quod filio suo Phœnicem præceptorem elegerit, vt illum, tamquam doctissimus, prudentissimusq; vir, tam in verbis, quam ipsis etiam in operibus & actionibus suis fideliter diligenterque informaret. Ea ipsa de causa quoque Euridice, veluti Plutarchus inter alia memorat, summopere laudanda est, quæ, etiamsi è Barbarica Natione oriūda fuerit, nihilominus tamen bonarum literarum studijs sedulo, atque eum potissimum in finem, incubuit, vt in ijsdem etiam liberos suos tenellos erudire, atque ab ineunte ætate eosdem diligenter instituere posset.

Eo diligentius autem doctus aliquis præceptor inquirendus & comparandus est, non dumtaxat ob speratam ab eo vtilitatem, verum etiam ad euitandum ingens detrimentū, quod ab indocto aliquo asello potissimum proficiscitur. Istiusmodi enim

di enim nugæ, quas semel iuuentus à pseudopræceptore tali didicit, difficillime iterum ex ipsorum animis euelluntur. Quocirca de Timotheo, præstantissimo quodam Musico, Historicorum monimenta testantur, quod duplicem mercedem de eo postulauerit, qui sub alio Magistro artis initium fecisset: prætendendo, se in abstergenda deterendaque rubigine maiore quidem labore opus habere, quam vt verum ipsi aurum compararet, h.e. difficilius præconcepta mala doctrina iterum funditus eradicari, quàm bona ipsi denuo inistillari posset.

Omnem itaque operam & studium suum probi parentes eo potissimum conuertant, vt liberis erudiendis idoneos doctosque Præceptores eligant, nullisque omnino sumptibus parcant, modo vt ipsorum liberi bene diligenterque instituantur. Quocirca Aristippus imprudenti alicui parenti facete admodum respondit.

Cum enim is aliquando à modo dicto isto subrustico patre interrogaretur, quantum videlicet mercedis, ad erudiendum suum filium, postularet isque mille drachmis se docere respondisset: pater, pretij magnitudine deterritus, se pro isto pretio sibi comparare posse mancipium, quod non dumtaxat filium suum institueret, sed & simul alios labores domesticos perficeret, asseuerabat; quo audito Aristippus, eme, inquit, & duo sic mancipia, filium videlicet tuum ipsum, & seruum tibi comparabis: innuens, quod tum inter male educatum suum filium, & inter mancipium ipsum exigua tunc foret differentia.

Concludo itaque, quod initium, medium, & finis alicuius præceptoris fiet honestas, & recta beneque fundata eruditio.

Præceptor quoque aliquis erga discipulos suos non nimis austerus rigidusue fiet, qualis Orbilius Beneuentanus extitit, qui eo ipso odiosum apud eunctos sibi nomen comparauit, & exinde *Plagiosus Orbilius* appellatus fuit, vel Domitianus Grammaticus, qui Romæ, ob austeritatem nimiamque suam rigiditatem, pro intolerabili viro iudicatus est ab omnibus; sed austeritatem lenitate atque mansuetudine temperet.

Huma-

Humanæ siquidem Præceptorum incitationes & exhortationes iuuentutem ad res honestas alliciuut, conuitia & verbera vero eamdem à rerum turpitudine deterrent, quemadmodum Papa Pius in Tractatu suo de liberorum educatione, inter alia commemorat. Etiamsi vero Chrysippus austeritatem vehementiamq; in Præceptore aliquo summopere collaudet, eiusque rei Iuuenalem adstipulatorem habeat, dum inquit, quod Achilles, præ virgarum formidine, in patris sui montib, cantare didicerit, nihilominus tamen ex pene innumerabilib. exemplis liquido apparet, quod iuuentutis institutioni nihil magis aduersetur, quam rigida istiusmodi austeritas, exinde enim, odio persequendi præceptores suos, & Scholam declinandi, Discipuli ansam occasionemque sumunt, atque tamdem præ nimia formidine adeo obstupescant, vt postmodum ad omnia reddantur inhabiles minusque idonei. Ea ipsa de caussa deinceps etiam Scholam cane & angue peius deuitant, apud peregrinos clanculum latitent, prauo consortio sese adsocient, ludere discant, in vrbe vel campis obambulent, & quandoque omnino desperantes solum patriū vertant, atq; aufugiāt: adeo vt nimia rigiditate atq; austeritate parū sane, imo sæpenumero nihilomnino efficiatur. Nullas tamen heic ibo inficias, quod aliqua ingenia vehementia & austeritate coerceri necessum habeant: ad illud tamen, ne forsitan Præceptor aut in excessu, vel defectu peccet, magna requiritur discretio.

Cum autem Pædagogo alicui insuper incumbat, vt non saltim fidei suæ concreditos discipulos externa in disciplina, morum ciuilitate, atque doctrina fideliter erudiat, sed etiam virtutem pietatemque ipsorum animis adeo imprimat, vt easdem nulla vmquam obliuione obliteret; iccirco præcipuas Veterum sententias breuiter heic introducturus sum, ex quibus, quid nimirum vel in vno, aut in altero ipsis faciundum siet, commodissime discere poterunt.

Externi puerorum mores quo modo formandi.

Primum Pædagogus aliquis omnem operam impendat, vt discipulos suos etiam externe in bonis ciuilibusque moribus informet, quemadmodum Galateus eius rei prudenter monet,

vt videl. bene decenterque sese mouere sciant, in ridendo nimis stolidi sient in vultu singularem aliquã grauitatem præ se ferant, apte & modeste sedeant, alijs loquentibus taceant, interrogati autem honeste ciuiliterq; respondeant: in eundo nullam aliquam leuitatem, sed honestatem de se præbeant, vtque gestus omneis ciuiles fient. In summa vt ita instituantur, vt ipsis omnia conueniant, ipsisq; crebro inculcetur, in illis quidem aliquid laudandum esse, quod tamen in seipso vituperandum culpandumque fiet. Hac, præterea, in re & Philippi Macedoniæ Regis exemplum probe notandum considerandumque est, qui, à recuperata victoria, postquam in foro, solio suo insidens capta mancipia vendere conspexisset, seipsum tamen aliquantum inciuiliter nudasset, unum ex vendentibus mancipium illico ad Regẽ sese proripit, eundemque monet, ut, ne videlicet ista sua sessione reliquis fieret ludibrio, caueret: in quo sane monitorio Regi adeo gratum acceptumq; fecit officium, ut non solummodo libertatem pristinam captiuo iterum restituerit, verum etiam eundem, tamquam ingenuum benimoratumque hominem penes sese retinuerit, atque honorifice tractauerit. Ex quo sane colligere & videre est, qua ratione nimirum morum ciuilitas alicui, qui in iuuentute sua eamdem bene cõpræhenderit, etiam extremis in periculis, angustiisque diuersimodis, subuenire possit. Qua de in re & Græci quoque adeo curiosi fuerunt, ut peculiarem legem, Cironomicam videlicet, condiderint, quæ eo potissimum directa fuit, ut iuuentus in bonorum morum ciuilitate probe educaretur atque institueretur. Sic Plato eamdem istam morum ciuilitatem summis laudibus extollit: cui adstipulatur etiam Chrysippus in sua, de disciplina liberorum, informatione.

Ante omnia quoque probi Præceptores ipsorum fidei concreditam iuuenturem eo commoueãt, ut Seniores, Personasque Ecclesiasticas, similiter etiam & parentes suos, patrem & matrem videlicet, quemadmodum & alios sanguine coniunctos debito honore afficiant. Interim tamen minime necessum est, ut, juxtà Mainardi do-

di doctrinam, ergà quosuis obuios capita inclinent, & manus deosculentur: Ciuilitas siquidem ista nimium excresceret, & nimis multum negotii ipsis facesseret. A nimia itidem potatione & crapula sibi temperent, ne ex consuetudine fiat habitus, & seipsos in stolidos moriones commutent, atque adeo tam ad excolenda studia, quàm alia honesta expedienda negotia, fiant inhabiles. Quantum etiam fieri potest à turpi otio abstineant, sufficit enim homini, quemadmodũ Plato testatur, si corpori tantũ otii & quietis, concedat ut Philosophiæ mysteria perscrutari queat: alias nimio ocio deditus sermoẽ Pythagoræ audire necessũ habet, qui aliquem, superfluo ocio sese recreare conantem, ita compellabat: Tu tibi ipsi, inquit, carcerem exstruis, in quo per omnem vitam tuam, teipsum macerare atque excruciare cogeris. Simili modo ad lauta opiparaq; obsonia neutiquam, sed, vice versa, ad parsimoniam & frugalitatem semper & ab ineunte sua ætate adsuefaciendi sunt, cuius rei memorabile, in Cn: Pompeio, exemplum legitur. Cum enim ipsi ægro medicus, ad comedendum turdũ, consilium dedisset, eo tempore autem nullus, nisi apud Lucullum, inueniendus esset, [quippe qui, gulæ & luxuriei ad prodigium deditus, etiam ab extremis totius terrarum Orbis finibus omnis generis ciborum lautitias sibi cõparare solebat] Pompeiũ ad ista ita respondisse ferunt: An igitur Pompeius viuus non conseruare poterit, nisi Lucullus inutilis dilapidator esset? Quocirca etiam valetudinem suam citius periclitare quam Lucullianæ prodigalitatis sese participem reddere, maluit.

Animi puerilis informatio.

Ad excolendum puerorum animum quod attinet, ut de eo quoque heic aliquid dicamus, eruditus & prouidus aliquis Pædagogus omneis suas cogitationes & consilia eo potissimum dirigat, ne forsitan falsa imaginatione ficticiæ alicuius scientiæ, discipulus seipsum decipiat, exinde enim ut plurimi errores oriuntur, & omneis fidi probiq; alicuius Præceptores impensi labores & deuoratæ molestiæ in nihilum rediguntur, atque euanescunt: quemadmodum etiam Themistocles, de nimis molliter educato filio, ipsum

videlicet toti Græciæ imperare affirmabat. Nam, pergebat idem ille, Athenæ imperant Græciæ: Themiſtocles, Athenis: Themiſtocli, conjunx: iſti autem ſuæ conjugi filius imperat, qui ad omne obſequium matrem ſuam habeat obnoxiam.

Fidus fideliſque Præceptor porro diligenter diſcipulos exhortetur, verbis acerrimis increpet, violenter excitet, prouidè moretur & detineat, juxtà Iſocratis exemplum, qui duobus ſuis diſcipulis, Ephoro & Theopompo videlicet, affirmare ſolebat, quod alterum calcaribus, alterum vero fræno coercere neceſſum haberet. Eoſdem quoque, uti paullo ante diximus, minimè ocioſos relinquat: cum iuuentute ſiquidem, ac cum equo fermè, comparatum eſt, qui in ſtabulo, ex contracto ocio, dumtaxat petulans, ferox, mordaxque fit, de quo etiam illus herus neque læticiam, neque ullum utilitatem capere potis eſt. Sin vero ſępius equitando exercendoq; calcaribus coerceatur, tū paullatim frænum fert mitius, & ita ad omnia obſequia, pro moderatoris lubitu, ſit paratior. Ita quoque niſi pueri diſciplinæ fræno crebro exerceantur, atque in arctum redigantur, ſimili modo, ferocientium equorū inſtar, inſolentiores pertinacioreſque redduntur, atque tamdem neque parentes, neq; Præceptores ſuos ne hilum quidem curant; adeo ut nil boni de iſtis expectandum fiet, ſed cottidie eo magiſque deteriores reddantur. Quocirca Theſſalus ille, olim ab aliis interrogatus, qui in uniuerſa ſua patria peſſimi inutiliſſimique homines eſſent, ſcite reſpondit, eos ipſos eſſe qui turpi ocio turpiter marceſſerent.

Ma[...] rupt[...] conſ[...] do.

Prouide etiam ingenioſus atque fidus aliquis pædagogus prouide præcaueat, ne ipſius diſcipuli mala priniciosaq; conſuetudine forſitan corrumpantur atque deprauentur, per omnem vitam ſiquidem eidem tū adhærent, nec ullo umquam tempore eiuſdem obliuiſci poſſunt: quemadmodum illud Lycurgus Lacedæmoniis ſuis, duobus eiuſdem generis, & ſimul iactis canibus, probe inculcauit. Poſtquam enim ex iiſdem unum ad uenationem, alterum ad culinam & delicias ad ſueſieri curaſſet, eoſdemque

ad forum produxisset ille, ad gulam enutritus, ad ahenum jusculo refertum, eiusque rei gratia studio adpositum, ocyus properauit, alter, & ad venandum adsuefactus, vero, emissum à Lycurgo (id quod itidem consilio fecerat) leporem illico insequutus est. Quo facto prudentissimus ille Legislator Lycurgus Lacedæmonios suos admonuit, ut nimirum exinde discerent, quantum videlicet in bona disciplina educationeque situm fiet, & quod simili modo aliquis, se clarissimis fortissimisque parentibus natum esse, frustra glorietur, ni & ipse ab ineunte sua ætate ad virtutẽ fortitudinemque adsuefactus esset. Recte & scite quidem Phocilides Poeta quodam in loco dixit, liberos, adhuc molles tenerosque, quemadmodũ ceram, cui omnis generis formæ inprimantur, ad virtutem, bonos honestosque mores adsue faciendos esse.

Similiter probus fidusque Præceptor discipulos suos ab obscœnis rancidisque verbis diligentissime dehortetur & arceat: Sermo siquidem, Democrito teste, non dumtaxat animi imago & index est, sed ex verbis etiam, quid videlicet ab homine nobis polliceri debeamus, colligere possumus: & facta sermonibus plerumque correspondent: qui enim probrosos obscœnosque sermones proferre neutiqaam erubescit, eumdem quoq; sceleratorum flagitiosorumq; factorum minime pudebit.

Doctrina Christiana. Ante omnia vero Christianus aliquis Præceptor nullum non lapidem moueat, sed omnia sua consilia & actiones ita instituat, ut videlicet ipsius fidei concredita iuuentus, in Christianæ atque Relligionis fundamentis, omnibusque, ad eamdem requisitis virtutibus, diligentissima cura ab eo instituatur, in templum ad diuini verbi auditum eamdem deducat, illamque, ut videlicet diuino cultui modeste & deuote intersit, atque eiusdem uerbi Præcones debita reuerentia & honore prosequatur, sedulo adhortetur. Idque juxta exemplum Gloriosissimi Imperatoris Theodosii, qui, tametsi potentissimus alioqui Cæsar esset, nihilominus strictæ S. Ambrosii Censuræ deuote sese subiecit.

Et hæc potissimum partes à

fideli candidoq; aliquo Præceptorere quiruntur, quemadmodũ etiam eumdẽ Quintilianus, Papa Pius, Baptista Casalupus, Martinus de Phano, & plureis alii, definiunt.

Mali Præceptores

Vice versa vero iuuentuti pessime consulitur, si illius Præceptor ignarus aliquis asinus, male educata bestia, & omni sapientia & prudentia destitutus est: Nullum siquidem in vniuerso terrarum orbe terrius detestabiliusque est animal, quam tumidus inflatusque istiusmodi Peanus, qui vix tres syllabas connectere, & ne tres auctoritates quidem allegare potest, & nihilominus tamen, sese videlicet Saccum Scholasticum omnino deuorasse, & omnia Theologiæ Philosophiæq; mysteria in ventre suo adseruare, sibi stolide stolidus tam diu persuadet, donec tamdem ab omnibus rideatur ludibrioque habeatur: quemadmodum ille S. Quintini asellus Magistellus, qui omneis passim eruditos præ se nauci æstumabat, sed omnia corrigere & ridere conabatur, donec denique, summo etiam cum pudore, à famula & ancilla sua omnino confunderetur, & conuinceretur.

Cum enim Magistellus iste coquinæ suæ, vt videl. elegantem cœnam sibi adornaret, mãdasset, dicto ancilla audiens, ex instinctu tamen vicini alicuius, optumos & excellentissimos quosque auctores, Opera Ciceronis videlic. Quinctilianum, Salustium, & Demosthenem, è heri sui Bibliotheca depromit, eosdemque frustillatim, & minutissimas in partes, discerpit, interse inuicem committit, & sic elegantissimum præparatum adopertumque in azymo ferculum hero suo adponit: de cuius elegante adparatu herus nõ medioxume sane lætabatur, interim tamen tam elegantulam cœnam ex elegantissimis suis libris eleganter præparatam esse ignorabat, donec inuitatis hospitibus adpositas dapes distribueret, & tamdem, aperto ad similem distributionem azymo, chartaceum ferculum deprehenderet: quo conspecto, & coquina vocata, eamdem grauissime obiurgat, & sordidam bestiam illam appellat, quod videl. minus elegantem, sed sordidam merisque è lacinijs constantem cœnam sibi ad ornasset. Ancilla, vice versa, sese excusabat, dicto heri audientem se

tem se fuisse, & præcipuas illius Bibliothecæ, quas modo in eadem sibi reperire licuisset, elegantias coniunctim sic coxisse, affirmabat.

Irritatior itaq; factus herus elegantissimos suos, tamque eleganter compactos auctores, minus eleganter deplorabat, hospites vero elegantissimo omnibusque pretiosissimis obsonijs præposito; spectaculo elegantissime recreabantur, & ancilla quoque, eius rei gratia, quodque hero suo tam elegantem cœnam præparasset, eumdemque propria sua arte tam eleganter conuicisset, & delusisset, in vniuersa vrbe miris laudibus extollebatur.

Si igitur tot tantaque requisita in Ludimoderatoribus desiderentur, quid, obsecro, de Professoribus, qui in Academiis non pueris, sed adultis iuuenibus sunt præpositi, heic dicendum nobis est, qui certe aliam reputationem conseruare, multoque meliore experientia instructos esse necessum habēt? quemadmodum etiam, eius rei gratia, & maiore stipendio & honore fruuntur. Præcipuum autem, quod ab ijsdem requiritur, vt non dumtaxat, muneri isti satisfaciundo, sufficienter eruditi, sed etiam auctoritate & existumatione in loquendo graueis, in actionibus prouidi, erga studiosos humani, in professione sua diligentes, in discurrendo astuti & prudentes, in colloquijs & gestibus modesti, in conuersatione ciuiles, in disputando mansueti, atque in summa adeo comparati sient, vt ab omnibus Academicis amentur atque venerentur.

Cum autem omneis ferme Theologi, Iurisconsulti, Medici, Mathematici, omniumque artium Professores Academici per se sufficienter eruditi, prudentes, atque sapientes sient, atque ea de caussa instructione ampliore eo minus indigeant, nihilominus tamen, generali & vulgari ista informatione adquiescentes, ipsis dumtaxat sequens D. Bernhardi dictum fideliter in memoriam reuocabimus, dum ita inquit: Sunt quidam, qui scire volunt, vt sciant: & curiositas est. Sunt " quidam, qui scire volunt, vt sciantur, & vanitas est. Sunt qui- " dam, qui scire volunt, vt lucren- " tur, & cupiditas est. Sunt qui- " dam, qui scire volunt, vt ædificent: & charitas est. Atque hoc

quartum & vltimum, illud vnicum scire est, quod ab integro & candido aliquo Professore Academico requiritur.

Simili modo & industrijs Professoribus Gentilium Scriptorum libri diligenter lectitandi, non autem, iuxta quorumdam opinionem, ex Christianis Academijs omnino eliminandi sunt: Turbat siquidem, veluti Beda venerabilis quodam in loco bene sciteque ait, acumen legentium, & deficere cogit, qui eos à legendis secularib. libris omnimodo æstumat prohibendos: In quibus, si quæ vitiia sunt, quasi sua sumere licet.

Ita quoq. Papa Eugenius in Synodo sua sedulo cauit, vt videl. liberales artes in Academiis publice summopere studio legantur, innuens, quod etiam ipsa SS. Scriptura earumdem disciplinarum artiumque auxilio, & melius comprehendatur atque intelligatur.

Professorum professio & lectio quoque eo potissumum directa fiet, vt videlicet iuuentus commodum vtilitatemque ex ista lectione percipiat, non vero vt ipsi Professores singularem laudem atque gloriam exinde sibi comparent: quemadmodum illorum vt plurimi reperiuntur, qui diuersas diuersorum opiniones infinitaque argumenta allegant, atque in medium adferunt, modo vt variæ multiiugæque ipsorum lectiones auditoribus manifestas cognitasque reddant, interim tamen, caussa Principalis inexplicata indecisaque permanet, adeo vt auditores intra cœlum terramq; dubij pendentes relinquantur. In lectionib. etiam nimis calidos rixososq; sese minime ostendant, atque vnum, vel alterum auctorem, & sectã, mordicus tueantur atq; defendãt: concurrentibus suis neutiquam contradicant, eosdem minime contemnãt neque etiam reliquos Doctores temerario modo cauillẽtur: præsertim vero sibi summopere caueant, ne forsitan Præceptores olim suos, ingraticulorum instar, floccipendant naucique æstument: Nulla insuper cum scientia sua negocia tractent, neque cum demandatis sibi munerib. atque officijs, turpissimi alicuius lucri caussa, minus idoneum aliquem Peanum extollant, promoueant, & vice versa, viros eruditos impediant, morentur, aut quan-

aut quandoque eosdem omnino opprimere conentur, quemadmodum etiam sæpissime in Academijs vsuuenire solet, ꝙ amicitia & lucrum artib. & scientijs sæpissime preferantur. Illos ipsos, præterea, qui in Professione sua altiores honores sectantur, nullo modo contemnant, neque eos, qui, vt in Cathedra, siue disputationibus publicis quandoq; audiantur, digni perhibentur, per inuidiam forsitan impediant. In ipsa Cathedra nullas res friuolas, nec inutiles futilesq; quasdam speculationes Iuuentuti proponant, istiusmodi enim nugis lectissimæ studiosorum Coronæ plus obsunt, quam prosunt. Pseudostudiosis, nomine potius, quam re, sese pro Mineruæ alumnijs venditantibus, atque in Academis omnem petulantiam exercentibus, neutiquam taceant, neque conniuentibus oculis ipsorum excessus tacendo intueantur: affabileis fient, neque, vt ipsorum foreis crebro pulsentur, permittant: Vestitu moderato vtantur, ne citius aulici, quam Professores Academici forsitan æstumentur: Honestis itaq; vestimentis semper incedant, atque, iuxta ipsorum Professionem statumque, decentem grauitatem vbiq; retineant.

In cæteris ita sese gerant, vt non dumtaxat sibi ipsis, verum etiam demandato suo muneri, laudi & honori fient, neque preterea ob loci, cui inseruiunt, celebritatem, sese celebres & conspicuos reddi arbitrentur, alias sane exigua ipsorum esset gloria: Lutetiana siquidem Academia Alciunum, Rabanum, Scotum, Alexandrum de Ales, Bonauenturam, Thomam Aquinatem, &c. honorat, sed ab ijsdem ipsa honoratur. Ita etiam cum studio Ticinensi, quod, Zabarella teste, præcipua, à Parisiensi, Academia est, sese habet, & quæ multo maiorem laudem à Iasone, Maino, Philippo Decio, Francisco de Corte, & Menochio meretur, quam ipsi à commemorata ista Academia. Simili modo Academia Patauina non Mantram, Piccolominæum, Bellaccatum, Stephanellum, Archangelũ, Mercurialem, Peregrinum], aliosque plureis: & Aureliana, non Pyrrhum: Pictauiensis, non Thomam Coquum, Nicolaum Dorbellum, & Guilielmum de monte Laudano: Montispessulana,

lana, non Nicolaum Boerium, Placentinum Glossatorem, Iacobum Rebuffum & Azonem: Romana, non Plotinum Louaniensem, & Augustinum: Bononiensis non Beroaldum, Sigonium, & plureis alios: Perusina, nō Bartholum, Baldum, Petrum, & Angelum de Vbaldis, fratres germanos: Senensis, non Petrum de Ancarano, & Paulum Socinum: Ferrariensis, non Maggiam, Brassauolā, Cinthium, Pignam, Roncagallum, & alios quam plurimos: Similiter & Tholosana, Salamantica, Oxoniensis, Valentiniana, & aliæ celeberrimæ Academiæ, suos in vniuerso terrarum Orbe celeberrimos Professores & Doctores non tanto honore prosequi poterunt, quantum sane illæ ipsæ à modo dictis istis suis Professorib. sortitæ & adeptæ sunt, atque etiamnū hodie ab ijsdem ex parte sortiantur adipiscanturque: qua in parte, vtpote, quæ omneis alias in se complectitur, & ego quoq; lubens heic adquiesco.

Scholares & tyrones. Ad pueros Scholares & tyrones nunc quod attinet, Ludimoderatoribus suis omnem obedientiam præstent, eosdem colant atq; venerentur, quemadmodum bene decenterque à Cardinali Mediolanensi, in Procœmio Clementinarum, ad; & exhortantur: ipsorum sermones semper pro veris æstument, eosdemque tueantur, veluti à Cassio Iureconsulto factum est: ipsorum auctoritate semper nitantur; quemadmodum Plato ipsos diuersis in locis adhortatur. A commessationibus & crapula sibi summopere caueant: Nam, vti S. Gregorius in Moralibus ait, dum venter non restringitur, omneis simul virtutes obruuntur.

Ita quoque D. Hieronymus in epistolis inquit: Venter pinguis non generat sensum tenuem. A ludendo quoq; sibi temperent, non quidem tali, qui, ad animorum suorum recreationem, à Præceptore ipso illis permittitur, sed ijs, qui ab improbis hominibus, contra omnem honestatem atque æquitatem, nec sine propriæ suæ conscientiæ læsione, agitantur atque exercentur.

Ante omnia vero parum corruptaque consortia summo studio euitent: Similiter & præ Scandalosis sceleratisq; verbis aures suas obturent: Nam, vti

Menander ait: *Corrumpunt bonos mores colloquia praua*. Requiritur præterea ab ipsis pudica verecundia, constans ciuilitas, filialis metus, animi candor & simplicitas, cordis puritas, reverētia, probitas, deuota pietas, diligentia in discendō amor ad Scholæ frequentationem, matutina surrectio, Lectionum crebra sedulaque repetitio, & earumdem memoriæ mandatio, cum commilitationibus suis honesta certatio, & diligentissima Præceptorum suorum obseruantia. Ipsorum autem diligentia potissimum in eo consistit, aut nimirum Grammaticam suam bene discant, legant, scribant, numerent, clara voce, &, clanculū apud se ipsos lectitent. Norint itidem declinare, conjugare, verba ad Etymologiam referre, juxtà Syntaxin construere, utque, quantum quidem ab ipsis fieri potest, commilitonibus suis palmam præripeant; In quibus omnibus magnum ipsis emolumentum auxiliumque adferet libellus à Papa Pio, de educatione liberorum, conscriptus: Similiter & epistola Augustini Dathi, ad Thomam Rhimbotum perscripta: & admonitio Pomponii Spreti Equitis, qua Camillum filium suum ad virtutis studium incitauit.

Vice versa turpe sibi esse ducant, si in Scholis omnis generis intemperiem petulantiamque instituant, & exerceant: dum, absente Præceptore, sese pugnis cædunt, custodes molestia adficiūt, libros suos commaculando dedecorant, auribus, uti Peani & asini ipsi nominant, asinus paginas eorumdem signant, capite incuruato sedent, dum Præceptorem obseruare & audire debent, omnis generis ciborum lauticias secū in Scholam ferunt, versatili ligniculo prima, secunda, ludunt, è Papyro nauiculas & muscipulas faciunt, captasque muscas iisdem includunt, vespertiliones capiunt, & in Scholis hinc inde euolare patiuntur, olliculas faciunt, mensas librosque discindunt, capita vel facies in literis pingunt, Catonem lacerant, modo ne eumdem memoriæ mandare necessum habeant, eos, qui ipsis benefaciunt, eosdemque instituunt, calumniis proscindunt, semper ad locum excurrere conantur: Præceptoris cathedram hinc inde contaminant, virgas flagellaque

gellaque ipsi abscondunt, omnis generis libros fabulosos secum in Scholam ferunt, in iisdemque lectitant, dum Præceptoris sui lectioni attendere debent, è Schola domum sese cōferentes inter eundem sese, instar è stabulo erumpentium vitulorum, ex uno in alterum anguum coniiciunt, pugnis cædunt, atque conuitiis inter se invicem proscindunt, Crumenilegorum instar in urbe, plateis, urbisque mœnibus circumcursitant, & omnis generis petulantiam exercent, ranas capiunt, serpentes venantur, fruges in agris, aut arborum fructus perdunt, & quæ eiusdē libidinis atque petulantiæ sunt alia, atq; de quibus non dumtaxat peregrini conqueruntur, verum etiam parentes offenduntur, atq; tamdem ipsi quoque Præceptores, ut grassantii isti intēperiei, mature eant obuiam, eamdemque auertant, virgis, baculis, flagellisq; istam Scholarum suorum nequitiam coercere coguntur.

Studiosi Academici, eorumdemque requisita. Et hæc Scholaribus iunioribus dicta sunto: nunc ad natu grandiores, & qui non amplius Scholares, sed Studiosi appellari volunt, nostra se conuertit oratio. Illi ipsi autem, inquam, sunt, qui in Academiis, nimio luxu diffluentes, parentum loculos, sanguisugarum instar, adeo exsugere, & Iubilitate ita cantare solent, ut miseri quandoque parentes domi Clamaui de profundis recantare necessum habeāt, id quod in subsequente nostro discursu ad oculum quasi demonstraturi sumus. Et quidem omneis & singuli honesti modestique juuenes esse deberent, siquidem, uti sapiens ait, in malevolam animam non introibit sapientia: quemadmodum etiam eius rei cumprimis à Guilielmo de mōte Laudano adhortantur, ubi de Magistris agitur: & à celeberrimo isto Doctore Simone de Bursiano Cardinali Mediolanensi in Procœmio Clementinarum, ubi inter alia & hanc exhortationem reperient, quod videlicet non acutissimo suo ingenio, magnæ diligentiæ, & firmæ memoriæ, sed multo potius illi fidere debeant qui dominus omnium scientiarum, & in quo solo omneis thesauri sapientiæ & Intelligentiæ reconditi sient. Idem quoque ipsius datur consilium à D. Francisco Zabarella, & Godefredo Caietano

ietano in dicta ista Clementina. Similiter & sibi à turpissimis turpissimarum impudicissimarumque (Scortillorum verius) illecebris, tamquā ipsius Diaboli retibus & laqueis, veluti illas D. Hieronymus appellat, summo studio caueant, in iis siquidem multo pseudo studiosi (honesti enim studiosi, de quibus talia monere haud opus est, sibi ipsi heic inuigilant, & spartam, quam nacti, adornant) misere perire necessum habent, quemadmodum illud ipsum cottidiana experientia, & cum illa Cardinalis Florentinus, in supra commemorata ista Clementina, satis superque testantur. Non immerito etiam eo potissumum intenti esse deberent, ut videlicet nobilissimum tempus haud inutiliter collocent, nec diem sine liena elabi patiantur: nulla siquidē, quemadmodum Theophrastus inter alia memorat, maior perniciosior iactura, quā iactura tēporis. Cum præcipuis celeberrimisque Doctoribus quoque lubenter & frequenter conuersentur, eorumdem lectiones sedulo frequentent, magis aliquid de iisdem discere conentur, nec, etiamsi aliquid didicerint, sibi ideo persuadeant, quasi omneis simul artes disciplinasque deuorassent, adeo ut nunc turpe sibi fore autumarēt, si quid ulterius addiscere deberent. Fieri siquidem facilimè poterit, ut, (cum alias, discendi gratia, ad Academiam istam missisent, & à parētibus & propinquis suis magnis sumptibus illinc alantur) quemadmodum Seneca ea de re loquitur, in tàm insigni amploque prato scientiarum, pinguis & ante satur taurus adhuc viridem beneque olentem herbulam aliquam reperiat, vel vetulus aliquis canis lepusculum capiat, aut Ciconia primum ex spelunca sua egredientem lacertam arripiat: iccirco etiam omni æquitati esse consentaneum, ut videlicet studiis suis sedulo incumberēt, & Pomponii Iurisconsulti dictum elegantissimum probe perpenderent, qui ita de se dicere & verè gloriari solebat: se nimirum nullum tempus, ad Septuagesimum ætatis suæ annum umquam collocasse, nisi quod excolendis bonarum litterarum studiis impendisset: Vbi quoque ipsis minime sufficit, ut videlicet domi Doctorum Scripta pellegant, sed etiam jux-

iam juxta illud & viua vox, si haberi potest, requiritur quæ, veluti S. Hieronymus, in proœmio super Biblia, testatur singularem aliquã habet emphasin, & quemadmodum à veteri quodam Doctore, Laurentio nimirum in prima Clementina à censolino super Decreta: & à Paulo de Castro super digest. idem ipsis suggeritur consiliũ. Studiosus, præterea, aliquis, se nimirum omnia scire, neutiquã sibi persuadeat, sed, vice versa, omnia, quæ modo experiunda & discenda sunt, sedulo discat & inquirat: Maxima enim pars, ut non tàm scire, quàm vere, quodam in loco Themistius Philosophus ait, eorum, quæ scimus, est minima eorum, quæ nescimus. Simili quoque modo Albertus Causidicus dicere solebat: Pars scientiæ est scire, quod nescias: quæ sententia artificiosè admodum in sequentibus Martialis versibus complexa est, dum ita inquit:

Discendi modus est, si te nescire videbis,

Disce sed assidue, disce, sed vt sapias.

Cumprimis autem sæpissime cum alijs disputando sese exerceant: Disputatio enim, quemadmodum Leonhardus Aretinus, in Tractatu suo de vtilitate disputationis, commemorat, intellectum excitat & acuit, adeo vt hac ratione multo maiores progressus faciant, quam si soli discendo se subinde domi macerent.

Si quis vero vberiorem aliquam instructionem, quæ nimirum in laudabili aliquo studioso requirantur, scire desiderat, is librum Augustini, de ordine contra Academicos, & Baptistæ Casalupi de S. Seuerino libellum, quem de modo studendi in vtroque iure conscripsit, lectu familiareis sibi reddat.

Verum enimuero hodierno nostro tempore proh dolor omnino fit contrarium. Nullum siquidem flagitium, nulla petulantia, nullumque facinus, fingi, atque excogitari potest, in quo non plerique Pseudostudiosi immersi atque pene suffocati sunt. Etiamsi vero ipsorum laudes à S. Antonio, parte tertia summæ, satis decantentur, nihilominus tamen ne mediocxumam quidem partem eorum recenset, quæ hodierno tẽpore vbertim ab ipsis perpetrantur.

Ignosci-

Ignoscite autem mihi, quæso, Domini, si vobis thoracem melius induam, & caligas aliquanto strictiores faciam: Noui siquidem vestros mores, eosdemque, quasi per modum compræhensionis intelligo; & meo etiam tempore tam mirabilia Phantasticaq; capita, qualia vnquam in Academijs reperire possent, modo dictis in locis expertus sum. Eloquar vero, an sileam? Vereor enim ne quidam rei veritate exasperati forsitan iniuriarum actionem contra me instituant, quasi ipsos heic summa iniuria affici-am.

Verum etiamnum Pedellum foreis meas pulsare, vti mihi quidem videtur, &, ne hilum quidem Dominis vobis taceam mihi imperantem audio. Licet enim quidam eo offendantur, nihilominus tamen toti Phantastico collegio id adeo gratum acceptumque erit, quasi vnicuique in specie Diabolus in vitro mõstraretur. Etiãsi quoq; præ metu heic forsitan intermitterem, verendum tum mihi esset, ne nauci Pasquinus & Marforius mihi negotium facesserent, & adulationis me insimularent, *Deum Ter Optumum Maxumum* autẽ heic testor, me vobis omnib. benecupere, neque vnquam Papyro, nec atramento, modo vobis opellam meam locare possem, parsurum esse. Nihil tamen de Doni inferno heic dicturus sum, quem iam ante vobis præparauit. Præ naturalis enim, qualeis vos estis, magna esset stultitia, si saltim meris, minus ferientibus, verbis vobis dolorem infligerẽ, atque interea facta vestra tacerem, de quibus tamen omneis passim conqueruntur.

Conscientia Pseudostudiosorum. Sed de Conscientia heic nostrum fiet initium, vtpote iuxta quam, modo vt inuiolata permaneat, rebus in omnibus animus dirigendus est. Ni autem illa apud studiosum aliquem tam ampla fiet, vt etiam fœno onustus currus illam impedite transilire posset, tunc plerumq; consortio excluditur. Nihil enim illinc refert, sed nauci prorsus æstumatur, vt in templo, & sub ipsa quoq; Concione Pippam vel Namam legant, quemadmodum videl. in Ragionamentis Aretini sese ad rem Veneream inter se inuicem informent.

Illic sæpenumero, loco Breuiarij, vel precum alicuius li-

belli, facinorosi istius Aretini emblemata & libidinosæ figuræ, aut Molzæ Tortum, vel Bernius Burchiellus, aut Francus, qui quasi studiosorum idolum perhibetur, sub manibus habentur: vbi sene nullæ Magistratuum inhibitiones, ne videlicet bonis moribus & omni honestati, aduersantes libri isti vel legantur, aut venales habeantur, locum amplius obtinent quo vehementius enim prohibentur, eo diligentius inquiruntur, cariusque venduntur. Et bene illi, qui libris istis potiri poterit. Non exigua quoque laus & gloria (scilicet) est, (de petulantibus, non de probis heic loquor, quibus vltimis honorem & gloriam suam semper rectam conseruatamque volo) si videlicet Domini Ciapelletti Confessionem, miraculum de plumis ex alis Gabrielis Archãgeli, facetias Fr. Alberti, fabulam de Abbatissa in horto, & alias id genus Phantasticas nugas artificiose describere & recensere possunt, quibus etiam postmodum, ex omnibus auscultantibus, multo deteriores nequam reddunt, quam illi ipsi sunt. Nullius Missæ, multo minus alicuius Vesperæ mentionem faciunt, concionem ipsam floccipendunt.

Sin vero vlla vnquam deuotione excitentur, tunc laudem sibi ducunt, si incedant cum dicitur: *Ite, Missa est*, vel quando Ecclesiastes cõcionem suam finire incipit. Tunc enim breui temporis spacio tantum sane comprehendunt, quantũ per aliquot menses ipsis sufficit: Immo se ipsos Concionatores correcturos, vel etiam superaturos, stolide sibi persuadent, & præsertim Iuris Studiosi, turpe sibi ducunt, si Theologo multum auscultare debeant.

De intolerabili fastu & superbia Studiosorum heic nulla verba faciam: omnibus & singulis siquidem illa per se probe perspecta cognitaque est, adeo vt ipsis rusticis, nullum videlicet superbius animal in terris reperiri, quam iunior aliquis Baccalaureus, compertum fiet. Nec id vlla aliqua demonstratione indiget.

Quamprimum enim Madrigale aliquod Parabosci vel Ceci Adriani formare, aut Sextinam Sannazari, vel *Sonetto* Taxi imitari possunt, tunc sese omnem Poesin deuorasse, & neminem amplius cum ipsis comparari

parari

parari posse, putaticij isti Magistelli sibi persuadent. Si Syllogismum facere, & concludere norunt, quod asinus onera ferre necessum habeat, & quod Bucephalus talis equus fiet: vel ex Philosophia demonstrare possunt, quod vacuum, æque ac cerebellum in ipsorum capite, comparatum fiet; vel ex Mathesi, quod non stultis stultiores fient: aut ex Astrolologia, quod serena calidaque tempestas instet, si Sol impedite terram vndique irradiet: quando, inquam ego, apud suisimiles tale quidpiam in medium adferre possunt, tunc sane nō pro vilibus, abiectis, rerumque adeo imperitis hominibus, sed pro istiusmodi quidem eruditis socijs censentur, qui quintam essentiam, & omnium scientiarum Elixir in capite suo continent, &, Æsculapij instar, aureo capite in foro publico Corinthi sedent. Stultissima iccirco tam profundissimæ artis occasionisque persuasione nihil sane aliud facere poterunt, quam vt vbique locorum aures suas asininas in altum erigant, atque omneis penes sese homines contemnant & despiciant. Theologi, pro crasso & stulto ipsorum iudicio, imperiti & indocti sunt: Ecclesiastæ, rudeis: Doctores saltim noctuæ, omnia haud vide evalentes: Medici, solummodo exploratores: Pedantes, Peani.

Ipsi vero sunt omnia, & plus si vellent: quos Sapientia Platonis, Socratis, Aristotelis, aliorumque ita obruit, vt venter ipsorum turgeat. Et si quis profundas ipsorum cogitationes commemorare velit, omnis tum Mammaluccorum ruditas, omnis Voltolinorum simplicitas, & omnis stultorum, qui Mediolani ad S. Vincentium conspiciuntur, stultitia cum illis neutiquam comparanda esset. Immo eximiæ, & subtiles ipsorum distinctiones, rarissimæque demonstrationes omnibus sunt miraculo, atque satis superque testatum faciunt, nullum etiam Astrolabium, quàm ipsorum cerebellum, esse certius, quod, ob certitudinem suam, ad omnia loca & tempora quadrat: qua in re etiam, veluti Pompeius, nullum superiorem, neque, quemadmodum Cæsar, penes sese aliquem admittunt. De insignibus quoque ipsorum disputationibus, & rixosis concertationibus,

nibus, quas sæpenumero inter se inuicem ipsi excitant, heic jam nulla verba facturus sum. Quandoque enim litem mouent ob mutilatam aliquam sententiam ex codice, vel malè consarcinatam quamdam glossam, aut obsoletum aliquem titulum alicuius Capitis, ob exclusionem vocis Actiuæ, & Passiuæ, ob auctoritatem aliquam vix tribus obolis dignã, ob insulsum quemdam sermonem &c. Tot tantæque nobilissimæ siquidem res in Academiis ad nauseam usque audiuntur, adeo ut ipsorum quandoque sudent capita, præsertim si de lana Caprina inter se inuicem minimè conuenire possint. Immo ipsi Parentes, & ciues in urbis sæpissime ipsorũ profectum experiuntur. Domum siquidem postquam reuersi sunt, plærique illos eruditos & prudentes credunt: acutius autem re inspecta, meros rixatores, & stentoreos clamatores deprædendunt, qui subtilitatibus suis omneis plateas, officinas, atque domos implent: adeo ut exinde nihil aliud colligere liceat, nisi quod Demorgorgonis filia apud ipsos diuerterit, atque totum hospitium occupauerit. Immo nihil tum adferri poterit in in medium, quod non ad artis suæ demonstrationem, *Pro & contra* in disputationem ab ipsis pertrahatur.

Liberalitas, ad omnis generis inutiles, uanissimas, turpissimasque res incredibilis prodigalitas apud facticios istos Dominos & Thrasones nobilis & heroica virtus est. In laudem & gloriam siquidem ipsorum vergit, si apud formosam Isabellam inclarescant, à munda Lucretia amentur, ciuili Cinthiæ Sonettas quasdam honorificè inscribant, cum pulchra Andronica familiaritatem amicitiamque arctiorem contrahant, atque lupanaria publicè, & absque ullo pudore frequentent, in quibus Aretinum instigatorem, & Fidentium omnis sceleris & nequitiæ suæ Confirmatorem habent. Hæc ipsorum studia, ad quæ omnem suam diligentiam, & tempus nobilissimum conuertunt: iisdem etiam ipsorum parentes, quando domum domini filii reuersi sunt, sese exsatiare, & quantum, scilicet tàm breui temporis spatio, didicerint, videre coguntur: Cochelare, [amatoribus lo-

b^b loquutio vulgaris & usitata] amare, & ludere, optumæ sunt ipsorum, quas domum referũt, artes, diurno nocturnoq; tempore, gulæ, & ventri inseruiunt, ubi oppignorati ipsorũ libri nõ leue quãdoq; ipsis momentũq; emolumentũq; adferunt. Interea tamẽ altiora, quã ut sedula librorum inspectione oculos fatigent atque corrumpant, ipsis speculanda sunt, donec videlicet ipsorum nuncius reuertatur, ipsisque à miseris parentibus [qui domi in sudore vultus panem suum misere lucrantur, modo ut filiolos suos in Academiis alere valeant] pecuniam adferat, quæ, antequam adueniat, certum suum dominum sortita, plerumque aut ad Isabellam, vel ad Iacominam defertur. In cæteris, circa bonarum litterarum studia excolenda, parum sane occupati sunt, nec iisdem capita sua multum aggrauent, nec de Doctorum domiciliis, vel qua hora legant, sunt solliciti. Sin vero forte fortuna, ex singulari (id quod tamen fit rarissime) deuotione lectionem aliquam visitent, tunc tantillæ etiam moræ adeo impatientes sunt, ut se domi mansisse, quàm Collegium ad lectionem intrasse malint: Itaque incuruato capite interim pauimenti lateres aut fenestrarum Sphærulas numerant, vel aliis nullius momenti erroneis columbis tempus inutiliter terunt, donec tamdem audita hora Professor lectioni suæ finem imponat, & irrequieti isti pseudostudiosi tamdem singulari cum lætitia iterum liberentur. Alias, durante ipsorum peccunia, singulis diebus Martinalia aut Bacchanalia celebrant, omnem libidinem petulantiamque exercent: Immo laudi sibi quoque ducunt, si se nimirum petulantem, ferocem, voracem, scottatorium, & corruptum gredem vocari audiant: atque hac ratione non solummodo miseros parentes, sed etiam simul seipsos extremam in perniciem præcipitant: Suapte insuper eo omne suum studium cõuertunt, ut pro nauci istiusmodi sociis, perditisque filiis apud quosvis habeantur. De iis nihil aliud, quam obscœna piisque auribus indigna prorsus verba audiuntur: omneis præ se contemnunt, omnibusque prætereuntibus scurrili sua lingua imponere, eorumdemue bo-

 nam fa-

nam famam denigrare norunt: noctu, insanientium instar, omneis urbis angulos perreptāt, in obuios omnem petulantiam violentiamque exercent, in vigilias impetum faciunt, & cum iisdem manus conferunt, lupanaria scortorumque speluncas ingrediuntur, à quibus sæpenumero tali lustrali aqua, qualem (honore saluo) in matulis suis aduersare solent, pro suo merito conspērguntur. Apud istos quoque sunt in pretio ii, qui cottidie aliquid noui in medium adferre, gallinarum, vel anserum stabula expurgare, aut aliud quoddam stratagema uti vocant, Studenticum (ein Studentenbossen) committere possunt, adeo ut homines è fenestris foras prospicere necessum habeant: quemadmodum pueri isti, qui Treuisæ apud Santiquarantam Comœdiam aliquam Diabolicam agebant, in qua Minos, Rhadamantus, & Æacus, tamquam iudices, incedebant, tricepsque Cerberus, una cum misera quadam anima, quæ in inferno cruciabatur, sese conspicuum faciebat: quam pueri isti tàm artificiose agebant, ut circum habitantes, & quidam, qui forte fortuna ad locum istum peruenerant, præ formidine, caligas & interulas pene naturali sudore inquinassent. Omnium audacissimi quoque quosuis ad duellum prouocare, & cum singulis manus conferere minime verentur: adeo ut ille, qui cæteris hac in re palmam præripit, omnium fortissimus, eorumdemque Coryphæus & Antesignanus habeatur.

Si vero ex Centenis forsitan aliquis inueniatur qui diligentiam, sobrietatem, moderationem, & honestatem sibi curæ cordiq; esse patitur, illum verberones cæteri nasci æstumāt, Penalem (ipsi Penales) talem nominant, atque nullum non lapidem mouent, quo illum passim traducant, & si fieri potest, plane opprimant: quocirca pauci etiam simplicii illi⁹ familiaritatē amicitiamque sectantur: Honor & amor ad virtutem siquidem apud liberales & plus iusto liberos, Studiosos istos omnino euanuit.

Et hæc est omnium Pseudostudiosorū istorum vitæ actionumque, quam diu videlicet ingentibus sumptibus à parentibus suis in Academijs aluntur compendiosa descriptio. Sin vero,

vero, relictis Academijs, domum aliquando reuertantur, & miseri parentes, se videlicet doctum, modestum, honestumque filium, qui vniuersæ ipsorum familiæ laudi honorique futurus fiet, recepturos sibi omnino pollicentur, tunc sane mox ab initio Disputatorem & rixatorem, de rapis, alijsque nauci rebus sollicitum, albumque ab atro rite dignoscentem, sortiuntur. Paulo autem post, & tum nimis quidem sero, miseri isti parentes sese deceptos esse vident, & asininas in filio suo aureis sese paulatim exerere conspiciunt, quodq; inutile istiusmodi terræ pondus magnis sumptibus apud exteros frustra aluerint non immerito deplorant: bonus enim ille Dominus omnino perijt, & nemini amplius est vsui: Opificium aliquod honestum siquidē vt addiscat, anni graues impediunt: Domino alicui vt inseruiat, superbia non admittit: Quocirca miseris tunc primum parentib. cogitandum est, quid videlicet cum pigro tali asino sibi faciundum fiet. Interim accedentibus annis de vxore ducenda cogitat, talemque sibiipsi eligit, ni sibi de aliqua iuuencula in Academia iam ante prospexit, atque tum ipsi de proprio suo corio ludendum est, Et bene adhuc vni alicui, qui tali dono dotatus donatusque est, vt Ludimoderatoris, Scribæ, aut Correctoris, vel Lectoris alicuius vices sustinere possit, vt hoc modo diram famem à famelico ventre propellere valeat. Quam miseriam etiam cum aceto tam diu temperet, donec ipsi melior sors aliquando obueniat. Nunc de alijs hominibus nobis circumspiciendū est.

IN DISCVRSVM XXI.

ADNOTATIVNCVLA.

DE Studiosis Barges dicere solebat, quod, iuxta Philosophorum opiniones in natura nihil vani vnquam reperire possit, quam apud eosdem studiosos, quippe apud quos trium vacuorum aliquis certus esse possit, vtpote in ipsorum cerebello, marsupio, & arte: inibi siquidem sat loci & vacui, nihil autem intus esse, quod in ipsa rei veritate vacuum vel vanum appellandum fiet.

DE COMICIS, ET TRAGOEDIS, tam Scriptoribus, quam Agentibus.

DISCVRSVS XXII.

Comici & Tragœdi olim Histriones dicti.

ETiamsi Priscis istis temporibus Histriones, vel Comœdiarum Actores, (quo nomine etiam Comici & Tragœdi ipsi appellabantur) dum Comœdias & Fragœdias publice recitare conabantur, non dumtaxat nauci æstumati, verum etiam apud omneis summo in contemptu habiti fuerint: qua de caussa etiam, veluti apud Suetonium videre est, summo cum ludibrio & ignominia aliquoties Roma pulsi, omnibusque honorificis ciuilibusq; muneribus priuati, nec ad bellum admissi sunt, quemadmodum Cicero in libris suis de Republica, & Liuius lib. 7. historiæ suæ testantur; nihilominus tamen certo certius, & ex Historiographorum monimentis quoque co-

que cognitum perſpectumque eſt, quod quibuſdam particularibus, tam ob artem, quam eximiam ipſorum virtutem, magno honore, & quidem publice, adfecti fuerint. Vnde etiam Macrobius, lib. 3. Saturnal. Hiſtrionicam ab omni ignominia liberare conatur, idq; cum exemplo Sexti Roſcij Amerini, & Æſopi, qui ambo Comici & à Cicerone tanto amore & honore proſequuti fuerunt, vt eoſdem publice defenderit: quēadmodum etiamnum hodie inter ipſius Orationes vna pro Sexto Roſcio Amerino reperitur, in qua inter alia Romanos Ciues obiurgat, quod ſub ipſius recitatione tumultum excitauerint.

Idem quoque Cicero ſæpenumero verbis & ſententijs dicti iſtius Roſcij amabiles geſtus imitari conatur. Qua de cauſſa etiam commemoratus ille Comicus Roſcius adeo cordatus factus eſt, vt etiam in publico quodam ſcripto artem ſuam cū Eloquentia comparare veritus haud fuerit. Idem ille Roſcius Lucio Sillæ tam gratus acceptuſque fuit, vt, poſt adeptam Dictaturam, inſignem aliquem annulum aureum ipſi geſtandum dono dederit, id quod tamen tum temporis nemini, niſi ſoli Equeſtri Ordini, licebat: juxta illud ex vrbis reditibus mille denarios, ſtipendij loco, ipſi conſtituit, atque ſimul adhuc alia munera atque Regalia in eumdem liberaliſſime contulit.

Aeſopus locuples Comicus. Simili modo & Æſopus, Profeſſionem ſuam exercendo, adeo locuples factus eſt, vt etiam, (quemadmodum idem ille Macrobius affirmat) filio ſuo ducentorum Seſtertiorum annui cenſus poſt ſe relliquerit; qui tamen prodigalitati adeo fuit obnoxius, vt etiam prætioſas in aceto liquefactas gemmas in conuiuijs ſuis adponi curauerit.

Pilades. De Pilade Comico quodam Dion Caſſius tradit, quod apud Imperatorem Neruam Cocceium in magna gratia, & ab ipſius filio tutatus fuerit, poſtquam in Actione Herculis furentis, ſumma ex audacia ſagittas aduerſus ſpectatores, atque adeo erga illum ipſum locum, in quo Imperator conſiſtebat, diſtrinxiſſet.

Idem Macrobius, lib. 2. Saturnal. de Publio Ciro refert, quod, peracta Comœdia, è qua

magnam laudem nominisque sui gloriam adeptus fuerat, ab ipso Cæsare, præ cæteris omnib. laudatus, atque ipsi quoque Laberio, Romano Equiti, tum temporis pro celeberrimo æstumato, prælatus fuerit.

Græcorũ celebriores Comici. Inter Græcos Comicos Nicostratus adeo celebris, atque in hac ipsa professione tam perfectus fuisse dicitur, vt prouerbium: *Omnia faciam, more Nicostrati*, post se relliquerit: cuius vsus fuit, si, in expediundo aliquo negotio, magnam quis diligentiam & artem promisisset. Post Nicostratum istum Paulus quidam, ob vocis suauitatem, gestuum amœnitatem, loquutionis ornamentum, &c. magnam apud Græcos nominis sui famam gloriamque consequutus est. De eodem fertur, quod, postquam aliquando Athenis Electram Sophoclis in Scena repræsentasset, & cum capsula, in qua Orestis cineres & Ossa recondita erant, Theatrum cõscendisset, gestibus suis omnes spectatores, ad Clarisonum planctum atq; lamentationem commouerit.

Fabius, Comicus Italicus. Nostro tempore hisce (Italicis) in Regionibus Fabius quidam Comicus vultum, pro suo labitu, mox rubicundum, mox vero pallidum efficiebat, quemadmodum illud circumstantiæ suæ, quam repræsentabat, personæ requirere videbantur: eapropter etiam ob eiusdem gestus & elegantiam omneis spectatores in sui admirationem pertrahebat.

Iuxta viros etiam hodierno nostro seculo quædam fæminæ scenæ cumprimis magna cum vtilitate & suauitate inseruiunt, atq; non exiguam sane laudem & gloriam exinde reportant. Ex quarum ordine Isabella Theatra non minus formositate, quam amabilibus sermonibus, gestibus, & virtute sua mirum in modum exornauit, artemq; Comicam cum Oratoria adeo coniunxit & ornauit, vt etiam, dum totus terrarum Orbis consistet, formosa, decorata, & erudita Isabella condignis promeritisque laudibus decantabitur, quippe, quæ formositate & virtute sua summum triumphum consequuta est, nomen celeberrimæ nostro tempore Comicæ vere obtinuit.

Simili modo quoque & Lidia, Sympatriota mea, sicco pede heic nequaquam mihi prætereunda est, quæ cum aliquando ver-

do verbis gestibusque vere emphaticis, & corda ferentibus, de Adriano quodam conquesta fuisset, eumdemque quasi in quærimoniis, perturbationibus cordoliisque referto mari relliquisset: icoirco dictus iste Adrianus sequens *Sonetto* eidē transmisit, cuius initiū heic adponere libuit:

Lidia mia, il di che d' Adrian per sorte,
Ti strinse amor con mille nodi l' alma,
Io viddi il mar che fu per lui si n calma
A me turbato minacciar la morte.

Præ relliquis, uti quidem videtur, non immerito quoque laude sua defraudanda est elegans, & pene diuina ista Victoria, quæ in Scena tam mirifice sese transmutare potest: elegantissima illa amoris incantatrix, quæ blandissimis suis verbis omnium sibi auscultantium corda amore sibi arctissime deuincit: jucundissima blandissimaque ista Siren quæ humanissima sua voce gestibusque omneis suos spectatores adeo perturbat, ut eo suiipsius obliviscantur. Qua de caussa etiam, tamquam artis huius Antesignana, merito laudanda atque honoranda est: utpote in qua benè proportionabiles gestus, correspondentes motus, grata acceptaque verba & sermones, arcani cordaque furantes gemitus, suauissimi risus, & spectatissima totius suæ personæ repræsentatio ita in uniuersum comparata sunt, ut nusquam in illa defectus vel labes in ea adpareat, atque ea propter laus perfectæ alicuius Comicæ eidem isti Victoriæ necessario tribuenda siet.

Heic autem quasi oculis meis intueor, quomodo videlicet Adrianus, Gratianus Buratinus, & honesta Compagnia vel Societas Zelotarum & Confidentium, una cum Zani, Magnifico, Pedantio, atque adeo uniuerso Collegio sese exhilarent, dum vident, quomodo nimirum ipsorum Comœdiæ, Personæ, ingeniosi sermones, cōpositique artificiosique gestus, etiam contra expressum interdictum, tam grati acceptique fient, ut etiam iis in locis (id quod tamen alias ipsis numquā in mentem venisset) publice incedere, Comœdiasque suas tuto impediteque agere ipsis liceat.

aaa 2 Ad

Mimi absque iraiudicio non admittendi.

Ad vulgares autem istos, verius mimos, quam Comicos, quod attinet, qui laudabilem istam artem inuertunt, & in Comœdiis suis nil, nisi omnis generis scelera atque flagitia repræsentant, ii, inquam, absque damno atque præjudicio, neutiquam admitti possunt, idque ob rancida obscœnaq; verba, gestusque istos impudicos & libidinosos, quibus non dumtaxat seipsos, quàm laudabilem alias istam artem, infamant. Ipsa quoq; experientia deprænditur, quod nimirum quātò magis ars ista à Veteribus culta honorataque fuerit, tantò magis ab impuris istiusmodi mimis conspurcetur atque deformetur, quippe qui rancidas & piis modestisque auribus indignas loquutiones ab Aretino, vel Franco mutuati sunt, qui itidem nihil sane aliud, quā obscœna & libidinosa istiusmodi verba proferre possunt. Simili modo in gestibus suis inciuiles sunt asini, & Ruffianis, siue lenonibus, non multum dissimiles, qui operæpretium esse judicant, atque, quasi de re bene gesta, summopere gloriantur, si, scurrilibus flagitiosisque suis gesticulationibus, ignobile vulgus forsitan ad risū commouerunt. Inuentiones ipsorum ne canibus quidem proiiciendæ sunt, & quadrant ceu pugnus ad oculum: nauci enim lurcones & verberones istiæstumant, si turpi isto quæstu aliena peccunia potiti sient, spectatoribusque suis vacuam crumenam tum rellinquant, qua in venanda omnium sunt peritissimi artifices. Etiamsi vero histrionicas scurrilesq; suas loquutiones aliquando palliare possent, nihilominus tamen, sese videlicet instituto non satisfecisse, autumant, ni plus quā Grobianam suam intentionem randicis obscœnisque verbis in medium protulissent, iisdemque ipsum quoque Grobianum superassent. Et hac sola quidem de caussa Comœdia, atque adeo uniuersa ars Comica, apud homines honestate conspicuos in summum contemptum coindicit: adeo ut Domini Comici quandoque proscribantur, quibusdam in locis per statuta publica vilipendantur, atque tamdem ab omnibus inquilinis ludibrio & ignominia adficiantur. Si itaque boni isti domini urbem aliquam ingrediantur, simul omneis tum cohabitare nequeunt, sed diuersa per diuersoria distribuuntur:

Hetra insuper, Roma, Magnificus, Venetiis, Ruffiana Patauio, *Zani* Bergamo, Gratianus Bologna aduenit, & aliquot diebus circumcursitare necessum habent, donec à loci Magistratu agendi veniam permissionéque in petrent, si quæstu isto sese sustentare, atq; non omnino mendicare velint: cum tamen apud illos, quibus innotuere, difficillimè locum impetrent, & sæpissime in loco intolerabilem post se fœtorem relinquant. Nulla alia de caussa quoq; urbis Marsiliæ Respublica, quemadmodũ Valerius quodam in loco ait, Comicos, mimos, & moriones istos aditu prohibuit.

Postquam autem quadam in urbe agendi licentiam à Magistratu impetrarũt, tunc tympanistarum tubicinumq; clangoribus præsentiam suam testatam faciunt, litterisque patentibus, publice adfixis, horũ, vel illorum dominorum Comicorum aduentus omnibus certior redditur. Quo facto Magnifici thori socia, virili habitu induta, gladioque adcincta tympanum sequitur, omnibusque in locis Populus ad spectandnoæ Comœdiæ hunc vel illũ locum invittaur: illuc plebs stolida agminatim quasi sese confert, & tribus vel quatuor crucigeris in arenam admittitur theatrum, una cum inconcinnis scenis deprehendit. Ante ubi, Comœdiæ initium insignis aliqua Musica præmittitur, & talis quidem quasi asinorum aliquod agmen inter se invicem rudiant. Post, circumforane, instar incedentem, Prologum, insignes beneque exornatæ personæ se conspicuas red dunt, quæ guerris nugisque suis in tempore spectatoribus tædiũ spectandi audiendique adferunt. Sin autem fortassis ex illis rideat tunc id magis fit ex spectatorum istorum simplicitate, quam ut res visa auditaque risu aliquo digna fiet.

Tunc sequitur Magnificus, tribus vix obolis dignus: tum *Zani*, qui quidem demandato suo munere probe fungitur, instar tamen profundum stercus perreptantis anseris laudem aliquam promeretur: Gratianus aliquis, qui verba adeo extorquet, quasi in latrina (honore reuerentiaque saluis) confideret: impudens impudicaque Ruffiana; amator, qui amplius à spectatoribus audiri nequit:

Spagniola quidam, nihil aliud proferens, quam suum *mi fida*, vel *mi corason*: Pedantius, diuersas linguas inter se inuicem cõfundens: Buratinus aliquis, qui nullos alios gestus nouit, quam vt pileum vittamque suam manibus hinc inde circumuoluat. Præcipua quoque persona, ita comparata est, vt neque elixa neque assata, aliquid valeat: adeo vt Spectatores tædiosi lassique seipsos sæpenumero deridere necessum habeant, quod nugis istiusmodi friuolis tam benignas patientesque aureis præbuerint. Stultis stultiores itaque ociosos istos homines esse oportet, qui secunda vice illuc sese irritari decipique patiuntur, cum tamen ex prima Comœdia mirorum istorum nullitas & vilitas ipsis satis superque innotuerit, atque exinde nauci istorum hominum causa, alijs idoneis honestioribusque personis tanto minus fidei habeatur.

Quæ autem huc vsque à nobis in medium adlata fuere, de ijs dumtaxat intellecta sunto, qui Comœdias publice repræsentant, ex ijsdemque quæstum opificiumque suum faciunt.

Ad Tragœdiarum Comœdiarumque Scriptores vero, quod attinet; extra omnem dubitationis positum est aleam, negarique minime poterit, quod vniuersim omneis, tam veteres, quam etiam Neoterici omni honore laudeque digni fient. Id quod tamen de ijs saltim intelligitur, qui salutaria in scriptis suis comprehensa dogmata eo potissimum direxere, vt exinde adpareat, quomodo videlicet omnis generis scelera atq; flagitia vitanda, econtra vero virtus & honestas tam in vita, quã omnibus actionibus, sectanda fiet.

Tra... aru... mœd... que ptor...

Etiamsi quoque Plato libro decimo Reipubl. Poesin imitatricem, vtpote, quæ communioni alicui plus damni, quam emolumenti, adferat, reijcere videatur, Plutarchus itidem Tragœdias atq; Comœdias omnino contemnat: nihilominus tamen inter Priscos, multi celeberrimi Scriptores reperiuntur, qui eamdem artem profiteri, eamdemque scriptis suis doctissimis illustrare, atque ad posteros tramittere minime sũt veriti: quemadmodum illud videre est in Plauto, qui, Varrone teste, Comœdias suas in Pistrino scriptitauit, in Næuio, qui

etiam

etiam in carcere neutiquam otiosus sedere, sed Comœdias suas inibi conscribere maluit: Item in Cœlio, cui à Volcatio, præ cæteris palma tribuitur: In Terentio, Comicorum sane nõ medioxumo, sed ex præcipuis, post Plautum, præcipuo: In Sexto Turpilio, Lucio Afranio, Paccuuio Tragœdo, Lucio Vario, Actio Seneca, & alijs pluribus, qui apud Latinos scripta sua vtilissima diuolgando grata cum posteritate communicarunt.

Apud Græcos celebriores exstitere Menander, Alexius, Aristophanes, Sophocles, Euripides, Æschylus, & plureis alij, qui, in conscribendis Comœdijs & Tragœdijs, magnam sibi laudem gloriamque compararunt. Ex Neotericis autem istam excoluere Ariostus, Hercules Bentiuoglius, Alexander Piccolominius, Bernardinus Pinus, Ludouicus Dulcis, Trissinus, Cinthius, alijque cum veteribus comparandi.

Tragœdia, quemadmodum Donatus autumat, originem suam trahit à sacrificijs, quæ à Veteribus Libero Patri, in gratiarum actionem pro terræ frugibus, obferebantur, in quibus ignem in altari incendebant, & dein hircum adducebant. Interea autem circumstantes cantilenam aliquam, quam Tragœdiam appellabant, cantabant, quo facto Cantorib. istis dictus modo hircus donabatur.

Primus autem Tragœdiæ Scriptor Thespius dictus fuit. Similiter & Æschylus omnium primo Comœdias in vestitu ad Theatrum reduxit: quamuis Quinctilianus eumdem istum Æschylum primum Comœdiæ auctorem fuisse autumet.

Ad Comœdias, quod attinet, Cinthius & Phaliscus, quémadmodum Donatus in Commentario suo super Terentium scriptitat, omnium primi fuere, qui personati obuelataq; facie Comœdias agere cæperunt: quemadmodum etiam Minutius & Prothonius omnium primo Tragœdias modo iam commemorato repræsentarũt. Trahit autem Comœdia nomen à Græco verbo Comazein, quod veluti Varro testatur & explicat, leuiter gesticulari significat, hodie, quod cantilenam denotat: aut à vocabulo Comis, quod pagum, vna cum illius nomine exprimit. Nominatur *Comœdia.*

vero ita

vero ita ab Athenienſibus, qui ante conditam vrbem, in pagorum triuijs diebus feſtis omnis generis cantilenas & ludos inſtituere ſolebant, atque à ſpectatoribus, eius rei gratia, certam peccuniæ ſummam accipiebant.

Comœdia inſuper à Donato varie ſumitur. Diſtinguit enim illam in Palliatam, Togatam, Tabernariam, Attellanam, Minam, Rhintonicam, & in Planipediam quarum declarationem lector beniuolus apud Auctorem ipſum inueſtigare poterit.

Eamdem quoque idem ille Auctor in quatuor partes diuidit, in Prologum videl. Prothaſin, Epithaſin, & Cataſtrophen. Vnicuilibet præterea Comœdiæ etiã peculiare aliquod nomen tribuitur, quod à ſequentibus circumſtantijs plerumque ſumitur: vtpote à loco, in quo agitur, quemadmodum Andria Terentij: vel à facto, vt illius Eunuchus: vel à nomine præcipuarum quarumdam perſonarum, vt Hecyra, vel ab euentu, vt dicti illius Terentij Heautontimorumenos. Præcipuæ vero Comœdiæ alicuius partes ſunt Prologus, Actus, Interludia, Scenæ & perſonæ. In Tragœdia, Prologus, Epiſodium, Exitus, Coricus, Comus, alijque plureis, quemadmodũ apud Iacobum Micyllum, in adnotationibus ſuis ſuper Euripidem, videre eſt. Similiter etiam eadẽ de re Horatius Toſcanella, in Compendio ſuo de arte Poetica, quo in loco etiam de Comœdia & Tragœdia agit, commode legi poterit.

IN DISCVRSVM XXII.

ANNOTATIVNCVLA.

DE Comicis & Tragœdis consulendus quoque est Rhodiginus in antiquis suis lectionibus lib. 5. cap. 8. & libro octauo, capite decimo septimo. Et Petrus Victorius in varijs suis lectionibus fol. 133. Item Angelus Politianus in Panepistemone suo folio 72.

DE IIS, QVI OMNIS GENERIS spectacula instituunt: Præsertim vero de Medicis circumforaneis & Empiricis,

DISCVRSVS. XXIII.

VEteres, tam Græci, quam Romani, omnis generis spectacula & ludos publicos habuerunt: quibus Magistratus subditos suos, post exantlatos labores vel perpessa infortunia, aut recreare & quodammodo iterum exhilarare, vel etiam sua sponte liberalitatem & beneficentiam suam ostentare voluerunt: quemadmodum apud Suetonium Tranquillum legitur, quod potentissimus Romanorum Imperator Augustus omne suum studium eo converterit, & nullus sequentium Romanorum Imperatorem ipsum tam copioso numero, quam sumptuosissima spectaculorum magnificentia superauerit. Et ea ipsa de caussa publica spectacula populo Romano adeo grata acceptaque fuerunt, vt qui Imperator eadẽ eo maio-

maioribus sumptibus institueret, is omnium nobilissimus, prudentissimus, & Romano Imperio dignissimus haberetur. Spectaculorum autem istorum Romani diuersa genera habuerunt, utpote ludos Circenses, quos Tarquinius Priscus omnium primus instituit, postea vero per alios correcti atque aucti fuerunt. Ludos itidem Scenicos, Seculares, Gladiatorios, Plebeios, Tauricos, Actios, Dionysios, qui à Iulio Cæsare, Nerone, Caligula, Domitiano, Gordiano, Philippo Arabe, aliisque pluribus, magna solemnitate & festiuitate celebrati fuerunt, quemadmodum ex Textoris officina videre est: Quocirca etiam, in iisdem recensendis, utpote qui hodierno nostro tempore non amplius in usu sunt, heic non longiores erimus.

Ceretani & medici Empirici

Hodierno tamen nostro seculo multo alia lætiora spectacula, in omnibus ferme nundinis, diuersorumque locorum foro publico, usitata sunt: Spectacula videlicet Ceretanorũ, Medicastrorum, circumforaneorum & Empiricorum, de quibus hocce nostro in Discursu singularia quædam tractaturi sumus. Nominantur autem in Italia ideo Ceretani, quod, uti quidam autumant, ab Vmbriæ quodam pago, non procul à Spoleto, & Cereto dicto, suam sumant originem, & postmodum omnibus in locis sensim ita inclatuerunt, adeo, ut auditi tantus atque adeo maior ad ipsos concursus fiat, quã ad excellentissimum aliquem Philosophiæ & Medicinæ Doctorem, vel Concionatorem celeberrimum: Ignobile siquidem vulgus, agminatim ad Ceretanos istos sese conferens, nares & ora aperit, per integrum quandoque diem Stentoreis istis vociferationibus non fatigatur, omnium relliquarum curarum obliuiscitur, & *Deus* novit atque quandoque etiam multi rustici experiuntur, quomodo nimirum, in tanta hominũ multitudine & compressione, ipsorum marsupia custodiantur.

Istius quoque Professionis apud Veteres quædam adhuc reperiuntur vestigia quos Latini Gesticulatores, Græci vero Cheironomos appellarunt, idque propter agilitatem & gestus manuum, quibus varia ludicra instituebant, quemadmodum

modum hodie de Gesticulatoribus nostris aliquis adfirmare posset. Ars autem ista hodierno quoq; nostro tempore tàm altas ubique ferme locorum in se radices egit, ut professores suos multo locupletiores reddat, quam olim apud simpliciores aliquanto factum est. Homines præterea isti; non secus quã Zizania in agris, mirum in modum sese hinc dilatarunt, adeo, ut nullum vel hebdomadale aut annuale etiam forum, tam in urbibus, quàm pagis, habeatur, in quo non quidam ex Empiricorum istorum numero reperiantur, qui singularibus dolosisq; quibusdã technis, imposturis, & faudulentis artibus miseram plebeculam ære suo non emungant, idque tàm callidis ipsorum sermonibus, quam miris quibusdam probis atq; artibus quibus spectatores publico in foro in stuporem quasi conuertunt.

Clarissimus & celeberrimus ille Medico-Philosophus Matthiolus, lib. 6. Dioscoridis de Venenis, circumforaneorum Medicastrorũ imposturas quodammodo detegit, quas, ut impostores isti eò melius evitentur, heic inferere operæ pretiũ duximus. Similiter & Galenus, in Tractatu suo ad Pisonem, in theriaca multos à circumforaneis istis dolos committi, asseuerat: quibus sane imposturis plebei & simpliciores turpiter decipiuntur, dum sese bonam aliquam præseruatiuam contra venenum aut alia symptomata, ab illis emisse existumant, & nihilominus tamen sub ipso theriacæ usu & adplicatione se turpiter deceptum esse nimis sero, & cum iactura suæ peccuniæ, depræhendit.

Sin itaque circumforanei isti impostores in foro publico partem aliquam Arsenici, vel alterius cuiusdam veneni hauriant, & illo ipso haustu theriacam suam probare conentur: sciendum est, quod, antequam ad forum sese conferant, ventrem lactuca recente, cum aceto & oleo bene præparata, expleant; hyemali vero tempore pinguibus tauri intestinis, beneque elixis, ventrem distendant: Id quod eum in finem faciunt, ut per istam, tam intestinorũ commemoratorum, quam dictæ lactucæ pinguedinem, una cum naturali suo frigore, interni corporis meatus occludantur, & vehementia vel calor veneni

Empiricorum, venena haurientium, impostura

hac ratione debilitetur: quamvis illam ipsam suam impostuиram tutiore modo instituere possint. Antequam enim ad forum veniant, in vicinum Pharmacopolium (quæ in urbibus plerumque in foro, aut tamen non procul ab isto, sita sunt) sese proripiunt, & inibi arsenico refertam pixidem sibi præmonstrari expetunt, quo facto, ex eadem particulas aliquas sibi eligunt, easdemque papyro involutas à Pharmacopola sibi, ad petitionem suam, tramitti curant, postquam igitur in foro merces suas satis superq; laudauerint, & nunc nihil nisi sola proba, restet, tunc unũ ex circumstantibus, ad omnem omnis doli suspicionem præcauendam, ad pharmacopolium mittunt, numerataque ipsi pecunia, arsenicum sibi exinde adferri petunt: quo allato, Empiricus interim capsulas suas callide conquisiuit, inter relliquas vere in unam verum arsenicum caute atque circumspecte recõdit, &, antequam tanto periculo sese iuuoluat, populum ulterius alloquitur: Sub isto autem colloquio capsula ista cum arsenico commutatur, eidemque alia quædam in qua totidem particulæ massæ è saccharo, farina, croco, aliaque materia confectæ, & prioribus venenosis per omnia similes, sunt reconditæ, quas tandem impostor singularibus gestibus, quasi metu vano exhorrescat, deuorat: rusticis interim apertis oribus ventris crepationem temere præstolantibus. Ne autem id fiat, histrio membra aliquando arctissimè constringit, etiamsi, nullum exinde sibi metuendum esse periculum, impostor non sit nescius: de theriaca sua particulam, castaneæ magnitudine, vorat, atq; illico omnis tumor adeo evanescit, quasi nullum omnino venenum empiricus hausisset. Quo viso rustici absque ulla ulteriore mora marsupium quærunt, numerataq; pro theriacæ particula, tantilla peccunia, Deo simul grates persoluunt, quod tam preciosum virum & nobilem mercem tam exiguo pretio sibi comparauerint. In super & alios impostores fraudulenti isti circumforanei nequam ære conducere norunt, qui non Pharmacopolæ, sed suum (Empiricorum) arsenicum sibi infundi patientur, & tunc, retento Spiritu, inuersisque oculis,

se quasi jam jam morituros simulant, tunc illico falso morienti Empiricus, vel eiusdem famulus, theriaca sua succurrit, atque hoc modo is, cui antea nihil omnino defuit, recollectis, ex sumpta theriacæ particula, viribus, pristinæ, nondum amissæ, suæ valetudini restituitur, atque hoc ipso tam nobiles, quam rustici turpiter decipiuntur.

Quidam, è S. Pauli familia sese exoriundos esse falso gloriantes, terrenam quamdam sphærulam, in vino liquefacto rusticis ad libendum porrigunt, illamque potionem venena & serpentes arcere contendunt, qui tamen dolus priori isti non longe est dissimilis. Etiamsi enim Pauli Posteros sese jactitent, nihilominus, tamen crassum, putum, putridumque illud est mendacium, omneis enim è Leccia in Apulia, vel alio quodam loco istius Viciniæ oriundi sunt. Equidem nullas imus inficias, & bene fieri potest, ut quidam à Marsis, qui populi Apuliæ, finitimi, & ante centum aliquot annos, antequam Paulus natus fuit, eius rei gratia noti fueruut, originẽ suam sortiantur. Iuxta quorumdam opinionem tamen à Marso, Circes filio, oriundi qui illam artem contra serpentes eorumdemue venena à matre sua didicit: unde etiam existumatum fuit ipsos longo usu naturalem quamdam, serpentum venena propellendi, potẽtiam, Psillorum instar, habuisse. Secundum aliorum opinionem illud ipsum forsitan à Medea, quæ eumdem istum locum inhabitauit, didicerunt. Nihilominis tamen, quantum ex Galeni libro de Theriaca ad Pisonem colligitur, etiam ipsius Galeni tempore omneis Marsi pro circumforaneis & impostoribus habiti fuerunt, quippe in quibus nulla fugandorum serpentum virtus deprætensa fuit, sed multo potius omnis generis doli fraudulentæque imposturæ in illis semper improbatæ sunt. Illi ipsi etiam circumforanei serpentes tam hyemali quam vernali tempore quærere & capere possunt. Cumque æstiuo tempore semper venenosiores & iracundiores fient, iccirco obiecta carnis particula eamdem sæpius mordere sinunt, ipsis venenum adimunt, & domitos reddunt: quo facto, corã spectatoribus tunc

 absque

abſque ullo periculo & damno ſeſe mordere patiuntur, iiſdemque tum perſuadent, quod videlicet iſtos morſus ex naturali quadam ipſis indita inſitaque potentia illæſi ſuſtineant, quam etiam aliis, puluerẽ ſuum ſerpẽtinum ementibus, communicare poſſint. Porro idem Galenus commemorato iſto in loco inter alia tradit, quod ſerpentum iſti Venatores, antequam illos contrectent & capiant, manus ſuas peculiari aliquo unguento inungant, quod ex ſybueſtrium raphanorum ſemine, ſucco ex herba draconis, leporum cerebello &c. conficiunt, eoque ipſo ſe à ſerpentibus, eorumdemque morſibus tutos ſecuroſq; eſſe arbitrantur. Poſtquam autem illos modo jam dicto cæperunt, tunc adhuc ſobrii ſaliua ſua eos in capite inquinant, quo ſane non parum debilitantur: nam ſobrii alicuius hominis ſaliuam ſerpentum veneno ſummopere aduerſari ex naturali hiſtoria ipſaque experientia perſe notum eſt. Iuxta illud omni tempore theriaca, vel mithridato, antequam à ſerpentibus mordeantur, vel circa eoſdem occupati fient, præmuniti ſunt, ut ignobile vulgus eo facilius in naſſam ſuam pertrahere & decipere poſſint.

H[illegible] de a[illegible] ſerp[illegible] ven[illegible] bus.

Similiter & Matthiolus, loco ſupra dicto, alicuius exempli mentionem facit, dum in foro Peruſiano duos iſtiuſmodi ſerpentum venatores, mera ex inuidia & odio, ſeipſos pene interemiſſent, niſi ipſius Præceptor, Carauita Bolognenſis dictus, oleo ſcorpionis ipſis nõ auxilio ſubueniſſet. Vbi ſimul addit, quod quidem Sphærulæ terrenæ, quemadmodum etiam Terra Sigillata, vel Lemnia, quæ ex Lemno inſula, vnde nomen ſortita eſt, ad nos perfertur, morſui ſerpentum, eorumdemque veneno, aduerſentur: Sin vero quis à ſurda quadam aſpide, vel vipera morſum patiatur, tunc remedium iſtud eſſe inualidum. Circa finem capitis quadrageſimi vero fatetur nolle videlicet, nec poſſe etiam, ire inficias quoſdam reperiri, qui, ex ſingulari virtute Cœli, & aſtrorum influentia, in partu ſuo virtutem & efficaciam iſtam ſortiantur, nec ab vllo aliquo ſerpente lædantur. Et porro ſe ſimplices quoſdam ruſticos nouiſſe ait, qui, abſque omni alia arte, ex ſolo & peculiari quodam naturæ impulſu, ſerpentes

& vipe-

& viperas capere, easdemque, absque vllo damno, satis longo tempore in sinu suo circumferre potuerint.

Tamdem se quoque Monotheletam quemdam nouisse asseuerat, qui subsequente scriptiuncula serpentum morsus curare & sanare potuerit. Nam si quis serpentum morsum passus fuerat, tunc solummodo ad Monotheletam istum ablegabat, qui nuncium, num videlic. ægri loco potionem istam sumere vellet, interrogabat. Si annuisset, tunc Gesticulatorius iste medicus nuncij dextrũ pedem cultro circumscribebat, adeo vt forma istius humi consisteret: tunc pedem illinc remouere iubebat, & cum mucrone cultri talia verba spacio isti inscribebat: *Caro caruze, sonum reduce, reputa sanum, Emanuel Paracletus*: Postea scripturam istam eruebat, atque in patina, aqua referta, illam miscendo tamdiu temperabat, donec fundo ista adhæsisset: & tum illam per per nuncij istius interulam siue indusium destillabat, signatoque S. Crucis signo, eidem potionem istam porrigebat: atque tum absens æger in illa ipsa hora, qua nuncius potionem istam ebibisset, iterum (si credere fas est) conualescebat.

Quis autem, obsecro, omneis calliditates & artes, quib. circumforanei isti peccuniæ insidiantur, eamdemdque commemorato iã modo corradunt, enarrare valeat? Equidem, si id in animum inducere conarer, me ad finem omnia ægerrime perducturum esse vererer. Attamen aliquas dumtaxat impostorum istorum imposturas heic commemorare libet. Postquam enim Fortunatus aliquis cum *Frituta* sua sese in fori aliquo angulo conspicuum reddiderit, magnoque garritu populum aliquot horis, aut recensione boni noui, historiæ, vel dialogi alicuius, aut etiam cantilena quapiam distinuerit; aut cum ministro suo rixatus, aut cum eodem reconciliatus fuerit: mox adeo riserit, vt lacrumæ vbertim ex oculis eruperint, aliásq; id genus ineptias scite in medium adtulerit, donec sufficientem populum sese collegisse arbitretur: tunc demum capsulas suas depromit, & ad quamquam siue institutum suum de numis quos desiderat, denique peruenit: laudatisque tamdiu suis mercibus, tamdem em-

dem emptores quosdam nanciscitur.

Ex aduersa parte alius quidam Medicastrus pileolum Kocherspergicum in capite gestitans, clamitando laudat venales, quas vult extrudere, merces, easdemque in Sacco, per naccum suspenso, reconditas habet.

Postquam vero tam à iunioribus, quam Senioribus, magnus ad histrionem istum concursus factus, singulis admiranda eius audire & videre gestientibus: tunc relationem suam empiricam Empiricus, ille exorditur, & scurrilibus gesticulatorijsque suis dicterijs omneis circumstantes ad risum commouet, atque tamdem facetijs, miris gesticulationibus, male incuruato collo, semitonsa mystace, scurrilique fictitiaque sua (vno verbo vt complectar singula) stultitia auditores lucratur, vt merces illius sibi comparent, quamuis sæpenumero spectatores, solo auditu exsatiati, inemptis mercibus illinc iterum digrediantur, &, stulto rellicto, eumdem pro suo garritu lubitu garrire sinant. Quandoque etiam à pueris cœno inquinatus, recollectis mercibus, re infecta domum sese recipere necessum habet.

Empirici quoque sibi ipsis sępissime inter se inuicem damna detrimentaq; inferunt: dum enim ille expositis mercib. mercatores iam iam sibi obnoxios reddere satagit, tunc alius quispiam, ex vrbis angulo sese proripiens, iuuenculam, puerili scurrilique habitu indutam, circumducit, quæ saltare &, simiæ instar, huc illuc flectendo spectatorib. risum commouere solet. Quibus visis plebs stolida, rellicto altero circumforaneo, ad hunc agminatim sese confert: & tunc, more Florentino, has vel illas ridiculas facetias commemorat. Interim iuuencula quoque in scamno munere suo demandato probe perfungitur, manibusque pedibusque suis innixa annulum sic in dorso incuruata ex circulo depromit, vel modo iam dicto monetam aliquam sub pede dextro, vel sinistro, tanta ciuili agilitate depromit, vt etiam pueri summa cũ alacritate spectaculum illud intueantur, quo facto, circũforaneus, more alio rũ merces suas qbusuis venales exhibet. In alio fori angulo Empiricus Mediolanẽsis, albas cristas, pro

ſtas, pro Guelphorum more, in pileo ſerico villoſo geſtitans, atque è Proceribus aliquem repræſentans, ſeſe facit conſpicuum, &c, quo melius faciliusq; populum alliciat, omnis generis ridiculas ineptias in medium proponit. Inter alia ingentem ſui erga famulum amorem prædicat, qui tamen herum vice verſa, illudit, ficuſque Mediolanenſes ipſi oſtendit, à tergo aſininis talitris ipſi imponendo: vtque majus glaucoma heri oculis objiciat, palpumque obtrudat, multa ſeſe pro Domino ſuo verbera paſſurum paratum eſſe oſtendit, vitta oculos obducit, manus lateribus ambobus admouet, vultuque oreq; inuerſis, quomodo videlicet aduerſus heri ſui hoſtes tam ſtrenuum ſeſe gerere velit, cõmonſtrat: Iiſque aduentantib, (vnum tamen idemq; eſt conſortium) totus præ nimio metu, contremiſcit, ſub ſcamnum ſeſe proripit, inibique pedibus ſeſe conculcari patitur: ad cuius ingentem clamorem populus cateruatim aduolat: quo facto Dominus Mediolanenſis capſulas ſuas itidem depromit, opellamque ſuam omnib. circumſtantibus pollicetur: atque eo ipſo teſtatum facit, quid videlicet ipſi tantopere curæ cordique ſiet, vt nimirum pretioſis ſuis mercibus omnibus inſeruiat, & ne tantum pecuniæ, quãtum ſecum ſpectatores adtulerunt, domum referant.

Sæpenumero etiam Magiſter Leo quidam cum pilis ſuis Macalepicis prodit, de quarum inuentione & vtilitate per vnã vel alteram horam tamdiu mẽtiendo differit, donec ruſtici marſupium aperire incipiant. Tum quoque à circumforaneo iſto ſubornati quidam reperiuntur, qui multa & longinqua ſeſe itinera confeciſſe, donec fortuna propitia tam inſignem Medicum nacti fuerint, prætendunt: tum merces iſtas mirum in modum prædicant, vtpote quas ſemper iuſtas probataſque inuenerint. Quam fortunam & alij quoque ſibi commendatam eſſe patiuntur, eoq; in emendo alacriores ſunt: idcirco etiam circumforaneus iſtam ruſticorum in emendo promptitudinem alacritatemque remediolo aliquo pro necandis eijciendiſq; liberorum ſuorum vermibus, contra febrem, dolorem dentium, aurium tinnitum, & alium iſtiuſ-

 modi

modi accidentalem morbum, compensat: id quod solum pecunia dignum, & plus quandoque aliquis erogaret, modo vt illud dumtaxat intueri posset.

Alij Simias Cerchitopæcos, mures alpinos, Camelos, & alia istiusmodi exotica peregrinaque animalia secum circumferunt, modo vt ab ignobili vulgo spectentur. Alij, tubis tympanisque hinc inde personantibus, populum alliciunt. Alij in excauatis baculis diuersimodis permutationibus oua obambulare sinũt, qua de caussa circumstantes rustici ora naresque expandunt. Alij tamdem alijs ridiculis gesticulationibus atq; ineptijs stultum nouarumque rerum cupidum populum inuitant, modo vt eo ipso audientiam sibi concilient.

Sunt autem isti vulgares saltim Empirici & circumforanei, qui sæpenumero etiam, posthabita omni ipsorum studio atque diligentia, cœno commaculati loco pelluntur, aut merces suas alio impostierum artificio extrudere coguntur.

Empirici Paulini, Qui autem è D. Pauli familia sese oriundos esse gloriantur, aliquanto splendidius, magno videlicet volante vexillo, in cuius primo latere S. Pauli effigies, vna cum gladio, in altero autem multi depicti serpentes cernuntur, qui sane ita affabre à pictore formati sunt, vt, etiam iam iam spectatores circumstantes mordere velle videantur. Illinc tum Empiricus istiusmodi Paulinus circa familiæ suæ primordium recẽsendum occupatus est, quatenus nimirum S. Paulum in Melitensium insula vipera momorderit, nullum tamen eo ipso morsu eidem damnum intulerit, & quomodo tamdem gratia ista Paulina ad Paulinos posteros propagata fuerit. Illinc tum omnis generis probationes factæ & sub varijs tentationibus homines, numquam succubuere, quæ omnia & litteris & sigillis confirmantur. Quo facto ocius in mensa vel scamno sitæ Capsulæ ad manus sumuntur, atque ex ijsdem diuersimoda venenosa insecta serpentumque viperarumque genera varia depromuntur spectatoribusq; ad visendum ostenduntur, quæ omnia messis tempore, rusticisque in magno periculo constitutis, ni ipsis Empirici isti

eorum ueritas. *[margin partly cut off]*

rici isti contra formidabiles istius bestias in tempore subuenissent, capta fuerint: Quibus auditis rustici adeo terrentur, vt etiam neutiquam sese domũ iterum conferant, ni potionem aliquam de pretioso isto serpentino puluere hausissent: ad maius insuper periculum præcauendum, vtque etiam ipsorum vxores & liberi ab istiusmodi serpentum aliorumque venenosorum animalium morsu tuti immunesque fient, puluerem istum ære suo comparatum domum secum asportare solent. Interim tamen spectaculum finem suum neutiquam adhuc sortitum est, sed & plureis istiusmodi capsulæ in promptu sunt, ex quibus surda aliqua vipera, mortuus aliquis basilicus, iunior aliquis Crocodilus ex Ægypto, Lacerta Indica, Tarantula ex Campania, vel id genus alia venenosa insecta rusticis in terrorem præmonstrantur, vt hoc modo S. Pauli gratiam eo lubentius sibi comparent, quæ tum ipsis certo pro pretio in schedula quadam communicatur.

Interea populo adhuc congregato, alius quidam ex circumforaneum istorum consortio prodit in publicum, expansoq; suo humi pallio, catellum superimponit, qui *VT, RE, MI, FA, SOL, LA* canere, gesticulationibus suis simiam ferme imitari, heri suo iussu male vestitum aliquem allatrare, Turcorum Imperatoris nomine audito eiulare, atque huius, vel alterius cuiusdam amasia nominata lepido saltatione sese exhilarare nouit. Et denique circumforaneus per eumdem suum catellum, anterioribus pedibus illius tributo pileolo suo, posterioribus vero erecto modo incedentem, à Dominis circumstantibus, ad conficiundum longius iter, petit & quandoque impetrat viaticum.

Nec Parmensis etiam heic moram aliquam nectit, sed cum capella sua in forum sese confert, quam in sublimi vix manum lato loco contractis in vnum pedibus hincinde obambulare, & salem sub pedib. lambere, posterioirbusque pedibus cum conto super humeros erectam incedere sinit, atque tamdem cum capella sua omneis spectatores in istiusmodi hircos commutat, vt etiam ipsi, ad

comparandum capellæ ſuæ pabulum, aliquot numulos dono obferant.

Sæpenumero funambulus aliquis in foro ſeſe credit conſpicuum, & in fune tam diu hinc inde oberrat, donec lapſu crus, aut quandoque omnino collum frangat. Sæpius Turcicus aliquis Geſticulator humi proſtratus pectus ſuum, incudis inſtar, ponderoſo aliquo fabrili malleo ferire ſinit, aut ingentem aliquem palum, terræ vi ſumma infixum, vnico etiam tractu euellit, atque hac ratione proficiſcendi Mecham bonum à circumſtantibus colligit viaticum.

Quandoque baptizatus aliquis Iudæus tam diu in foro ad rauim vſque clamitat, donec etiam aliquot ſpectatores ad ſe pelliciat. Quo facto concionem de conuerſione ſua tum exorditur, ex cuius epilogo vel concluſione tantum ſane colligitur, ꝙ loco ꝓbi alicuius Chriſtiani, callidus circumforaneus factus fuerit.

In Summa, quemadmodum etiam mox ab initio commemorauimus, in omni foro, tam in vrbibus, quam pagis, nauci iſtiuſmodi Socij conſpiciuntur, qui ridiculis ſpectaculis, aut alijs iſtiuſmodi callidis artibus (verius impoſturis) quæſtum faciunt. Hic contra vermes, alter contra dolores dentium, hic contra ſtranguriam, ille contra bombos & crepitus corporis flatuum (ne audiantur, & emittentes apud Sodales rubore ſuffundantur) remediola ſua vendendo porrigit. Alius aliud quiddam vendit, quod ollæ fabis vel piſis refertæ iniectum eaſdem exſilire cogit. Alius ſcopas plumaceas pro perpetuis lampadum funalibus emptoribus obtrudit. Alter oleo Philoſophorum, & quinta eſſentia diteſcit. Alius oleum Taſſi barbaſſi, alter pretioſam pomadam ex veruecina adipe præparatum contra vibices venale habet, hic venenum murinum, alter ferrea ligamenta contra rupturas habet. Alius ignitis ſpeculis ſpicilliſq;, quibus in locis caliginoſis res mirandæ viſuntur, gloriatur. Alius deuorato lino ignem exſpuit.

Hic vnguentum pediculoſum, ad confortandam memoriam, vendit: ille candente adipe manus, hic liquefacto plumbo faciem lauit. Alius ſingulari quodam cultro naſum, abſque

vllo tamen damno, rumpit. Alius aliquot filamentorum vlnas collo extrahit. Heic alius quidam è longinquo aduentanti alicui amissas litteras ex ore suo porrigit. Alio in loco simplicius quidam peculiarem aliquam Pixidem inspirans faciem fuligine vndiquaq; contaminat. Illic minus cauto alicuj homuncioni equorum excrementi manipulus, nucum amiristicarum loco, in os inijcitur. Et hisce similibusque istiusmodi fraudulentis artibus & imposturis impostores, Gesticulatores, alijque ociosi homines vitæ quærunt subsidia. De quibus nunc hæc dicta sufficiant, Ad alios igitur nunc homines nos conuertimus.

IN DISCVRSVM XXIII. ADNOTATIVNCVLA.

DE omnis generis spectaculis legantur Miscellanea Angeli Politiani cap. 58. Item Petrus Crinitus libro 12. de honesta disciplina, Ad Empiricos & circumforaneos, quod attinet, varia eius rei reperiuntur in Secretis Weckeri fol. 232. 239. & 314. lib. 10. cap. 35.

DE ARCHITECTIS IN GENERE, Propugnaculorum Munitionumq; fortificationibus, omnis generis Machinarum Magistris, & Mechanicis.

DISCVRSVS XXIV.

Architectura initium. OMnium primus, qui umquam de Architectura (quæ juxta Diodori lib. 6. opinionem, à Pallade, secundum Iosephi testimonium vero à Caino, Adami filio, vel à Iubale, Lamechi filio, originem suam sortita est) scripta sua gratia cum posteritate communicavit, juxta vulgarem omnium fermè scriptorum sententiam, Agatarchus Atheniensis fuit, quem postea Democritus & Anaxagoras imitati sunt. Illos dein' subsequuti sunt & alii, Silenius nimirum, Archimenides, Aristoteles, Theophrastus, Cato, Varro, Plinius, & Vitruuius: qui inter veteres omniũ sunt præcipui. Inter Neotericos vero magnam nominis sui famam gloriamque sibi comparârunt Leon. Baptista Alberti, Fr. Lucas, & Albertus Durerus. Iuxtà illos prodiere etiam nuperrimo tempore Marinus Bassius Mediolanensis, & præstantissimus ille Palladius, qui elegantissimum & celeberrimũ eâ de re librum conscripsit.

Vitruuius lib. suo primo artem hanc nihil aliud esse tradit, quam scientiam bene utiliterq; ædificandi, ad quam pertinent fabri lignarii, cæmentarii, Scriniarii, Vitriarii, & fabri ferrarii, qui omneis ad ædificii alicuius deductionem summopere requiruntur, atque ipsi Architecto, tanquam summo Magistro operam suam locare tenentur. Simili quoque modo Leon. Baptista in proœmio Tractatus sui de re ędificatoria ita scriptitat: Fabricã, inquit, usus manus exequi-

exequitur, ratiocinatio demõstrat proportiones, & qui cognoſcit materiã qua utitur Architectus quodammodo eſt. Cui Ariſtoteles lib. 2. Phyſ. cap. 2. & lib. 1. Ethic. fermè adſtipulatur, ubi Architectum à fabro lignario diſcernit, & inter alia ſic inquit: Architectus omnia, quæ proponit, intelligit, faber lignarius vero, non ſemper, quæ facit intelligit, & ſufficit ipſi, ſi modo efficiat, quæ ipſi ab Architecto ſunt propoſita. Vnde etiam Plato, in libro ſuo de Regno, teſtatur, quod videlicet Architectus manum operi admouere neutiquam neceſſum habeat, ſed dumtaxat opificem de iis rebus informet, quæ ipſi facienda ſient: Vbi quidem tantum dicere conatur, quod Architectura multo potius in ſpeculatione, quàm ipſo in labore, conſiſtat: qua de re etiam Clitiſo bene quodam in loco dixit: Ab Architectura, inquit, duo fiunt, ædificium videlicet & Architectura: illud quidem opus, hoc autem doctrina.

Iuxta illius autem opinionẽ Architectura in ædificatione recta quã ædificationem gnomicam appellitat, in Obſeruatione, & Machinatione conſiſtit. Ædificatio ipſa duplex eſt, publica videlicet, & priuata, ubi aut publica, aut priuata ædificia conſtruenda ſunt. Publica, vel ad defenſionem, aut cultum diuinum, vel utilem aliquem ad uſum commoditatẽque exſtruuntur.

Ad defenſionem iſtam pertinent turres, muri, valla, propugnacula, foſſæ, aggeres, portæ &c. de quibus Albertns Dürerus in librorum ſuorũ aliquo ſingulari ſtudio agit. Ad Religionem diuinumque cultum requiruntur templa, eorumdẽ turres, Sacraria, altaria &c. de quibus Vitruuius lib. 3. Leon. Baptiſta lib. 7. & Sebaſtianus Setlio, in lib. ſuo de Architectura, verba faciunt. Ad utilem aliquem uſum commoditatemque requiruntur Portus, fora, loca publica, campi, Aquæ ductus, balnea, Theatra, meatus, & id genus alia: in quibus omnibus firmitas, bona fundamenti poſitio, & neceſſaria ſuperſtructio conſiderantur 2. Vbi nihil ſumptibus detrahendum, ſed multo potius ut videlicet bona materialia applicentur caute prouidendum eſt. Iuxta illa obſeruanda quoq; ſunt directio, vel poſitio; ſitus, ven-

tus, ſol,

tus, sol aeris salubritas, prospectus, ut nimirum ille ab omni parte impeditus habeatur, de quib. omnibus Vitruuis lib. 6. 7. 8. &c. videndus consulendus est.

Dispositio & proportio. Ante omnia vero in quodam ædificio certa dispositio atque Symmetria requiritur, utpote à quibus firmitas, diutirnitas, utilitas, & amœnitas alicuius ædificii promanant.

Ad Architecturam gnomicam etiam Geometriæ Principia pertinent, una cum perfecta omnium mensuarum dimensionumque scientia: Certus quoque umbræ intellectus, quomodo videlicet illa secundum gnomonem horologii solaris vertatur ubi quoque de Astrologia simul aliquid traditur, cuius rei apud eumdem vitruuium lib. 9. sufficiens reperitur instructio.

Requisita præcipua. In summa sex potissimum in ædificando diligenter & bene consideranda sunt, utpote ordo, dispositio, adaptatio, proportio, ornatus & diuisio, vel distributio. Est autem ordo nihil aliud, quam summaria quædã complexio illius, quod in aliquo ædificio construendum est. Dispositio, commoda quædam omnium partium separatio, vel idea totius operis. Et hæc triplex est, Ichnographia videlicet, & totius operis facilis aliqua delineatio. Ortographia, talis ædificii descriptio quomodo nimirum illud ab anteriore parte, & ad latera, inspiciendum, imperfectum tamen adhuc illius dumtaxat exemplar est. Et Scenographia, totius videlicet ædificii perfecta & absoluta, aut quandoque à ligno confecta, vel in papyro, aut tabula dipicta delineatio. Symmetria, idonea commodaque uniuscuiusque membri est proportio, vel pars ædificii alteri obposita. Distributio, commoda operis dispẽsatio, juxta omnia videlicet illius requisita, & ædificantis facultates aut impensas. Alio namque modo ædificia in urbe, aliter in pagis villisque construuntur, & inter Magnatum aulas & palatia, agricolarumq; tuguria magna est diuersitas, quemadmodum etiam muri principales à vulgaribus parietibus longe differunt. Ordinariæ decentisque istius dispositionis caussa Virgilius lib. 1. Æneid. Iunonis à Didone extructum templum sequentibus ver-

bus verſiculis extollit, ſic inquiens:

Aerea, cui gradibus ſurgebant limina, nexæque
Aere trabes: foribus cardo ſtridebat ahenis.

Eaſdē quoq; ob partes Marci Æmilij Theatrū ſummopere cōmendatur, quod trecentis ſexaginta columnis fulcitum, & partim ex puro marmore, in medio autem ex vitro cōſtructum fuit; inferiores theatri iſti[illegible]s columnę quadraginta octo pedes altæ, interque eaſdem illas trecenta fuſa ſimulachra collocata erant, vniuerſus autem iſte ambitus & circuitus perſonarū ſeptuaginta millia capiebat. Simili modo quoq; Obeliſcus celebratur, quem Ramiſes, Ægypti Rex, quadraginta vlnis altum ex vna maſſa erigi curauit. Similiter & ille, qui à Numcuteo, Seſoſtris filio, centum vlnis altus exſtructus fuit. Ille quoque quem Senneſerteus Rex centū quinquaginta pedes altum erexit. Item admirandus iſte Labyrinthus à Dædalo in Creta inſula, & alter ille in Ægypto cuius architecti Zonilus, Rho- exſtructus, & adhuc alius quidam in Lemno[illegible], Inſulalus, & Theodorus fuerunt. Pari quoque modo Circus Cæſaris, tria ſtadia in longitudine, & vnum in latitudine complectens, celebritate eſt conſpicuus. Item Pompeij Amphitheatrum, in quo quatuor virorum millia ſpectacula cōſpicere potuerunt. Mœnia itidem Troiana, ad quadraginta paſſuum millia in rotunditate ſeſe extendentia. Item Pons à Traiano Imperatore ſupra Danubium, & ille à Iulio Cæſare ſupra Rhenum exſtructus. Coloſſus Tarentinus quoque à Lyſippo factus & Solis iſte Coloſſus, quem Charetes Lyndius Rhodi multo maiorem & elegantiorem reddidit. Simulachrum quoque Iouis Olympij à Phydia factum, & muri Babylonici, è coctili lapide & bitumine, ducentis pedibus alti, & quinquaginta lati à Regina Semiramide exſtructi. Specula itidem vel turris in Pharo inſula, ab architecto Soſtrato, iuſſu & mandato Ptolomæi, exſtructa. Similiter & admirandæ Pyramides in Ægypto. Templum Dianæ Epheſi, in quo exſtruendo vniuerſa Aſia ducentos & viginti annos inſumpſit. Sphinx admirabilis, in qua Rex Amaſis à morte illius reconditus, & cuius caput in rotunditate ſupra

 frontem

frontem centum & viginti pedes crassum, & centum quadraginta tres pedes longum fuit. Excellentissimum magnificentissimumque templum Salomonis quoque, quod ex *Dei ter optumi maxumi* mandato condidit. Simulachrum Reginæ Semiramidis, quod in Mediæ quodam monte Bagistano situm & septendecim stadia, quæ duo Italica milliaria octauamque partem efficiunt altum fuit Statua Regis Nebucadnezaris, Assyriorũ Regis, quæ sexaginta ulnas alta fuit: & denique admiranda turris, quæ ex maris profunditate supra vitreos cancros candita fuit, quemadmodum præcipuus inter omneis Historicos quodam in loco plus nugatur, quàm restatur.

Celebriores aliquod Architecti. Architectura insuper celebrem reddidit Democratem, qui muros Alexandriæ condidit. Spintharum Corinthium, templi Delphici exstructorem: Ctesiphontem, qui templum Dianæ Ephesi ad finem perduxit: Meleaginem, qui templum Mineruæ Prienæ erexit: Philonem Athenienſem, qui famosissimum armamnentarium, Piręeum dictum, exstruendum curauit: Hermogenem, qui templum Iunonis Magnefiæ modo Dorico condidit: Zenodotum, qui insigne platearum fundamentum Pergami iecit: Sugilam, qui Mausolæum Reginæ Artemisiæ exstruit: Apollodorum, fori Trajani exstructorem: Eupalinum Megarensem, Mandroclem Samium, Niconem, Galeni patrem, qui simili modo Architecturæ peritus fuit. Valerium Ostiensem, & quã plureis alios. Similiter & nostro tempore Christophorum Gobbum Mediolanensẽ, Montagnanam qui turrim ad S. Marcum Venetiis condidit, Iacobum Lanfranium, Fr. Iucundum Veronemsem, Iacobum Sonsouinum, qui etiamnum hodie à Magistratu & Republica Venetiana amplissimo stipendio fruitur: & celeberrimum omnibusque notissimum Palladium, diuersorumq; populorum Nationumque quam plureis adhuc alios.

Vt autem ad architecturæ materiam ipsam eo propius accedamus, ædificium aliquod variè considerari notandum, illudq; sæpenumero magnum, aut paruum, nouũ vel vetus, benè, vel malè institutum consideratumque, bene, aut male situm, fir-

tum, firmum, aut infirmum esse deprehenditur. Comprimis vero duæ considerationes heic occurrunt, modus & species ædificandi videlicet. In modo ædificandi primum vulgaris iste modus occurrit, quique opus rusticum nuncupatur, diuersis suis scilicet mensuris, partibus, considerationibus, & ornamentis: Postea vero opus Toscanum, Doricum, Ionicum, Corinthium, & denique Compositum alternatim subsequuntur, quorum singula peculiarem suam mensuram, partem, ornamentumque habet, quemadmodum illud apud Vitruuium, aliosque Architectos, præsertim autem in vulgaribus istis Columnarum libris videre est.

Ædificia deinceps in habitabilia & inhabitalia distribuuntur. Habitalia iterum aut juxtà totalitatem, vel partialitatem suam considerantur. Vniuersa autem habitatio in genere sub tecto comprehensa est, & deinceps magnum, vel paruum tabernaculum, domus, palatium, templum, aut paruum vel magnum appellatur. Partes aut sunt interiores, vel exteriores. Exteriores sunt ædificii latera, quæ oculis humanis sunt obuia, longitudo, latitudo, rotunditas, diuersæ angulares partes, fastigium itidem, fenestræ, laquearia, camina, forei, limina, area, fons. Interiores, fundamentum, cella, introitus, conclauia, pauimēta ea laquearia, obices, omnisq; generis ornamēta, quibus ædificium intrinsecus exornatur. Item culina, cibarium, hypocausta, fornaces, cubicula, latrina S. H. quæ omneis vulgares communesque partes sunt, atque in ædificio aliquo habitabili considerantur.

Inter ædificia inhabitabilia numerantur templa, parua, aut magna, Sacraria itidem, altaria, campanæ, turtus, altæ, vel humiles, balnea, Aquæductus, Theatra, Amphitheatra, fornicati meatus, & loca publica, Piramides quoque, Arcus Triumphales, Trophæa, Viridaria, Labyrinthi, Colossi, Sepulturæ, & id genus res aliæ, quæ singulæ Architectis & Mechanicis commendantur, ab iisdemque postmodum proponuntur, atque tamdem à fabris lignariis, cæmentariis, Lapicidis, Scrini-

ariis, fabris ærariis &c. perficiciuntur, atque ad finem suum perducuntur.

Mechanici vero etiam ad alia opera usurpantur, quemadmodum sub huius Discursus calcem adnotaturi & explicaturi sumus. Similiter & Plato in Cratilo suo inquit, quod etiam ille mechanicus appelletur, qui in arte aliqua non solummodo intellectu suo utitur, verum etiam ipse manum operi admouet, quemadmodum de cæteris artificiis & opificiis aliquis affirmare posset, quod non absque arte & labore perficiantur, qua de caussa etiam artes Mechanicæ appellantur. Ex quo & illud præterea colligendũ est, quod adhuc aliqua inter Architectũ & Mechanicum differentia, utpote qui solo suo intellectu & propositione, absq; ulla manuum admotione Reipublicæ, omnibus occurrentibus in negotiis, succurrit, quemadmodum illud ipsum Aristoteles ab initio Mechanicarum suarum Quæstionum testatum facit.

Nomen alicuius Mechanici autem non vulgari contemptibilique intellectu sumendum, honestum siquidem & laudabile nomen illud, & tam pacis quam belli tempore omnino necessariũ est, quodq; prudenti alicui viro tribuitur, qui tam ingenioso suo intellectu, quam manu prompta Reipublicæ tã ad recreationem, quam necessitatem, utilem operam nauare potest: Estque Græcum vocabulum, quo istiusmodi opera significantur, qui humanum intellectum captumq; transcendunt, præsertim vero violentam aliquam vim exercendi, & talis quoque machina, qua violentia ista exercetur, vel aliud quoddam mirabile perficitur. Quocirca etiam Oribasius, in libro suo de machinis, singularia aliquot instrumenta recenset, quæ ex Mechanica non solummodo desumpta sunt, verum etiam ad Medicinæ usum commode applicantur, utpote Tripaston Archimedis, ars navem aliquam remis velisque regendi, quemadmodum etiam omnia molarum genera, currus, rhedæ, libræ, fontes &c. uno nomine mechanica appellantur. Apud Veteres quoque Mechanici nuncupabãtur, qui beneficio ventorum, aquæ, funis &c. admirandi quiddam efficere potuerunt, diuersos videlicet so-

licet sonitus, auium cantum, humanam vocem, omnis generis horologia, sphæras cœlestes, & aliæ machinæ, quibus exiguo sane labore ingẽs quoddã onus in sublime adtollitur, quæ omnia, iuxta Aristotelis opinionem, ad rotam & machinam rotundam reducuntur.

Huc ars fortificatoria quoq; refertur, quæ etiam Professionibus Mechanicis adnumeratur, de qua Ioan-Baptista Zanchius Pesarinus elegantem copiosumq; aliquem Tractatum conscripsit, in quo pro exigente necessitate de optima munitionis alicuius forma differit, nimirum ut rotunda satisque capax, fossæ itidem profundæ, valla alta, & Cortinæ propugnaculis benè præmunitæ fient. Iuxta illa omnia quoque breuiusculis verbis indicat, quomodo videlicet Portæ, Contrascarpæ, Propugnacula, Casamattæ, Cortinæ, omniaque ad munitionem aliquam necessaria, comparata esse debeant; ad quem etiam rei illius cupidum lectorem ablegatum volumus.

Hisce quoque machinarum bellicarum inuentio, & scientia, quomodo nimirum illæ usurpandæ fient, adnumerantur, quemadmodum etiam illi, qui easdem formant & faciunt, atque circa illas occupati sunt re vera & proprie Mechanici appellantur. Istarum autem, machinarum inuentio apud Eusebium lib. 9. de præparatione Euangelica, Prophetæ Moysi tribuitur. Plutarchus vero, Architam Tarentinum & Eudoxũ artem & scientiam istam ad mediocrẽ perfectionem reduxisse atque simul omnis generis violentas machinas, quibus muri domusq; subuertendi essent, inuenisse, asseuerat. Exinde & alii quoque ansam occasionemque nacti, res aliquanto acutius introspexerunt, atque ad eam, in qua nunc sunt, formam reduxerunt. Arietes, Plinio teste, in obsidione urbis Troianæ ab Epeo inuenti sunt, quorum inuentio tamen Atheniensibus à Vitruuio adtribuitur: de illis autem Pamphilus sequentem versiculum recenset:

Rumpo fores, muros quatio, demolior arces:

Scorpio, quod tormentum istiusmodi fuit, è quo lapides & globi violenter eiaculari potuerunt, ab Assyrijs inventus, maiores autem fundæ primum in

Phœnicia vſurpatæ fuerunt. De alijs machinis, vtpote Teſtudine, Graphia, (à Nicolao Beraldo deſcripta) Vinea (cuius etiam Propertius libro 4. mentionem facit) Pluteo Muſculi, Turre ambulatoria, Sambuca, Telenono, Cochlea, Baliſta, Phalarica, Cataphracta, Plumbata, Tribulo, alijſque apud Veteres vſitatis olim machinis, quemadmodum etiam maiori ex parte à Vitruuio & Vegetio appellantur, & aliquo modo deſcribuntur, hodierno noſtro tempore nihil certi haberi poteſt, quis nimirum eaſdem inuenerit, veluti quoque illius nomen non ita proprie cognitum eſt, qui bombardas in Germania inueniſſe dicitur, quæ à Richardo Bartolino nouo, aſt idoneo admodum, epitheto, Turrifraga appellatur. Vult autem Nicolaus Beraldus, quod ab effectu & operationibus ſuis, à bombo, & ardeo videlicet, nuncupata fuerit, à quodam morione Carrafula vero *Perche ribomba, arde e da* cognominata fuit.

Primi, qui eamdem vſurparunt, quemadmodum Blondus & Raphael Volaterrianus memorant, Venetiani fuere, qui Anno C. M. CCC. LXXX. cum Genuenſibus bella geſſerunt: quamuis inuentionem iſtam longe vetuſtiorem eſſe appareat. In Chronicis Alphonſi ſiquidem qui XI. Rex Caſtiliæ fuit, & Algazaram occupauit, legitur, quod, ſub illa ipſa An. M. CCC. XLVIII. facta, obſidione, obſeſſi Æthyopes ferreos aliquot globos magno fragore atque ſtrepitu emiſerint, quod tamen XL. annis, ante illud, de quo Blondus ſcripſit, tempus factum eſt. Simile quoque in Alphonſi qui Toletum occupauit, Chronico, quod à Don Petro Leonis Epiſcopo conſcriptum fuit, inter alia reperitur, quod in quodam inter Regem Tunetanum, & Siuiliæ Regem, ambos Æthyopes, commiſſo prœlio etiam ferrei globuli vſurpati fuerint, id quod abſque tormentis & bombardis neutiquam fieri potuit: quæ tamen in hodierna iſta perfectione minime fuere, quum illud C C C C. annis ante factũ fuerit.

Veteres quoque alias inſuper permultas adhuc machinas vſurparunt, quarum tamen nullus in bello, ſed alijs in negotijs, vſus fuit. Illarum Vitruuius men-

uidis mentionem facit, easdemque rotas, ha pagines, folles, serras, forfices appellat & equas Mechanici vsurparunt, quæ tamen verbis non tam bene describi poterunt: quocirca nudo dumtaxat earumdem nomine heic contenti erimus, & opifices, qui ijsdem vti necessum habent, illas delineare, & ob oculos ponere melius poterunt, sine p̃figuratione & delineatione enim ab alijs minus commode intelliguntur.

ani- n in- res. Ad Mechanicas in genere autem, quod attinet, nonnulli, Dædalum Athenienſem easdẽ inueniſſe, autumant, vtpote, qui omnium primus, Plinio teſte, ſerra, ſecuri, terebello, &c. vſus fuerit, & malum velaque nauium, aliaque commoda & perutilia inſtrumenta plura, adinuenerit. Illum ſubſequuti ſunt Eudoxus & Architas Tarentinus, qui ambo percelebres Magiſtri Mechanici exſtiterunt, quemadmodum de Architaiſto legitur, quod columbam ex ligno ſculpſerit, quæ tam artificioſa tẽperatura formata fuerit, vt ſuapte, inſtar viuentis naturaliſque columbæ, in aere circumuolitare potuerit.

Poſt illum Ariſtoteles ſeſe conſpicuum reddidit, qui paucas quidem, vtiliſſimas tamen, quæſtiones mechanicas in libris ſuis grata cum poſteritate cõmunicauit. Ariſtotelem Rex Demetrius ſequutus eſt, quem Deſtructorem Ciuitatum vulgo appellarunt: iſtiuſmodi enim confecit machinas, quibus breui temporis ſpacio omneis obſeſſas vrbes in ſuam poteſtatem redegit. Poſt illum iſta in arte inclaruerũt Euclides, Theon, Ariſtarchus, Diophantus, Theodoſius, Cerpio Antiochenus, Ptolomæus, Apollonius, Serenus, Vitruuius, Nero, Cteſibus, Pappus, & (qui omneis illos longe ſuperauit) Archimedes Syracuſanus, omnis generis artificioſarum machinarum deſcriptor & inuentor, quibus in obſidione vrbis Syracuſanæ magni momenti res confecit. Qui igitur ea de re plura ſcire deſideret, is Plutarchum, in vita Marcelli, & Liuium, lib. 4. & 5. Decadis quartæ, conſulere pote it, vbi depræhendet, quod ſolus iſte Archimedes vrbem, contra Marcellum & Romanorum violentiam potentiamque longo tempore ſuis cum inuentionib. tutas

tutas

turatus fuerit, quibus ingentem aliquam nauem, humi iacentem, & immobilem pene, maris fluctibus iterum commisit. In obsidione vrbis Syracusanæ vero harpagines firmissimis catenis adfixit, iusto pondere ijsdem prospxerit, & è mœnibus demissis naues appræhensas in altum sustulit, easdemque in sublime vectas inuertit, adeo vt omneis homines in ijsdem subuersi aquis submergi misereque sic perire necessũ habuerint. Similiter & alijs quibusdam artificiosis instrumentis eadem ista hostium nauigia, vt se ipsas nimirum ad scopulos collidérent & pessumdarent, coegit. Inter alia Ioannes Zonaras recenset, quod singularia quædam ignita specula præparauerit, & ijsdem Romanorum naues, tentoria, & munitiones in campo quoque incenderit, adeo vt dictus iste Marcellus obsidionem altera ex parte, modoq; alio continuare coactus fuerit, arctissime siquidem eosdem obsessos è longinquo adeo inclusit, vt nihil amplius in vrbem importari potuerit. Qua de caussa etiam ipsi Romani similes istiusmodi machinas ingentibus impensis atque sumptibus construxerunt: quemadmodum etiam de Duce bellico Magio Cremena legitur, quod Pompeij fabris lignarijs præfectus fuerit, quos eumdem istum in finem in exercitu suo circumduxit, veluti Vitruuius quoque supremus Cæsaris Augusti Balistarijs præfectus exstitit.

Illam ipsam scientiam quoque Pappus tantopere extollit, vt etiam, ipsam videlicet nodo Gordiano cum Geometria implicatam esse, contendat. Inter alia idem ille Pappus demonstrat, quod nimirum omneis relliquas, easque præcipuas, artes atque scientias cognatas habeat, vtpote artem fabrilem, Architecturam, & delineandi scientiam, quæ omneis, tamquam cognatæ, ipsi inseruire necessum habeant. Alias nupertimo tempore scriptis Frederici Commandini, Guidobaldis *de Marchesi del Monte*, Iordani, Leonis Baptistæ Alberti Tartalliæ, Victorij Fausti, Georgij Agricolæ, aliorumq; plurium summopere illustrata fuit, quos heic, dilectæ breuitatis ergo, lubens prætereo, Discursum, hunc-

sum, huncce meum tamdem concludo, & ad alios, pro more meo me conuerto.

IN DISCVRSVM XXIV.

ANNOTATIVNCVLA.

De Architectis Politianus, in Panepistemone suo fol. 71. aliquid amplius commemorat, ubi simul Mechanicorum mentionem facit. Similiter & Cardanus, in libro suo de rerum varietate fol. 542. & Mechanica fol. 549. & 632. Simili quoque modo Weckerus de Mechanicis loquitur in Secretis suis fol. 619. & 767. de fortificatione autem vide Cataneum, Gabrielem Buscam, & Zicceolum fortificationum impugnatorem.

DE COMMESSATORIBVS, Ebriosisque Lurconibus.

DISCVRSVS. XXV.

QVum hocce in Discursu crassis, pinguibus, & intumescentibus turgidisque ventriculis (qui omnia sua consilia & actiones ad crapulam cõmessationemque referunt, nocturnoque diurnoque tempore nil agunt aliud, quam vt ipsorum Deo, ventri videlicet, omnis generis superfluas dapes potusque sacrificent, etiamsi sæpenumero in extremam perniciem incidant, domosque quandoque, quas gula turpiter deuorauit, iterum euomere necessum habeant, iccirco etiam haud immerito commessatores ebriosique lurcones appellantur, vtpote qui omni virtuti atque honestati renunciarunt, omnibusque flagitijs sceleribusque, vice versa, sese totos dediderunt) laudes suas decantare decreuerim: eapropter illud ipsum meo adeo factum esse confido, vt multi Oenopolæ, hospites, Coqui, & caupones alij serta signaque sua aut deturbare, vel ebriosis istis lurconibus templum, in quo diuinum suum (scilicet) cultum tanta deuotione peragere solent, omnino occludere cogantur.

Omneis autem in genere Gasteromastiges & coniurati lurconum istiusmodi hostes, præsertim vero Stephanus Niger, in libro suo de nimia obsoniorum appetentia, testantur, quod nimirum prodiga ista voracitas quasi Tergeminus, aut triplex Briaræus, vel triceps aliquis Cerberus fiet, atque tres simul odiosas detestabilesque in se qualitates contineat, quas etiam omneis virtutis honestatisque amantes non immerito odio

odio habeant, & summopere detestentur.

Primum siquidem insatiabili aliqua cupiditate omnis generis pretiosorum sumptuosorumque obsoniorum laborat: Dein quod ijsdem exsatiari nequeat, etiamsi illud cum certo aduersæ valetudinis lucro coniunctum fiet: Et tertio, quod, in ijs comparandis, Commessatores isti nullis omnino parcant sumptibus, licet in extremam egestatem inopiamque teipsos petulanter præcipitare debeant. Ad ægritudinem siquidem, inopiam, immo ipsum ad infernum prodige vorando properant: quemadmodum Florentinus ille Ciaccus (id quod etiam Porcum significat) canis ventrem adeo expleuerat, vt eo rupto, mori coaxantemque spiritum exhalare coactus fuerit: qua de caussa etiam Dantes, in inferno suo illum, dum videlic. sub stillicidio in cœno consedisset, ita loquentem introducit:

Voi Cittadin' mi Chiamauate Ciacco,
Per la dannosa colpa della gola,
Hor Come vedi, alla piggia misiacco.

Commemoratas istas perniciosissimas qualitates, infiniti inenarrabilesque quoque morborum damnorumque casus è vestigio quasi subsequuntur, de quibus Thomas Aquinas in secunda secundæ quæst. 148. ita ait: quod nimirum Commessationes nimiæ intellectum caliginosum reddant, idque ob vaporum copiam ex nimium referto stomacho sursum in caput ascendentium: id quod etiam D. Hieronymus veteri quodam apud Græcos vsitato prouerbio confirmat, dum inquit: Venter pinguis non generat sesnum tenuẽ. Adfectus quoq; ad confusionẽ, per ciborũ diuersitatem, comouẽtur: lingua impedit, & sæpenumero multorũ linguæ spasmo laborant, vt ebriosi vix loqui possint. Gestus itidem in ebrio degenerant, adeo vt multi bibones ebrij simias gesticulationibus suis imitentur, atque omnes spectatores ad risum commoueant: Corpus ad omnis generis lenitates malasque concupiscentias accenditur, robur illius debilitatur, crumena exhauritur, apparatus euanescit, adeo vt quandoque lurcones illi egere necessum habeant: nam, quemadmodum D. Augustinus, inquit,

Dama Gulosam istam luxuriem sequentia

quit, ubicunque quærit caro refectionem, ibi invenit defestionem. Nihil, nisi ubique, deest, & nihilominus tamen venter sua parte carere nequit, adeo ut diuersimoda excogitētur media etiāsi quomodo videlicet ventri satisfieri queat omneis humani adfectus obliuione obliterentur atq; rationi postponantur, quemadmodum apud Euangelistam in diuite isto Commessatore videre est, qui ergà miserum ulcerosumque Lazarum tam immisericordem sese præstitit. Et tamdem ipsa etiam vita in discrimen mortis adducitur, id quod non dumtaxat Medici verum etiam ipsa experientia satis superque testantur. Eapropter etiam D. Chrysosthomus quodam in loco verè exclamauit: Corpus, inquit, ex forti fit debile, ex agili graue, ex
„ formoso deforme, ex sano æ-
„ grotum, ex iuuene antiquum
„ & veteranum, atque ex viuo
„ mortuum. Et, juxta sapientis sententiam, multo plures crapula, quam gladius, occidit. Nam: (quemadmodum Iuuenalis Satyra prima testatur.)

Hinc subitæ mortes, atque intempesta Senectus.

Id ipsum præterea multis exemplis demonstrari poterit. De Domitio Afro siquidem Eusebius inter alia recenset, quod, sub ipso conuiuio, in quo stomachum plus justo onerarat, coram omnibus conuiuis, infelicem spiritum eructauerit. Idem etiam Anglorum cuidam Regi, Andeberto nimirum, accidit. Albertus Magnus, in tertio Compendii sui libro, in quo omnia ex crapula nimia promanantia damna ordine commemorat; inter alia inquit, quod perniciosissima ista Hydra primum effrænem aliquam impudentiam atque insolentiam pariat, de qua S. Ambrosius in libro suo de jejunio ita inquit: Cum ebrii fuerint, de cō- „
tinentia disputant; Ibi unus- „
quisq; pugnas suas enarrat: ibi „
fortia facta prædicat vino ma- „
didus, & somno solutus nescit „
mente quid lingua proferat. „
Ad turpiloquium quoque crapulæ ansam occasionemq; præbet: Illico siquidem mendacia & calumniæ, quibus correfertum est, erumpunt. Ad omnis generis turpitudinem, lasciuiā, saltationes, cantationes, clamationes, & (honore saluo) euomitiones itidē irritat, quēadmodum etiam Prophta

Esaias

Esaias quodam in loco ait: *Omnes*, inquit, *mensæ eorum repletæ sunt vomitu sordium*: Ipsam denique virtutem operationemque animæ impedit, atque diuersimoda difficilima, confusa, horrenda, impudica obscœnaque somnia, & phantasmata procurat, unde etiam Ecclesia in oratione sua vespertina ita precatur:

Pocul recedant Somnia,
Et noctium Phantasmata,
Hostemque nostrum comprime,
Ne polluantur corpora &c.

Matutino tempore autem iterum euigilans, ita canit:

Carnis terat superbiam
Potus cibique parcitas.

Hisce Basilius quoque, in libro suo de renunciatione huius vitæ, addit, quod videlicet is, qui semel sese gulæ ventrique totum dediderit, ægrè ab ista turpitudine iterum abstinere & conualescere possit: quocirca quodam in loco ita ait: Multos morbis occupatos ad sanitatem redire vidi: unum vero ex illis, qui gulæ dediti sunt, non vidi. Iuxta cottidianam insuper experientiam etiam ipsa SS. Scriptura Ose. 4. testatur, quod fornicatio, vinum, & ebrietas cor auferant. Ita quoque Lucianus in dialogo suo, quem Gallum insigniuit, omnis generis morbos corporisq; defectus, cumprimis vero Pthysin, Podagram morbumque hydropicum addit, quos heic omneis & singulos commemorare nimis longum foret. Vna cum ipso Galeno & alii quoque Medici testantur, quod nimirum pingues & obesi, atque qui gulæ tenentur ille cebris, nec diu viuere, nec etiam sani esse possint.

Omnia ista damna detrimentaque etiam sæpenumero ipsa desperatio sequitur. Omnibus enim turpiter gula insumptis multi ad furta prædasque sese conuertunt, adeo ut eo ipso sæpissimè vitæ suæ propriæ iacturam faciant, quemadmodum Dion Cassius lib. 57. de Marco Gabinio homine isto prodigalissimo recenset. Postquam enim ille aliquando omnem suam restantem substantiam ad calculum reduxisset, & non amplius, quam centum sestertia sibi restare comperisset, ex nimio mærore, & metu quod nimirum sibi fame moriundum esset, sibi ipsi laqueo gulam fregit. *Crapulã Prodigalitatemque plerumq; sequitur desperatio*

Similiter & peculiares aliquot Scriptores petulantiam, luxum

luxum superfluum, nimiamque prodigalitatem Scriptis suis inserere voluerunt, non quidem ut turpitudinem istam adprobarent, sibique, eius rei gratia, immortalem forsitan gratam apud posteritatem gloriã laudemque compararent, sed multo potius ut degeneres istos animos cane & angue peius euitarent, sibique, à fœda ferinaque ista intemperie summo studio cauerent. Sic Plato Comicus apud Athenæum lib. 1. c. 3. suinas istas concupiscentias & beluinas Leucadici alicuius Philoxeni cogitationes & intentiones sequentibus in versiculis irridet, dum inquit:

Exordium à bulbis erit, mox desinam
In thinnum &c.

Et paullo post:

Vt puto, sartago, nec inutilis olla.

Quibus innuere Poeta voluit, quod prodigus iste Commessator sartagines & ollas, præ cæteris rebus omnibus pluris semper æstumauerit. De eodem isto Lurcone Chrysippus quoque inter alia commemorat, ipsum, præ cæteris conuiuis, semper omnium primum auidis suis digitis cibos in patinis inuolasse, aliis cibos adhuc nimis calentes esse persuasisse, interim vero ipsum solum patinas euacuasse: de qua calliditate persimili alius quidam Commessator ita de se ipso inquit:

Ad hæc ego, certe nimis calentia,
Nunc frigidas h beo manus.

De eodem isto gulæ mancipio Clearchus refert, quod postquam Ephesi in diuersorio quodam nullum ciborum apparatum depræhendisset, & unde videlicet iste defectus obsoniorumque penuaria oriretur, quæsiisset, hospes vero, omnem istum apparatum conuiuis nuptialibus (nuptiæ enim eo tempore inibi forte fortuna celebrabantur) venditum esse, respondisset, tunc dictum illud mancipium illico, licet ad nuptias istas inuitatum minime fuisset, ad locum istum, in quo nuptię celebrabantur, sese contulisse, atque simul juxta alios mensæ ducubuisse, modo ut hac ratione, vel potius summa impudentia, genio indulgere, atque immodico ventris desiderio per omnia satisfacere posset. De alio Philoxeno Frisio Aristoteles in Ethicis suis testatur, ipsum gruis sibi collum exoptasse, modo ut ciborum suauitate eo diutius frueretur. Idem ille

dem ille Clearchus de quodam Pythilio, quem voracem vulgo appellabant, inter alia commemorat, quod adpositos pisces non, aliorum more, dentibus prius comminuerit, sed è spina dumtaxat suxerit, modo ne dulcem saporem eo citius amitteret. Si vero aliud quiddã manducasset, tunc assidue dentes suos exsuxisse, eosdemque lingua sua quasi expoliisse, modo ne quid inibi hæreret; quod suauem ciboũ gustũ ipsi forsitan renouare posset. Simili modo & Phanias Græcus ridiculũ aliquem jocum de quodam Philoxeno Cythareo recenset. Cum enim ille aliquando Dionysii Tyranni mensæ, una cum aliis, adcubuisset, ipsique pisciculus aliquis, Dionysio vero piscis ingens oblatus fuisset: tunc Philoxenum illum pisciculum non ori, sed auri, admouisse. Cum vero à Dionysio, quur videlicet id faceret, rogaretur, respondisse illum ferunt: Se olim de Galatæa Dea aliqua marina scriptitasse, ignorare tamen adhuc, num videlicet ad scopum præfixum collimasset: quocirca, pergebat iste Philoxenus, pisciculum, tamquam maris inquilinum, de quibusdam rebus consuluisse, qui tamen teneram suam ætatem quodq; iis in locis peregrinus hospes esset, prætendisset, atque, Seniorem Dionysio propositum, piscem ea de re consulendum esse, ex quo procul omni dubio aliquid amplius percepturus esset, interroganti Philoxeno respondisset.

De altero quodam Philoxeno Cirenæo Athæneus lib. 1. Dipnosoph. inter alia refert, quod gulæ genioque adeo indulgere potuerit, ut etiam lactucam, postridie manducandam, studio aqua frigida humectauerit: postquam vero die postero illam iterum ex aqua depromeret, tunc Deos, sub terris habitantes, sibi virides azymos largitos fuisse gloriabatur. Ita quoque Poeta Alexius in Demetrio suo in Phaillum, piscivorũ aliquem, inuehitur, atque de eo sequentes recitat versiculos, dum sic inquit:

Turbabat æquor si Boreas primum, aut Notus,

Nulli licebat pisce vesci splendido:

Accessit at nunc flatibus Phaillus his,

Qui

Qui cuncta subuertit, procella tertia.

Simili modo etiam Hegesander de Antagora Poeta refert, quod assatis piscibus adeo delectatus fuerit vt etiam eorumdem assationem neutiquam expectare potuerit, sed modice lotos, saleque consperfos, ac parum tostos auidissime absque aliquo iusculo deuorauerit. De eodem fertur, quod ipse castra sequutus in tentorio suo pisces coquere haud erubuerit. Postquam autem forte fortuna Alexander Magnus tam lepidæ lepidi coqui Poetici coctioni interuenisset, atque Poetam succinctis manticis adeo occupatum deprahendisset, risisse Regem, Poetamque ita ad loquutum fuisse tradunt: Existumas ne Antagora, quod Homerus, dum fortia Agamemnonis facta descripsit, elixandorum Piscium meminisse? Cui tamen Antagoram non minus scite, quam lepide iterum respondisse ferunt: Num & tu Alexander forsitan existumas, quod Agamemnon, dum fortia ista facta perageret, scire curauerit, quis nimirum in castris suis pisces coqueret, nec ne? De eodem isto Antagora etiam Athenæus inter alia commemorat, quod aliquando sibi ipsi auiculam coquens Balneum intrare noluerit, ni ipsam ante ita custodiuisset, ne forsitan ipsius serui iusculum illud prægustassent: cumque à Photilde, matrem videlicet auem vna cum iusculo bene custoditurum esse, moneretur: respondisse, illum tradunt: num tu, inquit, mihi forsitan persuadebis, quod iusculum illud etiam meę matri concrediturus fiem?

De Philoxeno Cytheræo, Poeta quodam, Machon Comicus quodam in loco scriptitat, quod nimirum Polypum, duabus vlnis longum, emerit, eumdemque vna vice, ad caput vsque, omnino deuorauerit. Postquam autem in eo medioxuma adhuc particula remansisset, Philoxenusque illico in morbum lethalem incidisset, postulatis medicis, nullum ipsi aliud solatium, quam mortem præsentaneam annunciare potuerunt; quocirca, cito res suas vt disponeret, testamentumque conderet, ipsum adhortati sunt. Ad quæ, se res suas iam ante composuisse respondit, vtpote qui nihil aliud, nisi solos versus suos, Dijsque Musisque antehac

hac consecratos commendatosque, post se rellinqueret. Cum iccirco nūc audiret, quod videlic. ipsum Charon euocaret, & Niobe ad transitum admoneret, immitem insuper parcam iam iam cultrum, quo vitæ suæ filum præsciderer, in manibus habere cerneret, eapropter, quo me ius vice nunc postremo genio indulgere queat, sibi residuum piscis caput porrigerent, quod nullo modo post se relicturus esset.

Pari quoq; modo Hermippus, lib. 3. de discipulis Socratis, Hipperidem Oratorem arguere videtur, quod horis matutinis, & ante omnia expediunda negotia, forum Piscarium frequẽtarit, ne forsitan aliquis, in optumis Piscibus coemundis ipsum præueniret. De Aristippo Archippus inter alia recenset, quod aliquando à Platone, tamquam Commessator, obiurgatus fuerit, quod vna vice multos sibi pisces comparasset. Cum vero Aristippus, se nimirum duobus saltim denarijs pisces istos coemisse, respondisset, Plato autem, sese ne tantillo quidem pretio sibi pisces istos comparare voluisse, inuertisset, Aristippus, captata ex responso isto Platonis occasione, iterum par pari referebat, atque obiurgatorem suum sequentem in modum compellabat.

Cum igitur, Plato, vti quidem fateri ipsemet necessum habes, me voracem aliquem commessatorem nominaueris, eo maiorem, te auarum aliquẽ Euclionem nominandi, occasionem habeo. Similiter & Antiphanes Poeta Phœnicidem quemdam, luxuriei gulæq; deditissimum, facete irridet. Quemadmodum enim, inquit Antiphanes, Menelaus per 10. an. integros cum Troianis, vnius fœminæ caussa, bella difficillima gessit, ita quoque Phœnicides, & sane adhuc diutius, cum aliquo piscatore, ob elegantem longamque aliquam anguillam, contrahere posset. Sic etiam Hegesander de alio quodam Philoxeno, Diocle nimirum, inter alia recenset, qui interrogatus, vtrum ex piscibus Scombrus, aut Lucius, optumus esset, vnum bonum esse elixum, alterum vero assatum, responderit. De Leontio Argiuo, qui apud Iubam Maurusiorum Regem Regia gratia floruit, modo iam commemoratus Iuba Epigramma quoddã,

fff epita-

epitaphij loco, conscripsit, quasi idem ille Leontius in pinguiusculo referta patina sepultus esset, quod (si verum est quod Amaranthus in libris suis de Scena tradidit) tale est:

Dulcis amicus eram Bacchi, me nullaque traxit
Fama virum, auratis auribus aut tenuit.
Nunc in fictilibus iaceo, & Sartagine sicca,
Quæ fama ventri gratificata tenent.

Simili quoque modo Aristodemus, in Ridiculis suis memorabilibus, de duobus gulæ ventrisque mancipijs, Cyndone & Demylo videlicet, tradit, quod duo isti furcones, ob piscis alicuius oculum, in certamen descenderint; quem etiam ambo adeo tenaciter arcteque tenuerint, vt nullus alterum oculo isto solum frui permiserit, donec inter se inuicem conuenerint & alter alterum ita, *Dimitte & ego dimittam*, compellauerint.

Cum autem paullo post aliud quoddam lautum opiparumque ferculum adpositum fuisset, Demylus, ne forsitan à socio suo iterum circumueniretur, isque obsonio isto solus potiretur atque frueretur, patinam inspuebat, sputoque suo dapes adpositas ita inquinabat vt cæteri conuiuæ omneis exinde nauseam conciperent, & tum spurcus rancidusque iste Demylus ferculo isto solus potiretur. De alio quodam Philoxeno Euphranore idem ille scriptor refert, quod, postquam certior redditus fuisset, sociorum suorum vnum, in vorando sibi haud dissimilem, mortuum esse, magnam de lucio partem illico deuorauerit, &, o mors sacrilega, exclamauerit.

Similiter quoque Antigonus Carysthius de Zenone Cynico inter alia commemorat, quod, postquam aliquando cū sibi per omnia simili, & quo cum arctissimam ante familiaritatem amicitiamque aluerat, mensæ adcubuisset, ipsisq; vna cum alijs dapibus, ingens aliquis piscis adpositus fuisset, illū solus sibi reseruauerit. Quocirca alter indignabundus Zenonem talem in modum denique compellauit. Quid nunc præstat, inquit, quod tam diuturno tempore concordes inter nos inuicem victitauerimus cum tamen ne vno quidem die

mores

mores tuos pristinos deserere & permittere possis, vt hoc sat magno pisce ambobus nobis simul vesci liceat?

De tribus alijs lurconibus Germanis Gerhardus Belga recenset, quod, cum ipsis conuiuantibus allatus gallus gallinaceus adpositus fuisset, isque, vti quidem ipsis videbatur, minime sufficeret, habito inter se inuicem consilio, quis videlic. ex ipsis gallum solus reseruare deberet, deliberarint, & tamdem conuenerint, quod is, qui corruptissimum latinum in medium protulerit, gallo solus potiri & vesci debeat. Quocirca vnus ex illis Lunam Orientem versus sese conspicuam reddentem conspicatus, ita infit: *O Luna quantum distas àb ego?* Alter autem, solem, Occidentem versus sese inclinantem, inspiciens, aiebat: *O Sol, o sol, quantum ego distas abs tu.* Interim tertius, dum hic lunam, alter Solem obseruat, rebus suis certius tutiusque prospiciens, arrepto gallo, sic inquit: *Hic Solus pro Latinorum meorum sufficiat.*

Pari etiam modo de Notippo Tragico, homine voracissimo, Hermippus hoc ciuili ioco vtitur, dum inquit: Si omneis milites manibus suis, quantum Notippus dentibus, tam gnauiter vicerētur, tunc ad bellum Peloponesiacum tot milites neutiquam essent necessarij, & vnus ferme sufficeret. Sin enim pergebat ille, sola voracitate res gerenda fiet, tunc de vnico Notippo sibi certo polliceri, quod vno etiam die totum Peleponesum Notippus iste deuoratutus esset.

Similiter etiam Theocritus Chius in Dioclem aliquem, qui omnem, eamdemque locupletissimam quidem, substantiam luxuriosa sua gula turpiter insumpserat, sequentem in modum iocatur.

Cum enim ille piscem aliquem ex nimium calido iusculo deuorasset, & inter alia, sese adhuc sibi competentem particulam de Cœlo eodem isto obsonio insumpturum esse, effutijsset: respondisse tunc ipsi Theocritum ferunt, tunc nihil amplius restabit, quam vt etiam mare absorbeas, modo ne in magnis istis tribus mundi partibus, Cœlo, terra, & mari videlicet, relliquum aliquid facias.

In gentem autem istam Herculis voracitatem Epicharmus

in Busiride sequentibus versiculis describit:

Intus sonat guttur, sonat maxillaque,
Simulque dentes: dens caninus instrepit,
Exibilant nares, & ipsam aurem mouet.

Eumdem etiam Ion in Omphale sua irridet, dum de eo asseuerat, quod simul carbones cum ipsa carne devoret, unumque ipsi, quemadmodum alterum, æque benè sapiat. Secus fabro isti accidit, qui è Popina farcimen clanculum furatus fuerat, quod tamen, ob ardentes adhuc in eo pendentes prunas, non longius, quam ad januam usque, efferre poterat, ubi illud cum dedecore, nec absque verberibus, cauponi restituere coactus est. Sic quoque Philippus, in Epigrammatibus suis, Phiromachi cuiusdam voracitatis mentionem facit, cui sequens conscripsit epicedion:

Phiromachum, veluti cornicem, multa vorantem,
Nocturanam, tumuli fossa profunda tenet.

Simili pene modo Thrasimachus Macedo Timacreonti Rhodio subsequens cecinit epitaphium:

Plurima edens, permulta bibens, mala plurima dicens
Ipse viris, iaceo hic Timacreon Rhodius.

Ita quoque adhuc alii Scriptores in istiusmodi Iurcones atque Commessatores, cum perpetua ipsorum ignominia, grauissimè inuehuntur. Possidonius enim alicuius Theagenis Athletæ mentionem facit, qui taurum integrum una vice deuorauerit: quemadmodum etiam illud de Milone Crotoniate affirmatur, quem quadriennalem taurum in Certamine olympico humeris suis hinc inde circumtulisse, atque deinde unico etiam die eumdem deuorasse Historiarum monimenta testantur. Sic Amaranthus Alexandrinus Herodoti Megarensis satis sinistre meminit, utpote qui una vice tres panes, viginti librarum carnes, & octo vini mensuras insumpsisset: vice versa tamen duas adhuc tubas inflare potuisset. Posidippus, in Epigrammatibus suis, voracissimæ alicuius fæminæ, Aglaris dictæ, etiam mentionē facit, quæ duodecim librarum carnes, duos panes, duasq; vini mensu-

mensuras simul deuorauerit. De Bagarino Venetiana ridicula ista historia legitur, quod aliquando, cum circa seria admodum negotia occupatus, & eo ipso tempore piperinũ aliquod ferculũ forte fortuna illinc trãsportatum fuisset, omissis arduis istis negotiis omnibus, odorem istum subsequutus fuerit; cum autem eumdem gustu suo minus adsequi potuerit, illico tum ipsum prohibuisse, ne videlicet istiusmodi esculentum (in memoriam memorabilis istius impedimenti, quod ex iactura ista concepisset) in ædibus suis coqueretur. De Lythyersa, Regis Midæ filio, Sositheus Tragicus sinistram itidem mentionem facit eumdemque mirabilem prodigumq; quemdam Commessatorem fuisse scriptitat, cuius vitii caussa etiam Thies Paphlagoniorum Rex à Theopompo incusatur, quemadmodum etiam Mithridatem, Ponti Regem, Nic. Peripateticus eadem de caussa repræhendit. Sic quoque Hellanicus aduersus Erisychtonem, Myrmidonis filium, grauiter insurgit, quod eadem de caussa Athon h. e. Commessator insatiabilis appellatus fuerit.

Verum enim vero apud Historicos non dumtaxat peculiares aliquot personæ, verum etiam uniuersi populi, eiusdem vitii caussa male audiunt. Eubolus enim in Antiopa sua de nimis voracib⁹ Beotis scriptitat. Crates, in Lamina sua, de Thessalis conqueritur. Aristophanes, de Lydiis. Et Palæmon, lib. 9. ad Timum, Siciliæ Populos, in perpetuam Nationis istius ignominiam, Deæ gulę templum condidisse asseuerat.

Leges contra voracitatem.

Et quid, obsecro, longa heis exemplorum inductione opus est, cum tamen eodem isto vitio omneis ferme populi adeo infecti inquinatiq; sient, ut etiam Legislatores contra illud pecculiares leges ferre necessũ habuerint, cuius rei gratia multiplicia in Historiis testimonia reperiuntur? An non enim Athenienses publico edicto cauerunt, ne videlicet suorum ciuium aliquis liberis suis Gnosiaci ædes intrare permitteret, idque unica hac de caussa, quod ob voracitatem suã ubiuis male audiret. An non Xenophon, in lib. suo de Republica, de Spartanis refert, quod Lycurgus iisdem Commessationem ebrietatemque summa seueritate in-

tate interdixerit? An non Alexander ab Alexandro, lib. 3. Genialium dierum, de priscis istis Romanis scriptitat, quod apud ipsos per singularia statuta cautum fuerit, ut videlicet Senatores, aut alias dignitate & auctoritate pręstantes viri, publicè conuiuia sua celebrarent, ut hoc modo spectatores superiorum exemplo & frugalitate allecti, ab immodico luxu & nimia prodigalitate sibi temperarent? An non Heraclitus de Politia Iacensium inter alia scriptitat, quod nimirum iuxta certas leges siue constitutiones nuptias aut alia solemnia conuiuia celebrare necessum habuerint? De Epaminonda Thebano, famosissimo celeberrimoque isto duce bellico Historicorum monimenta testantur, quod videlicet aliquando voracem, crassum, pinguemque militem ex castris suis relegauerit, quod non dumtaxat, ut ille prætendebat, ad prælium inutilis, verum etiam toti exercitui onerosus atque molestus esset, totidem enim, quam alius, & tribus ferme scutis, quibus crassum ipsius ventrem obtegeret, indigeret. De Anacharsi Gastromastyge Cicero testatur quod ita: Dat mihi pulpamentum fames, cubile solum, vestis scytharum tegmen, dicere fuerit solitus. De Iulio Cæsare autem Cato dicere solebat, quod ipse solus sobrius Romanum imperium debilitare incæperit.

Scripto[res] crapu[lam e]briet[atem]que in[pu]gnato[runt].

Multi præterea Scriptores celeberrimi reperiuntur, qui magno sane Zelo turpissimum istud flagitium scriptis suis eruditissimis vehementer impugnarunt. Aristoteles enim, lib. 9. de animalibus, hominem aliquem voracem lupo famelico comparat. Architas Tarentinus, quemadmodum Cicero, in libro suo de senectute, memorat, voracitatem perniciosissimum virus pestemque quæ umquam homini obuenire posset, appellat: Plato autem eamdem laqueum & irritamentum ad omnis generis infortunia nuncupat. Bion illam sepulchrum mentis vocat. Et si quis de infortunio, quod inde exoriri plerumque solet, verba velit facere, an non, quæso, sufficit, quod Virigilius Trojæ interitum eidem, imputet, dum de Græcis ita loquitur:

Inuadunt urbem somno vinoque sepultam?

Id quod

Id quod etiam cauſſa eſt, ob quam Ouidius homines contra teterrimum iſtud vitiū tam ſedulo adhortetur, inquiens:

Parcite mortales dapibus.

Cui inſuper & Lucanus quoque exiguam ſane laudem tribuit, de illa quodam in loco ita exclamans:

—— O Prodiga rerum

Luxuries, numquam paruo contenta paratum.

ietatis ſtatio. Quemadmodum autem Commeſſationes in genere apud omneis honeſtos animos odioſæ ſunt & deteſtabiles, ita quoque in ſpecie ipſos ebrioſos odiſſe ſolent: quod ſane vitium olim apud Germanos, nunc vero alias apud Nationes tam frequens & vulgare factum eſt, vt etiam non amplius pro ſcelere & flagitio, ſed, vice verſa, virtute & fortitudine habeatur, ſi quis euacuandis ſcyphis cæteris palmam præripere videatur. Sic D. Auguſtinus, in epiſtola quadam ad ſacras Virgines, vbi ad temperantiam, & à vino abſtinentiam eaſdem ad: & exhortatur, inter alia ſequentia vſurpat verba formalia.

ytio. Ebrietas, inquit, eſt flagitiorum omnium mater, culpatumque materia, Dux criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, ſubuerſio ſenſus, tempeſtas linguæ, procella corporis, naufragium caſtitatis, amiſſio temporis, inſania voluntaria, ignominioſus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honeſtatis infamia, animæ corruptela, &c.

Eamdem illam S. Baſilius, in Serm. de die Paſchatos ſequentibus verbis deſcribit. Ebrietas eſt rationis interitus, fortitudinis pernicies, ſenectus immatura, mors momentanea. Ariſtoteles vero, in Problematib. ſuis Sect. 30. q. 13. illam inter ſpecies furoris & inſaniæ numerat. Plato, Dial. 9. de Republica, hominem ebrium tyrannicam ſeſe habere animam, quia omneis ipſius vires & ſenſus ſubuertantur, aſſeuerat. Androides, ob ſapientiam ſuam à multis celebratus, Alexandro Magno, poſt tot obtentas victorias ebrietatem ſectanti, hæc per litteras verba inculcabat. Vinum, ait, potaturus, o Rex, memento te bibere ſanguinem terræ: quam ſententiam poſtmodum Cleomedes Lacedæmonius veram reddidit, cum ebrius ſe ipſum cultro interemiſſet. Pari modo quoque

quoque Hypparinus Dionysii Tyranni ebrietate vitæ suæ iacturam fecit. De Agrone, Mysiorum Rege Polybius scriptitat, ipsum in ebrietate misere perijsse. Poetæ etiam, Orphea ab ebriaum fœminarum agmine dilaniatum fuisse, asseuerant.

Similiter & Dionysius Platonem allegat, quod quodam in loco, vinum fortem aliquem esse luctatorem, qui multos viros fortissimos, ijsdem obliquo pede proposito, turpiter cadere faciat, dixerit.

Damna insuper ex ipsa ebrietate promanantia tam sunt diuersimoda, adeo vt vix singula commemorari possint. Plinius enim (id quod etiam ipsa testatur experientia) illam memoriam mirum in modum debilitare, horrendaque somnia procurare affirmat. Vnde etiam Iuuenal. vere dixit:

---- quid enim Venus ebria curat?
Inguinis & capitis quæ sunt discrimina nescit.

Sic etiam D. Apostolus Paulus Ephesios à Crapula & commessationibus, vtpote ex quibus, præsertim vero incastitate vita dissoluta oriatur, dehortatur, quemadmodum illud cottidiana experientia satis superq; testatur. Ea ipsa de caussa quoque Aristophanes vinum *Lac Veneris* non tam scite, quam vere nominauit. Inter alia vero, ex ebrietate promanantia, damna & incommoda illud certe non est minimum, vt videlicet, vbi vinum ingreditur, ibi plerumq; omnia arcana egrediantur: quo circa etiam Veteres vulgari in prouerbio dicebant, quod vinũ nudo podice incedat. Quo dicterio indicare voluerunt, quod nihil tam turpe, nihilque adeo ignominiosum fiet, quod non publice vinum spectandũ præbeat. Vnde etiam Æschylus dicere solebat: Politam Chalybem faciei, vinum vero animi voluntatisq; humanæ esse speculum. Etiamsi autem Ouidius vinum sequentibus in versiculis:

Vina parant animos, faciuntque coloribus aptos,
Cura fugit, multo diluiturque mero.

collaudet: nihilominus tamen ab alio quodam Poeta sequentem in modum versus isti inuertuntur, impugnanturque:

Vina

Vina parant animos, faciuntque coloribus aptos,
Stultitia in multo contrahiturq; mero.

Cui subsequentibus in versiculis adstipulatur Propertius:

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas,
Vino sæpe suum nescit amica virum.

Exiguam quoque laudem vino Ouidius tribuit, dum quodam in loco sic canit:

Nox & amor, vinumque nihil moderabile suadent,
Illa pudore vacat, Liber amorque metu.

Quomodo, & qua de caussa vero à vino sibi aliquis cauere debeat, id eleganter Virgilius sequentib. in versiculis (qui non immerito iuuentuti, atq; adeo omnibus & singulis probe inculcandi sunt) demonstrat dum sic inquit:

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore,
Vno eodemque modo vina Venusque nocent:
Vt Venus eneruat vires, sic Copia Bacchi
Eneruat gressus, debilitatque pedes.

Similiter & etiamnum hodie Neapoli in templo, quod in monte Oliueto situm, sequens Epitaphium videre est: ex quo colligitur, quantas videlic. rixas contentionesque vinum inter ipsos etiam coniugatos, atque adeo in ipso thoro pariat: quod sic sese habet:

Heus viator miraculum,
Hic vir & vxor non litigant:
Qui simus, non dico: at ipsa dicam:
Hic ebrius Bebrius, me ebriam Bebriam nominat:

Cui maritus:

Heu vxor etiam nunc mortua litigas? Vale.

In Summa, humana lingua nemo eloqui poterit, quanta nimirum damna detrimentaque ex vino atque ebrietate oriantur: nihilominus tamen videre passim licet, quomodo videlic. non dumtaxat personæ aliquot particulares, sed & vniuersi populi atque Nationes tam tetro isti vitio nimium deditæ fuerint. De Philippo Macedoniæ Rege siquidem Carystius in Commentarijs suis refert, quod mero plus iusto deditus fuerit,

Es muß gesoffen sein etc.

in quo hauriendo plerumque, *Potandum est*, & sufficit, quod Antipater noster (qui præcipuus Philippi Consiliarius exstitit) sobrius iam permaneat, dicere solebat. Sic Polæmon famoso cuidam biboni, qui Arcadion dictus, & sub ipsa crapula exstinctus fuit, sequens conscripsit Epitaphium:

Arcadionis habet tumulus hic ossa bibacis,
Erectusque vrbis proximus ille via huic:
Charmylus & Dorei posuerunt.
Mortuus est vir.
Dum magni calicis ebibit iste merum.

Alcetas bibax infundibilũ

De Alceta Macedone quodam Aristus Salminius, & Diotimus Atheniensis scribunt, quod, ob nimiam suam bibacitatem, *infundibulum*, vtpote qui repleri haud potuerit, cognominatus fuerit. Sic de duobus merobibonibus, Lacyde & Timone videlicet, legitur, quod aliquando inter se inuicem certauerint, vtrum alter alterum bibendo vinceret. Cum autem nullus alteri cesserit, sed potando pares exstiterint, eapropter ipsos, insignis Triumphi loco, sequentem ex Homero versiculum:

Gloria parta ingens, occidimus Hectora clarum.

recitasse. Postquam vero postridie iterum conuenissent, & hauriendo alter alteri iterum certamen indixissent, ex quibus tum temporis Timon Lacydi cedere necessum habuisset, Lacydem victorem tum alterum versiculum vsurpasse:

Inualidi nobiscum ineunt certamina nati.

Similiter etiam Phanias Eresti-us, in libro suo de morte tyrannorum, inter alia commemorat, quod Scortas, Regis Creontis filius, cottidie vino supra modum hauriendo indulserit, & sic inebriatus in aureo quodam solio à quatuor viris sese hinc inde circumgestari passus fuerit. Eiusdem vitij Dionysius quoque à Theopompo arguitur.

Simili modo etiam Alexander Magnus à Plutarcho: Mycerinus Rex Ægypti, ab Herodoto: Rex Antigonus, à Philarcho: Demetrius, à Polybio: & fæminæ in Græcia, ab Antiphane, in Iaculante suo, eiusdem flagitij insimulantur. Immo vniuersæ Nationes ea ipsa de caussa male audiunt, & ea de re

de re incusantur ab Auctoribus, vtpote Tapyrij, à Betone & Amynta, binis istis Historicis, quorum Athenæus lib. 10. cap. 9. meminit: Phigalensii, ab Harmodio Lampreate: Byzantini, à Philarcho: Elæi, à Polemone: Chalcidenses, à Theopompo: Thracij, à Callimacho: Illyrij, ab Hermippo, & similiter Airieis, &c.

Vice versa omneis sapientiæ honestatisque studiosi vitium illud cane & angue peius semper detestati sunt, quocirca etiam, ad præcauendum illud, pecculiares leges atque statuta condiderunt. Sic Zeleucus etiam infirmis & ægrotis vini vsum interdicebat, ne in morbo illud noscerent, eodemq; postmodum, pristinæ suæ valetudini restituti, vterentur. Indiani quoque, sobrietatis & temperantiæ studiosissimi isti populi, peculiari lege gaudebant, quod videlicet fæmina, ebrium Regem trucidans, occisi Regis Successorem, loco præmij, in maritum acciperet. Priscos apud Romanos vinum mulieribus adeo stricte fuit prohibitum, vt etiam illa, quæ legem istam transgressa & vinolenta deprehensa fuerat, non secus, ac si thori iura violasset, certum supplicium sustinere necessum habuerit. Apud Massilienses itidem summum dedecus & ignominia habebatur, si vir quidam vino obrutus conspectus fuisset. Apud Trogloditas Regi modicus musti vsus concedebatur, qui tamen cæteris Senioribus, sub pœna corporis, prohibebatur. Ægyptij vinum veneni instar, euitabant, vtpote quod immoderate sumptum ad omnis generis scelera & flagitia ansam occasionemq; præberet. Ita etiam Athenienses ebriosos merobibones ipsa vita spoliabant: & Massinenses, eis Carimbum fluuium habitantes, Reges suos fame enecabant si vino sese inebriassent. Simili quoque modo & alij populi, & eiusdem Sectatores aut corpore, quosdam vita, alios bonis & fortunis aliquos honore, aut similibus istiusmodi transgressoribus destinatis pœnis, mulctabant. Id quod omnibus & singulis, ad meliorem informationem, seriamque detestationem nunc dictum esto.

IN DISCVRSVM XXV.

ADNOTATIVNCVLA.

DE Commessatoribus, lurconibus, atque merobibonibus istis, Celii Rhodigini libri quarti caput undecimum, & eiusdem libri quarti caput quadragesimum quintum Antiquarum suarum lectionum commodè inquiri poterunt.

DE IOCVLATORIBVS, DICTERIIS iocosis, ænigmatistis, atque ænigmatibus.

DISCVRSVS XXVI.

EXtra omnem dubitationis positum est aleam quod etiam Philosophia Moralis honestis viris quandoque iocosa dicteria usurpare permittat; quo alias seriis arduisq; cogitationibus onustum defatigatũque animum suum quodammodo recreare possint, ne forsitan, assidue intensi arcus instar, vires suas quidam semper acuant, earumdem operationes tamen interea amittant. Vbi tamen & hoc probe notandum considerandumque est, ut videlicet in iocando moderatio & modestia adhibeatur, nec permissa alias honesta ista dicteria in scurriles ignominiososque sermones forsitan conuertantur, sed multo potius, ut, juxta modestam aliquam ciuilitatem, etiam paratus acutus, ingeniosusque iocantis intellectus ex inde depræhendatur, quo auditores, absque ulla molestia atque offensione, aliquãto hilarius recreentur. Quandoquidem vero Cicero Quintilianus, Balthasar Castiglionius, Bar-

us, Bartholomæus Cauacantius, Franciſcus Guicciardinus, Stephanus Guazzus, Hieronymus Garimbertus, Dominicus, aliique plureis de iſtiuſmodi dicteriis aliquanto copioſius neruoſiusque ſcriptitauerint: icc irco breui aliquo in Diſcurſu omneis diſtinctas ſpecies modoſque, quales à ſapientibus, aſtutis, prudentibuſque hominibus proferre poterunt, heic ordine commemorabo, atque ſimul, qualis videlicet in proferendis illis modus obſeruandus fiet, indicabo: adeo ut omneis honeſtatis ſtudioſi amáteſque, quantum quidem mihi ipſi polliceor, ſufficientem voluptatem recreationemque exinde percepturi fient.

mdē Iſti autem iocoſi ſermones ſiui dicteria in genere ſubſequentes in ſpecies diſtribuuntur. Quidam enim modeſti & ciuiles, aliqui ridiculi, quidam aculeati & mordaces, aliqui falſi fictique, quidam vero graueis & ponderoſi ſunt. Modeſti & ciuiles ſermones iterum ſunt multiplices, utpote tales, qui alienum intellectum habent, & verba aliter, quā ſunt, intelliguntur, ut ſunt inopinati immutati ſermones, duplicemque intellectum habentes, verba Metaphorica, interſertæ loquutiones, adagia, reſponſiones, quæ ad ſola verba, non vero ad interrogantis ſenſum diriguntur; ſermones allegorici, parabolæ, clanculum occulta ſuſpectaq; verba, ſermones caſtigatorii, compræhenſibiles loquutiones, quibus res diuerſæ, & à ſe inuicem ſeparatæ, cōplectuntur, admonitorii, conſulatoriique ſermones, tardæ loquutiones, & alium finem ſpectantes ſermones, verba aduerſaria, obloquutiones, ſalſæ exprobrationes, aliunde ſumptos ſuccurſus, aliæ diuerſæque explicationes.

In ſermonibus ridiculis habentur Collationes, Hyperboles, ubi res nimium & plus iuſto extollitur, ſimulatio ſtultitiæ, magnæ inſcitiæ, alicuius exhortationis, explicationes itidem, Ironiæ, ſermones diſſimiles, qui tamen inetr ſe inuicem conueniunt, tacitæ exprobrationes, propria accuſatio, magna concupiſcentia, conſideratorii, parabolici, quærimoniales, inopinati, iocoſi fabuloſique ſermones.

In aculeatis mordacisque loquutio-

quutionibus, clandestini repe-riuntur morsus, simulationes, repræhensiones nominationes argutæ, diuisi sermones, qui aliter, quam sonāt, intelliguntur, responsiones mordaces, æqui, contrarii, historici fabulosi sermones, clandestina repræhensio, occultus intellectus &c.

In falsis fictisque loquutionibus habentur Dissimulationes, Ironiæ, occulti arcanique sermones, Parabolæ, & morsus.

In arduis grauibusq; sermonibus reperiuntur sententiæ, prouerbia, sermones tardi, obiectiones, & consideratæ responsiones. Et hæc est magna ista sylua omnis generis iocoseriorum sermonum, de quibus nescio an fortassis alius tam breuiter & dilucide scriptitauerit. Quoniam autem dicteria ista exemplorum inductione & melius explicantur & intelliguntur: eapropter ad unumquoque unum aut alterum exemplum non dumtaxat adjecturus, verum etiam memorabilia, elegantissima, & lepidissima; qualia modo apud omnes Auctores, qui ea de re scripserūt reperire potui, electurus sum.

Et primo quidem ad ciuiles modestosque sermones quod attinet, illorum aliqui repeti-untur, qui aliter, quam ipsa verba sonant, intelliguntur: quemadmodum in Poeta Stesichoro videre est, ubi Locrensibus inter alia exprobrat, quod stolidi cum fortioribus dimicare vellent, cum tamen sibi ipsis neutiquam consulere, sed etiam eo ipso totam suam prouinciam pessum dare possent: quocirca acuto & ciuili isto sermone utitur: Ne videlicet ipsos bello peterent, periculum enim esse ut postmodum locustæ virides humi in prouincia sua canerent: Quo innuere & significare ipsis voluit, quod omnis ipsorum Regio, ni quiescerent, vastari, omneis quæ in eadē arbores, in quibus locustæ canere soleant, succidi possint.

De inopinatis insperatisque sermonibus vetusti alicuius Poetæ exemplum reperitur, qui aliquando apud alios, sese neque pedes neque frigidas calces habere, affirmabat, quibus tamen auditores calceamenta sub intelligebant. Aut exemplum, quod Quintilianus de Cicerone recenset. Cum enim fama diuolgaretur, quasi Vatinius cæsus esset, Ouinium Libertū,

ipsi fermenon adeo bene cupienteum, quomodo res sese haberent, interrogabat: Postquã vero ille, bene sese res habere, respondisset, Cicero inopinato in hæc verba,eia tunc mortuum illum esse oportet, erumpebat. Vel aliud eiusdem cum de quodam, exiguo dumtaxat honore prædito, ita ait: Homini isti nihil aliud, quam virtus atq; vestimenta desunt.

Conueisi sermones in transpositione alicuius verbi, vel unius syllabæ mutatione in uno quodam verbo & consistunt, quemadmodum in trito isto Italico versiculo:

Martha, che merta un mirto, m'urta

Videre est, & inscriptione, quam aliquis ad fæminã quamdam, Æmiliam piam dictam, sic scriptitauit: *Ad dominam Æmiliam impiam*: & de alio quodam quide Oratore, ipsum videlicet in Aratorem conuersũ esse, affirmabat. Item alius de leui quodam nobili, illum non minus mobilem, quam nobilem esse, dictitabat.

De duplicis intellectus loquutionibus exemplũ aliquod in promptu habetur, cuius Caualcantius in Rhetorica sua mentionem facit, de quodam dicente: Non decebit quod peregrinus semper peregrin⁹ fiet: ubi alterũ vocabulũ peregrinus nõ in proprio suo intellectu manet, sed inexpertum rudemq; aliquem hominem significat. Similis erat Romani illius loquutio, qui de furace voraceq; suo seruo querebatur, & ipsum solum in ædibus suis esse, cui neque culina, neque cella occlusæ fient, affirmabat. Vbi aliquis sibi persuasisset, quasi seruo isti uniuersæ domus cura demandata fuisset: cum tamen Dominus omnino contrarium intelligebat. Istiusmodi sermo Ciceronis quoque erat responsio cum de Milionis accusatore, qua videlicet in hora diei Clodius interfectus fuisset, interrogaretur: ad quæ idem ille Cicero *sero* respondit: clanculum innuens, ipsum (Clodium) pro suo merito citius trucidandum fuisse.

De loquutionibus figuratis exemplum Chrysippi intueri licet. Cum enim ille in triumpho Cæsaris eburnea Castella, quæ circumferebantur, conspexisset, in Fabij Maximi triumpho autem lignea circumferri vidisset: hæc postrema inquit vasa sunt, iu quibus priora

ista recondita fuerunt. Idem Ciceronis sermo fuit, qui, cum, veluti Quintilianus quodam in loco commemorat, de Vaticinij (cui per omnia Ciceronis neutiquā bene cupiebat.) morte certior redderetur, auctor autem istius cædis adhuc nesciretur, atque caussa ista dubia & incerta erat, sic dixisse fertur: Eia iccirco ego interim censu siue pensione vtar, donec, si reuera mortuus, integram solutionem accepero. Immixti vel interserti sermones in eo consistunt, si forte fortuna aliquis versiculus, vel alia quædam loquutio adeo interseratur vel immisceatur, vt bene & ciuiliter inter se inuicem cohæreant: quorum exemplum videre est in *Cortigiano* (Aulico) M. Hieronymi Donati, vbi de se ipso loquitur, quod videlicet, postquam aliquando, vna cum alijs, per vrbem Romam obambulasset, ijsdemque pulcherrimarum viraginum cohors obuia facta fuisset, quibus visis vnus suorum Comitum sequentem versiculum:

Quod cœlum stellas, tot habet tua
Roma puellas:

recitasset, tunc eumdem istum Donatum, conspectis ab altera parte comptulis nitidulisque quibusdam iuuenibus, illico sequentem in modum respondisse.

Pascua quot hædos, tot habet tua
Roma Cinædos.

Adagia siue Prouerbia tales loquutiones nominantur, quando nimirum ad quæstionem, vel aliam aliquam loquutionem, adagio concinno respondetur: vt si quis ad Dominum, vel regnantem aliquem, subditos suos contemnentem vel de ijsdem conquerentem, dicat: Piscis plerumque fœtet capite: aut, qualis domina, tales etiam Catelli: quibus innuitur, quod Domini & Magistratus subditis suis sæpenumero ad omnis generis indignationes ansam occasionemque præbeant.

Responsiones, quæ ad verba, non autem interrogantis opinionem, quadrant, exemplum Domini cuiusdam in promptu est, qui ad veterem suum ministrum & Domesticum, herum, vt quadam in re sibi inseruiret, rogantem, dicebat: impera modo, & tunc tibi inseruiam: ad quæ seruus hero suo ita respondebat: Rogo te, mi Domine, vt mihi inseruias, tanquam

tamquam tuus fiem Dominus. Allegoricæ loquutionis exemplum Aretinus iste facinorosus præbet.

Cum enim Romæ, spermologæ obscœnæque linguæ suæ caussa, virgis publice cæsus, semimortuus quasi rellictus, atque ex commiseratione à viro quodam auctoritate & existumatione grauissimo in ædes suas receptus, hac ratione aliquantulum recreatus, atque à viro isto interrogatus fuisset: num simili quoque modo male de se loqui velit, veluti de alijs benefactoribus suis fecisset? respondit: *Vt sementem feceris, ita & metes.*

Parabolici Sermones sunt, quando videlicet aliquis vel se ipsum, aut alium quemdam, cum rara aliqua re, ciuiliter & decente tamen modo, comparat, vti eius rei exemplum in Lucullo habetur, qui amasiam suam, ob inconstantiam suam, cum Cameleontis cute comparabat. Simulatio stultitiæ fit, quando aliquis illum, cum quo sibi agendum est, minus bene intelligere simulat: Cuius rei exemplum in Pontidio Romano videre est, qui quid nimirum de illo, qui in adulterio depræhenderetur, sentiendum fiet, interrogatus, talem nimis tardum esse respondit.

Clandestini, occulti, suspectique sermones sunt, si quis ad suspectum aut ridiculum quiddam figurate, & ita quidem quomodo videlicet aliquis interrogatur, respondeat, alio tamen sub intellectu cuius rei exemplum patet in Catullo, qui Oratori alicui (simpliciter peroranti, & Catullum, num in Concluso quodam auditores non satis commouisset, interroganti) respondit: maxime, inquit, nullum siquidem adeo dura corda reperiri mihi totus persuadeo, quæ non adeo ad commiserationem aliquam tua commouerit oratio.

Castigatorij Correctorijque sermones sunt, quibus alterius defectus atque stultitia ciuiliter, & absque vlla exacerbatione corriguntur: Cuius rei Sicilianus quidam exemplum porrigit, cui Scipio, tamquam Prætor, de veteri Romanorum more, vnum ex familiaribus suis (minus tamen sat prouidum, & Sapientum aliquem octauum) in Aduocatum tribuere satagebat; sed respondebat Sicilianus ille; Mi Domine Prætor, quæso

hunc Aduocatum meo aduersario, mihi autem nullum omnino adtribuas. Loquutiones complexæ sunt, dum res diuersæ simul putantur: qua in re exemplum Flauuij Rutilij præsto est, qui, postquam Hortensium Sarniensem aliquem ad sibi adstantes venire conspexisset, sic inquit: Quam apte hic Prioris Mineruæ vice peracturus esset? Quo innuere & significare voluit, quod ille, tamquam alter aliquis Simplicius, tenuiori alicui functioni præponi posset.

De Sermonibus exhortatorijs vel Consultatorijs, exemplum Grauij, faceti & iocabundi alicuius viri, itidem in promptu est, qui frigido & stentoreo cuidam Procuratori suadebat, vt certam quamdam potionem pro colli sui raucedine sananda, (quæ tamen morbo isti è diametro aduersabatur) vteretur.

Cum vero Procurator iste inferret, atque, potionem istam collo suo plus ob: quam profuturam esse, prætenderet. Melius est, respondebat ei Grauius, vt collum vocem quem tuam, quam reum aliquem accusando perderes, aut omnino in vitæ discrimen adduceres. Eodem isto sermone, Democritus quoque vsus est, postquam vndecim lictores furem vnum in carcerem deducentes conspexisset: quem tum temporis sequentibus verbis compellauerat. O te miserum, alio tempore plus tibi furandum est & tunc omneis XI. tecum ducere poteris.

De permissiuis loquutionib. Gaij Lælij exemplum habeatur. Cui nobili stemmate & sanguine nato postquam quidam nauci quidam verbero inter alia exprobrasset, quod maioribus suis indignus esset, ciuiliter nequam isti exprobratori, iccirco tu Maioribus tuis bene dignus es, respondit.

Tardæ responsionis exemplum à Censore Lepido suppeditatur, qui pro Romanorum more, equiti cuidam, Antistio videlicet, ob transgressionem aliquam equum ademerat; qua de re equitis illius Gẽtiles summopere conquesti Lepidum interrogabant, eo quid nam caussæ contra equitem illum haberet, quid patri suo, ad sui defensionem, responsurus esset, quomodo talem mulctam promeritus

meritus fiet, cum tamen in vicinia prouidi, pacifici, & probi alicuius nomen semper obtinuerit? Ad quæ Lepidus lepide ipsis respondit: renunciarent patenti, quod rerum istarum nullam de equite isto Lepidus crederet.

Loquutiones, alium finem spectantes, sunt illæ, quando nimirum illud verbum, quod antea vsurpatum fuit, repetitur, alium tamen in finem. Exempli gratia cum Dux Vrbini periculosum aliquem fluuium trāsire conaretur, & ad tubicinem suum *Passi*, (permeato, diceret: tubicen nudato reuerenter capite, Duci, *Passi la Signoria Vostra*, respondebat. & hac ratione Clementiam suam se sequi debere existumabat.

De verbis contrarijs aut responsorijs exemplum præbet Beroaldi, Germano cuidam studioso data, responsio. Cum enim studiosus iste Beroaldum ita: *Domine Magister, Deus det vobis bonum sero*, salutasset: Beroaldus illico: *Et tibi malum cito*, studioso respondit.

De Sermonibus interloquutorijs Carolus Quintus exemplum subministrat, qui orationi alicui, (quam Alemannus, Francisci Galliarum Regis Legatus coram eo habuerat, & in illa Cæsaream Aquilam ciuiliter laudabiliterque extulerat) circa Orationis istius finem, sequentem versiculum:

Et l' Aquila grafigna, e per piu deuorar due becchi parta:

interposuit, atque eo ipso Oratori adulationem suam in memoriam reuocare voluit, vt pote qui antea in aliquo Sonetto, quod in Aquilæ contemptum ludibriumq; composuerat, modo commemoratum istum versum immiscuerat. Simili modo in loci alicuius iudicio, Procuratori cuidam ab aduersa parte aliquando obloquutum fuit, qui, donec aduersarius verba faceret, extrinsecus, asini instar, rudebat, & clara voce, an non auditis quomodo hic verbis suis intonet? exclamabat.

De ciuilibus morsibus exemplum videre est in Gemin-Ottomano, Turcorum Imperatoris fratre Germano, qui, cum Romæ captiuus ludis equestribus spectator interesset, dixit: Ad iocandum, nimium: ad seria autem nimis frigidum erat.

Aliunde sumpta intellectaque loquutio est, quando quidem id quod ab aliquo in medium

profertur, verum esse conceditur, alio tamen, quam prolatum erat, modo explicatur. Exemplum amator ille suppeditat, qui amasiam suam, ob formositatem illius mirum in modum prædicabat.

Cum autem illa amanti sese exprobraret, quod videl. alio in loco non sine contemptu annos seniles sibi obiecisset: respōdebat ille: Ah, mea Domina, in sinistram partem illud mihi neutiquam interpreteris. Id siquidem nulla alia de caussa à me dictum est, quam quod te cum Angelis in Cœlo compárauerim, qui primæ quidem & vetustissimæ adeo *Dei Ter Optimi Maximi* creaturæ sunt, & nihilominus tamen in formositate sua minime defecerunt.

Sermonum, alium intellectum habentium, exemplum recensetur de quodam, qui aliquando ad summum Pontificem dicebat, si videlicet sibi ad certam aliquam dignitatem ad iumento esset, tunc, vice versa, seipsius S. duo Officia traditurum: Pontifice autem, quænam illa officia essent, rogante: *Officium Domini, & officium Dominæ*, Sollicitator respondebat. Illi haud multum dissimilis erat ille, qui de Calphurnio, ipsum ideo ita nominari, quod fornaces calefaceret, affirmabat.

Ad ridiculos iocososque sermones, & præsertim comparationem quidem, quod attinet, Dominus Iohannes Gonzaga exemplo est, qui ludendo filium suum Alexandrum, æque libenter ludentem, cum Alexandro Magno comparabat, quod Patre suo perdente, contristaretur: filium suum hac in re Alexandrum Magnum imitari inquiens. Quemadmodum enim ille, Gonzaga pergebat, mœrebat, si ipsius Pater Philippus vnam, post alteram, victoriam obtineret, & Patrem videlicet omnia solum recuperaturum, atque hac ratione sibi nihil omnino lucri rellicturum esse, verebatur: ita etiam filium suum mœrore affici, si patrem perdere videret, & timere patrem omnia amissurum, & sibi nihil perdendi rellicturum esse.

De loquutionibus hyperbolicis exemplum Scipionis in promptu est, qui Numantiæ ad Metellum, Quartum Metelli Macedonici, si videlicet mater sua quintum enixa fuisset, tunc se omnino asinum factum esse, aiebat;

ajebat: quatuor enim illos, à primo, ad quartũ usque, alternatim rudiores semper exstitisse. Idem etiam de seruo suo Golpino affirmat, quod ob nimiam corporis macilentiam & facilitatem suam, ipsum aliquãdo, ignem in foco excitantem, una cum ipso fumo per fumarium euolaturum esse, verebatur. Simili loquutione jocabatur olim Augustinus Beuazzanus de auaro aliquo Euclione, qui, postquam audiisset fruges cottidie, & magis magisque vili pretio ubiuis ferme comparari; sibi ipsi laqueo gulam frangere voluit. Postquam autem seruus eius id conspexisset, audito tumultu adcurrisset, & disciso laqueo, herum suum in viuis conseruasset, ingratissimorum omnium ingratissimus nequã, etiam restis pretium à fido suo seruo postulauit.

In sermonibus, ubi quis stultitiam & ignorantiam simulat, exemplum Camilli Paleoti in promptu est, cum de quodam sic dixit: Stultus ille, quamprimum ditescere cæpit, mortuus est.

Tacitæ alicuius admonitionis exemplum in Lentulo videre est, qui sagam, ex omnibus, quos modo inuenire posset, coloribus, sibi comparare voluit. In verbis, pecculiarem declarationem explicationemque aliquam desiderantibus, exemplum habetur apud Raphaelem de Pazzis in enucleatione alicuius inscriptionis, quę in quibusdam litteris, quas Prior de Messina ad non nominatum aliquem hisce verbis: *Esta carta se badè dar a quien es causa de mi pena*, h.e. Litterare istæ tradantur illi, qui est auctor mei infortunii, exarauerat: Quas aliqui litteras amatorias esse autumabant; quæ tamen ad Paulum Tholosanum perscriptæ erant; qui apud commemoratũ istum Priorem decẽ ducatorum millia mutuo súpserat. Verebatur autem Prior iste, ob nimiam Tholosani istius prodigalitatem, se ne obolum quidem umquám recepturum esse.

Ironico-jocosarum loquutionum, in quibus aliis verbis quidem Laudatur, ipso facto tamen vituperatur atque ludibrio habetur, exemplum in Crasso præsto est, qui, postquã ipsius aduersarius, Lamia dictus, deformis decrepitusq; senex, atque simul ineptus imperitusque Orator, se videlicet in

judicio

judicio non sufficienter auditum fuisse, conquestus esset, dictis istis illico addebat: elegantem alacremque huncce puerum, Quirites, adhuc semel audiamus. Cui autem Lamia iste respondebat: Ne me, Crasse, sic irriseris, corpus siquidem meum ipse non formaui, attamen animum meum, quantum quidem fieri potuit, ornatum reddidi. Ad quæ Crassus iterum satis ironice: Audiamus igitur, Quirites, tam eximium Oratorem, ut tandem querelis ipsius aliquando liberemur, & imposterum conqueri desinat.

De inæqualibus, inter se tamen conuenientibus, loquutionibus elegans facetumq; exemplum Dominus Latinus Iuuenalis tradidit, quid ad Dominicum Lucam de Pontremolo, & Dominicum de Porta, ambos gibbosos humerisq; incuruatis incedentes, & à Romano Pontifice ad denuo inchoandum auditorium Rotæ vocatos, olim dicebat: Sanctitatem, suam toto cœlo aberrare, si, quod Rota duobus incuruatis iterum erigenda esset, autumaret.

Tacitarum exprobrationum exemplū lepidissimum in Diogene habetur. Cum enim ille Corinthi jamjam pro mancipio vendendus esset, & præco ipsum, quid videlicet de eo exclamare deberet, & quid optume perficere potis esset, interrogaret. Diogenes, se optumè imperare posse, respondit. Quibus auditis præco, ad risū commotus, ajebat: Sat igitur negotii mihi hodie facesses donec Dominum emere volentem adinuenero.

De propria accusatione exemplū habetur in quibusdam, qui apud Pyrrhum accusabantur, quod male de ipso loquuti essent: Cumque illud negare minime possent, dicebant: Inficias quidē ire non possumus: sin vero plus vini nobis suppeditasset, tunc plura etiam dixissemus.

De magnis concupiscentiis siue desideriis ridiculum exemplum in aliquo videre est, qui in fluuio aliquo natans totum istum lac coagulatum, & littus scriblitis refertum esse exoptabat, tunc enim illic seipsum immersurum esse dictitabat.

De excogitatis sermonibus lepidum habetur exemplum in Galliarum Rege Henrico, qui aulicorum suorum cuidam

(qui

(qui ad Saluciani Marchionatus gubernationem anhelabat, atque, quod sibi à quibusdam ad munus illud gratularetur, Regi tacite insusurrabat, ea intentione, ut, quæ Regis ea de re esset sententia, clanculum expiscaretur) inquiant, quæ volent, quo enim hamo piscentur, ipsi ignorant, lepidè respondit.

De Parabolis siue similitudinibus scitum exemplum in Augusto Cæsare videre est, qui militi alicui, tremulis manibus sibi litteras porrigenti, non tibi adeo timendum est, ac si elephanti alicui pabulum prębeas, respondit.

Occultorum sermonum querimonialium exemplum pater aliquis præbet, qui filium suum ad mortem condemnatum esse audiens, lacrumabatur. Cum autem à filio, cur videlicet lacrumas cieret, interrogaretur: an igitur, tu bestia, mihi cantandum est, respondit?

De impudicis loquutionibus exemplum in Crasso aliquo adparet, qui aduersario, de rebus aliquid audiuisse dicenti, respondebat: an non autem fieri potest, quod forsitan illud sinistre intellexeris? Cumque ille idem affirmasset? Crassus tum iterum, an non igitur fieri potest, quod illud fortassis non audiueris? Quibus sic dictis omneis Circumstantes, ad risum commoti, bene animaduertere potuerunt, quod aduersarium suum commemorato isto mendacii, ex propriis suis sermonibus, suspectum reddere voluerit. Ridicularum iocosarumq; loquutionum exemplum in Cicerone reperitur, cum ad Sextum Clodium Phormionē ipsum videlicet nigredine & audacia esse, diceret.

De ridiculo-fabulosis sermonibus exemplum in Galba habetur, qui, postquam quidam, se in Sicilia anguillam, quinque pedes longam, vili pretoeio emisse, diceret, ridenti ore respondit: id quidem nullum tibi mirum videatur, cum in eadem ista Prouincia cingula ex anguillis istis præparentur.

Inter mordaces aculeatasq; loquutiones præsertim numerantur mordaces isti Sarcasmi, quorum memorabile aliquod exemplum in Caio Cæsare videre est: qui, postquam Pomponius ipsi vulnus, quod in facie, Sulpitiano sub tumultu, i-

ipsius caussa acceperat, ostendisset, caue, ne fugiens respicias, perbelle eidem respondit. Item, in Domitia, quæ cum Iunius Bassus, quod ipsum adeo nauci æstumaret, & de se hinc inde spargeret, quasi obsoletos nulliusque pretij socculos venderet, conquereretur, eidem similiter facete respondit: Numquam se illud, sed, vice versa, quod, ob vile pretium, viles, veteres, lacerosque socculos coemeret, dixisse. Persimile quoque habetur exemplum in Diogene, qui, postquam aliquem, antea prædiuitem, tum autem, ob nimiam ipsius prodigalitatem, ad summam inopiam egestatemque redactum, cœnam suam Syluestribus lactucis adornare conspexisset, ad eum ita dixerit: Si olim simili quoque modo pransus esses, nunc non ita cœnares.

Idem ferme exemplum etiam Cicero, in Oratione sua pro Pub. Quintio, de Scipione recenset, qui ad aliquem militem qui Clypeum suum mirum in modum expolierat, sic dixisse fertur: Nullum nunc sibi videri mirum, quod scuto isti plus, quam gladio & pugno suo fideret. Aliud itidem de eodem isto Diogene refertur, qui, cum sup. a ianuam improbi alicuius nebulonis: *In hanc domum nil intrabit mali*, scriptum depræhendisset, ridenti ore, Vbi nam quæso intrabit Paterfamilias? dixauerit.

De clandestinis occultisque castigationibus inlustre exemplum idem ille Cicero suppeditat, qui, cum Fabia Dolabella, satis effœta, se saltim triginta annos compleuisse gloriaretur, scite respondit: verum quidem illud esse, ante viginti tamen annos sese idem audiuisse. Similem istiusmodi loquutionem quoque Bion de Cleostrato recenset, qui, cum ab aliquo audiuisset, quod alium quemdam ebrietatis caussa obiurgasset, & ad illum ita dixisset: an non te pudet, quod immoderato vino teipsum ita obruas? eumdem sequentem in modum iterum increpauerit. Et te, quæso, an non pudet, quod virum vino sepultum obiurgare coneris?

Simulationis alicuius exemplum in Scæuola videre est, qui Septumuleio homine auarissimo ipsum sollicitante, quod videlicet secum, tamquam Gubernatore, in Asiam proficisceretur,

retur, facete ipsi sic respondit: Quid quæris, inquit? Tot siquidem improbos nequam Romæ inuenies, adeo vt tibi certo pollicear, si videlicet illic remanseris, quod paucorum annorum spacio ingentem thesaurum tibi comparaturus sies. Dum autem Septumuleius ille sibi persuaderet, quod nimirum Scæuola sibi salutari aliquo consilio subuenisset, scitè tamen, vice versa, ab eodem interim delusus fuit.

Diuisionis, vel loquutionum diuisarum exemplum in Hippone Philosopho habetur, qui dicere solebat, maritũ aliquem duos saltim dies hilariores cum coniuge sua transigere: vnum quidem, quando videlicet ipsi noua nupta adduceretur: alterum vero, quam de eadem mortua iterum domo sua efferretur.

Nominationis argutæ exemPlum in Scipione Aphricano videre est, qui ad Capitaneum aliquem, sese excusantem quod Paulo Æmilio in prœlio contra Hannibalẽ succurrere haud potuerit, quoniam castra & impedimenta (quæ alias etiam in hostium manus peruenissent) custodire necessum habuerit, dixit: magnam nimis diligentiam approbare minus potero. Ille diligentiam suam prædicare conabatur: hic vero, versa vice, Capitaneum istum tacite arguebat, quop putaticia ista sua diligentia Duci suo bellico fidẽ minime seruasset.

De loquutionibus, diuersum contrariumq; intellectum habentibus, exemplum habetur in Fabio Maximo: qui, cum Liuius Salinator Tarentum, solo Castello excepto, amisisset: Fabius autem illud recuperasset, inque eo recuperando dictus iste Liuius ipsi, facta è Castello, in quod sese antea receperat, excursione, aliquantulũ subuenisset, atque exinde Fabium rogasset, ut nimirum memor esset, quod sua ope & auxilio urbem occupasset, ipsi ad hæc respondit. Quomodo, quæso, eius rei obliuiscerer? fateri siquidem necessum habeo, nisi urbem istam tua desidia & negligentia amisisses: tunc maxume eamdẽ denuo recuperare neutiquam coactus fuissem.

De responsoriis & morsibus alternantibus Quintilianus lepidum de aliquo exemplum recenset, qui Philippus dictus, alterum, Catullum appellatũ,

grauiter aliquando objurgabat: Cui Catullus, & quid tu latras? respondebat: atq; adeo illum cane comparare conabatur: ad quæ alter inferebat: Ideo latro, quod canem præ me habeo: quo ipso morsũ, vel latratum, juxta amborum istorũ opinionem, potius, ad alterius nomen conuertebat: Catullus & Catellus enim fermè sunt Synonima.

Aliud, de Galeotto Narniensi, exemplum recensetur, qui Sienam transiens, atque in via publica moram nectens, de diuersorio obuios interrogabat: postquam autem illum Eironicus aliquis Senensis conspexisset, ipsumque, una cum crasso suo ventre, irrisisset, inquiens: Alii onerosas suas sarcinas à tergo, hic autem suas in pectore gerit: Galeottus Eironico isti Ismaeli os sat commode obturauit, atque sequentem in modum respondit: Ita faciundum est, si qui prouinciam vel urbẽ aliquam, in qua multi degunt fures, transire necessum habet.

De prudentibus ipsique æquitati consentaneis loquutionibus exemplum in Cæsare Augusto videre est, qui, postquam Tarraconenses insigni quadam adulatione ipsi per legatos suos ingens aliquod in summum eius vergens miraculum significari curassent, quod videlicet palma in altari suo, quod ipsi, tamquam Deo, erexerãt, sua sponte progerminasset: ipsis responderi curauit: Exinde se bene colligere posse, quanto videlicet honore ipsum prosequerentur, & quanto studio pro ipsius salute sacrificia sua peragerent.

Contrapositionis exemplum in Genuensi quodam homine prodigalitati ad prodigium usque dedito, videre est. Postquam vero, eius rei gratia, ab auaro aliquo fœneratore argueretur, isque ipsum sequentibus verbis compellaret: Et quando, inquit, usurarius, tamdem bona tua abiicere desines? Et quando, respondebat Genuensis ille, denique & tu quoque aliis hominibus bona sua furari cessabis?

De sermonibus fabulosis Caualcantius illam responsionem ponit, quam Antonius Sexto Titio dederat, qui, sese Cassandram esse, quæ quidem res futuras prædiceret, cui tamẽ nulla omnino fides haberetur, dicere solebat. Ad ista igitur dictus iste An-

iste Antonius ipsi aliquando respondebat: Fieri quidem potest ut Cassandra fies, multos siquidem Aiaces Oileos noui, qui tibi manus injecerunt. Quo cauillo ipsi libidinosam suam vitam exprobrabat: Aiax, Oilei filius, siquidem Cassandram in Mineruæ templo vitiauerat.

De clandestina repræhensione pellepidum exemplũ Fredericus Marchio Mantuanus repræsentat. Cum enim inciuilis quidam aulicus, qui, vorato legumine, etiam residuum jusculum, agricolarum more, subsequenter glutiebat, & rem benè sese gessisse autumabat, quod à duce isto sequentibus verbis: *Perdonatemi Signore*, veniam petiisset. Dux igitur ingeniose respondit. A porcis veniam inciuilitatis tuę, inquit, exorato, mihi enim nullam omnino injuriam intulisti.

De arcana suspicione facetũ nimis exemplum in aliquo videre est, qui ficum minus felicem in horto suo sese habere querebatur, in quo tres suæ uxores alternatim sese laqueo suspendissent: quibus auditis, alter clanculum ipsum accedens, eidem insusurrando rogabat: Eia, inquit, da mihi de tam felici tua arbore, quos in horto meo seram, surculos.

In falsis confictisque sermonibus primum reperitur simulatio, cuius rei exemplum habetur in Scipione aduersus Ennium, qui foreis ipsius pulsando ad ipsum properabat: Scipio ipse autem, se non domi esse, Ennio respondebat: Cur igitur, inferebat Ennius, Scipio, non domi sies, cum tamen te ipsum intus loquentem audiam? Ad quæ Scipio iterum inferebat: Impudentem & inciuilem certe hospitem te esse oportet, qui mihi, quod domi non fiem, fidem nullam habeas, cum tamẽ sæpissime ancillæ tuæ, te non domi esse mihi, te quærenti, mentienti fidem habuerim.

Ironiæ lepidum quoque videre est exemplum in Alphonso de S. Cruce cui Bolognæ cum grauissimo quodam *Monsignor* agendum erat, cum quo tamen cõuenire minime potuit. Postquam igitur in furca aliquem pendentẽ Alphonsus iste conspexisset: in hæc, ergà suspensum inquit, quod imposterum tibi cum Monsignoribus istis nihil amplius agendum fiet.

Inter occultas arcanasque

loquutiones ista etiam refertur, quæ de Capitaneo quodam circumfertur. Postquam enim ille in prælio semper fortunę succumbere necessum haberet, & aliquando tamen semel dumtaxat victoriam obtinuisset, atque, ea de caussa, sibi togam de holoserico villoso coloris subrubei fieri curasset, quod, uti ab aliis certior redditus fuerat, vestitus iste victoriæ esset indicium. Ad illa igitur Capitanei illius Dominus jocando inferebat: Si illud verum, tunc Capitaneus iste meus singulis quoque diebus noua toga indigebit.

De Similitudinibus & Parabolis Plutarchus de Romano quodam exemplum inter alia commemorat, qui à Gentilibus suis interrogatus, qua videlicet de caussa uxorē suam tam formosam, juuenculam, locupletem, honestamque repudiasset, amicis pedem suum nouo indutum calceo ostendebat, eosdemque ita tamdem compellabat: En, inquit, hic iste calceus nouus quidem, elegans, & bene ab opifice formatus est: qua pedis autē parte me urgeat nescitis. De confictis loquutionibus mordacibus exemplum Dominus Cosmus Medices suppeditat, qui, postquam Paulus Strozza, qui Florentia secesserat, ipsum certior reddidisset, quod gallinæ omnibus in locis ouis suis incubare possent; eidem hunc in modum responderi curauit: verum quidem illud, laboriosam tamen illam incubationem esse, quam extra nidos suos perficere necessum haberent, earumdemue pullos quoque raro ad perfectam maturitatem peruenire.

In seriis, grauibus, pondorosisque loquutionibus primum habentur sententiæ, quarum exemplum in Fauorino videre est, qui dicere solebat, quod homines partim essent ridiculi, partim odiosi, partim autem adeo miserabiles, ut non immerito commiseratione humana digni fient. Ridiculi & ridendi essent illi, qui, singulari ex audacia, alta saperent peterentque: odiosi, qui eadem impetrarent: miserabiles vero, qui cœca spe decepti essent. Similiter etiam Euripides de Æsopo inquit, quod sæpenumero dicere fuerit solitus, omnem hominem saccum per naccum (quemadmodum olim men-

dicantes

dicantes Franciscani monachi siue Nudipes dicere & ad colligendos apud iuuenculas rusticas caseos circumferre solebāt) gestitare, in cuius anteriorem à pectore pendentem partem aliorum hominum, in posteriorem autem, à tergo pendentem, proprio sua errata conijcere.

De Prouerbijs exemplum reperitur in Catone, qui ad petulantem effrænemque adolescentem dicere solebat: tempus res omneis ad maturitatem suam perducere. De tardis māsuetisque sermonibus aliud in eodem Catone exemplum videre est, qui, postquam in ipsum baiulus aliquis, cistam humeris gestitans, impegisset, & tum demum *cede loco*, (Auff seits wie vnsere Franckfurter Hellermänner) & trifurciferi quidam alij oneriferi clamitasset: eidem respondit: an & tu adhuc aliud forsitan onus, quo me offendere coneris, à tergo habes. Consideratarum responsionum exemplum habetur in Diogene, qui, postquam aliquando interrogaretur cur homines claudis & alijs vitiatis personis citius eleemosynam conferrent, quam Philosophis? respondit, quod sese citius claudos, quam sapientes prudentesque fieri posse, vereantur.

Hisce etiam Ciceronis loquutio refertur, qui de proditionibus seditionibusque dicere solebat, quod videlicet pauci ad easdem minime sufficerent: Sin enim plureis, ad perpetranda ista facinora, adsciscerentur, tum, quod manifestarentur, verendum esse.

Et hæc de omnis generis iocoserijs sermonibus iam dicta sunto: vbi tamen probe considerandum est, eosdem non semper bonam in partem interpretari, præsertim si aut nimis frigidi, vel nimis mordaces inciuilesque, vel crebri, simplices, superbi, contemptiles nimis fient, aut etiam violenter, & minus conuenienter adplicentur. Sed summo studio eo potissimum spectandū est, vt exinde auditores magis recreentur exhilarenturue, quam forsitan contristentur, atque offendantur.

Iocoserijs præterea loquutionibus istis adnumerantur quoque scita lepidaque ænigmata, de quibus Athenæus lib. 10. c. 17. copiose tractat, & vetus aliquis Scriptor Simposius

de ijsdem peculiarem aliquem librum conscripsit, ex cuius, quod mihi (Garzonio) sub manibus, exemplari postmodum quædam exempla adponere placuit.

De ijsdem alias, vetustissima quidem ante tempora, Diotinus Olympenus & Clearchus Solensis scriptitarunt. Ex quibus hic ænigma sequentib. verbis describit; Est ænigma, inquit, faceta aliqua quæstio, quę ab vno, vel altero proponitur: aut vt exinde artificiosa aliqua solutione honorem consequatur, vel propositam mulctam, aliamque pœnam euitet: quēadmodum etiam priscis istis temporibus, si quis propositum aliquod ænigma soluere non poterat, certam aliquam pœnam recreandi animi caussa sustinere necessum habebat: qua de re Antiphanes, in Ganimede suo, mentionem facit, quod videl. is, ænigma soluere, qui non poterat, scyphum, vino salito refertum, vno spiritu ebibere necessum habuerit. Hodierno autem nostro tempore, priscæ illius consuetudinis loco, vbi istiusmodi recreatio instituitur, pignus, eius rei gratia ænigmatisti traditum occasione requirente soluendum est.

Consistit autem ænigma aliquod in vna, vel pluribus litteris, vtpote si quis ab amico ad redamandum inuitetur, illud tum sequente in versiculo fieri posset:

Da mediam Lunam mihi (c) da Solem (o) da canis iram. (R)

Quædam in vnica dumtaxat syllaba consistunt, vt, si quis inimico suo optare velit, quod videlic. is in latrinam (honore saluo) incideret, hoc vti posset versiculo:

In medio lanæ ponatur syllaba tri-que.

Si quis enim syllabam tri in medio vocabuli lana collocet, tunc latrina vocatur, qui sordidus locus hospitirali destinatur.

Quædam itidem in vnico aliquo verbo consistunt, quemadmodum istud ænigma Simposii, quod de vespertilione subsequentibus in versiculis exhibuit, dum sic inquit:

Nox mihi dat nomen, primo de tempore notis,
Pluma mihi non est, cum sit mihi penna volantis,
In tenebris sedeo, nec me committo diebus.

Simile

Simile quoddam & Athenæus tradit, dum videlicet quæritur, quale animal simul in Cœlo, terra, atque mari fiet? Canis videl. Aquila, & Vrfus.

Nonnulla pluribus multifque in verbis consistunt, quemadmodum illud, quod Apollo Pythius, iuxta opinionem Ennij, propofuit:

Aio te Æacida Romanos vincere poße.

Ex quo vtrumque fcilicet intelligi poterit: quod videl. Pyrrhus Romanos, & vice verfa, Romani Pyrrhum vincere poterint. Et tali modo omnia ferme periculofa oracula formata fuerunt, quibus Apollo probe obferuauit, qualem nimirum refponfiones fuæ euentum fortitæ fuerint.

Dißimilis patri, matris diuerfa figura,
Confufi generis, generi non apta propago.
Ex aliis nafcor, nec quifpiam nafcitur ex me.

Simile & perelegans quidem, de die ac nocte videlicet, apud Hermippum hifce in verficulis traditur: nobiue

Germanæ geminæ, gignit quarum altera femper
Alteram, & inde parens fit filia nata vicißim.

Demetrius Byzantius in Poetis fermones iftos figuratos Pythagoræ etiam inter ænigmata numerat, vtpote dum inquit: *Ne cor edas:* Quo innuere & fignificare voluit, ne quis timidus & pufillanimis fiet, aut, quemadmodum Germani dicere folent, cor in ventrem, aut calceos labere patiatur. Item: *Noli ignem gladio fodere*, ante irritatum non irritatiorem reddendum effe innuens: Item, *Non incedas via populari*, ignobile vulgus relinquendum effe fignificans.

Diomæus Cous, quemadmodum Cleon Minaulus, & Ariftominus Philocitharifta memorant, alio loquendi modo vtebatur, qui itidem ænigmatibus adnumerari poffet: vtpote cum ipfum Medicus in morbo fuo interrogaret, num videlicet id, quod comederat, iterum euomuiffet: Immo, refpōdebat Diomæus, illud in ipfum ventrem reconditi. Item, cum idem Medicus eiufdem vxoré, colica paffione laborantem, aliquando interrogaret, num videl. in ventre adhuc aliquid fentiret: Quid, refpondebat maritus ille, in ventre animaduerterat,

uerterat, cum tamen trium dierum ſpacio ne micam quidem panis manducauerit. Simili modo Volaterranus quidam morio articuloſo morbo vexatus alicui medico, manibus ſuis morionis illius pedes leniter contrectanti, ipſumq; , num videlic. tactum iſtum animaduerteret, interroganti; reſpondit Se nihil ſentire aliud, quam tibialia & ocreas, quibus à peregrinatione nupera adhuc indutus erat, ijſdemq;, præ nimio dolore; ſeſe iterum exuere non poterat.

Sic Callias Athenienſis adhuc alium ænigmatum modum ſiue ſpeciem, recenſet. Exempli gratia ſi videlicet aliquis in ſcriptione aliqua meras dumtaxat litteras ex Alphabeto ſimul immiſceat, vbi, quid ſignificent, coniectandum eſt: Quēadmodum olim Euripides paſtorem aliquem docebat; quomodo videlicet nomen Theſei ſcribere deberet, atque vnam poſt alteram litteram ipſi præſcribebat, donec illud fuiſſet adſequutus. Idem quoque facit Agathon Tragicus, in ſuo Telepho, & Theodoctus Phaſelites, ruſticum aliquem inſtituens.

Hodierno noſtro tempore Poetæ, rhytmorumque ſictores eadem arte vtuntur, dum amaſiarum ſuarum aut alia nomina vnicis litteris carminibus & rhytmis ſuis includebant, idque pro more Veterum. Vbi tamen hæc notanda differentia, quod Veteres non dumtaxat nomina ita collocarent, verum etiam quælibet littera peculiarem ſuā ſimul habebat ſignifitionem, quæ tamen omneis integram aliquam ſententiam vel dictum efficiebant, in quo pauci noſtrates veteres iſtos imitantur.

Similiter & Sophocles in Satyrico Amphiarao ſuo ſaltanteſ quaſdam ponit litteras, ex quibus ſimili modo ænigmata conduntur. Ita quoque Darianus, in libro ſuo de Epigrammatibus, inter alia recenſet, quod Chalcedonæ in Thraſimachi Sophiſtæ ſepulchro ſubſequens epigramma, epitaphij loco conſpexerit:

Nomen Th. r, a, s, y, m, a, c, h, u, s.
Chalcedo Patria eſt, ars eſt ſapientia.

Vbi quidem nomen integre diuerſis, & à ſe inuicem ſaltantibus litteris, conſpicitur, quælibet ta-

libet tamen, litera peculiarem suam significationem quæ conjectanda est, habet.

Ex veteribus multi reperiuntur, qui & ænigmata usurparũt, & simul scripserunt: cumprimis autem Theognides unum de Sartagine sequentibus in versiculis grata cum posteritate cõmunicauit:

Mortua me petiit sub tectum forte Marina
Mortua, sed vivo est ore locuta tamen.

Ita quoque Heraclides Ponticus elegans aliquod ænigma de Insula Delo cõscripsit, quod tale est:

In aperto nata sum, Patria me salsa aqua
Continet: mater est numeri filia.

Delus enim Insula undiquaque mari est circundata: mater illius Latona, filia Cei, erat, quo nomine etiam Macedones numeros suos appellare solent.

Simili modo & Virgilius, in Bucolicis suis, duos sibi inuicẽ ænigmata proponentes pastores introducit, ubi quidem Menalcas Damœtam ita interrogat:

Dic, quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat Cæli spatium non amplius ulnas.

Interrogationem autem interrogatione Damœtas compensat, & ex Menalca iterum quærit:

Dic, quibus in terris inscripti nomina Regum
Nascantur flores, & Phyllida solus habeto.

Iacobus Sannazarius, in Arcadia, sua, itidem duos rusticos, una cum ænigmatibus suis, sequentibus versiculis elegantibus memorabilibusque, introducit:

Dimmi qual fiera è si di mente humana,
Ches' ingirochia al raggio de la luna,
Et per purgarsi scende a la fontana.
Dimmi qual è l' uccello il qual raduna,
I legni in la sua morte e poi s' accende,
Et viue al mondo senza pare alchuna;

Ænigmata porro scriptitarunt Asclepiades, in sua Tragœdia: Heracleotes Chameleon in suo Simonide, Parmaces Scriptor quidam peruetustus. Cum autem illa nimis obscura & caliginosa fient: hodierno

quoque nostri scriptores ænigmatici cum obscuritati nimiū & frustra tamen studeant: ico circo, etiam plura de iisdem heic in medium adferre supersedebo, atq; ita Discursum istum tandem concludam.

IN DISCVRSVM XXVI.

ANNOTATIVNCVLA.

DE ænigmatibus plura videantur apud Petrum Crinitum libro 11. cap. 7. & lib. 20. cap. 8 De honesta disciplina: Item apud Calcagninum folo 54. & 296.

DE GLADIATORIBVS, THRAsonibus, & Gnathonibus.

DISCVRSVS XXVII.

Gladiatorum & Rixatorū differentia.

ILli, quos Veteres olim Gladiatores nominare solebant, Italico idiomate plerumq; *Prauazzi*, h. e. Rixatores, vel melius Thrasones, siue Pyrgopolinices appellantur. Inter ambos vero hæc potissimum est differentia, quod illi ab ineunte quasi ætate, veluti Ælianus Spartianus quodam in loco eius rei mentionem facit, eo adsuefacti erant, ut etiam à proprii sui sanguinis conspectu minime terrerentur, sed in bello horribiles tumultus, magna periculosaque verbera eo minus expauescerent. Hodierno autem nostro tẽpore, vice versa, multi repeiiuntur rixatores Thrasonici, qui nimis audacter, vel potius petulanter, omnis generis rixosis contentionibus timere & absq;

& abſque ulla data cauſſa ſeſe immiſcent, atque exinde, uti ſibi quidem audaculi iſti videntur, quaſi de re benè geſta, gloriantur, ſibique nullo jure gratulantur.

Etiamſi vero priſcos apud Romanos mancipia, vel ſerui quidam ad rem gladiatoriam eum in finem informarentur, ut hac ratione Dominos ſuos ludicro iſto certamine quandoque, & pro ipſorum lubitu, recrearent: vel etiam quibuſdam, ob perpetrata ſua maleficia, ad mortem condemnatis Domini ad modo dictum iſtud certamen athleticum olim uterentur: nihilominus tamen etiam quædam perſonæ liberæ, aut in Magnatum Procerumq; gratiam, vel ex propria temeritate & audacia, in arenam deſcenderunt, atque, hodiernorum quorumdam thraſonum inſtar, vitam ſuam, abſque ulla cauſſa, non neceſſario periculo objecerunt.

Gladiatorii o-... in... Ante omneis alios autem cúprimis Imperatores & Conſules in populi Romani gratiam Ludos Gladiatorios inſtituerunt, ut hoc modo & oppidani ad profundendum ſanguinem eo alacriores redderentur, neq; forſitan ad bellum euocati tam cito expaueſcerent. Aut quandoque etiam ab aliis Senatoribus: vel ſimilibus grauitate & exiſtumatione conſpicuis inluſtribusue viris, iſtiuſmodi ludi præſertim apud ſepulturas parentum aut aliorum ſuorum bono um amicorum, inſtituebantur, quibus, uti ſibi quidem perſuadebant, ipſos magno honore affici ſtolidi temere credebant. Vnde etiam Iunius Brutas, Tito Liuio teſte, omnium primus iſtiuſmodi ſpectaculū, in ſepeliendo defuncto ſuo parente, inſtituit. Vice verſa Valerius Maximus Appium Claudium, & Fuluium, ambos Cōſules, iſtiuſmodi Ludos Gladiatorios in foro boario primos, in gratiam Populi Romani celebraſſe, tradit. Vbi etiam idem ille Plinius dec Terentio Luctatio inter alia commemorat, quod videlicet is primus exiſterit, qui tribus diebus, ſingulo alternatim, triginta gladiatorum paria in theatrum produxerit.

De Auguſto Suetonius tradit, quod ille, poſtquam ad imperij gubernacula acceſſiſſet, tam abominabilia & ſanguine madentia ſpectacula ſuſtulerit,

ſtulerit, & omnino interdixerit: Tiberium ipſius Succeſſorem autem, in honorem Druſi Aui ſui, eadem iterum introduxiſſe idem ille Scriptor aſſeuerat: Eadem quoque, ſub Caligula, Claudio, Hadriano, & Antonino Pio, Romanorum Imperatoribus, adcreuiſſe idem Scriptor teſtis eſt: à Marco Aurelio tamen eadem veluti Iulius Capitolinus teſtatur, aliquantulum rurſus moderata mitigataque, à Theodorico Gothorum Rege autem omnino iterum ſublata fuiſſe Caſſiodorus auctor eſt. Hodierni noſtri Gladiatores quidem Priſcis iſtis athletis in multis, præſertim autem animo, conſilio, fortitudine, & audacia, minime inferiores ſunt; reperiuntur tamen nonnulli & nauci: vel pſeudopugiles & graſſatores, qui currendo vincunt cimices: etiamſi enim illi multum clamitent, nihilominus tamen meri fumiuendi, atque adeo toti Ordini & Profeſſioni Gladiatoriæ probro ſunt & turpitudini. Pauci illorum namque quemadmodum Herſenius & Pacidianus, famoſiſſimi fortiſſimique iſti duo gladiatores, quorum etiam Cicero in Oratore ſuo mentionem facit, ſunt qui, honore gladio ſeſe adęngant: & pauciores adhuc eorum, qui inſignem animoſiſſimumque illum Spartacum imitari conantur, de quo Horatius ſubſequens,

Aemula nec virtus Capua, nec Spartacus acer,

cecinit elogium. Illorum vero, qui minacibus tantum verbis ſeſe conſpicuos faciunt, atque meri Hectores & Achilles coram hominibus plus videri, quam eſſe, volunt: nihilominus tamen, cum Terentiano iſto Thraſone, ne feriantur, lubenter ſtant poſt principia, illorum, inquam, hodierno noſtro tempore infinitus pene eſt numerus.

Vice verſa illi, qui animo forti præditi, atque haud immerito laude & honore ſuo neutiquam defraudandi ſunt, quàprimum rixæ ſiue contentiones aliquæ exoriantur, manu prompti ſunt, atque, horridæ procelloſæque tempeſtatis inſtar, cum impetu ingruunt, non diu ſeſe quæri patiuntur; ſed omni tempore, ad heroicum intrepidumque ſuum animum oſtendendum, parati ſunt &

alacres,

alacres: Præ nimia quoque lætitia corda ipsorum exultant, si de rixis, contentionibus, verberibusque audiant, iccirco etiam summo cum gaudio prosiliunt, &, instar irati è fune liberati bonis, gladio suo locum pugnaturis præparant: alacritate sua leones æmulantur, omnia sibi veluti Dracones subijcientes; Dum cristas suas erigunt, tunc Æolus, præ formidine, contremiscere necessum habet: quo vultum conuertunt, ibi Mars ipse nec stare, nec, quo se vertat, nouit, adeo vt ipsæ etiam Furiæ ob flammiuomos ipsorum oculos, trepidare cogantur. Quicquid feriunt, illico ruit, nec tam bona arma à Bronte & Sterope vmquam facta sunt, quæ eorumdem conatib. possent resistere: Si enim solummodo minentur, tunc & ipse etiam Hercules tacere cogitur. In Summa: vbi modo ipsorum opera requiritur, inibi etiam ipsa terra contremiscit, infernus exhorrescit atque cœlum ipsum præ nimia formidine mouetur. Omnibus præterea diebus, immo singulis horis atque momentis nil, nisi grandia verbera, pedum brachiorumque mutilationes, capitum dissectiones, dorsifragia, & horrenda alia prædicant, in ijs solummodo delectantur, atque eo cogitationes & intentiones ipsorum vnice dumtaxat directæ sunt, non secus, ac si de ferro facti, atque sanguine humano enutriti educatique fuerint. Eo insuper omni tempore intenti sunt, quod videlicet mox huic, mox alteri alicui vesicam rumpere, atque de hoc, vel altero (idque etiam sæpenumero alterius cuiusdam caussa, vt pote, qui nullam iniuriam ferre nec possint, nec etiam velint) vindictam sumere velint, adeo vt non tam inimicos, quam ipsos quoque amicos suos perdere & extirpare conentur. Panis, qui ipsis porrigitur, in sanguinem commutatur, cibus qui ipsis traditur, mortem adfert, & subsidium ipsorum omneis inimicos & aduersarios tuos tollit è medio: Instar Laniorum canum tauros persequentium animosi incedunt: in pedib. suis, ceu validi imperterritique leones, immoti quoq; consistunt, &, quemadmodum trochus aliquis, contentionis alicuius euaginatis gladiis omnibus, uti fistulatores, utuntur quib. mox huic, mox alteri alicui in capil-

los involant, tantum quandoque exercent strepitum ac si aliquot tormenta simul exonerarentur, nec cedunt, donec aduersarius ipsorum spiritum emittat, aut ipsi und:quaq sanguine conspersi commaculatiq; fuerint, atque tum magno sese honore adfectos esse stolidè gloriantur.

Istiusmodi fortes animosq; Athletas armigera Æmilia magna ex parte parit, etiamsi de isto semine quoque aliquot in Foro Liuio, Cremona, Vicentio, Brescia, & Verona aliisque præcipuis, tàm Italiæ, quàm aliarum etiam Prouinciarum ciuitatibus reperiantur, qui etiam ipsi Diabolo quandoque insidias struere conantur.

Reperiuntur præterea & multi alii Grassatores, verbera non multa curantes, qui meri dumtaxat sunt Gnathones, omnium nebulonum feces, Epicuri de grege porci, & sensu multum à prioribus illis differunt: utpote qui, veluti candentes prunæ, solummodo è longinquo sese conspicuos reddere conantur, clamando gallos Indicos imitantut, qui itidem, præ nimia iracundia, rubescunt, quasi jam jam ardere incipiant, momento tamen fastum erectasque suas cristas iterum demittunt, nisi mollem sibique per omnia similem aliquem virum sortiantur, qui sibi à timidis istis leporibus aut caueat, vel plus justo tamen ipsis tribuat.

Præcipuus ipsorum labor est ut nimirum noua omni tempore circumferant, ad Dominorũ suorum, quorum pane vescuntur, aures varia deferant, eosdem adulatorie traducant, crines caninos, rixas, ac discordias inte serant, illos, quibus fruuntur, amicos habeant, eorumdem igne & pane incalescant, etiamsi neutrum horum fuerint promeriti: apud ancillas sese domesticos, apud heras, earumdem ministros: apud famulos, fratres: apud lixas, socios: & apud coquos, amicos simulant, qui vitam sanguinemque suum pro istis impensuri sient. Quãprimũ matutino tempore surrexerint, loricato thorace sese induunt, subductam galeam capiti suo imponunt, chirotecis ferreis man⁹ suas præmuniunt, gladium uni, pugionem alteri lateri adcingunt, sclopetum ferreosque globulos caligarum saccis recondunt, atque ita instar alicuius S. Georgi equitis domo

domo egrediuntur, duabus vel tribus visionibus totum fermè forum occupant: interim gladii capulam manu ſemper tenent, eumdem mox ſurſum, mox deorſum, jam hanc, jam alteram in partem flectunt, ut omnibus ſpectatorib⁹ admirationi fient, & ſinguli, eccum fortem iſtum ferriuorum, & bipedalem incedentem leporem. Sæpenumero ſeſe in campum recipiunt, quibuſuis obuiis glaucoma obiiciunt, criſtaſque Guelphorum Gibelinorumque more in pileis ſuis geſtitant, adeo ut venuſtiſſimi galli gallinacei, qui umquam excluſi fuere, habeantur.

In ipſa urbe quandoq; quidam conueniunt, (pares enim cum paribus facile congregantur, & ſimilis ſemper ſuo gaudet ſimili) factoque in plateæ alicuius angulo gyro omneis illic tranſeuntes naſo ſuſpendunt, ancillas irrident, matres, familias contumelia & contemptu afficiunt, ſerui & pueri ipſis è via cedere & ſubſiſtere coguntur, mox hanc, mox aliam petulantiam exercent, adeo ut in omnium ore circumferantur, & mundi totius fient fabula.

Quandoque forum obambulantes, ruſticorum cum uxoribus colloquia inſtituunt, nobiles ſeſe tam diu vocari patiuntur, donec ipſis aliquid furentur, aut ita tamen cum illis iocantur, ut interea mutato ſermone in fures commutentur. Inde urbis mœnia perreptant, quæſitiſq; inuentiſq; aliquando lupanaribus eadem pro oblectamentis ſuis habent: ſæpiſſime etiam ſuſpectis iſtis in locis aliquid mutuo ſumere, aut omnino furari conantur, ubi tamen ſæpiſſime eius rei gratia male incuſantur, & adfecti injuria ipſorum nomina obliuiſcuntur: aliquando tamen iſtiuſmodi Thraſonibus fiunt obuii, qui æque, quam ipſi, graſſari, vociferari, & tàm ipſis hominibus quam lapidibus feriendo bellum inferre poſſunt, à quibus etiam ſæpenumero, licet in tenebris, male excipiuntur & tractantur. Atque tum demum ipſorum vanitas & mollities depræhenditur, atq; manifeſtum cognitumque tamdem fit omnibus & ſingulis, ipſos ad nihil aliud, quam terrendos ſimpliciores, eſſe idoneos, dum in ſublime elato vexillo leporino, turpe fuga ſibi proſpicere, atq;, relictis poſt ſe omnibus, ad tutiora

tiora ſeſe recipere coguntur. Tum ſane ipſis elegantes criſtæ ſubuenire neutiquam poſſunt, depræhenſi ſiquidem pugnis miſerum in modum cæduntur, atq; ita cum perpetua ignominia male ſemper audire neceſſum habent. Et quemadmodum jactabundis iſtiuſmodi Thraſonibus & Gnathonibus plerumq; talis, nec alius, finis, obuenire ſolet: ita viciſſim primis iſtis gladiatoribus veris ſua laude & promerita gloria heic nos neutiquam defraudabim⁹: alteri tamen cum verberibus & ſtigmatibus ſuis aliquanto tempeſtiuius interea domum ſeſe iterum conferre poterunt, ne, adfixo ipſis melius thorace, ad dies vitæ eius rei grati pudefacti conqueri, & ignominioſam vitam tranſigere cogantur.

IN DISCVRSVM XXVII.

ADNOTATIVNCVLA.

Proverbii loco. Florendus eques proverbii loco dictitare ſolebat, quod in gladiatore ſiue rixatore aliquo quatuor requirantur; corpus videlicet integrum, horribilis myſtax, oculi ſuilli, & tamdem laniorum brachia.

DE NATATORIBVS.

DISCVRSVS XXVIII.

Etiamsi videamus, quod natare, quod in piscib. quidem naturale, alijs vero animalibus, vtpote anatibus, anserib. alijsque diuersis auibus aquatilibus, immo omnibus ferme cæteris quadrupedibus ab ineunte etiam sua ætate commune fiet: nihilominus tamen solus homo illud magna cum molestia, labore, & periculo addiscere necessum habet: adeo vt non immerito summopere dolendum fiet, hominem miserabilem, in re adeo ipsi necessaria, vel cuius ad minimum ipsi vt plurimum intereſt, à brutis irrationalibusque animalibus superari. Verum enimuero reperti sunt tamen aliqui, q in natandi isto exercitio adeo excelluerunt, vt non immerito multos in sui admirationem pertraxerint: Ex quibus (quemadmodum Pontanus insignis iste Orator & simul Poeta, atque Alexander ab Alexandro celeberrimus ille Iurisconsultus, in diebus suis genialibus, testantur) ille cumprimis heic neutiquam tacendus est, qui, ob singularem mirabilemque natandi peritiam, piscis Calanus nuncupatus fuit. Hic Catana in Regno Siciliæ oriundus ab ineunte sua ætate, quasi in mari educatus, inque natando adeo exercitatus fuit, vt etiam sæpenumero, in turbulenta procellosaque aliqua maris tempestate, quingenta stadia, quæ circiter sedecim vel septendecim Hispanica miliaria efficiunt, natando adsequi potuerit: aliquando, piscis instar, ab vno littore marino ad aliud natauit, vbi nautis obuiam factus, & postmodum terræ inquilinis, de ijs nauibus, quæ exinde in altum velificauerant, certa infallibiliaque noua adtulit. Quæ natatio autem ipsi semper, & tam diu quidem feliciter cessit, donec Alphonsus, Rex Neapolitanus, Messinæ in eximio famosissimoque aliquo Portu

Calanus natator peritissimus.

marino Siciliano, ſolemnique aliqua feſtiuitate, ſingularem mirabilemque hominis iſtius natandi peritiam probare voluiſſet, atque pretioſiſſimum aliquem aureum ſcyphum in profundum maris conieciſſet: ad quem conſequendum natator ille quidem maris fluctibus, vna cum alijs, ſeſe ſubmerſit, attamen non amplius poſtmodum conſpectus eſt: vbi nonnulli ipſum in cauernis ſub profundis maris fluctibus perijſſe autumant.

Similiter & nauta aliquis Neapolitanus. Idem ille Alexander ab Alexandro, commemorato iſto in libro ſuo, ſe ipſum Neapoli nautam aliquem nouiſſe aſſeuerat, qui tam artificioſus natator fuerit, vt etiam vno die ab Enaria, quæ Inſula Neapoli conſpicitur, vſque ad Porchitam, Terræ firmæ locum aliquem, atque adeo quinquaginta ſtadia, quæ vnam cum dimidio noſtratia milliaria efficiunt, natando adſequi potuerit. Immo quod adhuc magis eſt, eumdem illum nautam aliquando nauem, quæ vna cum ipſo natatore ſimul ſoluerat, & quam aliquot viri firmis quibuſdam remis propellebãt, ſemper inſequutum fuiſſe, & neutiquam à tergo (etiamſi nauis iſta à remigibus ſummo ſtudio ac labore agitata fuerit, remanſiſſe memoratur.

Natatores In[...] De Indianis Occidentalibus Hiſtoriarum monimenta miranda quædam teſtantur: quod videlic. ijs in locis, vbi gemmæ expiſcando venantur, ſeſe maris fluctibus committant, atq; adeo ad imum vſque fundum ſubmergant, in quo ſæpiſſime tam diu ſeſe contineant, adeo vt, ipſos videlic. numquam exinde reuerſuros eſſe, multi ſibi omnino perſuadeant. Sin vero ipſorum memoria pene obliterata apud omneis fiet, tunc, præter omnem omnium ſpem & expectationem, ipſos, cum admiratione eorum, qui iſtiuſmodi ſpectaculum nondum conſpexiſſent, iterum ex imo ſurſum ferri, atque in maris fundo repe[...]tas gemmas ſecum aſportare.

Alias Hiſtorici alicuius natatoris mentionem faciunt, qui Delius dictus, atque in natandi arte ita peritus fuerit, vt etiam prouerbium, *Delius Natator*, ab iſto Delio originem ſuam ſortitum fuerit: quod etiamnum hodie de perito quodam natatore dici atq; vſurpari ſolet.

Hoc

mani. Hoc autem natandi exercitium à Romanis tanti quidem æstumatum, atque necessarium pene iudicatum fuit, vt etiam, quemadmodum Vegetius intera'ia commemorat, Tyrones suos ad discendam artem illam adegerit, & ad illud exercitium peculiarem aliquem locum Tybridis apud Campium Martium selegerint, vbi certo aliquo tempore, Inspectoribus quibusdam præsentibus, diuersimodis in bellis occurrentibus vsitatisque formulis, in vestitu, armis, equis, iuxta illos, &c. exercere necessum habuerunt.

...tiani ...ienu- .... Hodierno nostro tempore Venetiani & Genuenses in Italia laudem peritorum bonorumque natatorum obtinent: quemadmodum etiam alias in maris anfractibus, alijsque fluuijs, quidam homines reperiuntur, qui in eadem arte non dumtaxat sese exerceant, verum etiam cum illis comparari possent.

Simili modo etiam ipsi Astrologi prætendunt, quod videlicet ille, qui in natiuitate sua pisces ascendentes propitios habeat, in bonum aliquem natatorem euadat: quemadmodum etiam alias idem illud dici posset, quod S. Gregorius in Homilia aliqua de Piscatorib. in Getulia commemorat. Sed melior & certior est Philosophorum doctrina, quod breuia brachia habentes optumi natatores fiant, si nimirum decente more modoque ijsdem sese exerceant, multo enim commodius faciliusque sese commouere, atque fluctibus resistere poterunt: nihilominus tamen ad artem istam exercitium aliquod requiritur, vtpote quæ scientia non dumtaxat per se laudabilis, verum etiam quandoque summe est necessaria. Illius tamen initium ipsa in iuuentute fieri oportet, longum enim, donec aliquis de arte ista reddatur certior, exercitium heic requiritur, ideoque etiam pueri, natare volentes, vesicis, excauatis, vel torrefactis cucurbitis, viminibusque colligatis, alijsque istiusmodi reb. primum vtuntur, quibus vtraque latera aduersus aquæ fluctus præmuniunt, donec sensim adsuefacti, absque rerum istarum adminiculo, cum piscibus natando certent, atque tamdem, si videlicet modum excedant,

nec intra artis istius metas sese contineant, quandoq; ab ipsis piscibus deuorentur. Et hæc de natatoribus nunc dicta sufficiant.

IN DISCVRSVM XXVIII.
ADNOTATIVNCVLA.

DE Natatoribus supra dictus Dominus Alexander ab Alexandro fol. 87. vlterius consulendus.

DE FVRIBVS, CRVMENISECIS, Spoliatoribus siue Prædonibus.

DISCVRSVS. XXIX.

Furtorũ rapinarumque commendationes improbæ.

SCelestorum, improborum, facinorosorumq; hominum audacia, vel potius impudens insolentia & temeritas omnib. temporibus tanta semper exstitit, vt etiamsi flagitium aliquod non dumtaxat per se notorium & turpe fuerit, illud nihilominus tamen facinorosi improbique homines sectati sient, verum etiam in hodiernum vsque diem adhuc sectentur. Immo, quod magis, omniumque est turpissimum, non pauci reperiuntur vitiorum patroni, qui crimen illud, tamquam singularem aliquam virtutem laudabilemque eruditionem, defendendo commendent. Simili quoq; modo cum furto comparatum est, cuius fœditas licet à natura ipsa satis superque nota fiet, nihilominus tamẽ summum istud scelus non solummodo multi tuentur, verum etiam, omni honestate & æqui-

tate posthabita, eidem ita sunt dediti, ut vagabundos istos errones, fureſque paruos, furtis rapiniſque longo post ſe intervallo rellinquant.

[...]isedæ[...] [...]iii iu[...] [...]utem furta [...]ium. Nonnulli eo ſe tuentur, quod Aulus Gellius de Lacedæmoniis (qui tamen alias tamquam probi, integri, Iuſtitiamque ſtricte obſeruantes homines apud Scriptores commendantur) quodam in loco ſcriptitet quod videlicet juuentutem ad furta rapinaſque adſuefecerint, tamquam tali in exercitio, quo quis non dumtaxat aſtutus & callidus exiſteret, ſed etiam exinde anſam occaſionemque caperet, qua ratione deinceps belli temporibus, inuentione omnis generis artium & Stratagematum, ſeſe contra hoſtem ſuum tueri poſſet. Quocirca juuentuti cibum nullum porrigebant, ſed furtis rapiniſque ſeipſam ſuſtentare cogebatur; ea tamen ratione, ut ſi quis, ob tarditatem ſuam, forſitan in ipſo facto depræhenſus fuiſſet, flagris vehementer cæderetur: callide igitur celeriter, & prouide circa rapinas faciundas illam eſſe oportebat. Similiter & Æ- *[...]yptii [...] pu-* gyptii furtum publice permiſerunt, modo illud celeritate & calliditate perageretur: eapropter etiam furta & rapinæ ipſis adeo communes fuerunt, ut ne à ſpectatiſſimis quidem ſibi aliquis cauere potuerit.

Pari quoque modo Poetæ Mercurii celeritatem ſummopere commendarunt eumdemque Deum & raptorum Præſidem conſtituerunt, utpote qui callidorum furtorum inuentor exſtiterit, atque in Theſſalia ipſi Apolloni, tum temporis Regis Admeti bubulco, integrum gregem abſtulerit, eumdemque poſt ingentem aliquem montem clanculum occultauerit: id quod tam callide, tecte, & prouide ab ipſo factum fuerit, ut etiam nemini, niſi ſoli decrepito Batto (cui, ut digito labellum compeſceret, vaccam dono dediſſet) furtum iſtud innotuerit: qui tamen ipſum contempſiſſet. Similiter etiam Veteres Deam Lauernā, tamquam raptorum Patronam atque defendricem, inuocarūt: ideoque ab Horatio in epiſtolis ſuis pulchra Lauerna appellatur, dum de illa ſic loquitur: *Mercurius raptorū præſes.*

Pulchra Lauerna, da mihi fallere,
Da ſanctum juſtumq; videri,

 Sic que;

Argiui furaces. Sic quoquè Argiui (quemadmodum adhuc hodierno nostro tempore quibusdam in Nationibus videre est) talem sane ad furta inclinationem habuerunt, ut etiam, si quis de istiusmodi furibus, qui ad furta quasi nati fuerant, verba facere voluit, vulgari isto proverbio, *Argiui fures*, de iisdem usus fuerit.

Insignes præstantesq́ fures. Iuxta ea omnia fures tam insignes & præstantes homines in consortio suo habent, ut etiam vix eosdem quis furti arguere, sed aperto nudatoque capite illos ferme adhuc honorare oporteat: quocirca opificiũ suum omnibus sub sole artificiis longe etiam præferri cupiunt. Prometheus, Deucalionis pater, & Iaperi filius, in hac mensa omnium primus & supremo loco sedet, qui ope & auxilio Minervæ, manipulo virgultorum ignem è Cœlo & Sole furatus est, eumdemque, summa cum omnium Deorum indignatione, in terram ad homines detulit. Quo etiam respexit Virgilius, dum, in Bucolicis suis & descriptione Cantilenæ, quam Silenus Pastorum pueris, qui ipsum in antro dormientem depræhenderant & ligauerant, ut nimirum illum iterum à vinculis resolverent, cecinerat, inter alia sequentem versiculum recitauit:

Caucaseasq; refert volucres, furtumque Promethei.

Similiter etiam Cacus, Vulcani filius, opificium illud in monte Auentino adeo diligenter furaciterque exercuit, ut etiam inibi totos taurorum greges furatus fuerit, eosdemque cum caudis suis in antrum suum pertraxerit: idque eum potissumum in finem ne recta vestigia hoc modo cernerentur, & fur deinceps forsitan deprahẽderetur: quocirca Propertius, lib. suo 4. sequens de eo conscripsit Distichon:

Sed non infido manserant hospite Caco
Incolumes, furto polluit ille locum.

De Autolyco, Mercurii filio, similiter quoque legitur, quod videlicet furtis rapinisque suis omnem, circa Parnassum montem, viciniam infestã reddiderit, de quo Martialis quodam in loco sic ait:

Non fuit Autolyci tam piceata manus.

De Arsace Parthorum Rege vero Ammianus Marcellinus tradit,

tradit, quod in pueritia sua non solummodo fur exstiterit, verũ etiam iam adultior factus totum furacissimorum hominum agmem sibi adsociauerit, atque inter eosdem, in diuidéda communi præda, talem sane ordinem æquitatemque obseruauerit, ut etiam omneis prouinciales, facto ad ipsum concursu, illum Regem suum creauerint. Sic Valerius, quod, postquam Locris Dianæ templum spoliasset, atque in reditu suo felici vento domum nauigaret, ad comites suos rudenti ore dixerit: Eia quam serenam tempestatem Dii sacrilegis largiuntur? De Nerone Cornelius Tacitus quodam in loco scriptitat quod non dumtaxat per uniuersam Asiam & Achaiam, verum etiam in ipsa urbe Roma, omnia templa spoliauerit, atque ex iisdem omnia, quæ ciues præ formidine illuc comportarant, atque Diis custodienda quasi tradiderant, abstulerit. Pari quoque modo Baptista Egnatius de Leone, Constantini Copronymi Imperatoris filio, inter alia commemorat, ipsum, iam ad Imperium euectum, coronam, ab Imperatore Mauritio *Deo ter optumo maxumo* summa deuotione consecratã, è templo abstulisse, eamdemque capiti suo imposuisse: id quod ab omnibus pro nefando sacrilegio æstumatum, idque quidem non immerito, æstumatum fuit.

Hisce C. Verris exemplum itidem commode adiiciendum est, quem Cicero cum Dionysio comparat, quod simili modo per uniuersam Siciliam omnia templa spoliasset, & omnia manibus furacibus illius obuia exinde abstulisset. Ita Titius Liuis Fuluio Censori tamquam sacrilegium exprobrando obiicit, quod tectum marmoreum è templo Iunonis Laciniæ sustulerit, & Fortunæ Equestris à seipso conditum templũ cum furato isto tecto Iunio operuerit.

Violentarum deprædationum origo

Ad violentas autem spoliationes deprædationesq; quod attinet, reperiuntur nonnulli, qui easdem omnino nobilitare conantur: idque propterea, quod eædem quemadmodum Iustinus Historicus tradit, tam insigne & præstans habuerint initium. Ninus Rex Ægypti siquidem omnium primus fuit, qui alia & extera regna atque provincias ambiuit easdemque

demque summa vi armisque sibi subiugauit. Qua in re postmodum & cæteri quoque Monarchæ, Reges & Principes ipsum imitati sunt, alienas Prouincias hostiliter inuaserunt, & gratam, aureamque quasi pacem ab vniuerso terrarum orbe violenter fraudulenterque abegerunt, &, vice versa, vniuersum mundum, ab vno Polo ad alterum vsque, terra marique, armis, violentia, furtis, atque rapinis impleuerunt.

Idem deinceps quæstuosum turpissimumque omnium opificium etiam ignobile vulgus à Proceribus istis didicit, adeo vt tenuioris sortis conditionisque personæ quædam turpitudini isti dent operam, considerando, quod tribus ista tam late, atque ad omnia ferme opificia & Professiones sese extendat; id quod ab ipsa veritate non omnino alienum est.

Si quis enim rem aliquanto acutioribus oculis intueri velit, tum certe omneis angulos furibus refertos esse depræhendet, ex quibus etiam quidam publice laudantur atque celebrantur.

An non enim, quæso, Philosophi fures sunt, si verum est, quod Simplicius de Peripateticorum Præcipuis asseuerat, quod nimirum omneis sententias Veterum Philosophorum collegerit, atque, vt easdem pro bonis suis venditaret, omneis ipsorum libros concremauerit, & res ipsas, tamquam earumdem inuentori proprio, sibi ipsi adscripserit. Id quod non dumtaxat manifestum furtum, verum etiam Diabolicum fuit odium, quo Philosophorum istorum doctrinæ apud populũ omnino subpressæ sunt. Sin autem illud de præcipuis verum quid, obsecro, de cæteris nunc statuendum erit, vbi etiamnum hodie alter alteri adhuc furari solet?

Quid autem de Poetis heic dicamus, qui in hac societate ferme primas vbique obtinent? An non enim illi fures sunt, si de præcipuis latinis Poetis verum fateri velimus. Immo ille ipse inficias ire neutiquam poterit, quod ferme res suas omneis, vel ad minimum tamen potiorem partem, ex Theocriti & Homeri scriptis furatus siet.

Immo, si rem acutioribus inspiciamus oculis, etiam pulcherrimum elegantissimumq; quod-

quodq;, quod modo in Poetarum Scriptis reperire licet, nihil aliud, quam aut mutuatum, vel omnino furto clanculum subductum bonũ est, quod commutatione vel additione quorumdam verborum circumstã tiarumq; tamquam propriam suam artem atque inuentionẽ, hominibus simplicioribus rerumque istarum imperitis solent obtrudere.

An non etiam Oratores in eo fures æstumandi censendique sunt, dum uniuersa Græcia de omnium præcipuo, Cicerone videlicet, conqueritur, quod non dumtaxat linguæ elegantiam & ornatum, verum etiam ipsam doctrinam, Academicam, Stoicam, Peripateticam, & Epicuream videlicet, à suis Philosophis desumpserit, & ad Romanos suos postmodum transtulerit?

Sed nec Medicorum heic obliuisci nos oportet, utpote qui etiamnum hodie in scriptis suis ex Hippocrate & Galeno furãtur, nec integra etiam folia ex iisdem decerpere, suisque adijcere, erubescunt. Immo, ut saltim alienis plumis sese exornent, suamque Officinam alienis mercibus impleant, ipsis intestina è corporibus suis eruere conantur.

Et quæ tamdem, iterum atque iterum obsecro, Professio in uniuerso terrarum orbe reperitur, quæ non culpæ furtique arguatur? *Sunt autem illa non perniciosa neque abiecta, sed salutaria & laudabilia furta, de quibus suo loco plura dicturi sumus.*

Alias tamen veri fures in eo commendantur, quod hilares & liberales fient: quemadmodum etiam plerumq; videmus, quod furto ablata bona furibus nullam omnino creent molestiam, itaque etiam de alieno corio, (Wie jener Schuchmacher Linckes Leckes/ der stale das Leder/ vnnd gab darnach die Schuch vmb GOttes willen) quàm de suo, de quo non luditur, liberaliores sunt, illudque, donec durat, serena hilariuscula fronte depromunt. Tales verberones verberabilissimi Attabas & Numenius, famosissimi isti duo fures, fuerunt, qui furta & rapinas, quas conjunctim abstulerant, summa cum lætitia iterum simul consumpserunt: unde etiam Diogenianum prouerbium: *Conuenerunt Attabas & Numenius*: exortum est, quod tum usurpabatur, quã-

NB. In fine cuius toni fiet, videtur. Auctruncato siquidem Iupiter, ut Nobilissimum nostrum ordinem heic aliqua famæ labecula contaminem.

do duo famosi atq; circumspecti fures una simul conspicerentur. Fures insuper pro fortunatis quoq; hominibus habentur, idque ea potissimum de causa, quod Fortuna bonum ipsis alio bono subinde cumulare soleat, donec modo illis Mercurius est propitius, & opificium feliciter ipsis cedit, & absque singulari molestia & labore furato pane, qui jocundus est & sapidus, vescuntur. In Summa ipsis quoq; furib⁹ istiusmodi sermones minime desunt, quibus seipsos recreare, & opificium suum celebrare nituntur: qui tamen mox iterum dissipantur, atque in cineres favillasque resoluuntur: præsertim autem si comprahendantur, verberentur, atque omnino episcopi campestres, pedibus suis benedictionem largientes, efficiantur.

Furtum iniquum, legibusq; prohibitũ. Quod autem furtum in se ipso injustum abominabileque fiet, id, etiam absque ulla informatione, ex sola ratione colligere est. Quid enim furem aliquem adeo timidum meticulosumque efficit? Nihil sane aliud quam propria ipsius conscientia, & quod sciat, turpe illud rigideque puniendum illud esse facinus. Iuxta illud simul furtum contra ipsas Leges peccat, &, quemadmodum D. Thomas Aquinas testatur, Christianam charitatem, diuinamq; legem impugnat: quod etiam in Exodo & Leuitico expresse prohibetur. Simili quoque modo Legi Euangelii, & Apostolicæ doctrinæ D. Pauli aduersatur, qui ad Ephesios ita scriptitat: Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret operando manibus suis: juri itidem Canonico, in quo illud sequentibus D. Hieronymi verbis expresse prohibetur. Qui cum fure participiat, inquit, perdit animam. Et non fur solum, sed & ille reus tenetur, qui furti est conscius. Furtũ item Legibus Imperatoriis (leg. 1. Dig. de furibus) & ipsi quoque juri Naturali est contrarium: icc irco etiam ab omnibus ferme populis atque Nationibus, quæ umquam sub Sole sunt, omni tempore pro suo merito punitum fuit.

In Carinthia, veluti Papa Pius, in Cosmographia sua, & Marcus Antonius Sabellicus, Decade decima, testantur, furti alicuius suspecti, absq; ullo alio longiore Processu, suspendebantur, atque triduo post testi- *I ra en ca,*

monia

monia demum examinabantur. Si itaque suspensus reus deprahendebatur, tum in furca ita rellinquebatur: sin minus, & innocens esset, tunc à patibulo iterum liberatus honeste sepeliebatur, omneisque loci istius inquilini funus comitari cogebantur.

Leges Draconis. Sic vetus ille Draco, Atheniensium olim Legislator, inter alia quoq; constituit, quod nimirum omnia furta, qualiacunque etiam illa essent, dumque alter alteri studio aliquid subtraxisset, morte puniretur: Vnde etiam Solon, quod videlicet ipsius Leges sanguine scriptæ essent, dicere fuit solitus, easdemque multis in casibus, in isto autem neutiquam, correxit, atque mitigauit.

Græci, vice versa, fures quidem vita non priuarunt, sed candente ferro ipsorum frontes consignarunt, ut hac ratione non dumtaxet ab omnibus agnoscerentur, verum etiam singuli ab iisdem sibi sedulo cauendum esse scirent. Idem quoque faciebant Crumenisecis, aliisque forifurunculis.

Aliter Prometheus, Ægyptiorum Legislator, fures tractauit, & constituit, quod ligati pueris in plateis traderentur qui, pro suo lubitu, eosdem tractarent & punirent. Primi vero, qui furibus aures abscindere, aut omnino in furcam agere cæperunt, Gothi fuerunt, qui eo ipso, licet gentes immanitate barbaræ exstiterint, satis superque testatum fecere, quod nihilominus Iustitiæ, aliquid tribuerent, ideirco etiamnum hodie, eius rei gratia, neutiquam defraudandi, sed multo potius hac in parte imitandi sunt: etiamsi Ian-Lodoicus Viues, in suo de disciplinis libro, consuetudinem fures in crucem agendi à Romanorum Imperatore Frederico, nominis eius III. introductam esse contendat.

Ex hisce & similibus colligitur, quàm odiosi detestabilesque videlicet fures apud omneis passim gentes populosque fuerint: id quod tamen hodierno nostro tempore fures adeo nauci æstumant, floccique pendunt, ut etiam, licet cottidie ipsis aut carceres, virgæ, stigmata, compedes, restes, aut vel triremes metuendæ sient, ea omnia tamen ludibrio

habeant: præsertim quod experiantur illos ipsos, qui non immeritos illos punire debebant, sibi plurimum fauere, & quandoq; tamquam raptores principales, furta rapinasque secum communicent. Et quomodo, obsecro, illi ipsi, qui ex propriis suis prouinciis vicinorum suorum ditiones inuadunt, eosdem hostiliter diripiunt, trucidant, & dirissima quæque ipsis inferunt, vulgares alios latrones, qui tantum sunt personæ unicæ castigare & punire poterunt? Id quod Magnus ille Alexander haud immerito à famosissimo quodam latrone & raptore audire, & tacitè deuorare necessum habuit. Cum enim ille aliquando ad Alexandrum duceretur, & verbis asperioribus ab eodem objurgaretur, intrepido animo ipsi sequentem in modum respondit: Quid, inquit, an tu me ad mortem condemnabis, qui tamen publicus totius terrarum orbis raptor es: cum tamen, vice versa, ego saltim exigua in via latrocinium commisi: ad quod tamen me nulla insatiabilis avaritia, veluti te, sed extrema coegit necessitas. Alias Historiarum monimenta satis superque testantur, quod honestatis studiosissimi animi fures atque latrones ad mortem condemnare semper conati fuerint.

Ita quoq; apud Ouidiū legitur, quod Scyron famosissimus crudelissim⁹q; latro à Theseo capt⁹ & in mare præcipitat⁹ fuerit.

Procustes notissimus itidem quidam latro ab Hercule interemptus est.

Sicinis raptor, Isthmum infestum reddens, & Sisiphus à finitimis violenter ad pœnam rapti fuerint. Balista Ludimoderator, ac simul callid⁹ aliquis latro, lapidibus obrutus & necatus est, de quo Virgilius sequens conscripsit epitaphium:

Monte sub hoc lapidum tegitur
Balista sepultus:
Nocte dieq; tutū carpe viatoriter.

Apud Ariostum simili modo callidi agilisque alicuius furis fit mentio, qui Angelicæ annulum de digito furtim subtraxit, Sacripanti equum sub proprio suo corpore abduxit, & Marfisam tàm mirabiliter decepit & nihilominus tamen tamdem à Rege Agramante suspēsus fuit.

Interim verberones isti vitam nimis securam delitiosamque non dumtaxit aguat, verum etiam quasi triumphant, ac tam diu genio

diu genio suo indulgent atque commessantur, donec tamdem collum omnia vna vice persoluere cogitur. Quemadmodum etiam Harpalus, fur ille famosissimus, cuius quoque Cicero lib. 2. de natura Deorum mentionem facit, Deos olim irrisit & ludibrio habuit, quod tam longæuam vitam ipsi largirentur, cum tamen singulis diebus furaretur: ita quoque hodierno nostro tempore istiusmodi fures & Deum ipsum, quod tam diu conniuentibus oculis ipsorum furta intuetur, & mundum quod ægre ipsos comprahendere queat, floccipendit, irridet, atque contemnit. Seipsos itidem, vti supra commemorauimus, fortunatos felicesque prædicant, quibus omnia sufficiant, &, pro suo lubitu, cuncta ad se pertrahant: & quis tamdem ipsos arguere vel attrectare audeat? Illinc ne hiscere quidem aliquis audet, adeo vt nūc furari multo fiet melius, quam in furto depræhendi. Superiores sæpenumero ipsis manus auxiliatrices porrigunt, & iudex ipse timere necessum habet, vtpote qui ex vna parte non omnino purus, & nauci æstumat, quod miseri simplicioresque homines, qui verba sua non scite nec sufficienter proferre possunt, decipiantur, subprimantur, vel ad minimū tamen ære suo emunguntur: Regentes insuper sæpissime cū ipsis colludunt, dum subditos plus iusto onerant, &, improborum pastorum instar, oues non tondent, sed deglubunt, prouentus & æraria exhauriunt, prouinciam ære alieno grauiter onerant, adeo vt vna pars post alteram ad peregrinas manus deueniat, &, multa vt complectar paucis, omnia ad ruinam & præcipitium ruant: multa itidem, modo prorsus præpostero, luxui & superbiæ, genio & voluptati, scortis & lenonibus, equis, canibus, morionibus impenduntur, dum interim misera plebecula ad imam medullam usque exsugitur. Et hi sunt veri illi rectique fures prouinciales, qui non immerito paruos & vulgares istos fures urbanos pro merito supplicio coercere debebant, ni æque, ceu illi, nimium securi essent, conniuentibusque oculis uniuersalem istam ruinam inspicerent. An autem illud diu duraturum est? an infelix illud lolium altiores in se radices a-

 get? an

get? an lucidissimus omniaque cernens oculus non aliquando euigilabit? an improbi isti verberones impuniti manebunt? an non, obsecro, omneis ordines aliquando horrendum diuinæ vindictæ exemplum in illis conspicient? Equidem *Deus Ter Optumus Maxumus*, omniscius, cuncta videns, audiens, & diuina sua prouidentia regens tamdem aliquando, post nimiam istam suam patientiam graui manu, & in ira sua, omneis fures, quomodo etiam appellentur, tam temporali, quam æterna pœna grauiter, & iuxta verbum suum, quod fallere & mentiri nescit, corripiet. Id quod, meo quidem iudicio, de furibus nunc dicta sufficiant.

IN DISCVRSVM XXIX.

ANNOTATIVNCVLA.

DE Furibus plura legantur apud Petrum Victorium in variis suis lectionibus, fol. 119. & 285. Item apud Petrum Crinitum libro tertio, de honesta disciplina cap. 13. Item apud Calcagninum fol. 612. & 297. Item apud Rhodiginum libro nono, capite sexto, & libro decimo, cap. 2.

DE.

DE OTIOSIS, OBAMBVLONIBUS, & inutilibus terræ Ponderibus.

DISCVRSVS XXX.

PRofeſſio otioſorum & obambulonum, opificium Iunckerinum ſectantium, & quæ Profeſſio otioſa turpiſſima, tionibus obambulationibuſq; conſiſti, non immerito pro perniniosiſſima & turpiſſima aliqua profeſſione haberi poterit, vtpote in qua infelices iſti & otioſiſſimi homines potiorem vitæ ſuæ partem hinc inde obambulando inutiliter conſumunt atque ex vno ad alterum diuerſorium ſeſe cõfe:unt: mox in foro piſcario, mox in curia, &c. ſeſe conſpicuos faciũt, mox empirico & circumforaneo alicui medicaſtro aures patulas præbent: mox laniorum canes tauros inſequentes ſpectant: mox in tabernis peregrinas exoticaſque merces in'piciunt: mox in foro olitorio & pomario ruſticos intuentur: mox in tonſtrina omnis generis nugas & aniles fabulas audiunt; mox in foro diuerſimoda noua partim audiunt, partim otioſi ipſi recenſent, quæ tamen ab ipſis conficta ſunt. In Summa quis omnia otioſorum nauciq; hominum iſtorum negotia omnia commemoraret, quibus haud immerito apud omneis flocci-penduntur, & merito contemnuntur, atque non ſine cauſſa coram vniuerſo mundo ſuſpecti redduntur? adeo verum eſt illud Catonis pro: & veriuerbium: *Homines nihil agendo male agere diſcunt*. & illud ſapientiſſimorum omnium ſapientiſſimi Regis Salomonis: *Qui ſectatur otium ſtultus eſt.* Cap. 12. Ita quoque D. Bernhardus quodam in loco otium matrem omnium mendaciorum & leuitatis, virtutiſque

que nouercam & inimicam publicam. Nilus Episcopus & Martyr illud ipsum matrem defectus appellat, omnia enim, quæ habes, à te aufert, nec ad id, quod iam habes, te peruenire paritur. Quo etiam D. Hieronymus respexit, dum ad Demetriam virginem ita scriptitat: Nihil, inquit, in sancto proposito otio deterius: nam non solum nihil adquirit, sed etiam parta consumit.

Ex otio nihil boni oritur. Simili etiam modo cottidiana testatur experientia, quod turpi ex otio nihil boni oriatur, sed multo potius omnis generis flagitia, scelera, & peccata exinde proueniant. Ex eo ipso siquidem, quemadmodum Albertus Magnus in Compendio suo Theologico testatur, nausea spiritualium cœlestiumque bonorum, & odium contra illos, qui aliquem ad bona ista admonere conantur, existit: quocirca Seneca, in libro de tranquillitate, bene ait: Alit liuorem infelix inertia. Ex eo itidem pusillanimitas, & ad omnia honesta negotia inhabilitas, diffidentia in proprijs suis viribus, animi excæcatio, & totius corporis pigritia suam trahunt originem. Et ea ipsa de caussa Pythagoras hanc doctrinam tradidit, quod videl. ignorantia ex animo, abundantia ex ventre, discordia ex ciuitate, & otium ex corpore releganda sint, quemadmodum etiam inter scita sua prouerbia & sententias illam, *Chœnici ne insideas*, vsurpare fuit solitus: qua innuere & significare voluit, otium prohibendum esse. Ita quoque & Hesiodus otiosis famem & paupertatem comites addit, dū ita inquit: Fames semper comes est non laboranti viro. Aristoteles, in tractatu de virtutibus, Plutarchus, ab initio libri sui de tranquillitate animi; Isiodorus, & alij plures otioso alicui sequentem societatem attribuunt, vtpote pusillanimitatem, inconstantiam, vitam tædiosam, pigritiam, indiligentiam, petulantiam, impatientiam, tristitiam, tædium, boni cōtemptum, & alia id genus vitia plura, quæ plerumque sese concomitari solent. Itaque otiosi homines recte Sisaræ comparantur, qui à Iahele in somno trucidatus: Ionæ, qui è naui sua in mare præcipitatus: & Sansoni, qui in genubus Dalilæ dormiens captus fuit. Otio siquidem torpentes nullius omnino

nino ſunt uſui. Simili quoque modo deſidioſi inerteſq; cum Lothi uxore, in ſalis columnã, & Niobe Poetria, in columnã marmoream conuerſis, comparari poſſent, quod tàm ipſorum corpora, quam etiam animi in lapideas columnas tranſmutati, atque ad res omneis inutiles redditi fuerint. Hiſce de cauſſis omnibus etiam omneis creaturæ turpi otio aduerſantur, atque illud pro virili deuitant: immo ipſi quoque angeli otium habent odio, dum inceſſabili voce, *Sanctus, Sanctus, Sanctus eſt Dominus, Deus noſter*, proclamant: quo ſimiliter inter alia otioſorum negligentiam redarguunt. Sic Planetæ numquam otioſi conſiſtunt, ſed aſſidue totum terrarum Orbem circumcurſitant: Terra, licet immobilis, neutiquam quieſcit, ſed omnis generis herbas, flores, & fructus profert. Immo ipſa bruta & irrationalia animalia minimè feriantur, ſed cottidie ſeſe exercent, quo homini, ne videlicet viuo corpore fiet mortuus, ſignificant: Abi piger, ait in Prouerbiis ſuis Salomon ſapientiſſimus, ad formicas, & ipſarum vias conſidera. Itaque etiam Doctores nullum alium locum, niſi infernũ, ſciunt, quo inertes maleque feriati collocandi ſient: in cœleſtem Paradiſum ſiquidẽ neutiquam pertinẽt, ſiquidem ille ad eos dumtaxat pertinet, qui, tamquam fideles ſerui, talentum ſidei ſuæ commiſſum, rectè decenterque collocarunt. Nec terrenus quidem Paradiſus ipſis conceditur, utpote in quem Adam non ad otium, ſed colendum eum, collocatus fuit. Ita quoque nec huic mundo apti ſunt, in eo ſiquidem nihil, quod otioſum ſiet, inuenire licet, & Chriſtus ipſe ficum inutilem infrugiferumque execratus eſt. Nullibi igitur, niſi ſolo in inferno, ipſis locus conceditur, in quo, poſt tam longam inertiam atque pigritiam, perpetuo ipſis dolendum flendũque erit: quo reſpexit etiam Dantes dum de perpetuo otioſorum domicilio, inferno videlicet, ita olim cecinit:

Quiui ſoſpiri pianti & amar' quia
Riſonam per la'r ſtenza ſtelle'
Ond' io al comminciar ne lagrimai.

Quatenus vero otium à prudentibus, omnibus temporibus, deteſtatum fuerit, id ex *Statuta Veterum contra otium.*

nnn conſue-

consuetudinibus, legibus, atque Statutis Veterum quodammodo colligere & videre est. De Gymnosophistis, Indianorum Sapientibus & Philosophis siquidem Patritius, lib. 1. de institutione Reipublicæ scriptitat, quod iuuentutem disciplinæ suæ commissam ab esu abstinere cogebant, nisi prius, quid nimirum eo die didicerint, vel vtile quidpiam perfecerint, indicassent, atq; demonstrassent. Ægyptijs, quemadmodũ Diodorus testatur, peculiaris lex & consuetudo erat, vt totius Prouinciæ inquilini certo anni tẽpore conuenire, atq; certis quibusdam ad id constitutis personis victus sui rationem reddere necessum habuerint. Apud Athenienses, quemadmodum Valerius Maximus, tit. de institutis Antiquis, & Guilielmus Lemporeus Heduus testantur, in otio depræhensi amplo publicoque aliquo in loco torq; infami induti omnium exponebantur risui, & ludibrio habebantur à spectatorib. omnibus. Sic & Romani otiosos probe obseruarũt veluti ex Suetonio, in vita Claudij Imperatoris, apparet, & videre est. Ita etiam quidam Philosophus, Aulo Gellio lib. 8. testante, Nobilissimum aliquem Romanum iuuenem vehemẽter repræhendit, eidemq; inter alia minatus est, quod nimirum in Patria sua, ob desidiam suam, ad honores peruenturus esset. Apud Græcos otiosi, iuxta leges Draconis, vitæ supplicio adficiebantur, vtpote qui non duntaxat vitam suam temere traducerent, verum etiam alijs, de quib. Respublica vti frui posset annonam turpiter deuorassent, quodque ad alia impedimenta inutilia ista terræ pondera ansam occasionemq; præbuissent. Similiter & omneis vetusti scriptores turpi otio vehementer aduersantur; quemadmodum illud ipsum in scriptis suis eruditissimis satis superque testantur. Menander siquidem quodam in loco asseuerat, quod videl. otium omneis viriles vires, non secus quam rubigo ferrum consumat. Mercurius inquit intellectum in natura fundari, exercitatione acui, per otium desidiamq;, vice versa, corrumpi atq; impediri. Ita etiam Homerus suadet intellectum & animam videl. numquam otiosam rellinquendam, nihil enim quiete ipsis esse perniciosi⁹, aut si diu subsistant. Ouidius autem

hac de re sententiam suam subsequentibus in versiculis sufficienter declarat, dum ita canit:

Cernis vt ignauum consumant otia corpus,
Et capiant situm, ni moueantur aquae.

Bene igitur aliquando Lucanus dixit:

Vanam dant semper Otia mentem.

Demosthenes, Philippica IV. ijs esse similes otiosos inquit, q Mandragoram bibissent, vtpote qui ad res honestas omneis minus essent idonei, ac quasi somniferam aliquam potionẽ bibissent. Plato, lib. 1. de Repub. otium pestem & corruptelam hominum nuncupat. Empedocles, irreparabilem iacturam temporis. Bion, animae quietẽ. Democritus otiosum quemdã cum mari mortuo comparat, quippe, quod inter talem, & mortuum, exigua saltim fiet differentia. Ausonius, otium febricitante aliquo peius esse, asseuerat, dum ita inquit:

Sanus piger febriente multo est nequior.

In Summa omneis honestatis amantes turpissimum illud otium detestantur. Quapropter eosdem ex dicto Euangelico heic bene ita compellare poterö:

Quid heic statis toto die otiosi?

An non vobis multo esset conducibilius, vt ad honestam aliquam exercitationem animum adplicaretis, quam quod vos ipsos tam turpiter corrumpitis, apud quosuis odiosos contemptibilesq; redditis, ab omnib. ludibrio habemini, adeo vt haud immerito cum Heronda Atheniense, Vacia Seruilio, turpissimo aliquo & ignauissimo homine, comparari possitis? De pigerrimo omnium sese mouere non valente, adhuc hodierno nostro tempore prouerbium in vsu est; *Vaccia heic situs est.*

IN DISCVRSVM XXX.

ADNOTATIVNCVLA.

DE otiosis ignauisque verberonibus plura reperiuntur apud Petrum Crinitum libro secundo, cap. duodecimo de honesta disciplina, Celium Calcagninum, in Catalogo suo apud verbum otium, & apud Rhodiginum libro sexto, cap. vigesimo tertio & 25.

DE PROSCRIPTIS ET Exulibus.

DISCVRSVS XXXI.

Triplices apud Romanos exules.

PRoscripti, latino in idiomate ideo exules appellantur, quod, iuxta Nonnij Marcelli interpretationem extra solum sient, Martianus tria exulantium genera apud Romanos olim fuisse scriptitat, vtpote deportati in Insulam vel Prouinciam

I. aliquam, quemadmodum Res-

Deportati in insulam.

publica Venetiana adhuc hodierno nostro tempore in vsu habet, vt quosdam, ob delicta & transgressiones suas, in Candiam, Corfu, vel alia istiusmodi loca releget, Isto modo Publius Rutilius Consul Roman⁹, Martij Collega à Sillanis relegabatur, qui ab exilio reuocatus memorabili isto sermone vsus est: Malo, inquit, vt patria exilio meo erubescat, quam reditu mœreat. Montanus Vatienus, celebris ille Orator à Tiberio Cæsare in Insulas Baleares, & Paulus Diaconus, à Carolo Magno in Insulam Diomedeá, quæ hodierno nostro tempore Tremiti nuncupatur, & ad Canonicos Regulares Lateranenses pertinet, relegatus fuit, quod Desiderio, Longobardorum Regi, inimico suo, fauisset.

Re-

Reperiuntur etiam nonnulli, quibus peculiaris aliquis locus, prouincia, vel territorium aliquod interdictum est, quorum aliqui Venetiis, Ferrara, Bologna, aut aliqua urbe excluduntur.

Et denique etiam alii inueniuntur, qui perpetuo exilio mulctati sunt, aut qui, præ formidine pœnæ ob delicta sua, ipsi solum verterunt, qui etiam aliquando, licet absentes, condemnati fuerunt. Et istiusmodi exilium, quemadmodum Titus Liuius lib. 25. testatur, Marco Posthumio interminatum olim fuit.

Hisce Blondus lib 4. Romæ suæ Triumphantis adhuc quartam exilii speciem addit, Legationem videlicet liberam, quæ spontanea fuit secessio, quam quidam ambierunt, ut videlicet cum aliis quibusdam Senatoribus, qui ad regendas Prouincias emittebantur, ad certum quoddam tempus secedere ipsis liceret, & hac ratione omne domi odium atque indignationem aliquandiu vitarent. De istiusmodi secessione & emigratione spontanea Cicero, in quadam epistola ad Q. fratrem, tum temporis Proprætorem Asiæ, ita scriptitat: Illud autē, inquit, quod cupit Claudius, est Legatio aliqua, si min⁹ peri Senatum, per populum tamen libera. Tali autem Legationi certum aliquod tempus destinatum erat.

Pari modo & Athenienses rara quadam relegandi ratione utebantur, quam Ostracismū appellabant, quo ciues, certo aliquo tempore, unum ex præcipuis potentissimisque Senatoribus absque ulla sua culpa decennali exilio mulctabant, ne potentia eius nimium excresceret, aut metuendum forsitan esset, quod imperii administrationem aliquando in se solū propria auctoritate deriuaret. Ista autē relegatio plerumq; subsequentib⁹ Ceremoniis peragebatur. Illi, exequenda demandata erat, conuocatis quibus istiusmodi proscriptio omnibus ciuibus & Prouincialibus, ad negotium istud pertinentibus, unicuiq; album glabrumq; aliquem lapillum porrigebant, cum mandato, ut videlicet nomen illius, quem proscriptum relegatumq; vellet, lapillo isti inscriberet, eumdemque certo alicui loco inferret; qui autem majora vota sor-

Ostracismus.

tiebatur, illi etiam emigrandum fuit.

Talem in modum celeberrimus ille Heros Themistocles, qui Xerxem in mari vicerat, relegabatur, de quo Plutarchus, in libro suo de exilio, inter alia recenset, quod in egressu suo uxorem ita compellauerit; Ah uxor dilectissima, ni hoc jam nobis obuenirет infortunium, fortassis alio & maiori quidem petiissemus. Eo modo Cimon Atheniensis, Persarum victor, Athenis pellabatur: Similiter & Aristides, cui quidam rusticus, quod scribere ipse non posset, lapillum in manus tradebat, eumdemque simul, ignotũ attamen, rogabat, ut videlicet Aristidis nomen lapillo isti inscriberet. Cum autem rusticus ille interrogaretur, cur Aristidi tantum infortuniũ creare vellet, cum tamen, absque ullo dubio, ipsi per omnem vitam suam nullam injuriam fecisset? respondit rusticus: fateri equidem necessum habeo, illum neque mihi, neque meis omnibus ullam fecisse iniuriam, sed, vice versa, ab omnibus illum ob probitatem suam, laudari audio. Hoc tamen, addebat agricola, mihi nimium videtur quod videlicet sese justum nuncupet, utpote quo nomine facile quosdam aduersus se concitare posset. Existumabat autem ille rusticus, Aristidem sibi ipsi nomen illud, ex quadam arrogantia, adtribuisse, quod tamen ipsi ab omnibus, ob probitatem integritatemque suam, erat inditum: Cui tamen odiũ & metus tum temporis neutiquam pepercerunt. Eamdem istam proscriptionem timuer olim Nicias & Alcibiades, celeberrimi & de Patria sua bene meriti viri. Inito itaque consilio infortunium, sibi destinatũ, in alium, Hyprobolum videlicet, qui humili loco natus, nimis tamen fastuosus, elatus, atque seditiosus erat, ipsisque per omnia similis esse nitebatur, transferebant. Postquam vero id Atheniensibus postmodum innotuisset, itaque, partim ex indignatione, partim vero ad euitandum istiusmodi ludibrium, neminem amplius Ostracismo isto proscripserunt.

Ad ipsam vero relegationis pœnam quod attinet, illa celeberrimos fortissimosque quosdam viros olim petiit, utpote Camillum istum Romanum, qui tamen patriam suam antea libera

P. eiff. das des.

liberauerat, Hannibalem Carthaginensem, Metellum Numidicum, Dionem Syracusanum, Thrasibulum, Demaratũ Lacedæmonium, Ciceronem, Titum Annium Milonem, Thucydidem Atheniensem, Pub. Nigidium Figulum, Xenophanem, Ouidium, Boetium Seuerinum, & quàm plureis alios.

Spontanea autem secessione è patria sua emigrarunt Pythagoras, qui Samum relliquit: Solon, qui Athenis secessit, Lycurgus, qui Spartam deseruit: Scipio Nasica, & Liuius Salinator, qui Roma secesserunt. Celeberrimus quoque Socrates, qui simili modo Athenas rellinquere, solumque vertere necessum habuit. Cumque is aliquando in exilio, cuias esset, interrogaretur, è mundo sese esse respondit, quo idẽ illud significare voluit, quod Cicero in Paradoxis suis ait idũ inquit: Forti ubique Patria est.

Tanta vero Romæ proscriptio pœna erat, ut nemo in exilium relegaretur, nisi prius ciues in proscriptionẽ istam consensissent, idque per Comitia fieri oportebat. Cuius illam habebant caussam, quod homo naturali ex adfectu tanto quidam amore patriam suam complectatur, ut eadem etiam non absque singulari cordolio priuetur. Quapropter etiam Plutarchus, in proscriptorum siue exulantium gratiam, atq; consolationem peculiarem aliquẽ Tractatum conscripsit: quemadmodum itidem Boccaius ad Primum de Rossis, & Erasmus eadem de re memorabilẽ aliquam epistolam grata cum posteritate communicarunt: Simili quoque modo & Seneca, in consolatione ad Paulinam multas insignes sententias, hãc ad materiam directas, complectitur. Quo etiam liber Boetii de consolatione, & Tractatus Francisci Petrarchæ de remediis Fortunæ pertinent.

Priscorum & modernorum exulum differentia.

Hodierni tamen nostri exules à commemoratis longè differunt: illi siquidem in exilio suo honestam vitam agebant, hodierni & nostrates vero in via publica latrocinia exercent, peregrinantes hostiliter irrunt, furantur, cædibusque ac rapinis loca omnia infesta reddunt: quocirca etiam tam multæ aduersus istiusmodi grassatores sancitæ, & tot edicta contra latrones istos publicata sunt, adeo ut

deo, ut etiam Nellus de S. Geminiano, Iacobus Arnatius, & Hippolytus de Marsiliis integros tractatus eadere publici juris fecerint: idque ad meliorem judicum informationem, & quomodo videlicet cum istis latronibus procedendum fiet. Hodierno quoque nostro tempore proscripti præcipuis quibusdam gaudent capitibus, adeout in Romania quosdam timere necessum inquilini habeant: Vtpote, ex parte Guelphorum, à Gordesco: à parte Gibellinorum vero stant Camillus Corellus, Camillus Sorboli, Octauianus de Negrino, & Albertus Triscus. In Marca, Vmbria, & Lombardia sunt Ian-Paulus de Nobili, Dominus de Scifoaia, Pedrinus, Capitinus, Mancinus Eugubinus, Cipolleta, Dominus de Monte Martiano, qui inlustri loco natus & multis clientibus, amicis, & Principibus minime destitutus est: Comes Octauius Auogadrus, famosissimus iste Brescianus, & plureis alii, qui tàm nomine, quàm stemmate, commemoratis istis longè inferiores sunt, adeo ut vix omneis recensere valeam. Quæ de proscriptis, profugis, & exulibus nunc dicta sufficiant.

IN DISCVRSVM XXXI. ADNOTATIVNCVLA.

DE exulibus & proscriptis plura scriptitarunt Petrus Crinitus lib. 22. c. 7. de honesta disciplina, Alexander ab Alexandro fol. 151. &c.

DE

DE HISTORIONIBVS, MORIOnibus, & mimis.

DISCVRSVS. XXXII.

Etiamsi nomen Histrio veteres apud Romanos non dumtaxat iis fuerit inditum, qui, simiarum instar, miris gestibus & voce omneis & singulos suis in gestibus, sermonib⁹, & actionib. agere atq; imitari potuerunt, quos etiam alias mimos appellarunt, & exinde etiam illi Panthomimi dicti fuerunt, qui in lepida ridiculaque ista professione alios longo post se interuallo relliquerunt, veluti de Nestore quodam legitur, quem Caius Caligula publico in theatro, suetonio teste, ob artis illius perfectionem & præstantiam, osculatus fuerit: nihilominus tamen etiam Comici, Tragœdi, Gesticulatores, (Mimi, & Musici, quo Comœdiarum actioni operam suam locabant, quique alias quoque Dionysiaci, à Patre Libero & Baccho, quem Poetæ etiam Dionysium nuncuparunt, appellabantur) inter Ordinem istum referuntur. De quibus tamen in genere nunc non agemus, sed dumtaxat de morionibus & histrionib. in quorum gratiam & honorem hic Discursus institutus est, heic verba facturi sumus.

Ista autem Professio olim apud Veteres non contemnendo sane in pretio honoreq; fuit habita, quemadmodum ex Historiarum monimentis colligere & videre est, quod multi istiusmodi Histriones & Mimi, per gesticulationes & facetias suas (uti easdem appellare solebant) ad magnos honores dignitatesque euecti fuerint, adeo ut honesti viri ea de re summopere conquesti fient, quod istiusmodi mimis & histrionibus honorifica munera commissa, alii virtutis honestatisq; amantes viri, vice versa, neglecti posthabitique fuerint.

Vt autem eius rei quædam exempla in medium proferamus, an- *Mimi quidam indi-*

gnt ad summos honores exaltatis.

mus; ante dictus suetonius Tranquillus morionis alicuius mentionem facit, qui Paris dictus atque Imperatoris Domitiani coniugi adeo charus & acceptus fuerit, ut etiam illum Dominum suum fecerit, quem tamen serui loco habere potuerit. De Cythere mimo tradit Plinius ipsum, à pugna Pharsalica, penes Marcum Antonium in curru suo vectum, atque, fortuna propitia, ad tantos sane honores euectum fuisse, qui haud immerito aliis dignioribus honestioribusque obuenire debuissent. Simili quoque modo de Astidamante Marsimi F. legitur, quod ipsius in honorem, publicum per decretũ, statua in Theatro erecta fuerit, quod inibi Parthenium viuis quasi coloribus repræsentauerit.

Eorumdē apud Veteres recteque sentientes contemptus.

Vice versa inficias nemo ire poterit, multis honestis & virtutis amantibus hominib9 mimos siue histriones istos summopere displicuisse, eorumdéque temeritatem atque insolentiam quodammodo repressisse: quemadmodum de Agesilao Rege legitur, qui, postquam, aliis sermonibus & negotiis occupatus, à Callipede salutaretur, Rex vero eidem minimè respondendo gratias ageret, & dictus iste Callipedes eironicè dixisset: Nunc benè video, quod te, o Rex, oculi tui fallant &c. respondit: Quomodo me fefellissent lumina: an existumas me Callipedem, morionem & mimum istum, non videre? quo sermone sane ipsi Callipedi temeritatem insolentiamque suam satis ciuiliter exprobrauit. Sic de Cæsare Augusto Suetonius inter alia commemorat, quod in aula sua, omniumq; conspectu, Panthomimum Hydam, Histrionum istiusmodi Coryphæum & Antesignanum, fustibus cædere iusserit, quod, juxta Prætoris accusationem, in loquendo nimis audax mordaxque fuisset. Idem ille Imperator gloriosissimus etiam morionem Piladem ex Italia relegauit, quod tàm audacter spectatorem aliquem, qui, quemadmodum tamen alias moris erat, fistulando ipsum à tergo eluserat, digito commonstrasset. Multo tamen erat melius conducibiliusque, quod, quemadmodum ante commemoratus ille Suetonius scriptitat, sub Romanorum Imperatore Claudio Nerone

omneis

omneis simul histriones & mimi cum ignominia abrogati & relegati fuerint, utpote qui ad diuersimodas confusiones corruptelasq; ansam occasionemque præbuerint. Etiamsi vero sub Nerua sensim iterum irrepserint, nihilominus tamen sub Traiano summa cum ignominia rursus eiecti sunt.

De iisdem quoque Cicero libro de Republica scribit, quod apud Romanos adeo nauci æstumati sient ut etiam non dumtaxat omni ciuili honore atque dignitate priuati, verum etiam inter Tribum plebeiam numerati fuerint. Simili modo & Titus Liuius, libro historiæ suæ septimo, de iisdem inter alia commemorat, quod neque ad stipendia militaria admissi fuerint; indigni quippe habiti, ut videlicet nobilissima ista ars militaris per abiectos naucique istiusmodi homines contaminaretur: quemadmodum etiã merum in ludibrium cum similis comparati fuerũt, quod turpi quæstu turpiter sese sustentare necessum habuerint. Pro tali mimo Satyrus à Plutarcho fuit habitus, utpote qui balbutientem Demosthenem tam scite agere potuit, ut etiam ipsum ferme Demosthenem loquendo repræsentauerit. De Ciliffo histrione quodã narrant, quod videlicet claudicando, os deducendo, oculos conuertendo, aliisq; ridiculosis gestibus Philippum Macedoniæ Regem tam scitè ræpresentarit, ut etiam omneis spectatores ad risum commouerit. Simile de Carisopho, Regis Dionysii morione, refertur, quod, cum aliquando Regem una cum asseclis è longinquo ridentem conspexisset, etiam clara voce ridere cæperit: Cum autem Dionysius caussam risus istius sciscitatus fuisset, morio respondit, se imaginatum sibi esse, quod videlicet res istæ, de quibus inter se inuicem loquuti sient, risu dignæ fuerint.

Hippolochus Macedo, in quadam ad Linceũ scripta epistola, Androgonem & Strabonem Atticum, tamquam insignes mimos histrionesque, celebrat. Sic Telephanes Sexaginta octo mimos simul congregatos fuisse scriptitat, ex quibus Calimedon, Locusta, Dinias, Massigethon, & Menechmus palmam cæteris præripuerint. Hodierno nostro tempore mimi in aulis Principuum

plerumque honestis viris præferuntur, & maiori pollent gratia. Immo aulam nullam aulam esse autumant nisi Carafula aliquis, aut Gonellus, vel alius quidam impudens histrio totam aulicorum societatem, aut quandoque ipsum etiam Dominum facetis sermonibus, citis responsionibus, obscœnisque quandoque loquutionibus moratur & exhilarat. Sæpenumero enim inibi Domin⁹, vna cum ministro suo apertis naribus oribusque morionem, omnis generis facetias narrantem, audiunt: qui mox rustici cuiusdam Gretæ suæ post se relictum testamentũ recitat: mox Ceci instrumentum recenset, q̃ tam ridiculis verbis descripsit, vt etiam eo ipso Cocaium ipsũ vicerit: mox ineptias, quas medici cuiusdam vxor hero suo in honorẽ Bacchanaliorum tempore lusitarat, commemorat: mox colloquium M. Agresti cũ Togna S. Germani habitũ narrat: Nunc de Legibus loquitur, quemadmodum Gratianus aliquis Bolognæ: de medicina, veluti M. Grillus: mox more pedantico loquitur, quemadmodum FidentiusGlotorrisius: nũc Bergomastice loquitur, quasi inciuilitate omneis tota ista in vicinia superaret: mox in corporis qualitate magnificum aliquem repræsentat: mox Hispanum, aulicis moribus gestibusque: mox Germanum in incessu: mox Florentinum, in loquendo: mox Neapolitanum in cantu: In Summa vniuersum mundum tam in loquendo, gestibus, & vestitu imitari atque repræsentare, faciemque mille pene modis mutare potest: mox supercilia introrsum contraxit, & oculos, glauci instar, conuertit: mox labia tam mire corrugat, adeo vt larua velatus esse videatur: mox linguam, ceu sitibundus aliquis canis, exerit, & collum, quasi aliquandiu in cruce pependisset, humerosque contrahit, quasi diabolum aliquem gestaret: mox dorsum incuruat, veluti Mediolanensis quidam baiulus: implicat brachia, quasi deuotione omneis antecelleret: mox manib. pedibusque gesticulatur: mox, ceu piger asinus, sese extendit & erigit. In Summa omnia eo potissimum directa sunt, vt ad risum commoueantur homines, atque si ipsus histrio rideat, tunc omneis simul ridere coguntur.

Illæ ſunt mimorum hiſtrionumque virtutes quarum cauſa apud Principes Proceresque tanta quidem pollent gratia, vt honorati donatique plerumq; abeant: interim doctus aliquis Poeta, ſuaviloquus Orator, acutus Philoſophus extremo in angulo ſedere neceſſum habet. Iſtiuſmodi homines etiam reſpiciuntur ab omnibus eorumdem fauorem atque gratiam omneis captant, vtpote qui cottidie apud Dominum commorantur: atque nunc in cubiculo; mox in tabula, nunc in Curru Domini claudunt latera. Si apud Dominum negotia alicui expedienda ſunt, is hiſtrionum ſibi adquirat gratiam, per eoſdem enim facilis ad Dominum paratur aditus. In Summa, Dominus numquam caret ardelionibus & hiſtrionibus, & morio numquam abſq; Domino: Si enim Domino morione aliquo carendum eſſet, tunc forſitan p̄ animi mœrore in morbum incideret: morio quoque ſemper primum locum obtinet, cum vice verſa bene meritus prudenſque aliquis conſiliarius menſæ nudato capite inſeruire neceſſum habeat: adeo vt bene nunc Gonellæ tempora redijſſe exclamare poſſet, q̄ bus iſtiuſmodi moriones & faceti hiſtriones præcipuis honeſtiſſimiſque officijs præficiuntur dum è contrario virtutes, earumdemue cultores rideantur atq; nauci æſtumentur: immo felices ſeſe prædicare poſſunt, ſi per iſtiuſmodi homines Dominorum fauorem gratiamque impetrent, dignitatemque ſuam integram conſeruent. Illi enim nunc præcipui Dominorum ſunt Conſiliarij, qui omnia corrigunt, imperant, & prohibent, atque omnia iuxta voluntatem ſuam explicant, adeo vt tam docti, quam indocti, & quib. mundus haud dignus eſt, ſecundum impudentiſſimi iſtiuſmodi ardelionis & verberabiliſſimi alicuius hiſtrionis tibiam ſaltare neceſſum habeat.

Hiſtrio quoque talis ſe meliores contemnere & nauci æſtumare haud veretur: Inter honorem turpitudinemque ſiquidem nullam omnino nouit facere differentiam. Etiamſi quoque turpi facinoroſoque aliquo ſtigmate in fronte notatus ſiet, nihilominus tamen laudi ſibi ac honori ducit, ſi honorati iſtiuſmodi viri ipſi inſeruiant, inter quos ſe tamquam ſu-

superb. pauo hinc inde flectit, intuetur, omniaque obuia irridet atque aontemnit. Si prætérea mimus istiusmodi ad sodales suos perueniat, null⁹ namq; nequam in aula solus reperitur, tunc instar ferocientis calcitrantisque equi, intumescit, & præcipuum inter omneis sese esse autumat. Tunc congerrones ipsius lepidi lepide cachinantur, & morioni isti applausu suo adeo conniuent, vt se elephantem esse existumet, cum tamen dumtaxat rudis fiet asinus, donec ipsum periculo inuoluant, & inclementia priorem Domini gratiam inuerso ordine longe superet, atque tamdem summa cum ignominia loco cedere, alijsque honestioribus viris eumdem rellinquere cogatur.

Idque plerumque omnis hononoris dignitatisq; est exitus. Omneis idcirco istiusmodi mimos & histriones probe volo admonitos, vt intra limites suos sese contineant: alias successu temporis (quemadmodum sæpissime factum est) asino impositi, corona straminea coronati, asini caudam in manibus gestare & pro merito, temeritate, atq; insolentia sua pœnas luere cogebuntur. In quib. nunc adquiesco, & ad alia propero.

IN

IN DISCVRSVM XXXII ANNOTATIVNCVLA.

TRiplices homines multis honestis viris tempus furari trito vulgarique habetur in prouerbio: Comici videlic. histriones siue moriones, & medicastri circumforanei vel Empirici, qui omneis, iuxta Phaselæ opinionē, Nodo Gordiano & indissolubili vinculo inter se inuicē qu. conclutinati sunt.

DE BIBLIOPOLIS.

DISCVRSVS XXXIII.

BIbliopolarum professio tātī semper æstumata est, vt apud omneis singulosque pro honesta laudabiliq; aliqua professione habita fuerit, id quod multis saneratonibus, diuersimodisque auctoritatibus Doctissimorum Clarissimorumq; Virorū demonstrari facile poterit. Inter alios Polydorus Virgilius, in suis de rerum inuentoribus libris, memorabilem aliquam caussam in medium adfert, dum inquit, quod commoditate librorum ingenia acuantur, via ad omneis artes scientiasque præparetur, & animi ad amorem studiorum, quæ non immerito apud omneis omni honore laudeque digna sunt, cumprimis excitentur.

Dignitas Nobilitasque Bibliopolarum vero ex eo colligitur, quod libri atque Bibliothecæ omnibus temporib. tanto in honore habitæ fuerint, vt etiam celeberrimi viri, immo ipsi etiam Reges iisdem nominis laudisque celebritatem aliquam consequuti fient: quemadmodum Historicorum monimenta testantur, quod videl. Imperatores, Reges, Nobiles, alijque Doctissimi viri illorum

Pa-

Patrocinium susceperint. De Alexandro Magno Isidorus lib. 6. Etym. cap. 3. scribit, quod libros singulari amore complexus fiet: & quemadmodum artium liberalium studia summo studio coluit, ita etiam optumos quosque omnium artium facultatumq; libros summa diligentia conquisiuit. Idem etiam de Ptolomæo Philadelpho scriptitat, quod Alexandriæ Bibliothecam instituerit, in qua septuaginta librorũ millia habuerit, quæ duabus de caussis celebris admodum exstitit. Primum, quod etiam libros Moysis, & scripta Prophetarum per septuaginta duos Iudæos doctiores in linguam Græcam suis sumptibus transferri curauerit. Secundo, quod Manuscriptorum librorum ingentem numerum habuerit: quem tamen numerum Aulus Gellius, Ammianus Marcellinus, & Seneca multo maiorem faciunt, & septingenta illorum millia fuisse asseuerant. Qui sane ingens, incredibilisque ferme est numerus: Credibilis tamen si magnæ ingentesque Regum Ægyptiacorum opes atque diuitiæ considerentur, atque quod, ad magnificentiam suam alijs in reb. demonstrandam, nullis omnino sumptib. pepercerint, quem admodum in Pyramidibus, Obeliscis, Templis, ædificijs, alijsq; istiusmodi monimentis videre est, quorum memoria atq; vestigia in hodiernum vsq; diẽ isto in Regno reperiuntur, quẽadmodum Budæus, in Annotationibus suis in Pand. & Lazarus Baysus, in Tractatu suo de rebus Naualibus, vna cum alijs pluribus, qui regnum illud perlustrarunt, testantur.

Bibliotheca Ptolomai.

De Eumene, Rege quodam Pergami, Plinius recenset quod simili modo Bibliothecã, priori non longe dissimilem, condiderit, in qua ducenta Voluminum millia fuisse Plutarchus, in vita Marci Antonij asseuerat.

Eu[...]

Sic Iulius Capitolinus de Imperatore Gordiano refert, quod in instituta sua Bibliotheca sexaginta Voluminum millia vndique conquisita habuerit. Ante commemoratus ille Plinius, lib. 35 cap. 2. inter alia scribit Asinium Pollionem omniũ primum Romæ Bibliothecam instituere conatum fuisse.

G[...]

Isiodorus vero lib. 6. Etym. scribit, quod nimirum Paulus Æmilius I. fuerit, qui, deuicto Perseo, ingentem librorum numerum

Romanorum

merum Romam contulerit, & Bibliothecam instituere cæperit. Post Æmilium illum Lucius Lucullus, homo ditissimus, insignem aliquam Bibliothecam instituit. A Lucullo isto (Iulius Cæsar, artium liberalium cultor diligentissim⁹, Marco Varroni in mandatis dedit, vt omnis generis libros omnib. in artibus & scientijs vndique conquireret, qui, dicto Cæsaris audiens, tam insignem Bibliothecam instituit, quæ omneis relliquas priores longe antecelluit. Et illę primæ Bibliothecæ Romæ fuerunt, quæ tamen omneis, quemadmodum Paulus Orosius testatur, ingentibus postea subsequutis incendijs deletæ aut amissæ sunt. Etiamsi vero aliquot libri ex incendijs istis adhuc integri conseruatiq; fuerunt, (vnde etiam postmodum Domitianus, ad damnum illud resarciendum, ex relliquiis aliam Bibliothecam instituere conatus est, ac simul doctos aliquot viros in Ægyptum misit, qui ex libris adhuc ex incendijs & vastationibus Cæsaris, Antonium persequentis, militis restantibus, inter quos etiam locupletissima ista Ptolomæi Bibliotheca fuit, relliquias describerent, vt hoc modo inchoatam suam Bibliothecam augeret, atque exornaret, id quod etiam factum est) nihilominus tamen postea, sub incommodo Commodo, perniciosissimum iterum exortum incendium eamdem rursum destruxit, donec à Gordiano, vti supra diximus, aliquo modo iterum restituta fuit.

In Græcia omneis simul scriptores in eo conueniunt, quod videl. Pisistratus, Tyrannus Atheniensis, publicam, pretiosissimam, celeberrimamque Bibliothecam instituerit, quamuis alias Strabo, dum de priuatis personis loquitur, Aristotelem primum libros colligere cæpisse, &c. ope auxilioque Alexandri Magni, discipuli sui, eximiam aliquam Bibliothecam instituisse, asseueret. Athenæus, lib. 1. Deipnosophiæ, Bibliothecæ alicuius mentionem facit, quæ Larensii fuerit, & Pisistrati, Aristotelis, Euclidis, Polycratis, Euripidis, & Nicocratis Cyprij, præstantissimas istas Bibliothecas, antecelluerit. Ita quoque Plutarchus, in vita Syllæ, Tyrannionis Grammatici, priuatæ alicuius personæ, Bibliothecam celebrat, in qua *Græcor.*

duo voluminum millia reperta fuerint. Atque hæc præcipuæ Bibliothecæ apud Gentiles in Ægypto, Græcia, & Roma extiterunt.

Christianorum. Inter Christianos autem omnium primus fuit, qui Pysistratum Atheniensem imitari conatus est, quemadmodum Isiodorus lib. 6. Etym. memorat, & Pamphilus Martyr, cuius vitæ curriculum ab Eusebio Cæsariensi descriptum fuit.

Omnium prima & præcipua Bibliotheca vero, quæ vnquã in mundo exstitit, Hebræa fuit, quæquidem in ipsa Captiuitate Babylonica misere incendio deuastata dissipataq; post commemoratam istam captiuitatẽ autem per Esram, S. Spiritus impulsu, iterum instituta, & ad 24. libros, iuxta numerum litterarum in Alphabeto, redacta fuit.

Gallorum Nuperrimis istis temporib⁹, quemadmodum Philippus Bergomensis lib. 14. supplementi, scriptitat, Iohannes Galeatius Vicecomes Pauiensis insignem aliquam Bibliothecam instituit. Similiter & Cassanæus quoque in eximio suo Catalogo p̃stantissimæ istius Bibliothecæ mentionem facit, quam Ludouicus XII. Occidentalis Franciæ Rex Blæsis instituit, & celeberrimarum famosissimarumque duarum Bibliothecarum, Lutetianarum, præsertim in Theologia, quarum vna in Collegio Regali, altera vero in Monasterio S. Victoris, quod priscis à temporib. ad Canonicos Regulares Lateranenses spectat custoditur.

Hodierno nostro tempore *Ita*[lorum] etiam in Italia percelebres quędam Bibliothecæ reperiuntur, Bibliotheca videlic. Apostolica Romæ, Bibliotheca Frederici Feltrij, Ducis Vrbinatis, Bibliotheca Medicea, Florentiæ: Malatestarum, Cesenæ: Ducis Mãtuani, aliorumq; plurium, quas tamen, dilectæ breuitatis ergo, heic sicco pede labens prætereo: Si enim omneis in specie Bibliothecæ mihi numerandæ essent, tunc sane nullum eruditum Dominum, Nobilem, vel monasterium depræhenderem, qui non, necessitate requirente, honestam, respectiue, celebrẽque aliquam Bibliothecam in promptu haberet.

Cæterum & illud quoque, tam apud Priscos, quam Neotericos istos Bibliopolas, non in exiguũ dumtaxat honorem vergit, quod omnib. temporib.

Biblio-

Bibliothecæ cum imaginib. & statuis eorum, quorum opera istæ aut comparatæ, vel alias, ob virtutem eruditionemq; suam, bene de Patria, atq; Republica literaria meriti sunt, exornatæ fuerunt. Ea de re Plinius lib. 7. scribit, quod in publica Bibliotheca Asinij Pollionis ipsius statua, non tam in Bibliothecæ istius ornamentum, quam auctoris honorem, erecta fuerit. Ita quoque Cicero ad Fabium Gallum scribit, quod videlicet quasdam ipsi statuas, Bibliothecæ suæ inferendas, coemeret. Sic Plinius Nepos, in quadam ad Iulium Seuerum epistola, affirmat, quod Eremus Seuerus, vir doctissimus celeberrimusque, Cornelij & Titi Annij statuas in Bibliothecam suam collocare voluerit. Hodierno nostro quoque tempore Iouij Bibliotheca Clarissimorum, doctissimorum, celeberrimorumque virorum imaginibus & statuis depicta exornataque cernitur.

Hisce accedit & illud, quod videlic. Bibliopolæ apud omneis ferme non exiguum dumtaxat fauorem atque gratiam consequantur, dum maiori sane ex parte honestorum doctorumque virorum amicitiam familiaritatemque sectantur, & omni ferme tempore circa eosdem occupati sunt, præsertim vero circa Doctores Theologos, Iurisconsultos, Medicos, Philosophos, aliosq; in omnis generis disciplinis exercitatissimos viros, in quorum familiaritate sapientia, eruditione, & rerum omnium, humanæ vitæ inseruientium, scientia cottidie proficiunt. Reperiuntur quoq; ex ipsorum Ordine non pauci, qui non solummodo astuti & prudentes, verum etiam callidi & sagaces fiunt, vtpote qui ab eruditis, ipsorum Officinas & Bibliopolia assidue frequentantes, semper aliquid audiunt, quod postmodum ipsis vtile commodumque profuturum est.

Ipsum præterea negotium, in seipso non laboriosum, neq; tædiosum, sed mundum & quietum est, adeo vt elegantia & munditie nulli alteri cedat. Quocirca non facile aliquis reperitur, qui impuris illotisque, vti aiunt, manibus incedat. Ad hæc Bipliopolæ etiam mercatoribus pene adfines sunt, dum non solummodo vnicos, sed multos simul libros in grosso

emunt venduntque. Et denique eo magis amandi colendique sunt Bibliopolæ, quod aliquis, ope librorum suorum, omnia, pro suo lubitu scire & experiri possit, præsertim hodierno nostro tempore, quo omneis artes, & phantastica deliramenta typis publicis diuolgantur, atque palam venalia protruduntur, adeo vt absque singulari molestia ad omneis scientias homo prouenire omneisque olim occultas latentesque artes addiscere possit: quemadmodum illud ipso facto deprehenditur. Postquam enim Bibliopolium aliquis ingressus fuerit, tunc diuersimodos Tractatus de bello, amore, artibus, imperio, officijs, opificijs, pro cuiusuis voto & desiderio inibi reperiet. Quocirca etiam Martialis olim alicui, qui librum ab ipso mutuo sumere volebat, hoc versiculo:

Non habeo, sed habet Bibliopola Triphon,

respondit. Erat autem Triphon ille Celebris aliquis Bibliopola, quorum adhuc hodierno die Venetijs, Romæ, Lutetiæ, Lugduni, Louanij, Basileæ, Mediolani, vbi Ioannis de Antonijs celebris Officina libraria ad Gryphem adhuc hodie videre est, in qua præcipui optumique quique omnium Professionum libri apud illius nepotem, Antonium de Antonijs, qui Maiores suos laudabiliter imitatur, eorumdemque vestigijs mascule insistit, venales prostant.

Bibliopolarum vitia & errores. Iuxta egregias istas laudes Bibliopolæ etiam erroribus & defectibus suis neutiquam destituti sunt, nempe quod priuato suo commodo emolumentoque maiori ex parte inuigilent.

Si enim libros aliquos pro se imprimi curant, tunc tenui vilisque pretij papyro vtuntur. Si insignem aliquem scriptorem habeant, tunc duplici ære ille comparandus est, & tam longinquis remotissimisque ex locis merces aduehuntur, vt etiam aurigarum nautarumque precium ipsas merces superet. Si obsoletum nulliusque pretij librum habent, tunc nouo speciosoque titulo eumdem insigniunt, atque exornant, adeo vt emptor se mira in eodem isto libro reperturum sibi persuadeat.

Si autem librum istum pro ipsorum voto ipsis persolueris, tunc

tunc ne pro maculatura quidē librum iſtum reſumunt. Quomodo autem interſe inuicem, & cum ſeipſis agant, id ad viros literatos minime pertinet, & qua ratione, in permutandis libris, eorumdemque ſolutionibus conueniant, ipſi videant. In quo etiam eoſdem nunc relictos volo.

IN DISCVRSVM XXXIII. ADNOTATIVNCVLA.

DE Bibliopolis conſulendi amplius ſunt Cardanus de rerum varietate folio 868. Item Petrus Victor. fol. 469. & 486.

DE TYPOGRAPHIS.

DISCVRSVS XXXIV.

Ta-
en-
tum.

QVum certo ſiet certius, quemadmodum S. Hieronymus ad Marcellam ſcriptitat, ſcriptorum libri tamquam viua ſui intellectus imago ſient, ipſi Scriptores etiam ſibi ipſis ſempiternam memoriam, laudem, atque gloriam comparent: iccirco haud immerito ijs promeritas grates referre debent, qui, mediante arte Typographica, iſtius imaginis memoriam, laudem, gloriamque conſeruant, atq; in vniuerſum terrarum orbem longe lateq; diffundunt. Itaque etiam ars Typographica ſemper apud omneis in magno pretio honoreq; habenda eſt, vtpote per quam viri eruditi etiam poſt mortem ſuam victitant, & ſingulis vniuerſiſque innoteſcunt, vbi alias exiguo etiam tempore perpetua obliuione ſepulti fuiſſent. Per illam ipſam artem priſcos iſtos Philoſophos, Poetas, Oratores, Medicos, Aſtrologos, omneiſq; adeo artes, ſcientias,

professiones, & quæ homo, ad virtutem eruditionemq; comparandam, scire necessum habet, nobis comparamus. Itaq; merito aliquis inquiat; quod Typographia in genere omneis homines vel tamen potiorem eorum partem, qui alias omni in ignorantia sepulti fuissent, iterum resuscitauerit. Fateri siquidem omneis necessum habent, quod priscis istis temporibus, ante mirabilis istius artis Typographicæ inuentioné, per pauci docti viri respectu felicis nostri temporis, reperti fuerint. Id autem nulla alia de caussa exortum est, quam ob intolerabiles istos sumptus, qui tum temporis comparandis libris bonisque Auctoribus impendebantur. Literas enim eo ipso tempore nemo, nisi soli diuites, discere & excolere poterat: quocirca etiam pauperiores, qui tolerandis istis sumptib. minime sufficiebant, etiam volentes nolentes negligebantur, nec, ob inopiam egestatemq; suam, emergere poterant. Iam, & hodierno nostro tempore autem omneis Cœci visum recipere, & commoda aliquid discendi occasione vtuntur, adeo vt modo velint, libros exiguo pretio Typographię beneficio sibi cõparare possint, in qua omneis Veterum scientiæ, quæ alias apud paucos latebant, & occultatæ quasi fuerunt, nunciuris fiant publici.

Eius[...] cum [...] nulo [...] gelica[...] tæ C[...] parat[...]

Iuxta illud bene quis vlterius adhuc affirmare posset, quod videlicet per Typographiam, quemadmodum per Angelicæ annulum apud Ariostum, omnis generis veneficia & incantationes Veterum detectæ fuerint, qui tamen alias tam obscure & allegorice loquuti sunt, & diuersimoda, in cerebello suo nata, somnia adeo artificiose texerunt, vel potius obscurarunt, vt etiam ista ab ignobili excœcato vel incantato vulgo pro meris Oraculis & sanctimonijs, summa cum admiratione, & absque vlla alia vlteriore cogitatione, habita fuerint. Hodierno autem nostro tempore omnia manifestata reuelataque sunt, & cernitur nunc stultitia Anaxagoræ, facetiæ Heracliti, materiæ Democriti, nullitas Milesii, & Carneadis ineptiæ in promptu sunt. In Summa omnis vana Philosophorum superbia & gloria, quæ simplici isto tempore & mundo altas in se radices egerat, iam conspici-

tur ab omnibus, id quod omne Typographiæ acceptum ferendum, vtpote quæ cœcis oculos aperuit, & stultos vel simpliciores prudentiores, reddidit. Est igitur Typographia talis ars, de qua haud immerito vniuersus terrarum orbis miratur. Per eam siquidem, quomodo videl. aurum à plumbo dignoscendũ, qua ratione rosæ à spinis separandæ, quo pacto triticum ex paleis vel stramine colligendũ, & quo denique modo malum à bono discernendum fiet, homines didicerunt. Immo hodierno nostro tempore videre est, quatenus nimirum caliginosa obscuraq; ignorantiæ nox quasi per lucidissimum aliquẽ splendorem Solis omnino depulsa fuerit: illinc doli & mendacia nullum amplius locum obtinent, & nunc album ab atro rite dignoscitur. Nunc omneis de rebus loqui & iudicare potest, quæ tamen antea occultatæ latitarunt, illa ars stultos nosse docet, superbos detegit, eruditos de nota meliore commendat, ignorantiam insciti-amque tollit, & virtutem scientiamque ad vitam extollit. Bonum honestumque siquidem eruditorum virorum nomen Typographiæ beneficio confer uatur: per eamdem minus ad rem apti & idonei depræhenduntur, vt sibi aliquis ab ijsdem cauere possit, perniciosi ad infimam vsq; terram deprimuntur, econtra vero vtilia salutariaque ingenia ad stellas cœlique sidera, vsque & quidem suo merito, extolluntur. Illa ars mater est, quæ omneis personas idoneas bene meritasq; in honore conseruat. Illa, inquam, ars diuersorium & subsidium omnium honestorum præstantissimorumque ingeniorum, & sedula diligensq; ꝓpagatrix est omnium Politicorum, Theologorum, Philosophorum, Historicorum atque adeo omnis illius, quod modo in vniuerso terrarum orbe honeste laudabiliterque nominari potest. In summa illam artem numquam aliquis satis sufficienterq; laudare celebrareq; poterit: quemadmodum etiam, vna cum omnibus ijs, qui eadem recte, honeste, decenterque vtuntur, ista sua laude & honore numquam defraudanda est.

Si itaque laus ista, quemadmodum illud nemo sane mentis negare poterit, arti isti per se soli competit, facile igitur aliquis colligere potis est, quod *Inueptio.*

videlic. eiusdem inuentoribus multo maior laus & gloria debeatur, vtpote qui de vniuerso terrarum orbe adeò bene sunt meriti, vt etiam eorumdem memoriam nulla vmquam obliteratura fiet obliuio. Primus autem Typographiæ inuentor, Polydoro Virgilio teste, Germanus quidam, Iohannes Gutenbergerus videlicet, fuit, qui Anno Christi CCCCXLII vel iuxta aliorum opinionem, An. Christi CCCCLI. primam Typographiam Moguntiæ instituit, & simul atramentum tinctorium, seu Typographicum inuenit: qua de re Beroaldus non immeritò de Germania ita olim cecinit:

O Germania muneris repertrix.
Quo nihil vtilius dedit vetustas,
Libros scribere quæ doces premendo.

Postmodum, Anno Christi M. CCCCLVIII. videl. duo Germani, quorum nomina ignorantur, quemadmodum apud Volaterranum videre est, vel, veluti alij volunt, vnus solus, Conradus dictus, artem illam in Italiam transtulit, & primam Typographiam Romæ in Maximorum ædibus instituit, & S. Augustini de Ciuitate Dei libri, eodem Volaterrano teste, in Italia, vna cum Lactantij Firmiani institutionibus, omnium primi typis excusi sunt. Tempore Augustini Barbarigi Venetiarum Ducis verò per Nicolaum Gensonem, Natione Gallum, ars illa Venetias traducta & summo studio illustrata fuit, donec tamdem apud alias Nationes sensim eò magis magisque innotuit, & per vniuersam Europam dilatata est. Quo facto multi postea præstantissimi celeberrimique viri eidem arti, cum magna commoditate & gloria totius Christiani nominis, operam suam locarunt, vtpote Aldus Manutius, Venetijs, qui eiusdem artis Typographicæ beneficio linguam Romanam, aliasque artes liberales è barbarie tum temporis iterū vindicauit, atque conseruauit: Franciscus Priscianensis, Romæ: alijs in locis Badius, Frobenius, Paullus Manutius, Iuntæ, Valgrisii, Gioliti, Salamandra, Ciera, Misserinus, Pratus, Muschius, Imberti, alijque plures, qui non dumtaxat in Italia, verum etiam alijs in locis magnam exinde nominis sui famā existumationemq; consequuti sunt.

sunt. Typographi prætereá, id quod pari modo ad ipsorum gloriam honoremque spectare videtur, præstantissimos, Clarissimosque quosdam fautores & Patronos habuere, vtpote Romæ Nicolaum, eius nominis Quintum, Pontificem Maximum, Bessarionem Cardinalem Nicenum, Nicolaum Cusanum, Cardinalem S. Petri, Leonem, nominis illius Decimũ, aliosque plureis. Venetijs, Aldum, & Andream Asulanum. In Occidentali Francia Regem Franciscum. Louanij, Romanorum Imperatorem Carolum, eius nominis Quintum. Heydelbergæ, Lodoicum Comitem Palatinum. Vitenbergæ, Fredericum Ducem Saxoniæ. Ingolstadij, Guilielmum Ducem Bauariæ, eiusdemque fratrem germanum Ernestũ. Moguntiæ, Albertum Archiepiscopum &c. In Summa vbi modo Typographus aliquis lares figere voluit, inibi etiam quamprimum Magistratuum Procerumque fauorem, gratiam atq; subsidium consequutus est.

Ad Typographiam præterea non vilia, sed artificiosa & pretiosa & pretiosa instrumenta requiruntur. Primum enim Chalybeæ Matrices, quibus literæ artificiose incisæ sunt apud Typographos visuntur, cum ijsdem æreis æneisque Martib. imprimuntur. Hi iterum artificiosis ad id præparatis æreis formis imponuntur, & literæ de certa aliqua compositione eidem à fusoribus suis infunduntur, atque tamdem ipsæ literæ in certas formas, vtpote in folio, quarto, octauo, decimo sexto, vigesimo quarto, trigesimo secundo, & sic subsequenter, ordine collocantur. Scripturas ipsas Cancellariam, Fracturam, Versalem, Biblicam, Ciceroa, veterem, nouamq; appellare solent. Quo facto literas prælo subijciunt, atramento suo humefactam Papyrum pingunt, atque tanta agilitate prœlum claudunt vt vltra tria vti vocant formarum millia seponere & imprimere possit.

Typographorum errores. Apud Typographos deniq; nulla adeo enormia vitia & errores deprænenduntur, nisi quod quandoque columnas aliquas inuertant, vel, vt parcant sumptibus, imperitum indoctumq; aliquem Correctorem conducant, qui maiorem diligentiam ineptijs, quam serijs magnique alicuius momenti

rebus impendant. Quomodo autem cum socijs suis, qui plerumque Libero Patri addictiores sunt, lubenter Emaunta versus exspacient, feriasque Apostolicas animo inuito in diebus Dominicis celebrent, &c. ipsi videant, neque dubito ipsos, etiam absq; mea admonitione, singulis septimanis non amplius, quam singulis collaboratoribus florenum vnum erogaturos esse. Sed de illis dicta nunc sufficiant.

JN DISCVRSVM XXXIV.

ADNOTATIVNCVLA.

AD Typographiam, quod attinet, considerandum est quod Iouius (forsitan, quemadmodum & alij plures, magis ex inuidia, quam certo aliquo fundamento) illam non in Germania inuentam esse autumet, sed illam præter hominum opinionem, multo vetustiorem esse contendat. Fundamentum autem Iouianę opinionis est, quod illud in Orationib. à Ioanne Rosino impressis, pernegetur.

DE PVBLICANIS ET Mancipibus.

DISCVRSVS XXXV.

CArolus Sigonius lib. 1. de antiquo iure Ciuium Romanorum inter alia etiam de vectigalibus mentionem facit, quæ sane nihil fuere aliud, quã certa quædam impositio, quam non tam ciues, quam etiam alij peregrini, ad decus & potentiam Romani Imperij conseruãdam, Romæ erogare cogebantur.

Ista autem vectigalia, quemadmodum Macrobius in Satturnalibus suis testatur, singulis annis ad primum diem Martij elocabantur: nec illud etiam, veluti Cicero in Oratione sua de Lege Agraria affirmat, alio modo fieri oportebat, quam publice, & in totius Romani populi præsentia. Quod etiam vectigalia illa nerui, & præcipuum Romanorum subsidium fuerint, illud ex quadam Ciceronis ad Q. fratrem, Asiæ tum têporis proprætorem, & in secunda Verrina videre est. De Publicanis Romanorum Blondus lib. 5. Romæ suæ Triumphantis scriptitat, quod ipsorum multi & potentes admodum fuerint. Plurimi siquidem ex Ordine Equestri eligebantur. Illi vectigalia ista certa aliqua peccuniæ summa conducebãt, quemadmodum illud etiamnum hodie in Italia fieri solet. Cicero etiam Publicanis illis plurimum tribuit, quemadmodum illud in scriptis suis hinc inde videre est. Inter alia vero ad Crassipedem quodam in loco ita scriptitat: Me vniuerso Ordini Publicanorum libentissime tribuerim: & ad Q. Fratrem ita quodam in loco scripsit: Potes etiam, inquit, tu id facere, quod & fecisti egregie, & facis, vt commemores, quanta sit in Publicanis dignitas, & quantum nos illi Ordini debeamus. Idem ferme facit in Oratione

Publicani Romanorum ex Equestri Ordine electi.

tione pro (Rabirio, dum sequentia verba ponit: Huius Pater, ait, C. Curius, Princeps Ordinis Equestris fortissimus, & maximus Publicanus.

Equestres vero istæ personæ non in persona propria vectigalia administrabant, sed omnibus in locis conductitios suos habebāt homines, quos Asconius Pædianus Mancipes appellat, de quibus etiam idem ille Cicero Verrina quinta ita loquitur: Quid est, inquit, Verres? Ne illam quidem defensionem tibi reliquam fecisti, Mancipes in rebus istis esse versatos: Mancipes frumentum improbasse: Mancipes precio cum ciuitatibus decidisse.

Vectigalia in Portubus.

Vectigalia vero ista diuersimoda fuere. Habebant enim Romani quædam in Portubus, quorum Collectores Portitores nominabantur, quemadmodum Nonnius Marcellus, quodam in loco testatur, dum ita ait: Portitores sunt, qui ad portum desidentes omnia sciscitantur, vt ex eo vectigal accipiant. Et istiusmodi vectigalia etiam ante Romanos, quemadmodum Plutarchus & Dionysius testantur, ab alijs Regib. in regnis suis obseruata conseruataque fuerunt. Simili quoque modo Titus Liuius lib. 32. inter alia commemorat, quatenus videl. duo isti Censores, Africanus & Pætus nimirum, vectigalia Capuæ, & Puteolis cōduxerint: & quod postea Lepidus adhuc multa alia instituerit, quæ tamen, quemadmodū Dion memorat, in Consulatu Africanij & Metelli iterum abrogata fuerint. Quantam autem vtilitatem commoditatēq; Romani ex vectigalibus istis perceperint, id ex Ciceronis verbis ad Atticum quodāmodo colligere est, dum inter alia ita scriptitat: Portorijs Italiæ, inquit, sublatis, agro Campano diuisio: nullum superest vectigal domesticum præter vicesimam. Sic Suetonius quodam in loco scriptitat Cæsarem primum fuisse, qui vectigalia de peregrinis mercibus in portubus exegerit.

Simili etiam modo Romani Sali vectigal imposuerunt, cuius Titus Liuius, in descriptione secundi belli Carthaginensis, mentionem facit, atque Neroni, & alij cuidam, Liuio Salinatori dicto, imputat, quod dictum illud vectigal omnino introduxerit.

Item

Item Romani, Blondo teste, vectigal pecuarium instituere, quod sine non exigue fuit importantiæ, cuius Collectores, quemadmodum Festus indicat pecuniarij dicti fuerunt. Alias ex Varrone liquet, quod nimirum à vocabulo pecus nomen pecunia deriuetur; quæ nam præcipua negociatio semper exstitit: iccirco etiam illi, qui pecoribus abundarunt, locupletes habiti fuerunt: aut quod æneæ monetæ apud Veteres animal quodam signatæ fuerint.

Certum itidem vectigal Romani ex saltibus & syluis collegerunt, quemadmodum apud Ciceronem, in Oratione pro Milone, videre est. Pari etiam modo Frontinus aquarum mẽtionem facit, quæ à personis priuatis in vrbem Romam ducebantur, & Piscinarum, quod grandem peccuniæ summam Romanis importauerit.

De campis quoque veteres olim Romani, quos tam in Italia ciuibus, vel extra illam fœderatis, aut populi Romani socijs elocabant, non contemnendam sane peccuniæ summã colligebant, decimas videlicet omnium redituum frugumq;. Similiter & vicesima, quã cumprimis à Libertinis capiebant, & vectigalia omnium merciũ, quæ vniuersa in Prouincia aut introducebantur, vel exinde euehebantur, grandem peccuniæ summam effecit. Si quis autem ea de re plura scire desideret, is ante commemoratum Sigonium & Blondum vlterius consulere poterit.

Ex quibus omnibus colligere aliquis facile poterit, quod illud veteres apud Romanos aliosque populos honestum aliquod & spectatissimum negotium fuerit, atque etiamnum hodie pro tali habetur. Vice versa vero minime laudandum, sed in Regentibus maxumopere culpandum est, quod hodiernis nostris temporibus, in quibus alias magnæ difficultates & grauamina onerosa coincidunt, sæpenumero, ex infidelium Consiliariorum instinctu & irritatione, subditi omnis generis nouis impositionibus, vectigalibus, oneribusque premantur. Ex quo tum illud plerumq; exoriri solet, quod subditi non dumtaxat premantur & exhauriantur (ex quibus tamen parũum sane emolumentum ad ipsos Magistratus redundat) ve-

verum etiam, quod, dum de publicanis verba fiunt, omneis, quasi Cacodæmone conſpecto tremant. Vbi ſane culpa ipſis Publicanis tribuenda eſt, vtpote qui peregrinantes, alioſque, qui in manus ipſorum incidũt, vehementiſſime premunt, ac pene opprimunt, dum ſingula adeo acute rimantur, vt etiam miſeri ruſtici de exiguis lacticinijs, & quandoq; vetulæ quædam mulierculæ, de tractando colo ſolummodo victitantes, atque ne aquæ potionem quidem quandoque merentes, ipſis tributum pẽdere neceſſum habeant. Neque etiam ſæpiſſime ſufficit, vt, maledictorum iſtiuſmodi hominum inſtinctu, Magiſtratib. aurei montes polliceantur, (dum tamen nihil aliud, quam miſerabilem perniciofiſſimamque aliquam miſerorum hominum lamentationem cauſſantur, quippe bolum panis à miſero mercenario ori ſuo ingeſtum, vel frumentum, farinam, vinum, ſalem, fœnum, auenam, hordeum, pecora, aromata, amictum, omniſq; generis merces, grauiter onerant) verum etiam nouæ ſubinde artes excogitentur, modo vt hoc modo miſer mercenarius & paterfamilias, de quorum potiſſimum corio illic luditur, cæteri ſiquidem omneis mercibus ſuis onera ſua adijciunt, fœnuſq; fœnore conduplicant, omnino exſugatur.

Eloqui præterea vix quiſquam poterit, quo videlic. periculo & impudentia Publicani & Mancipes in viatores & mercatores inuehantur. Vbi ſane honeſti quidam viri, aut fæminæ, ſæpenumero felices ſeſe prædicare poſſunt, ſi loca, quæ tamen verecunda natura tegi vult, inexplorata ſecum auferant, adeo vt nihil amplius videatur reliquum, quam vt Gonnella al quis ſaccum, moſco ruſticorum refertum, ipſorum naribus admoueat: aut vt alter quidam Corafula occultatam lagenam, muli ſui vrina impletam, ipſis, tamquam amiſſam, loco oleo refertam lagenam relinquat: niſi aliquis modum excedere, & Ioſum illum imitari conetur, qui publicanum aliquem in tanarum lacu ſepeliebat, quod psi vaſculum Sardellis refertum, & de quo nullum omnino vectigal penderat, adimere conaretur. *Publicanorum perecu[lum] & impudentia.*

Ad eos autem quod attinet, qui

qui vectigalia legitima fraudulenter aut immunes transeunt, aut Publicanos decipiunt, & tacitum hoc modo furtum cómittunt ij haud immerito, iuxta Leges iuraque scripta, grauissime puniuntur, non enim tunc pro tacito, vti quidem clandestini isti fures forsitan autumant, sed pro publico manifestoque furto illud censendum est. Iccirco etiam ipsis plerumque ea, quæ furibus, sors obuenire solet, vt videlic. tempestiue satis, & antequam sibi illud persuadeant, in furcam adigantur. Vbi etiam ipsos nunc rellictos volumus.

IN DISCVRSVM XXXV. ANNOTATIVNCVLA.

DE Publicanis & Mancipibus Beroaldi Annotationum cap. vicesimum quintum legendum est.

DE

DE PROPOLIS ET DARdanariis.

DISCVRSVS XXXVI.

Propolarum origo.

PRopolæ, vti quidem à Græcis, & Dardanarij, veluti à Romanis suo in idiomate appellantur, à mimo, vel venefico quodam, Dardiano dicto, suam sumunt originem; qui, postquam aliquando instantem annonæ caritatem animaduertisset, omnis generis merces vili precio sibi comparauit, easdemque postea, ingruente rerum omnium penuria & annonæ caritate ista, intolerabili ferme precio easdem iterum vendidit. Et ab illo Dardanio, tamquam memorabili aliqua persona, & quæ haud immerito detestabili ista inuentione perpetuam sui memoriam excitauit, hodierni nostri Dardanarij nomen & originem suam sortiuntur. Inter quos & Præceptorem ipsorum parua sane est differentia, vtpote qui non dumtaxat merces suas, verum etiam ipsos homines & emptores veneficijs suis adeo inficiunt, vt omneis, licet obsoletas nulliusq; pretij ac valoris, merces, pro recentibus nouisque, tamquam eximij mercatores, hominibus obtrudere valeant.

Sunt autem plerumque, ignaui, otiosi, inertesque socij, qui toto die nihil agunt aliud, nisi quod simplicem aliquem emptorem præstolentur, cui, artium merciumque suarum ignaro, nauci suas merces obtrudere valeant. Inter se ipsos autem tam bene conueniunt, adeo vt haud immerito illud mirandum fiet. Id quod tamen eo potissimum faciunt, vt vnanimi ista harmonia emptores eo facilius in nassam suam pertrahant, ijsdemque glaucoma obijcere possint.

Etiamsi vero astutulus aliquis omneis ipsorum officinas perreptet, & singulorum integritatem probare conetur: nihilominus tamen omneis vnius galli-

gallinæ pullos similisq; farinæ homines esse deprehendit, adeo vt à postremo sibi pejus, quam à primo metuendum fiet.

Mentiri, fallere, deierare, periurare nullum ipsis peccatum est, ac nulla omnino conscientiæ stimulo agitantur; sed famulantes sibi pueros ita plerumque informant, atque tamquam singularem aliquam cōclusionem ipsis iniungunt, vt videlicet, si subuendendo veritatem dicant, ipsis dentes excidant. Magnam quoque familiaritatem amicitiamque sese alicui præstare gloriantur, si nimirum alicui significent, à quo, & quibus è locis, atque quam care merces suas sibi comparauerint, quantis sumptibus & periculis easdem advexerint, cum tamen illa omnia manifestissime veritati aduersentur, & ad nihil aliud conducat, quam vt simplicium aliquem morentur, & eiusdem peccuniam eo citius lucrentur. Interim in vendendis suis mercibus nullum omnino lucrum quærunt, sed easdem ex mera amicitia & familiaritate vendenti tam vili pretio permittunt, & quæ id genus verba fucata sunt alia, quibus fidelissima & peramica sua corda testata faciunt.

Huc etiam pertinent propolæ pomarij, qui per omnia commemoratis istis Dardanarijs sunt similes, atque hac quidem in re cæteris institoribus sæpenumero præferuntur, quod ipsorum merces delicatulæ, & palato sapiant, quas omneis tolerabili pretio sibi comparare possunt, etiamsi quoque illas puerùli & puellulæ, propter pertis susceptorum suorum numulis, ad emendum incitare debeant. Et hæc est propolarum istorum conditio & status, quod nimirum negociatores isti satis tempestiue in foro compareāt, & à rusticis merces suas coemāt, easdem penes sese tam diu retineant & abscondant, donec istæ in foro non conspiciantur: quemadmodum hoc illis potissimum diebus fieri absolet, in quib, nullum forum aut celebratur, vel à paucis frequentatur: tunc merces suas summa cum alacritate venales exhibēt, atq; tum omneis iuxta ipsorum vota easdem persoluere necessum habent, præsertim mollia putridaque ipsorum pira, ver-

miculata putredineque corrupta poma, aliasque nullius pretij fruges, quæ apud ipsos adeo vulgares sunt, quemadmodum apud Iudæos anseres. Itaque haud immerito foro eliminandi essent.

Vice versa commoditas, quę in populosis amplissimisque ciuitatib. in ipsis deprehenditur, ea est, quod videlic. forum singulis diebus ab ipsis hinc inde obsessum fiet, adeo, vt exigente necessitate, pigræ ancillæ & vxores sæpenumero, quæ velint etiam ad vesperam vsque inuenire possint. In cæteris inertes, loquaces, calumniosæ, impudentes, ac vix quodam fori angulo dignæ sunt dicaculæ. Lucrum vero ipsis plerumq; inter dentes dilabitur: itaque etiam nullo, vel tamen saltim exiguo, vectigali onerari, & cum Gicca Vetula aptissime comparari poterunt, de qua Cantalicius sequens epigramma cecinit:

Totam Cicca tenet venalia poma per vrbem,
Corrodit tota Cicce sed illa die,
Computat, at postquam magno quæ inepta coemit,
Accepit lucri ventre crumena minus.

Sed & de alijs quoque nunc nobis verba facienda sunt. Quocirca easdem in foro relinquimus, atque, in reuertendo, nobis etiam par pirorum, honorarij loco, nobis ab ipsis pollicemur.

IN

IN DISCVRSVM XXXVI. ADNOTATIVNCVLA.

DE Propolis & Dardanarijs istiusmodi Carafula memorabili prouerbio vsus est, dum ita ait: Triplices homines annonæ caritatem caussantur: Fœneratores nimirum; Prodigi, & Dardanarij.

DE MONETARIIS.

DISCVRSVS XXXVII.

POstquam hodierno nostro tempore omnis & singuli in genere Horatij dictum obseruent, dum inquit:

O ciues, ciues, quærenda pecunia primum:
Virtus post Nummos,

Præsertim autem istos versiculos, qui lib. 3. de moribus Medicorum reperiuntur.

Nummus honoratur, sine nummis nullus amatur:
Nummus vbi loquitur, Tullius ipse tacet.

Quemadmodum etiam ipsa in cottidiana experientia ipsa quoque epigrammatis Petronij Arbitri veritas clarissime elucescit quod tale habet initium:

Quisquis habet nummos, secura nauiget auræ,
Fortunaque suo temperet arbitrio.

Et veluti ante dictus ille Horatius iterum ait:

Aurum per medios ire Satellites,
Et perrumpere amat saxa potentius,
Ictu fulmineo, &c.

In Summa dum ferme locis o-

mnibus omneis, peccunia, argento, auroque abundantes, felices prædicentur ab omnibus: itaque, hocce meo in Discursu, omnis generis artes de monetarijs indicabo, qua ratione videlicet multum auri argentiq; comparari possit. Dein' etiam simul significabo, quæ nimirũ in Principum Magnatumque officinis monetarijs plerumq;, aureo hocce seculo, occurrant.

Certa monetariorum requisita.

Qui itaque in re monetaria ditescere cupiunt, illi, quemadmodum Vanuccius in Pyrotechnia sua lib. 9. cap. 3. neruose demonstrat, ante omnia pondus obseruare necessum habet: vniuersa siquidem artis illius substantia & essentia consistit, in magni alicuius ponderis diuisione in multa minora, quæ tamen summam certissimamque suam mensuram habere coguntur.

Si enim exiguum nimietatem excedat, tunc sibi ipsi nocent. Si vero etiam minimum non sufficiat, tunc extremo, non dumtaxat honorum, fortunarumq; suarum, sed etiam quandoque corporis vitæque periculo sese inuoluunt, adeo vt sæpissime, tamquam fures prouinciales publici, turpissimo, contumeliosissimoq; afficiantur supplicio. Qui itaque optumum certissimumque lucrum reportare nititur, ipsi longe est consultius, vt solus, & absque Collaboratorum ope, labores in se recipiat: heic etenim per domesticos multos facile aliquid negligitur, vel quãdoq; clam subtrahitur, de quo postmodum ipse OfficinæMonetariæ præfectus cum damno & dedecore rationem reddere cogitur.

In auri argentique emptione, vt ut illud fiet, & siue illud magnitudinem, aut paruitatem excedat, vigilantibus certe oculis Magister rebus suis optume consulere & prospicere necessum habet, vt videlicet sibi ab omnis generis dolis siue imposturis diligenter caueat, omnia summo studio probet, atque purum probe ab impuro discernat. Atque ne omnino nihil heic forsitan obliuioni tradatur, ipsum in probando, cæmentando, affigendo, & separando exactissimam cognitionem, habere, calamumque omni tempore in manibus suis tenere cogitur.

Idẽ ipsi apud Officiales suos faciun-

faciundum est, atque cumprimis ponderis certissimam iustissimamq; rationem illum semper habere oportet. In eo enim vti paullo ante diximus, totius negotij cardo vertitur. Nemini itaque hac in re fidat, sed omnia proprijs suis manibus sedulo tractet, ne forsitan deceptus magno postmodum periculo inuoluatur.

Bono itaque acutissimoque intellectu Magistrum præditum, ac simul bonum certumque Arithmeticum eumdem esse oportet, ne fortassis sibi ipsi, aut alijs hominibus noceat.

Aurum argentumque etiam bene ac certo probare, igne eadem commode vtiliterque liquefacere & à se inuicem rite separare Magistrum oportet, adeo vt me minimum quidem intereat vel pereat: nisi enim id faciat, tunc mox de illo actum erit.

Vt autem tamdem ad laborem ipsum accedam, de auro, quod optumum summumque metallum est, heic faciam initium.

Si itaque illius percutiendi facultatem à Magistratu obtinuerit, tunc illud liquefactum in certas formulas funditur, idque quantum ipse Magister voluerit, quod tamdem malleo in latitudinem & longitudinem agitur. Vbi tamen probe itidem obseruandum est, quod istæ laminæ vnius fient crassitiei, cui molæ planariæ, vbi haberi possunt, cumprimis commodam locabunt operam. Si itaque laminæ istæ commemorato iam modo diductæ fuerint, tunc in quadratas particulas dissecantur, quæ aliquanto grauiores, quam percutiendæ monetæ, attamen vt omneis similes & pondere neutiquam inæquales fient.

Tunc in tigillo aut ollula aliqua candentibus prunis super impositę torrentur, inde iterum eximuntur, subsequenter in iustam suam magnitudinem diducuntur; atque tamdem ad rectum redactæ pondus ad rotunditatem suam rediguntur percutiunturque: Quo facto iterum candentes in colorem inijciuntur, qui ab operimento, sale, aqua, vel vrina conficitur, in quo aurum purum lucidumque redditur. Et denique post illam lotionem & exsiccationem auro moneta imprimitur, & ita ad perfectionem suam per-

peruenit: qua impetrata nil amplius, quam prouidus, & qui eamdem bene collocet, Dominus requiritur. Si etiam aliquis commemoratæ istius monetæ centenarios possideat, is, pro suo lubitu, pretiosa palatia, templa, arcesq; exstruere posset.

Argentea. Cum argento pari ferme, ac cum auro, modo proceditur, adeo vt in labore nulla ferme sit differentia, modo quod argentum aliter fusum in quadrata forma iuxta cudendæ monetæ speciem, dissecetur. Ad colorem ante dictum vero heic etiam alumen montanum vsurpatur, lotum argentum, per molas istas planarias, ad iustam (vt exigua molestia maiorem laborem subterfugiant) crassitiem redigitur, atque tamdem ad iustum pondus perfectionemque suam reducitur.

Cuprea. Monetæ Cupreæ sequentem in modum præparantur. Cuprum enim certa, pro Monetarij lubitu, quantitate sumitur, atque in tigillo liquefacto ad singulam Marcam tantum argenti puri adijcitur, quantum ad monetæ illius valorem requiritur: vbi sane tantum rursus detrahitur, quantum consensu Magistratus, pro lucro & sumptibus, permittitur: plerumque tamen vnica & tres denarij ad Marcas duas conceduntur.

Postquam igitur illud commemorato modo liquefactum fuerit, tunc in latas ferreas formas infunditur, quas calidas, & commixtione quadam, vt materia fluat, vel alia quadam pinguedine illinitas esse oportet.

Materia quasformæ inunguntur præparatio. Ista autem materia plerumque sequentem in modum præparatur. Fimus boarius in bono aliquo lixiuio conteritur, vt instar crassi smigmatis reddatur. Illud tum vna, vel altera vice, tam diu destillatur, donec clarum purumque fiat. Ad quodlibet deinde tres vel quatuor illius compositionis scypi infunduntur, quibus semilibra, vel aliquid amplius, de albo smigmate vel sæuo leni aliquo super igne tam diu immiscetur, donec liquefactum fuerit: quo facto formæ commemorato modo inunguntur, atque tum mixtum cuprum eidem infunditur. Tunc laminę istę Cupreæ rursum, pro monetæ qualitate, certo modo dissecantur, iterum atque iterum candentes redduntur,

duntur,atque tum, pro monetarij lubitu, malleo ad perfectionem suam reducũtur. Quo elegantioribus etiam monetarij formis,in signandis monetis vtuntur, tanto maiorem gloriam Principes, vna cum ipsis monetarijs consequuntur.

Quum igitur de aureis, argenteis, cupreisque monetis verba hactenus fecerimus: operæpretium fore arbitror, si, vbi videlicet istæ materiæ reperiantur,indicauerimus; absque enim illis omnis ista monetaria scientia temeraria est & nullius pretij.

Cauendum autem heic est ab Alchimistis fraudulentis, qui etiam sæpenumero aurum imperitis vendere conantur: quod tamen ita plerumque comparatum est, vt, ne rapax Mercurius illud per Caminum secum auferat, verendum fiet. Idcirco nisi spem pretio emere velis,nulla sophistica, sed naturalis aliqua materia,optumum certissimumque aurum & argentum videlicet, quemadmodum illud ex fodinis matallicis in peru, Thracia, alijsque locis & Prouincijs eruitur. Cumprimis etiam tam aurum,quam argentum, quod in Thracia prope montem pangeum reperitur, cæteris omnibus palmam præripit.

Apud Veteres aurum olim tam rarum fuit, vt etiam, postquam Lacedæmonij Apollinis Amiclei simulacrum auro obducere conarentur, vniuersa Græcia perlustratá nullum inuenerint,sed tantum,quantum indigebant, à Crœso in Lydiæ sibi comparare necessum habuerint.

Simili quoque modo etiam Hieron, Syracusanorum Rex, Apollini Delphico auream donandi tabulam votum fecerat: etiamsi autem vniuersam Græciam,& simul Italiam,de indagando auro perlustrari curasset, nihilominus tamen nullum inuenire potuit, nisi solum apud Architelem Corinthium, qui longo à tempore modicũ collegerat, & huc vsque reseruauerat. Postquam autem Phocenses templum Apollinis Delphici spoliassent, & Alexander Magnus spolium prædamque suam ex Asia in Græciam transportari curasset, tunc aurum in tota Græcia tam vulgare factũ est, vt etiam ex eo vasa Coquinaria inibi facta fuerint. Apud Romanos vero, quemadmodum

dum Plinius lib. 33. ſcriptitat, tépore Scipionis Africani, ſub Conſulatu Spurij Poſthumij, & Quinti Martij, prima aurea moneta percuſſa fuit.

Iuxta alios Officinarum Monetariarum Magiſtros etiam alij adhuc reperiuntur monetarij, quæ falſas, abſque præſcitu Magiſtratus, aut ſignatas, vel certa aliqua mixtura in ferreis, aut alia materia, præparatis formis fuſas monetas mundum decipiunt. Licet etiam aliquando bonas monetas cudant, nihilominus tamen illud fit in Magiſtratus præiudicium. Idcirco etiam vtrimque, de iure ſcripto, pœna corporali puniuntur. Et illi opera ſua & Alchimiam, & ipſos Chimicos admodum ſuſpectos reddunt, vtpote qui, tamquam Alchimiæ diſcipuli, exinde didicerunt, qua ratione videlicet materias miſcere, atque inter ſe inuicem impoſturam facere debeant: idcirco etiam haud immerito quibuſdam in locis, in dolo deprehenſi, cruci adfiguntur: vel, ſi longo tempore circa ignem occupati fuerint, & doloſam aliquam mixturam exinde elicuerint, in eodem etiam, poſt latã ſententiam à carnifice prome- ritam mercedem accipiant. Vt vero ad priorem iſtam materiam redeam, eamdemque abſoluam, ad officinam aliquam Monetariam bonus Magiſter, ipſa officina, fornax, forcipes, incudes, mallei, formæ, &c. requiruntur. Labor eorum eſt probare, conglutinare, liquefacere, fundere, ſecare, complanare, cudere, &c. Apud ipſos reperiuntur oboli, nummi, Crugeri, ſemibaceni, ſolidi, Turniones, tribaciones, nummi duplices, thaleri, ſemithaleri, & quadrantes: aurei itidem, coronati, ducati, ducati duplices, &c. Et bene illi apud quem talium Copia reperitur. Nam vt bene Horatius, & cottidiana experientia teſtantur:

Et genus & formam Regina pecunia donat:

Et bene nummatum decorat ſuadela Voluptas.

Ad me quidem quod attinet, nullam ego quidem meliorem Alchimiam noui, quam quæ in officina Monetaria eruitur: Nulla quoque magis inuenitur negociatio, quæ citius pecuniam depromat, quam illa, de qua hactenus verba fecimus. Inibi ſiquidem abſque varijs de-

ſtillationibus, operimēto, puerorum Vrina, Arſenico, Criſtallino, Salgemma, Salalcali, vſtulato Cupro, raſo Smigmate, contuſo vitro, Curcuma, Columbarum, boum, equorum fimis, & ſine alijs iſtiuſmodi materiebus verum certumque argentum, aurumque purum reperitur, adeo vt aſpectu tactuq; iſto hominum corda exhilarentur, & nemini metuendum fiet, quod forſitān in Irum, aut immutatum aliquem Midam commutetur, vel omnia ab ipſo tacta in ſtercora, h. s. conuertantur. Quibus huic Diſcurſui nunc extremam manum adijcimus.

IN DISCVRSVM XXXVII.

ADNOTATIVNCVLA.

DE Monetariarum officinarum Magiſtris, ipſiſque adeo monetarijs plura reperiuntur apud Petrum Crinitum lib. 17. cap. 7. de honeſta diſciplina. Similiter etiam apud Alexandrum de Alexandro folio 208. & 209. Item, apud Celium Calcagninum folio, 282. & 577. & denique apud Rhodiginum lib. 5. cap. 44.

DE IVDICIBVS, SYNDICIS, vel Aduocatis.

DISCVRSVS. XXXVIII.

Iustitiæ pictura allegorica.

VETVS ille Philoſophus Chryſippus, quo melius Venerandam ſanctamque Iuſtitiam omnibus hominibus inculcaret, illam coram externis oculis ita depingere ſolebat, vt qui illam ſolummodo intuebatur, ſufficientem cauſſam haberet, non dumtaxat ſingulari amore & deſiderio eamdem cordi imprimendi; verum etiam illam ita firmiter in corde conſeruandi, quaſi ipſi violenter impreſſa inſculptaque fuerit. Pingebat autem Chryſippus iſte imaginem elegantis, formoſæ pudicæque virginis, ſeuero grauique vultu, oculis pellucidis, radiantibus, & ſuauiter flammantibus quaſi: veſtitum honeſtum verecundumque; atque totum eiuſdem ſtatum & motum ſecundum decentem grauitatem directum. Iſta cum effigie & pictura autem prudẽtiſſimus ille Philoſophus ſignificare & innuere voluit, quomodo videlicet iudices atque adeo omneis perſonæ, quæ ad familiaritatem conuerſationẽque Nobiliſſimæ illius virginis admittuntur, comparatæ eſſe debeant: nimirum vt ſimili modo etiam ſua ex parte Candidæ, piæ, & inuiolatæ virgines, bonæ itidem, humanæ, conſtantes, pellucidis flammantibuſq; oculis præditæ ſient, atq; adeo humanam ſuauem, ac iocundã lucem de ſe præbere debeant, quemadmodum etiam gratia, bonitas, aut æquitas cum ſtricto iure apte coniunguntur: honeſte inſuper veſtitæ, atque adeo omnibus ſuis in geſtibus & actionibus ita comparatæ eſſe debent, vt videlicet moderata & conſtans grauitas inde eluceat, & recte laudabiliter inter ſe inuicem conueniant.

Iudicis iuſti quiſiti proprietates.

Conditiones & proprietates vero, quæ in laudabili aliquo iudice requiruntur, illæ ſunt, ſin in tam honeſtiſſimo, ſummo,

summo, atque necessario munere gloriam & honorem consequi velint.

Primum enim non dumtaxat inquam laudabile, sed & per quam necessariũ est, quod videl. iudex aliquis inuiolatum integrum siue candidum & virgineum cor habeat, quod omnibus ijs rebus, quæ ipsi aduersantur, illudque violare conantur, fortiter resistere queat: ne insuper iudex peccunia sese corrumpi patiatur, formidine forsitan flectatur, amore nimio molliatur, ignorantia non decipiatur, numquam ita commoueatur, vt vllius alicuius respectus gratia metas officij trãsgrediatur, neque ex vnico adfectu iustitiæ ordinem forsitan inuertat, aut immutet.

Vt autem commemoratarum istarum conditionum necessitatem aliquanto melius indicem: Iudex nullo modo, ne ad minimum quidem, ære sese corrumpi patiatur: Eo ipso siquidem libertatem, honorem, auctoritatemque & efficaciam sui tã amplissimi muneris quasi vendit, atque ita contra conscientiam suam permittere necessum habet vt diues miserum premat, iniustus atque reus iustum innocentemque oneret: atque adeo ansam occasionemque dat, quod tam Deus, quam homines summo cũm cordolio de ipso conquerantur, veluti apud Esaiam videre est, vbi *Deus Ter Optumus Maxumus* cap. 1. de populi sui iudicibus hunc sequentem in modum conqueritur: Principes, inquit, tui infideles socij furum sunt, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones: Pupillo non iudicant, caussa viduæ non ingreditur, &c.

Vbi simili modo, & tamquã in speculo sese cõtemplari possunt qualem inde honorem reportent, quod videlicet periuri furum socij, immo ipsius *Dei* hostes appellentur. Et tum subsequitur, quod Isidorus lib. suo de summo bono inquit: Pauper cum non habet, quod offerat, non solum audiri contemnitur, sed etiam contra iustitiam opprimitur. Itaque ille, qui Iudicis munere fungitur, cor suum ab auaritia vel peccuniæ cupiditate semper illæsũ incorruptumque conseruet: Cito siquidem, (quemadmodum in Can. caussa 2. quæstione 3. videre est) violatur auro iustitia.

Quocirca Philippus Macedoniæ Rex olim dicere ſolebat, quod videlicet nulla vrbs, nullaque arx tam fortis beneque munita ſiet, quæ non facile vinci & occupari poſſet, ſi modo aſinus, auro onuſtus, illam valeat accedere. Quo innuere voluit, quam facile nimirum aurum diuitiaſq; ſectantes mutari & vinci poſſent. Id quod etiam Poetæ in fabula Danaes ſignificare voluerunt, dum fabulati ſunt: Ipſum etiam Iouem caſtam iſtam Danaen ſibi obſequẽtem reddere & fallere neutiquam potuiſſe, donec ſeipſum in aurum commutaſſet, atque, inſtar aureæ pluuiæ in illius ſinum incidiſſet.

Minime itaque mirandum eſt, quod aurum corda auarorum hominum & aurum ſitientium iudicum tam facile conuertat, vt ab ipſis premantur pauperes: quemadmodum etiã hodiernis noſtris temporibus plerumque fieri ſolet, in quib. Ouidiani dicti aut verſuum veritas ſatis depræhenditur, dum inquit:

In pretio pretium nunc eſt, dat cenſus honores:
Cenſus amicitias, pauper vbique iacet.

Eumdem in finem S. Antonius lepidum aliquod exemplum inter alia (quod huic noſtro tempori vt plurimum congruit) de aliquo iudice recenſet, qui ab vna parte vitulum dono acceperat: altera vero pars, hoc cognito, vxori iudicis vaccam dono dederat. Poſtquam autem partes in iudicium veniſſent, & pars illa, quæ vitulum iudici donauerat, cauſſam ſuam minus pro voto ſuo, & fortaſſis iudicis promiſſo, ſed lente procedere animaduertiſſet: iccirco, iudicem officij ſui admonens auxiliumque eius rogans, clara voce exclamauit: Cauſſam ſuam tam claram eſſe, vt etiam vitulus ſententiam in ea ferre poſſet: ad quæ corruptiſſimus ille iudicum, Vaccam tam clare vociferaſſe, vt vitulus exaudiri minime potuerit, reſpondit. Quo S. ille Pater innuere voluit, quomodo videlicet munera in iudicijs tam aliquid boni, quam mali operari poſſint. Quocirca etiam Deus per Prophetam Eſaiam populi ſui iudicibus æternum, *Væ* denunciat, dum ita ait: *Væ, qui iuſtificatis impiũ pro muneribus, & iuſtitiam iuſti aufertis ab eo.* Cum tamen *Deus Ter Optumus Maxumus* ipſe eoſdem

dem à vitio isto dehortatus fuerit dum ipsos ita adhortari iubet: Iudex non accipiet munera quia excœcant oculos sapientum, & peruertunt verba iustorum.

...metu ...ad ...tem ...i. Iudex quoque, fortassis præ formidine, ad vnam vel alteram partem se flecti neutiquam patiatur. Apud integrum constantemque aliquem virum siquidem ius & æquitas semper plus valeant, quam vlla aliqua potentia: Neque vllus aliquis minis, vndicunque etiam illæ veniant perterreatur: tumidus enim tribunali nō inseruit. Vnde etiam Syracides recte dixit:
" Noli quærere fieri iudex, nisi
" valeas virtute irrumpere iniqui
" tates; ne forte extimescas faci-
" em potentis, & ponas scanda-
" lum in agilitate tua. Id quod Pilato accidit, qui ius quidem sciuit, ast Iudæorum minis ita deterreri sese passus fuit, vt cum dedecore turpiter ab eodem recesserit.

...more ...dio ...com. ...tri. Pari insuper modo iudex neque ex amore, neque odio honorem amplissimi adeo sui muneris forsitan seponat; neq; vlla necessitudo, amor, aut amicitia tam valida esse debet, quæ illud infringat: quemadmodū etiam neque ob propriam suam coniugem & liberos seipsum ignominia afficiat, aut, in ipsorum gratiam, ius premat vel occultet: quem in finem quoq; isti aliquot iudices in historijs summopere extollantur, quod contra proprios etiam suos liberos sententiam ferre neutiquam erubuerint. Et ea ipsa de causa Veteres iustitiam obuelatis oculis olim depinxerunt, quod videlicet neminem, siue is amicus, siue inimicus fiet, Iudex intueri debeat, multo minus sese per iram & inimicitiam flecti patiatur.

Si enim iudex in iudicio proprio suo desiderio & adfectib. indulgere vellet, tunc certo tanto munere indignus esset, quemadmodum etiam iracundus & vindictæ cupidus ad officium iudicis neutiquam admittendus est, vtpote quem partes, ingenium & mores, ipsius noscentes, facile per calumniam eo redigere possent, vt vni parti iratus ex peregrina causa propriam suam caussam faceret, atque in eadem iuxta odiosos inuersosque suos adfectus ferret sententiam.

Similiter etiam per ignorantiam officij metas non transili- *Per ignorantiā nō*

falso iudicare. at: in quo sane magna prudentia, & diligentissima, antequam feratur sententia, inquisitio requiritur: eapropter D. Hieronymus sup. Esaiam recte dixit: Non est, inquit, omnium recte iudicare, sed eorum qui sunt prudentes. Idque non dumtaxat de secularibus, verum etiam de Ecclesiasticis iudicibus intelligitur; quorum interest, vt sciant, qualem videlicet Methodum modumque in iudiciis suis seruare debeant. Quocirca etiam in iure Canonico, *extr. de consanguinitate & affinitate cap. extiteris*, iudici alicui expresse interdictum est, ne videlicet apud alios demum inquirat, quid ipse dicere & iudicare debeat.

Scripti iuris notitia. Simili quoque modo, *extra de electione, cap. cum nobis*, expressis itidem verbis cautum est, ne videlicet aliquis in Ecclesiasticum iudicem eligatur, nisi in iure scripto satis superque exercitatus fiet.

Sedula verum inquisitio. Ne autem fortassis iudex aliquis per ignorantiam inscitiamue, aut per aliorum hominum insolentiam & malitiam decipiatur, iccirco, ante ferendam sententiam, omnes res diligenter exploret, præsertim in caussis capitalibus, hominisque vitam concernentibus, quæ quidem eidem adimi, numquã vero restitui poterit, quæstiones & examina non per alios, verum ipse in persona propria instituat, quemadmodum Lancfrancus Orianus, in tractatu suo de testibus numer. 19. docet, ni periculo sese inuoluere & innocentis hominis profusionem in seipsum deriuare velit: quo in casu sane ipsum, in summo supremi iudicis iudicio, ignorantia & leges suæ, quas fortassis ad sui defensionem illic allegare volet, neutiquam excusabunt. Nam & tam Quæsitor, quam scriba, facilime, & quidem forte fortuna, in relatione istiusmodi verbum, vel etiam aliquam circumstantiam (de adfectibus, forsitan intercurrentibus, hejc nulla verba faciam) deprehendere possent, quibus innocens grauissime onerаretur, de quo tamen incautus & ignarus iudex rationem reddere cogeretur.

Sic iura scripta, quemadmodum Panormitanus, *cap. sciscitantes*, de Rescriptis testatur, reo contra imperitum, aut suspectum aliquem iudicem excipiendi potestatẽ faciunt, id quod

certe

certe iſtiuſmodi iudicib. in non contemnendum ſane deſpectū vergit. Id quod tamen ſæpenumero nauci æſtumatur: Multi ſiquidem rerum omnium imperiti ſeipſos iſtiuſmodi muneribus intrudunt, in quibus tamen denique ſeipſos ſummo exponunt ludibrio, atque tamdem omneis experiuntur, quod ij, qui rudem iſtiuſmodi aſinū ad ima promouerunt euexeruntque ſubſellia, nihil aliud promeriti fuerint, niſi quod lapſu & præcipitio eoſdem cœno & ſtercore aſpergat.

[...]em [...]tia [...]x- Pari etiam modo nulla conſanguineorum propinquitas Iudicem aliquem excœcet. *Perſonam enim Iudicis*, inquit Cicero, *exuit, qui quis amicum induit.* & dum Iohan. 8. dicitur: Vos ſecundum carnem iudicatis, illud ipſum etiam de ijs dici poſſet iudicibus, qui ſecundum fauorem, & in amicorum gratiam, iudicaturi eſſent, quemadmodum etiam alias, veluti Angelus Peruſinus, & Iohannes Crotus, in ſuis de teſtimonijs tractatibus, teſtantur, nullus iudex, in cauſſa amici & cognati ſui, ad omnem ſuſpicionem euitandam, admittitur, niſi tam fidei probatæ vir fiet, atque de quo ne minimum quoque aliquis ſuſpicari poſſet.

Etiamſi vero, veteri veluti habetur in Prouerbio, condolentia & miſericordia cum iure bene coniungantur: nihilominus tamen iudex per intempeſtiuam miſericordiam & condolētiam neutiquam commoueatur: Id quod Deus ipſe iudicibus ſerio imperat, dum Deut. 13, inquit: Oculus tuus ipſi non parcat: quemadmodum etiam ipſa natura demonſtrat, quod videlicet condolentia ſiue miſericordia, non iniqua, & ad damnum, ſed vice verſa, æqua, & ad finem bonum diracte eſſe debeat. *Miſericordia eumdem non commoueat.*

Iniqua enim & turpis miſericordia merito reijcienda, & multo magis pro crudelitate, quam pro miſericordia æſtumanda eſt. Attamen iudex eo ſemper reſpiciat, vt videlic. ius ſtrictum ſemper cum lenitate aliqua temperetur. Sic Glorioſiſſimus ille Romanorum Imperator Traianus, inter alia immortale laudabileque nomen ſibi comparauit, & pro iuſto homine æſtumatus fuit, quod non ſolūmmodo pro ſe ipſo ius cum gratia temperauit, ſed etiam Officiales iudiceſque ſuos

omni-

omnibus temporibus ad idem faciundum adhortatus est, vt nimirum ambas istas virtutes si mul in cordib. suis regnare paterentur, vtpote quæ non bene à se inuicem separandæ essent.

Iulius Camillus Orator præstantiss.

Ad eamdem istam temperaturam respexit olim celeberrimus ille Orator Iulius Camillus in Oratione sua pro Episcopo Pallauicino, dum inquit:

Ne dimando quella misericordia Sire, che dalla Giustitia de vostri giudici potrebbe anchora finalmente venire, hoc est, istiusmodi gratiam Domine Clementissime, quæ adhuc de iustitia vestrorum iudicum tamdẽ prouenire queat, desidero. Et Anna Regina Britannica, in oratione sua ad Regem Henricum, eius nominis Octauum, maritum suum, in qua gratiam & simul iustitiam implorabat, eumdemq; ne se repudiando desereret, neque legitime secum contractum matrimonium dissolueret, rogabat.

Integra bonitas integro iudici commendanda.

Candidus & syncerus, præterea, iudex candidam synceramque bonitatem sibi commendatam habeat. Vnde etiam Bartholus de Saxoferrato, *in tractatu suo de testibus*, recte ait, quod Iudex apud iureconsultos; *Vir sapiens & bonus* appelletur. Cuius bonitas & integritas autem in eo consistit, vt recte iudicet, iuxta dictum Deuterom. Quod iustum est iudicate, & Psalmi inquientis: Beati, qui custodiunt iudicium & iustitiam. Id quod etiam, iuxta Isidori sententiam lib. 20. Etym. latinum nomen Iudex ipsum exprimit, dum ait: Iudex dicitur, quia populo ius dicat: quæ opinio etiam cum germanico fere conuenit. Vnde S. Ambrosius supra Psalmum, Beati immaculati in via &c. bene dixit: Bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit & proposito domesticæ voluntatis, sed iuxta Leges & iura pronunciat: quemadmodum Suetonius Tranquillus Pientissimum Imperatorem Augustum eius rei gratia summopere commẽdat, quod numquam aliud, quam Iustitia & Leges requisiuissent, iudicauerit.

De Tito Manlio Torquato Textor memorabile aliquod exemplum commemorat. Cum enim is aliquando inter Macedonios, veluti accusatores, ex vna, & filium suum, tamquam reum, parte ex altera, sententiam ferre deberet, tale tamdem tulit; Cum probatum sit, inquit,

quit, Tilanum filium meum pecuniam accepiſſe; ipſum repudio; & prole mea indignum reputo. Quo dicto ocyus illum tamquam condemnatum, accuſatoribus ſuis tradidit.

Iudicis grauitas. Iuxta illa omnia Iudicem tam in vultu, quam omnibus illius geſtibus, decentem aliquam grauitatem obſeruare oportet, idque ob ampliſſimi ſui muneris, quod gerit, dignitatem, &, reſpectum ipſi obuenientium cauſſarum, mediocrem aliquam ſeueritatem. Vnde etiam in Decretis, *cauſſa* 23. *quæſt.* 5. *cap.* 4. ita ſcriptum eſt: Prodeſt & Seueritas cuius miniſterio quies adiuuatur & noſtra Eamdem opinionem amplectitur quoq, Cicero lib. 1. Offic, dum inquit: Ita probanda eſt manſuetudo atque clementia, vt adhibeatur cauſſæ ſeueritas; ſine qua ciuitas adminiſtrari non poteſt. Quem in finem etiam Menander recte dicere ſolebat: ſeueritatem ſalutarem temerariam ſpem adimere improbis impunitatem pœnæ ſibi ſemper pollicentibus. Eiuſdem ſeueritatis neceſſitatem etiam Poetæ per Minois (infernalis; vti autumant, iudicis) fabulam ſignificare voluerunt, quem Virgilius eius rei gratia celebrat, dum libro 6. Æneid. ita de ipſo ſcriptitat:

Quæſitor Minos vrnam mouet, ille ſilentum
Conſilumque vocat, vitaſque & crimina diſcit.

Simili modo & Claudianus de eodem ita cecinit:

Quæſitor in alto
Conſp cuus ſolio pertentat crimina Minos.

Sic quoque de Æaco ſcriptitant, quod videlicet, ob ſeueritatem ſuam in iudicando & puniendo, iudex infernalis conſtitutus fuerit: Illius Propertius ſequente in verſiculo mentionem facit, dum de eo ſic ait:

Aut ſi quis poſita iudex ſedet Aeacus vrna.

Ad ſimiles honores infernales & Rhadamantus, eadem de cauſſa, à Poetis exaltatus atque in tribunal infernale collocatus eſt: quemadmodum illud apud Virgil. lib. 6. Æneid. videre eſt, dum inquit:

Gnoſius, hæc Rhadamantus habet duriſsima Regna,
Caſtigatque, auditque dolos, ſubigitque fateri

Quæ quis apud superos, furto lætatus inani
Distulit in seram commissa piacula noctem.

Scintillantes oculi. In iudice insuper scintillantes flammantesq; oculi requiruntur, idq; non dumtaxat ad seueritatē diligentē inspectionē, & constantem prouidentiam: verum etiam amicæ & aspectu iocundæ flammæ ex oculis suis eluceant: atque adeo inter iudicis seuerum, & trucem crudelemque carnificis adspectum magna fiet differentia: quemadmodum etiam, vti quoq; supra attigimus, iudicis seueritas omni tempore bonitate, humanitate, clementia & misericordia tēperata esse debet: qua de re Gregorius in Moralib. ita scriptitat: Omnis, inquit, qui iuste iudicat, stateram in manu gestat, & in vtroque penso Iustitiam & misericordiam portat. Sed per iustitiam reddit peccatis sententiam: per misericordiam vero peccati temperat pœnam. Ob eximias istas duas virtutes Cæsar Augustus, summis laudibus, olim inclaruit, de quo Beroaldus sequēs elogium scriptitat: Summa æquitate, nec minori lenitate ius dixisse laudatur Augustus. Atque hac in re mundanus aliquis iudex supremum illum iudicem, Deum nimirum ipsum, imitari debet: de quo Propheta Habacucus ita inquit: Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis: & Cassiodorus supra Psalmum: Hæ res, inquit, Misericordia & Veritas in omni iudicio Dei coniuncta sunt. Quæ etiam apud iudices seculares tam clare reperiri debent, adeo vt condemnatum aliquem ipsum fateri oporteat, sibi nimirum recte fieri, atque simul cum pœna ipsa iudici gratias agere.

Habitus siue Vestitus alicuius iudicis honestus fiet, & Maiestatem aliquam quasi præ se ferat, ad honorem nobilitatemque muneris sui indicandam, cuius honestatem nobilitatemque fateri omneis coguntur: quemadmodum etiam *Deus Ter Optumus Maxumus* ipsis summū honorem adtribuit, dum in verbo suo non solummodo mentionem facit, quod vna cum ipsis in Iudicio sedeat, verum etiam honorem suum quasi cum illis communicat, dum illos *Deos* nuncupat. Eumdem *Honestus vestitus.* illum

illum in finem Valerius Maximus quoque inter alia commemorat, quod aliquando Apollo, de honore judicum interrogatus, ita reſponderit: Neſcire ſeſe, num ipſos inter Deos, vel homines numerare debeat.

Qua de re etiam elegantiſſime quodam in loco Cicero loquitur: Quod præclarius, inquit, digniuſque inter mortales exercitium excogitari poterit, quam vnum hominem in Republica reperiri, qui communi vtilitati inſeruiat, qui communia pro ſuis, ſua pro communibus habeat; qui velit, & ſciat perſonam ciuitatis gerere, dignitatem decuſque ſuſtinere?

Geſtus Ciuiles, &c.

In geſtibus, inceſſu, loquendo, & negotijs expediendis ciuilis aliqua Maieſtas eluceat, quæ ſane præcipuarum partium vna eſt, quæ in iudice aliquo requiritur, ne aut ſeipſum, neq; officium ſuum apud nauci homines ludibrio exponat. Quo etiam, Aulo Gellio teſte, Fabius Maximus reſpexit, qui, cum ipſi Conſuli aliquando parens eius Romæ fieret obuius, eidem ſignificari iuſſit, vt, pro more, æque, aliorum inſtar, equo deſcenderet, ac ſibi ſuoque muneri conſuetum honorem exhiberet: qua de cauſſa etiam idem ille Valerius Maximus, in Tractatu ſuo de inſtitutis antiquorum, dum hiſtoriolam iſtã recenſet, Fabium iſtum non ſatis laudare poteſt. Et hæc, breuiter, ſunt requiſita illa, quæ iudicem illum coram vniuerſo mundo non ſolummodo ſummopere commendant, verum etiam ſplendide exornant. Ad quæ tamen inſuper certa tam Cæſarei, quam Pontificij iuris cognitio pertinet, vna cum diligentiſſima aliqua exercitatione in practicis ciuilibus & Criminalibus; quemadmodum illę à iuriſperitiſſimis quibuſdam Doctoribus, vtpote Bernardino Diazio, Iodoco Folerio, Iacobo Nouello, alijſque pluribus, quam diligentiſſime deſcriptæ, & typis publicis grata cum poſteritate communicatæ fuerunt.

Mali & pernicioſi iudices.

Sin autem iudex aliquis iſtiuſmodi qualitatibus, virtutib. atque donis deſtitutus fiet, tum bene pro pernicioſo aliquo homine habendus eſt, vtpote qui tam facile à proprijs ſuis cogitationibus excœcatur, terrore commouetur, adfectibus irritatur, ignorantia præoccupatur,

auctoritate partium inescatur, atque donis & muneribus corrumpitur, vt à iustitia & iudiciali suo munere, cum oppressione innocentis, aut rigida animaduersione rei, nimium deflectat. Et talis in iudicijs suis plerumque iniustus & iniquus est, dum magna flagitia & defectus nimis leniter castigat, aut eosdem omnino impunitos præterit: vel dum iuris rigorem nimium exercet, cum tamen gratia & clementia rigorem istum temperare posset, si non innocentem omnino supprimit & plus iusto onerat: aut dum in officio suo negligens est, illudque turpiter amittit, cum tamen illud conseruare potuerit: neque etiam, Alexandri instar, duas aures habet, quarum vnam ille accusanti, alteram vero accusato porrigebat: sed, vice versa, à quouis primo sibi obuio præoccupatur, atque ex ignorantia & inscitia illico credit, quæ à prima parte ipsi proponuntur.

In eo autem fortissimi laudatissimique Herois Alphonsi Estensis exemplum neutiquam imitari nouit, de quo Ariostus sequens aliquando cecinit elogium:

Che s' ogn'un ha de te ben grata audienza

Non vi truoua pero facil credenza.

Ah quoties, proh dolor, miser aliquis accusatus, & tamen non per omnia sufficienter auditus, condemnatur, idque mera ex ignorantia, imperitia, iniquitate, & iniustitia iudicis, contra omnia iura & Leges Veterum? (quemadmodum etiam Nicodemus Collegis suis apud Lucam obijcit: Numquid Lex nostra iudicat quenque, nisi prius audiatur?) contra Romanorum iura atque consuetuoinis, de quibus Festus in Actis Apostolorum ita inquit: Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumq; defendendi accipiat ad abluenda crimina, quæ ei obijciuntur. Contra ius Canonicum, *caussa 2. quæst.* 1. vbi sequentia verba de Papa Melchiade sunt posita: Neminem, inquit, condemnetis ante verum, & iustum indicium: nullum iudicetis suspicionis arbitrio, sed primum probate, & postea charitatiuam proferte sententiam. Istiusmodi malus

malus&perniciosus iudex quoque alienæ messi vti veteri habetur in Prouerbio, falcem immittit contra expressam S. Scripturæ inhibitionem, quæ quodam in loco sic ait: Tu quis es, qui seruum iudicas alienum? ex arbitrio suo enim iudicat, etiamsi summa quoque iniquitas caussæ iustæ præualeat, infideliter refert & interrogat, nullum obseruat ordinem, caussas fraudulenter remoratur, miseros innocentesque onerat, vice versa verò reorum caussam cõniuentibus oculis intuetur, diuitibusq; nulla interiecta mora opitulatur.

In Summa omnibus in locis adfectus suos, auaritiam, arrogantiam, inuidiam, iram, aliaq; id genus vitia absque vlla verecundia ipse prodit, etiamsi omnis honos, synceritas, & integritas postremo loco relinquantur. Tali equidem pernicioso iudici nullus maior obuenire posset honor, quam vt, iuxta exemplum Cambysis, excoriaretur, eiusdemque cutis, ad terrendos similes corruptos iudices, supra tribunal extenderetur.

Et hæc tam de bonis iustisq;, quam de malis iniustisque iudicibus dicta sufficiant. Ad Ordinem iudiciarium & Syndici quoque pertinent, vtpote qui non dumtaxat iudicibus & iudicijs, ad inspectionem ne Iustitiæ limites transgrediãtur, præsto, sed etiam ad id potissimum deputati, quemadmodum etiam eius rei gratia *Deputati* à Budæo nominantur, sunt, vt iura communia, Leges, Iustitiamq; ipsam tueantur. Ea de re apud Plutarchum legitur, quod videlicet Aristidem ea potissimũ de caussa in Syndicum suum elegerint, vt, loco & nomine suę ciuitatis totius, Græciæ iurisdictiones iustitiamque tueri iuuaret. Postmodum tamen quemadmodum Demosthenes inter alia commemorat, Græci condita Lege nullum amplius Syndicum elegerunt, ne tam inlustre & ad Reipublicæ salutem prosperitatemque institutum officium, forsitan in priuatum aliquod commodum emolumentumue cõuerteretur. Quãuis Syndici, ex scripti iuris permissione, etiam personis priuatis operam suam locare poterunt.

Si quis autem plura, ad Syndicatum Syndicosq; ipsos pertinentia, scire desideret, is pra-

ćticam Syndicatus Iosephi Cumiæ lectu sibi familiarem reddere dignetur.

Syudici Reipubl. Franco-fordanæ ad Moganum.

Hodierno nostro tempore Magnifico Nobilissimoq; Cæsareo iudiciali Ordini, atque adeo inlustris meæ Patriæ toti Inlustri Reipublicæ Mœno-Francofurtensi fidelissimam vtilissimamque nauant operam, Clarissimi, Consultissimi, Excellentissimique Syndici, D. D. *Gasper-Gabinius Rasoris*, DD. *Ian-Philippus Gualtherus* vô Herborn/ DD. *Melior Erasmus.* Qui vt Patriæ meæ, lucidissimorum Iustitiæ siderum instar, magno ornamento, sibi ipsis vero summę laudi sunt & gloriæ, ita heic alieno præconio minime indigent. Vt vt siet, cum Gasper *Gasperi*, Melior, *forte deteriori*, duris in rebus manus auxiliatrices fideliter porrexerint, de amante equorum vero similia sibi polliceatur Interpres officia: iccirco hoc qualecunque debitæ gratitudinis trophæolum

Trino perfecto illi Lubens heic erigit Lundorpius.

IN

IN DISCVRSVM XXXVIII.

ADNOTATIVNCVLA.

DE Iudicibus vide Annotationes Beroaldi fol. 60. Item Alexandrum ab Alexandro libro 5. cap. 14. Rhodiginum itidem lib. 12. cap. 46. 47. 48. 50. 51. & 52.

DE ANTIQVARIIS VETERVMque Numiſmatum & imaginum cultoribus.

DISCVRSVS XXXIX.

VEtera Numiſmata colligẽdi conſuetudo non tam apud Veteres, quam hodierno etiam noſtro tempore pro laudabili honeſtoq; more ſemper fuit habita: quemadmodum etiamnum videre eſt, quod non dumtaxat vulgares & perpaucę ſed multæ perſonæ Principes & Nobiles ſtudium illud excolant, atque & alias iſtiuſmodi antiquitates non contemnendis ſane ſumptibus vndiq; colligant: Quemadmodum etiam Veteres in nummis ſuis honorarijs, vel etiam quandoq; numiſmatib. Prouincialibus, ſemper aliquid memorabile, quod ipſis aut obtigit, vel alias ingenioſum acutumque ſuum intellectum prodere voluerunt, iuxta quod itidem figuras atq; corpora qualia etiam iſta fuerint, vna cum ipſis inſcriptionibus, ſingulari ingenij acumine direxerunt. Illorum Hubertus Golzius non exiguum ſane numerum collegit, eademque latino

latino in idiomate descripsit & explicauit.

Illarum antiquitatum quædam à tempore Sapientissimi Regis Salomonis adhuc hodie reperiuntur, in quarum vno latere illius imago, in altero autem templum conspicitur, hac, attamen in lingua sancta, cum inscriptione *Salomon Rex*. Illius exemplar Alexander Farra, vti ipse fatetur, à Pauiensi quodam Nobili accepit, illudque Mediolanensi alicui Nobili, Octauiano Cusano videlicet, dono dedit.

Simile pene antiquum monimentum reperitur Regis Antiochi in Syria qui cognomento Soter dictus fuit, in cuius vna parte Pentalpa, cum inscriptione αυγυι, (quod sanitatem significare debebat.) conspecta fuit: de quo sequens in Historijs inuenitur explicatio. Postquam enim Antiochus ille aliquando contra Galatas expeditionem suscepisset, & iam iam prœliandi tempus instaret, apparuisse ipsi, fertur, in Somnio Alexandrum Magnum, eidemque iniunxisse, vt videl. signum illud militibus suis in tesseram daret.

Dicto igitur Antiochus audiens signo isto tam vexilla sua, quam præcipuorum etiam Officialium bellicorum vestimenta exornauit. Quo facto hostem intrepide adortus ingentem ab ipso victoriam reportauit. Postmodum quoque & ipsi Romani, vtpote, qui præ cæteris Nationibus omnibus laudis gloriæque fuerunt cupidissimi auidissimique, in cudendis istiusmodi antiquitatibus, sedulam mirabilemque quasi nauarunt operam, à quibus etiam plurimæ adeoque elegantissimæ etiam ad posteritatem propagatæ & translatæ sunt.

Inter alia antiqua numismata etiam Cæsaris Augusti nummi habentur: ex quibus vnus in parte dextra ipsius imaginem, in altera, vel sinistra, vero Capricornum complectitur, qui in piscem desinit, & vno pede Sphæræ insistit. Qua figura, quemadmodū Suetonius Tranquillus inter alia memorat Horoscopum suum quasi publicare voluit, postquam Apoloniæ à Theogene, celeberrimo isto Mathematico, qui ipsius Natiuitatem ad calculum reduxerat, adoratus, eidemq; Romani Imperij gubernacula prænunciata fuissent.

Iuxta illa adhuc aliud habetur numiſma argenteum, quod à tergo Crocodilum, cum tali inſcriptione *Ægypto Capta*: in altera autem parte imaginem Auguſti, cum hac inſcriptione: *Cæſar. Diui. F. Conſul. VI.* repræſentat: quamq; in victoriæ memoriam cudi curauerat, quam in Ægypto, Crocodilorum copia abundante, ab inquilinis iſtis reportauerat.

Reperitur quoque *L. AEL. AVRE. Commodi* numiſma, in quo eiuſdem imago ſub ſpecie & veſtitu Herculis ſita eſt, crocodilum ſub dextro pede premens, læua Herculis clauam, in dextra manu vero ſpicas quaſdam tenens, quas Prouinciæ Ægypto porrigit, quæ, inſtar alicuius fœminæ, iuxta eum conſiſtit, & corbiculam omnis generis frugibus refertam manu tenet, cum tali inſcriptione: *Indulgentiæ Aug.*

Idem ille Cæſar Auguſtus à tergo ſuæ imaginis; Cometen, qui ſub Iulij Cæſaris morte apparuit, cuſum habuit. Quod poſtmodum Cardinalis de Medicis imitatus eſt, cum hac tamen inſcriptione *inter omnes*, q̃ verba ex Horatio deſumpſit, ijſdemque formoſitatem Iuliæ Gonzagæ indicare voluit, qua, tamquam ſerenus aliquis Cometa omneis cæteras fœminas viragineſque multo poſt ſe interuallo rellinqueret.

Pari quoque modo Cæſar Auguſtus, in vno numiſmatis latere oblongũ quoddam nauigium, cum tali inſcriptione *Felicitati Auguſti*, cudi curauit: Nauis ſiquidem fortunæ, vel proſperi alicuius ſucceſſus eſt indicium; quocirca etiam Hadrianus eodem ſymbolo in ſuis numiſmatibus vſus eſt.

Reperiuntur præterea & alia quædam vetera numiſmata Italica, quæ, vti nonulli autumant, ante Romanorum tempora fuſa vel cuſa fuere, in cuius prima parte prora in altera vero bifrons Ianus cernebatur, quo felicem eiuſdem Iani in Italiam aduentum indicare eiuſdemq; memoriam ad poſteros propagare voluerunt cuius rei etiam Ouidius in faſtis ſuis meminit.

Inuenitur quoque & aliud eiuſdem Cæſaris Auguſti numiſma, in quo leo coruum in dorſo compræhendens cuius & victoriæ Actiacæ memoria erat. Item & adhuc aliud, in quo aquila rogo inſidens conſpiciebatur,

batur, cum tali inſcriptione: *Diui Auguſti Patris*, quo vti quidam putant, putaticiam ſuam Deificationem innuere voluit.

Sic Imperator Pertinax ſimile quoddam numiſma cudi curauit, in cuius 1. parte aquila cum tali inſcriptione: *D. Pertinax Pius Pater*: in altera autem *conſecratio* legebantur. Simili quoq; modo aquila in numiſmatibus Imperatoris Antonini ad Pij modum frequēter in vſu, & in genere heroicæ alicuiꝰ magnanimitatis indicium fuit. Vnde etiam Pirrhus Epirotarum Rex, qui à militibus ſuis, ob fortitudinem magnanimitatē que ſuam, aquila nuncupatur, aquilam cum fulgurante radio in manu dextra, duobus guernicis ſurculis circundato, tali cum inſcriptione Dorice ΑΓΕ ΙΡΩΤΑΝ; vſurpauit.

Delphinus ſimiliter in eleganti quodam numiſmate cum hac inſcriptione: *Nero Claudius Caſ. Auguſt. Ger. P. M. TR. PP. Imp. P. P.* reperitur: in quo Neptunus in portu (ad pacis indicium) ſedens conſpicitur, qui manu dextra nauis clauum in terram collocat, ſiniſtra vero Delphinum apprehendit, quo pax in mari, & tempeſtatum ſedatio denotatur. In altera parte elegans aliquod ædificium cum tali inſcriptione: *Por. Oſt.* cernitur. In portu autem bene armatę quædam naues conſiſtunt.

Similiter & nummus aliquis Agrippæ inuenitur, in quo Neptunus manu ſiniſtra tridenti ſuo incumbit, dextra vero delphinum appræhendere nititur. Item & alius Q. Naſidij, in quo nauis plenis velis incedens, ſupra quam ſtella cum tali inſcriptione: *Neptuni* ſita eſt, viſitur, eoque fortunatam felicemque ſuam nauigationem innuere voluit.

Alias Delphinus in genere Neptuni, maris, aliorum q; fluuiorum omnium eſt ſymbolū. Quocirca etiam Corinthij elegantiſſimo alicui fonti ex ære fuſum aliquem Neptunum impoſuit, ſub cuius pedibus Delphinus aquam emittebat. Pari quoque modo Veteres picturam aliquam habuerunt, in qua Cupido Delphino inſidebat manuque olfactoriolum, ex omnis generis amœniſſimis floribus contextum, tenebat. Qua innuere voluerunt amorem etiam aquæ & terræ imparare.

Simili quoque modo in veteribus

teribus numiſmatib. duæ complicatæ manus, in fidelitatis indicium, tali cum inſcriptione: *Fides exercituum*, & quandoque etiam cum illa: *F.des Romana*, cuſæ ſunt. Sunt autem præterea complicatæ iſtæ manus, felicitatis indicium, præſertim ſi ijſdem impoſitus ſiet caduceus: quemadmodum etiam in numiſmate Hadriani Imperatoris Dea quædam, quæ vna manu caduceum tenet, altera vero ipſius Imperatoris, cuius effigies iuxta Deam iſtam collocata eſt, manum appræhendit, tali cum inſcriptione: *Felicit. Augusti*, cernitur.

Alias modo dicti illius Imperatoris adhuc aliud numiſma reperitur, in cuius poſteriore parte Dea Imperatoris manum appræhendit, tali cum inſcriptione: *Fortunæ reduci*.

Opertus vultus in numiſmatibus verecundiam denotat: quocirca de Icaro Penelopes parente legitur, quod Spartæ alicuius fæminæ ſtatuam operta facie erexerit, quam pudori coniugali conſecrauerat. Similiter etiam in Sabinæ Imperatoris Hadriani coniugis nummis antiquis, & Martiæ Ottacillæ Seueræ hæc inſcriptio *Pudicit. Aug.* legitur.

Similiter etiam & fulgura in antiquis numis vſitata fuerunt, quibus citum aliquod conſilium & propoſitum ſignificabatur. Sic Stella dedicationis erat indicium: Laurus, fidelis cuſtodiæ; Quercus, conſeruatio alicuius ciuitatis & ciuium: Hædera, Proſperitatis, vel alicuius myſterij, quod Bacho, cui clandeſtinus aliquis furor adtribuitur, conſecrata fuerit.

Sic multa, eaque diuerſa, Romanorum Imperatorum reperiuntur numiſmata, vtpote Cai, Probi, Antonini, Titi, Aurelij, cum formoſa ſua Fauſtina, aliorumque ſummo loco natorum Procerum, quibus artium liberalium & Antiquitatum amatores Bibliothecas ſuas exornare ſolent quemadmodum videre eſt in Iouio, Ioanne Grimano, Petrarcha, Andrea Loredano, Gabriele Vendramino, Leonhardo Mozenigo, Simone Zeno, Laurentio Maſſa, & alijs ſimilibus Viris Clariſſimis, eruditiſſimis, Nobiliſſimiſque perſonis, quæ antiquitatis ſtudium ſummopere excoluerunt.

Inter quos Serenissimus Magnus Dux Toscani, vel Florentinus, non immerito palmam cæteris præripit. Hippolitus itidem Cardinalis Ferrariensis, & multi proceres alij; vtpote Romæ Pharnesii, Orsini, Colori, Colonnesii, Sauelli, Vitelleschi. Neapoli, Mediolani, Mantuæ, Paduæ, qui omneis & singuli honorem videlicet Veterum ipsis ad virtutem fortitudinemque incitamentum esse sibi certo persuadent: iccirco etiam, tamquam honesti & fideles eorumdem imitatores, oculos suos cum fortium istorum factorum antiquitatumque indicijs lubentissime recreant: & veluti in lucidissimo aliquo speculo intuentur, quomodo videl. per honorem & virtutem gratam apud posteritatem etiam quis à morte viuat.

IN DISCVRSVM XXXIX.

ADNOTATIVNCVLA.

SI quis elegãtes quasdam antiquitates videre desideret, is studium Abrahami Coloroni, olim Iudæi, & nunc Serenissimi Ducis Ferrariensis, Mechanici & Architecti sibi familiare reddere poterit.

DE

DE POETIS IN GENERE, PRÆſertim vero Epitaphiorum Libellorumque Famoſorum Scriptoribus.

DISCVRSVS. XL.

Poetarũ ad Deos gentiliũ directa inuocationes.

AB initio huius noſtri Diſcurſus de Poetis etiam ipſum Poetarum morem imitabimur, qui, ſub Poematum ſuorum initium, Muſas, Mœcenates, vel fictitios ſuos Deos inuocant, quo lectorem eo alacriorem & deuotiorem reddant; quemadmodum Trapezuntius libro 1. Rhetorices ſuæ indicat, quod videlicet in ſerijs magnique momenti rebus tale principium faciundum ſiet. Iuxta quem etiam Plato, in Timæo ſuo, hanc doctrinam tradit, quod nimirum etiam in minimis negotijs *Dei Ter Optumi Maxumi* auxilium homo implorare debeat.

Id autem Poetis præſertim non dumtaxat ingens decus eſt, verum etiam ab ipſis pro neceſſitate aliqua habetur, quod ſuis in verſibus, in quibus, quemadmodum illi contendunt, à ſingularibus ſpiritib: reguntur, plerumque de profundis & arduis rebus loqui conentur. Vnde etiam Homerus ſuis in Iliados libris ab initio Muſam Calliopen, omneſque illius ſorores implorat, antequam ad ingentem ſtragem, quam Achilles inter Pelaſgos ediderat, accedat, Idem quoque facit Virgilius in libris ſuis Æneidos, in quibus Muſas ſuas inuocat, priuſquam ad deſcriptionem hiſtoriæ de Ænea perueniat, dum ita cecinit:

Muſa mihi cauſſas memora, quo numine læſo,
Quidue dolens Regina Deum, tot voluere caſus,

Insignem pietate virum, tot adire labores
Impulerit, &c.

Idem obseruat quoq; Ouidius ab initio Metamorphoseon sic inquiens:

Dii cœptis, nam vos mutastis & illas,
Aspirate meis: primaque ab origine mundi
Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.

Istiusmodi inuocationem Anguillara non ad Deos Gentilitios, sed ad Inuictissimum Regem Henricum dirigit, vt videlicet labores suos clementissime adprobare ne dedignaretur, dum ita loquitur:

E ta se ben hai sol' l' animo intento
Inuittißimo Henrico, al fiero Marte.

In quo fortassis Ariostum imitari voluit, qui simili modo inuocationem suam ad Hyppolitum sequentibus in versiculis direxit:

Piacciaui generosa Herculea prole
Ornamento è splendor del secol nostro
Ippolito, aggradir questo che vuole
E darui sol' puo l' humil seruo vostro.

Inter alia quoq; Valerius Flaccus, libro 1. Argonauticæ suæ, Phœbum inuocat, vt nimirum in cœpto opere sibi adesse velit, quo illud felicibus, auibus ad exoptatum finem perducere queat. Taxus autem, in Hierosolyma sua liberata, ad aliam quamdam Musam sese conuertit, dum sic cecinit:

O Musa tu, che di caduchi allori
Non circondi la fronte in Helicona,
Ma su nel cielo infra i beati Chori,
Hai di stelle immortale aurea corona
Tu spira al petto mio celesti ardori.

Paullo post ad Dominum suum Alphonsum digreditur, eumdemque ita compellat:

Tu Magnanimo Alphonso, il qual ritogli
Al furor di Fortuna e guidi in porto,
Me peregrino errante, e fra gli scogli

E fra

E fra l' onde agitato e quasi ab-
sorto:
Questem e carte in liceta fronte
accogli
Che quasi in voto, à te sacrate io
porto.

Eamdem istam inuocationem nupertimo tempore Germanus Audebertus, Natione Gallus, in descriptione Venetiani Imperij, eiusdemque totius Reipublicæ artificiose admodum sequente in versiculo complexus est, dum ita ait:

Musa mone sunt cæpta tuis hæc
carmina iustis.

ctoris *ocatio.* Nimis vero longum foret, si omneis istiusmodi inuentiones huc transferre conarer. Quilibet enim suapte omneis apud Poetas, præsertim vero Heroicos, facile reperiet, quibus nimirum inuentionibus in metris suis pangendis vsi fuerint.

Istum in modum & ego quoque Poetas heic imitabor, &, attamen in prosa, Mercurium implorabo, vt nimirum talaria sua mihi concedere, aut etiam, si fieri poterit, maiora largiri dignetur, vt videl. tam alte volare valeam, quemadmodum olim Iupiter sub specie Aquilæ Ganimedem secum abduxit. Vel Phœbum, vt auream suam Cytharam mihi det mutuo, dũ Plutonem & Proserpinam somno obrueret, & amasiam suam Euridicem ex inferno deduceret: aut, quemadmodum Penthasilea, armatam Mineruam, vt tam animosum me faciat, veluti Bacchus olim exstitit, dum nimis aurito asino ad bellum contra Centauros sese conferret.

Similiter & Cythercam, vt labia mea dulcissimo melle inficiat: Chloridem & Galatheam, vt, etiam in Syluis Arcadicis, me acceptum amabilemque reddere dignetur: Nereidem & Thetin, vt me Dijs commendent: Pomonam & Cererem, vt me tueantur, & gramina campi mihi reddant propitia. Et, vt neminem heic obliuione tradam vel sicco pede prætercam, etiam ipsam Pythonem inuoco, vt nimirum, tamquam Dea Eloquentiæ, decente cum eloquentia me dotare velit: Camœnas, Deas Cantilenarum, & Stimulam, vt ad tam lepidum Discursum me excitare velit: Heben, iuuentutis Deam, vt vires animumque mihi largiatur, vt videlicet, nomine Doridis in mari, & amabilis filiæ Latonæ in

inaere, Promethei Dei ignis, Floræ Deæ Terræ, cum Thyrso Bacchi, cum malleo fabrili Vulcani Tridente Neptuni, Caduceo Mercurij, loricata veste Martis, Claua Herculis, & fulmine Iouis in hocce meo Discursu totam honestam Nobilium lauruq; coronatorum Poetarum societatem celebrare atque honorare valeam.

Poetæ nomen vnde deriuetur

Vt autem tamdem ad rem ipsam perueniam, eiusdemque faciam initium, sciendum est, nomen Poetæ non à Græco verbo ποιέω, veluti Boccatius in Genealogia sua Deorum memorat, deriuari, sed multo potius à vetusto Græco vocabulo ποιήθης, quod proprie elegantem aliquem sermonem significat, quemadmodũ etiam Poetæ verborum elegantia vtuntur. Latini quoque eosdem Vates nominarunt, ob internas, Varrone teste, vires, quæ in ipsorum animis quasi conclusæ sunt, & quandoque mirabiliter erumpunt: quemadmodum etiam (iuxta testimonium Platonis in suo Phœdro, & in libro suo de furore Poetico) singularem aliquem Deum vel Spiritum in se habent, à quo mouentur, incalescunt, & ad furorem quasi impelluntur: vt omnis generis mirabiles sermones proferant: quem diuinum etiam furorem nuncupat, ad differentiam illius furoris, qui ex imbecillitate cerebri quandoque exoriri solet, & stoliditas vel stultitia appellatur. Id quod etiam Cicero, in oratione sua pro Archia Poeta, sequentibus verbis innuere voluit: Etenim, inquit, si à sanis hominibus accepimus, cæterarum rerũ studia doctrina, præceptis & arte constare, Poetam vero natura ipsa vel re, & mentis viribus excitari, & quasi diuino quodam spiritu afflari. Simili etiam modo Aristoteles in Poetica sua inquit, quod Poesis exercitatio capacis, atq; q. à furore rapti intellectus fiet. Et Origenes in libro suo Perargon ait, Poesin singularem esse virtutem & efficaciam, qua Poetæ agitentur vel impellantur: quæ etiam nihil fiet aliud, quam animi purificatio, & animæ illuminatio, (quemadmodum Iohannes Boccatius, & Iohannes Andreas Gilius, in quadam ad *Duca de Sora* epistola testantur) qua ad omneis generis loquutiones, vaticinia, & oracula impellantur. Quo etiã respexit Ouid. dũ quodã in loco sic inqt.

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.

Similiter & Statius, dum sic ait:

Pierius menti calor incidet.

Sic quoque Dominus Flamma in Oda quadam de iustitia cecinit:

Ond' io per farle honore
Nuouo la mano ardita
E quello ch' ho nella manto alto furore
Mentre a scriuer m' aita.

Qua de caussa etiam Veteres Poetas pro sanctis, atque à *Deo Ter Optumo Maxumo* illuminatis personis habentur, de quibus ante dictus Ouidius ita ait:

At Sacri Vates, & Diuum cura vocamur.

Pari etiam modo Calphurnius in versibus suis Bucolicis sic inquit:

Ille fuit vates Sacer.

& Lucanus:

O Sacer & magnus vatum labor.

Poe-n-cnes Ennius autem maiore honore tituloque Poetas dignatur, eosdemque sanctos appellat, vtpote qui è supernis cœlesti sapientia donentur. Quibus, meo quidem iudicio, innuere & significare voluit, quem in finem videlicet Poesis primum inuenta fiet, nimirum non ad res vanas mundanasque, sed solummodo ad *Dei Ter Optumi Maxumi* laudem atq; gloriam: quemadmodum etiam illud ipsum S. Scriptura satis superque testatur, & in peculiaribus quibusdam Psalmis alijsque locis videre est, quod videlicet Deus Choreis, psalmis cantionibus atque rhytmis (quæ omnia nihil sunt aliud, quam Poemata & cantiunculæ) laudandus fiet. Vnde etiam D. Augustin. quodam in loco scriptitauit: Poetas olim Theologos appellatos fuisse, quod plerumque de profundis & spiritualibus reb. scripserint: quemadmodum quoque Marcus Varro Theologiam ipsorum in quatuor Sortes distribuit, in Mysticam videlic. vel fabulosam: in Physicam, aut Naturalem: & in Politicam, vel Moralem, atque Mercurium Trismegistum primum præcipuumque triplices illius Theologię inuentorem appellat. Deinde Orpheum, qui multos hymnos, in Deorum honorem conscripsit: Postillum, Musæum, qui pro Apollinis filio fuit

habitus: Postea Linum, Mercurij filium ab ijsdem appellatum: Et deniq; Hesiodum, qui in arte & scientia ista mirum in modum excelluit.

Poeseos initium. De primo autem Poeseos initio scriptores inter se inuicem variant. Nam Venetus Episcopus Puteolanus, diligentissimus Historiarum Antiquitatumq; indagator, Poesin etiam ante Moysen, & Nimrothi ferme tempore notam fuisse contendit.

Leontius vero, illam inter Græcos primum repertam fuisse, tradit, atque Barlaani Calabri Præceptoris sui testimonio nititur, qui inter alia commemorat, quod Musæus, priscus ille Theologus & Poeta Anno Mundi ter Millesimo, Trecentesimo, Octuagesimo quinto, sub Phoroneo Argiuorum Rege floruerit. Sic Paulus Perusinus Orpheum Poeseos inuentorem facit, qui sub Laomedonte Troianorum Rege vixit, atque ea de caussa Musæo isto multo iuniorem esse oportet.

De laude & dignitate Poeseos autem heic ne minimũ quidem dicam, vtpote quæ omnis ferme laudes longe antecellit, atq; propterea omnes reliquas scientias multum superat, non secus atq; Sol cæteras Cœli firmamenti stellas splendore suo itidem antecellit. Et ni Poeta etiam perfectus aliquis Theologus esset, tunc procul omni dubio Orpheus summum Deum, rerumq; omnium Creatorem, quem Iudæi *Hensoph*, infinitum & incompræhensibilem vid:l. appellant, non noctem appellasset: quemadmodum etiam eumdem Dionysius Areopagita Caliginem nuncupat, quod illum humanus intellectus comprænhendi nequeat: Id quod tamen laudabilis illa Poetria Victoria Colomna, in subsequentibus alicuius *Sonetti* versiculis, longe aliter intellexit, dum ita loquitur:

Signor ch' in quella in accessibil luce
Quasi in alta caligine ti ascondi, &c.

Quadruplex Poetarum furor, atq; raptus. Fateri insuper necessum habemus, quod videlic. Poetæ quadruplici furore rapiantur, quẽadmodum Farra, in Tractatu suo de furore Poetico, copiosius testatur.

Primus est Poeticus, & à Musis proficiscitur.

Secun-

Secundus, Mysticus, à Bacho oritur.

Tertius Propheticus, à Phœbo oriundus est.

Quartus, Amatorius est, & à Venere suam trahit originem.

Cum Musis enim suauissime artificiosissimeque canit. Cum Baccho, quo intellectus innuitur, ad alta progreditur mysteria. Cum Phœbo non dumtaxat de naturalibus, sed etiam mirabili modo de futuris rebus loquitur. Cum Venere vero etiam cœlestem pulchritudinem celebrat.

Ita quoque Hesiodus de se ipso fatetur quod in isto furore ex simplici cuiusdam rustici filio in celebrem ingeniosissimumque aliquem Poetam euaserit: quemadmodum etiam illud ipsum Plato de Ione, & Tiunico Calcidio testatur: veluti idem quoque alias de omnibus in genere Poetis affirmatur, quod nimirum à peculiaribus Musis in furorem talem rapti fuerint: vtpote Orpheus, à Calliope: Musæus, ab Vrania: Homerus, à Clio: Pindarus, à Polymnia: Sappho, ab Erato: Thamiras, à Melpomene: Hesiodus, à Terpsichore: Virgilius, à Thalia: Ouidius, ab Euterpe. Cumprimis vero Democritus de Homero asseuerat, impossibile fuisse, quod tale Poema pangere potuerit, nisi per diuinam inspirationem ad id impulsus fuerit.

De tali raptu, vel inspiratione Cabalistæ asseuerant, quod istæ per Angelicos vel cœlestes Spiritus fiant, quemadmodum in eo, qui Porta Lucis inscribitur, libro legitur. In quo cum Platonicis conueniunt, qui de Musis, per quas Poetæ rapti fuerunt, contendunt quod nihil sient aliud, quam Sphærarum cœlestium animæ.

Sed & nunc aliquid mihi de Poetarum honore atque dignitate dicendum est, vtpote quæ in ipsa rei veritate non sane est medioxuma. Plato enim eosdem quibusdam in locis vocat Deorum interpretes, & singularis honor est, quod in Phœdro suo ait, quod elegantia ipsorum Poemata non hominum, sed diuina opera & inuentiones sient. Simili modo etiam in Cratylo suo inter alia affirmat, quod videlicet Soli Poetæ donum illud cuilibet rei nomina sua tribuendi habeant: vtpote, qui in suis raptibus rectam certamq; omnium rerum

Poetarum honor, atque præstantia.

certamque omnium rerum notitiam scientiamq; consequantur. Socrates, in Platonis Lyside, Poetas Patres & conseruatores Sapientiæ appellat. Et alio in loco dicit, quod Deorum Hymni non aliter, quam in rhytmis cantandi vsurpandiq; sient. Clarissimus Doctissimusque Strabo lib. 1. Geographiæ suæ, inquit, vbi simul accidentali modo de Poetis loquitur, quod Poesis, iuxta sententiam opinionemque Veterum, nihil siet aliud, quam præstans & profunda aliqua Philosophia, ex qua discatur, quomodo videlicet aliquis in omni vita sua sese honeste gerere debeat. Simili quoque modo Heraclides Ponticus, Poesin totius Philosophiæ compendium esse affirmat, quod ventos, tempestates, ortus, occasusque Planetarum, temporum mutationes, animalia, eorumdem proprietates, & alias res naturales tam artificiose possint describere.

Ita etiam Dion inter alia cōmemorat, quod videl. Zeno & Aristoteles potiorem Philosophiæ suæ partem ab Homero mutuati fuerint & didicerint. Nec in mediocrem saltim Poetarum honorem vergit, quod, iuxta Scriptorum quorumdam testimonium, Dij, loqui volentes, omnia versibus proloquuti fuerint: vbi exemplum Apollinis Delphici introducunt, qui omnia sua responsa in versibus dederit. idem quoque Sybillam fecisse legitur, cuius Virgilius mentionem facit, quemadmodum etiam de relliquis omnib. quarum decem fuisse constat, dicitur, quod omnia sua Oracula in versibus ediderint. Versus insuper Dijs tam grati acceptique fuerunt, quod laudes suas non nisi carminice descriptas esse voluerint, quemadmodum apud Pindarum, Homerum, aliosque, qui Deorum Hymnos descripserunt, videre est. Illos dein Horatius inter latinos Poetas imitatus est, quemadmodum & Poetæ alij quamplurimi, qui vna cum ipso vno eodemq; tempore victitarunt, atque simul liberos suos, quomodo videlicet Hymnos, Dijs suis in honorem factos, cantare deberent docuerunt.

Quid autem nunc de Ethnicis & idolis suis heic commemorem? Rhytmi siquidem recto veroque Israelis Deo neutiquam aduersati sunt: quemadmodum Regius ille Psaltes,

Daui-

Dauides nimirum, *Pſalmos* ſuos in ipſius honorem carminice & eleganter conſcripſit: de cujus *Pſalterio* S. Hieronymus ita ait: In morem Horatij & *Pindari* nunc Iambo currit, nũc Alcaico perſonat, nunc Sapphico tumet, nunc ſemipede ingreditur.

Simili quoque modo & pius ille Hiobus miſeriam, calamitatemque ſuam domeſticam verſibus deſcripſit: quemadmodum etiam, veluti Ioſephus & Origines teſtantur, *Propheta* Eſaias ſua Oracula Salomon inſignes & doctrina refertiſſimos libros ſuos, & Ieremias Threnologiam ſuam ſimili modo deſcripſerunt. Omnis itidem *Poetica* elocutio, Caſſiodorus quodam in loco ait, à diuinis ſcripturis ſumpſit exordium. Quocirca etiam Iudæi inſignes iſtos SS. Scripturæ verſus Schirrain vocant, in quibus initium *Daleth*, finis *Segil*, & *Pauſa Pletzim* appellant. Iſtorũ vero verſuũ 80. reperiuntur genera, de quibus Caſparus Hauionius Theologus, & Munſterus, in Hebræa ſua Grammatica, copioſam neruoſamque mentionem faciunt. Similiter & etiamnum hodie Hymni D. Ambroſii, aliorumque Doctorum Eccleſiaſticorum, in Eccleſia publice decantantur.

Immo ipſe D. Apoſtol. Paulus Ethnicos *Poetas* legere neutiquam erubuit, quemadmodum etiam, in epiſtola ſua ad Titum, verſus ſequens Epimendis ab eodem introducitur:

Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, & ventres pigri.

Poſtquam etiam idem ille S. Apoſtolus Athænis in Areopago cum Athenienſibus diſputandi occaſionem nactus fuiſſet, nequaquam ipſis verſum aliquem ex *Poeta* Arato *Poeta* recitare iterum fuit veritus, qui ſimili modo de iſto Deo, cui Athenienſes aram, cum tali inſcriptione *Ignoto Deo*, erexerant, dictus fuerat:

In quo viuimus, mouemur, & ſumus.

Similiter & Veteres iſtos Doctores Eccleſiaſticos *Poeſeως* neutiquam puduit. An non Gregorius Nazianzenus verſibus de Matrimonio & de Virginitate eruditionẽ ſuam *Poeticam* teſtatam fecit? An non, obſecro, Iuuenculus, Venantius, Sedulius, & *Prudentius* omnis generis elegantiſſimos verſus & ſcripta *Poetica* grata cum poſte-

Veteres Doctores Eccleſiaſtici ipſi Poetæ.

posteritate cōmunicarunt, quæ in hodiernum vsq; diem Christianæ Ecclesiæ grata acceptaque sunt? An non, quæso, Basilius Magnus, in elegantissima sua persuasoria ad Nepotes, confirmat, quod omnia Homeri aliorumque Poetarum Poemata nihil sient aliud, quā insignes, efficaces, emphaticæque ad virtutem integritatemque stimuli & adhortationes? Sic itidem ipse testatur Cicero quod Poetæ, de vitijs scriptitantes, omnibus & singulis, tamquam in lucidissimo speculo, eorumdem turpitudinem & fœditatem ob oculos ponere, eosdemque ab ijsdem dehortari voluerint. Immo fateri omneis necessum habent ipsos Poetas etiam Præcipua fidei Christianæ puncta & articulos versibus suis attigisse. Quam eleganter enim Maro de Deo Patre sequente in versiculo:

O Pater Omnipotens, rerumque æterna potestas.

loquitur? Quam scita libro sexto Æneidos de Creatione verba facit sequentibus in versiculis.

Principio cœlum & terras, camposque liquentes,
Lucentemque Globum Lunæ, Titaniaque astra
Spiritus intus alit, &c.

Ita quoque Ouidius à SS. Scriptura non longe abest, dum inter alia recenset, quomodo videlicet Chaos, quod Scriptura desertam, vacuam, & tenebrosam aliquam profunditatem nuncupat, à se inuicem separetur, dum inquit:

Hanc Deus & melior litem Natura resoluit.

Simili modo & Orpheus, vetustissimus ille Poetarum, de Generatione filij Dei satis præcipue scriptitat, dum ipsum, veluti Lactantius testatur, Protogonen h. e. Primogenitum, & Phanita, h. e. apparentem, nominat. Alia Poetarum loca, vbi loquuntur, quasi in Christianorum Scholis educati fuerint, dilectæ breuitatis ergo hei clubens sicco pede prætereo, illosque, qui plura ea de re scire desiderant, ad Antonium Mancinellum, rebus istis abundantem scriptorem, ablegatos volumus.

Hoc prætereà addam, quod illi, quibus ad populum verba faciunda sunt, Oratores videl. & Concionatores, Poetas magna

gna cum vtilitate legere potesunt: Eapropter etiam, quemadmodum Cornelius Tacitus in decoro Poetico inter alia memorat, in decoro Poetarum loquendi genere sese, requirente necessitate, dataq; occasione, subinde exerceant. Iuxta Tacitum illum Theophrastus quoque monet, quod nimirum Poetarum lectio omnibus Oratoribus summopere inseruiat, vtpote ex qua, respectu temporis & materiei, omnis generis elegantes descriptiones, gratæ parabolæ, acceptæ figuræ vel Allegoriæ, Ciuilesque aliquid proponendi modi, mutuo sumi poterunt, qui sane apud Poetas multo, quam alios apud Auctores, elegantiores reperiuntur. Ipsorum siquidem sermones ita compar.ti sunt, vt non dumtaxat hominibus, verum etiam, vti paullo ante diximus, ipsis Dijs grati acceptique sient, quemadmodum Horatius testatur, dum de illis ita loquitur:

Carmine Dii Superi placantur: Carmine manus.

Cui etiam Lucretius adstipulatur, sic inquiens:

Calliope requ'es hominum, Diuumque voluptas.

Id autem fit per suauissimam ipsorum Cantionem & Scripta iocundissima, in quibus de rebus omnibus tam scite suauiter que loqui & scribere norunt, vt suauiloquijs suis auditorum corda penetrent: qua de re Manilius vere dixit:

Omne genus rerum docti cecinere Poetæ.

Versibus enim suis eos, quibus addictiores sunt, & fauent, ad cœlum vsque extollere: Vice versa vero illos, quos odio prosequuntur, ad Orcum infimum detrudere possunt.

Iccirco etiam Socrates omneis, ne videlicet Poetam aliquem ad iram commoueret, fideliter admonere solebat. Acerba & Satyrica namque sua lingua, instar alicuius Archilochi, hostes suos mordaciter petunt, atque cauillando & denigrando Iuuenalem Marrullum que imitantur. Atque ea ipsa de caussa os maledicum Principũ flagellum appellatum, atque nauci iste Calumniator Francus Marphorio & Franco tam gratus acceptusque fuit, quemadmodum etiam obscœnus iste Bernia, vna cum ipso Burchiello, qui ore suo Spermologo ipsos.

psos etiam Bauium & Mæuium longo post se interuallo relliquerunt, impuniti permanserunt. Quis enim, obsecro, libellos famosos excogitauit & inuenit, quibus sæpenumero ea reuelantur deteguntur que, quæ etiam Centoculus ille Argus numquam conspexisset? Quis petulantiam Lucilli, extremam audaciam temeritatémque Neuij, & acerbissimam mordacitatem Garbilij iterum adtulit in medium, quam Poetæ? Vnde potissumum exortum est, quod Minos, alias tamen Rex iustus, ad infernum detrusus fuerit, vt inibi iudicium dominiumque suum exercet, quam à Poetis Tragico-Atheniensibus, qui iniuriam hac ratione vlti sunt, quod Patriæ ipsorum bellum intulisset? An non, quæso, Lycophronus Castæ Penelopi, quam tamen Homerus tantopere prædicauit, turpem aliquam famæ suæ maculam labemque aspergit? An non, obsecro, Archilochus versibus suis Lycamben tribulando in tantas coniecit angustias, vt etiam sibi ipsi laqueo gulam fregerit? An non Pasquinus etiamnum hodierno nostro tempore adhuc cottidie tamquam intrepidus imperterritusque alíquis Minos exauditur, dum absque vllo pudore vnicuique errores suos exprobrare nititur? An non, ceu elatus aliquis Titan, omneis impugnat? An non, Herculis instar, clauam suam aduersus singulos violenter stringit? An non, veluti Demogorgus aliquis, cuiuslibet bonam famam nomenque deuorare conatur? Vbi locorum excœcatus aliquis Polyphemus amplius inuenitur, quam in Pasquino isto, qui neminem prorsus intuetur? Vbi alius reperitur Molorcus, qui ipsi etiam Ioui tantopere aduersetur, quam Pasquinus, qui venenosa sua lingua Principibus & Monarchis adeo molestus fiet? Vbi alius inueniendus Momus, cui omnia sordeant, & qui carpat singula, quam idem ille cōuiciatur Pasquinus, qui etiam crinem in ouo reperire potest? An non Rabilij & Callimachi felle in lingua sua infectus est? An non enim Æthnæ fumum in ore fulgur Iouis, quo aduersus Centauros vsus est, in oculis sagittas Bellonæ in verbis suis, excrementum & fœtorem Harpyarum in loquutionibus suis habet, quo omneis & singulos

ſita inquinare poteſt, vt ſe ipſum amplius non noſcat, tacebo iam vt agnoſceretur ab alijs.

Eſt autem Paſquinus nemo alius, quam iratus irritatuſque aliquis Poeta, cui bonus ille Paſquinus verbis præit, atque adeo tonat fulguratque, vt thorax caligæque alicui præ anguſtia rumpantur. Vnde etiam Cantalicius de Sanctino aliquo ſequentes verſus adhortatorios qui abſque riſu legi poterunt, conſcripſit.

Sanctini quicunq; leges epigrammata variis.

Sin autem Poetæ aliquem laudare velint, tunc & Planetæ ipſi cedere, cœleſtes Sphæræ ſeſe flectere, Sol & Luna ipſum honorare, & cœleſtes Dij, quamprimum ipſum conſpexerint, ipſum ad ſeſe pertrahere neceſſum habent. Vnde etiam quodam in loco bene ait Horatius:

Dignum laude virum Muſa vetat mori.

Item:

Cœlo Muſa beat.

Si itaque *Poetam* amicum habeas non dumtaxat; ſed & eumdem retineas, tunc in Sapientia ſimilis es Athlanti: in Prudentia, Ioui: in eloquentia, Mercurio: in honorum ſplendore, Phœbo: in fortitudine & conſtantia, Marti; in præſtantia, ſplendenti Soli. Poeta ſiquidem verſibus ſuis tam formoſum reddit, quemadmodum roſa eſt. Charites humanitatem & manſuetudinem ſuam tecum communicant. Chorus Aonius te omnibus virtutibus doniſque exornat. Venus amabilitatem ſuam tecum participat. In Summa omneis Dij amicitiam familiaritatemque tuam ambiunt, adeo vt elegantia omneis longo poſt te interuallo rellinquas. Omnia tua bona à Gratijs oriuntur, vel à nepote Athlantis, aut à ſupero choro, vel à totius terrarum Orbis Motore. Poeta te, quemadmodum Iupiter Europam, in momento aliquo vaſtum ſupra mare, immo ad cœlum vſque euehere, & veluti aliquam Ariadnam, inter ſtellas collocare poterit. Immo te, quemadmodum Mineruam quamdam, ſupremo honoris Choro, inferet, & tamquam Ganimedem aliquem ſupra omnia Deorum gaudia extollet.

[...]tarũ [...]icitia modũ [...]duci[...]s.

Dum enim Poeta laudes tu-

as prædicat, vel describit, tunc alis Aquilinis in sublime volas, tamquam alter aliquis Pegasus, in fonte Caballino telauas, atque tamdem ad summum Parnassi vel Heliconis fastigium penetras.

In Summa vbi quis maiora cerneret miracula, quam in Poeta aliquo, qui calamo suo aliquem ad imum inferni barathrum præcipitare, atque eumdem mox iterum supra Olympum extollere poterit.

Si quis autem de efficacia & emphasi Poetarũ dubitare volit, is Virgilij versus intueatur, quos de Marcello, Liuiæ filio, conscripsit, atq; in matris præsentia recitauit: qua de caussa, cum ad ista verba Virgilius peruenisset, *Tu Marcellus eris, &c.* mater Marcelli adeo commota fuit, vt illico animi in deliquium inciderit. Intueatur quoq; Sophoclis Suauitas & iocunditas, ob quam à relliquis Poetis auicula dictus fuit: amabiles itidem sermones Stesichori, de quo fertur, quod lusciniæ per illius os cecinerint. Intueatur præterea efficacia versuum Thaletis, Poetæ alicuius Lyrici, quibus Lacedæmonios perdomauit: Tirrhæi, qui eosdem ita ad bellum incitauit, vt, seposito omni periculo, cum Atheniensibus manus conseruerint, eosdemque in fugam coniecerint, qua de re Horatius in arte Poetica sic inquit:

Tirtheusq; mares animos in Martia bella versibus exacuit, & cætera.

Intueatur denique incredibilis illa versuum efficacia, dum Calipso, Circe, & Medea homines in diuersa fera atque domestica animalia carminib. suis transmutarunt, de quibus Petrarcha ita loquitur:

Null' al mondo e, che non possano i versi,
Egli aspidi incantar sanno in lor grotte.

In altera quadam Sextina idem ille Petrarcha ita inquit:

Io ho cerco poi il mondo a parte a parte
Le versi, O Pietre, O Sughi h' her be nuone,
Mi rendessero vn di l' anima sciolto.

Pari quoque modo Virgilius in Pharmaceutria sua satis superque significat, quantam videlicet versus incantatorij efficaciam habeãt, quod nimirum pro-

profugum aliquem amatorem, domum iterum reducere possint, dum veneficam ita loquentem introducit:

Ducite ab vrbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.

vetæ à clarissimis viris celebrati. Et quale, obsecro, mirum, quod celeberrimus ille Budæus, *in Annotationib. suis super Digesta*, Poetas tantopere celebret? quod Beroaldus, vir ille doctissimus, in Poetarum honorem peculiarem aliquam Orationem cōscripserit? quod Franciscus Patricius, in Reipublicæ institutione, eosdem vltra stellas sideraque extulerit? quod Bocatius, in sua Deorum Genealogia, eosdem contra omneis calumniarum venenosas linguas defenderit? quod Antonius Beccaria, Veronensis, tam insignem Apologiam, ad honorem laudemq; ipsorum conseruandam, apud Hermolaum Barbarum conscripserit? Nec sane mirum alicui videatur, quod etiam in Consultissimorum Iureconsultorum libris Homeri nomen & auctoritas introducta deprehendatur, quemadmodum in Digestis *leg.* 1. §. *Sed.* videre est, quod Virgilius allegetur, veluti *in leg. Quæ extrinsecus*, ab initio Digest. apparet: quod in Decretis Horatius & Lucanus nominentur, quemadmodum *Caussa 12 quæst.* 6. manifestum est. Non enim vniuersus ferme mundus Poetarum artem, eruditionem, & sapientiam miratur, verum etiam omneis reliquæ artes & scientiæ cum istis, aut eorumdem sermonibus, vel elegantissimis sententijs sese exornare nituntur.

Poetæ præterea in genere quomodo à Monarchis & Proceribus (ni alias modo prorsus barbarico amentur honorenturue) culti fuerint, id ex subsequentibus Ouidij versibus apparet, dum ita olim de Monarchis & Poetis cecinit:

Cura Ducum fuerant olim Regumque Poetæ,
Præmiaque antiqui magna tulere Chori.
Sanctaque Maiestas & erat venerabile nomen,
Vatibus & largæ sæpe dabantur opes.

Quam Charus, quæso, erat Poeta Ennius Scipioni? Cherillus, quamuis non sufficienter eruditus, Alexandro Magno, qui etiam Homeri Poemata pro pretiosissimo suo thesauro habuit, at-

que eadem in pretiosissima aliqua arcula, in qua Darius optuma sua Clinodia custodire solebat, secum semper ferri curauit? Virgilius, Augusto? Horatius, Meçœnati? Tibullus, Messalæ? Silius, Domitiano? Menander, Ægypti Regibus? Euripides, Archelao, Regi Macedoniæ? Ausonius Gallus, Imperatori Gratiano? Cornelius Gallus, Octauio? Et quis tamdem omneis Monarchas, Reges, atque Principes commemoret, qui Poetas pro delitijs suis habuerunt? Quanto etiam in honore existumationeque habiti fuerint, ex eo facile aliquis colligere poterit, quod idem ille Alexander Magnus, quemadmodum paullo ante diximus, Homeri Iliadem pluris fecerit, quam omneis, quos à Rege Dario consequutus erat, thesauros: eumque in finem & Thebis quoque pepercit vrbemq; ab excidio saluam conseruauit, quod Pindarus Poeta exinde oriundus esset. Sic Octauius Virgilium Poetarum Platonem appellat, eiusdemq; statuam in Lararium suum collocabat.

Ita quoq; Ælius Verus Martialem Virgilium suum nuncupabat. Brutus Actium omnino inter Deos suos referebat, in eiusdemque honorem templa aliaque monumenta erigebat. Epius Stolo tantum sane Plauto tribuebat, vt etiam cottidie ferme in ore circumferret, si videlicet Musæ loquuturæ fuerint, tunc equidem nihil aliud, quam Plauti versus in medium proposituræ essent. Simili quoque modo & Petrarcha IIX. die Aprilis ab vniuerso Senatu Romano in Capitolio publice solemniterq; coronatus est. Quintianum Stoam Lodoicus, eius nominis XII. Occidentalis Franciæ Rex solemni modo coronauit, & Faustus, tempore Regis Francisci Poeta Regius dicebatur.

Quid autem heic de Bembo in medium adferam; qui non dumtaxat corona è lauru confecta, sed rubra coronatus fuit, quemadmodum etiam Bibbienæ idem ille honor tribut⁹ est? Quid de Irida dicam, qui in vniuerso terrarum Orbe etiamnum hodie celebratur? De Alamanno itidem, Iulio Camillo, &c. qui etiam à morte sua hodierno nostro tempore victitantes apud omneis passim grati adhuc & accepti sunt? Nec immerito

merito quidem tanto honore adficiuntur ab omnibus, quum Magnatum Procerumque Columnæ Herculeæ, Regum Athlantes, Imperatorumq; Mercurij fient, qui versibus suis ipsorum laudem & gloriam ad Cœlum vsq; extollunt: vitam eorumdem celebriorem faciunt, atque adeo ipsorũ mortem quoque numquam intermorituris Epitaphijs exornant. Immo è mortuis eosdem resuscitant, vt etiam à morte sua victitent.

Epitaphiorum inventores. Quum vero heic Epitaphiorum mentionem fecerim, iccirco de ijsdem plura heic mihi dicenda sunt. An non autem obsecro illa à Poetis originem suam sortiuntur, vtpote in quibus demortuorum laudem, virtutem, atque gloriam ita ob oculos ponunt, vt eorumdem memoriam nulla vmquam oblitteret deleatue obliuio. Vt autem heic artificiosorum Epitaphiorum exempla quædam in medium adferam, videatur, quæso, illud, quod Virgilius duobus dumtaxat versibus Daphnidi suo conscripsit, & istiusmodi est: *Epitaphium Daphnidis.*

Daphnis ego in Syluis, hinc vsque ad sidera notus
Formosi pecoris custos, formosior ipse.

Sibiipsi vero sequens cecinit Epitaphium:

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc *Virgilii.*
Parthenope; Cecini pascua, rura, Duces.

Videatur quoque ipsius Neuij Epitaphium, quod itidem sibi ipsi ex fastu & arrogantia Campanica tale conscripsit:

Immortales mortales si foret fas flere: *Neuii.*
Flerent Diuæ Camœnæ Neuium Poetam.
Itaque postquam est Orceo traditus thesauro,
Oblici sunt Romæ lingua latina loquier.

Simili quoque modo & Plautus, Varrone teste, sibiipsi sequens scriptitauit Epitaphium.

Postquam est morte captus Plautus, *Plauti.*
Comœdia luget, Scena est deserta:
Deinde risus, ludus, iocusque, & numeri
Innumeri simul omneis collachrymarunt.

Elegans vero Paccuuij Epita-

phium ſequentibus in verſiculis videre eſt:

Paccuuii.

Adoleſcens, tametſi properas, hoc ſaxum te rogat,
Vt ſe aſpicias: deinde, quod ſcriptum eſt, legas:
Hic ſunt Poetæ Paccuuii ſita Oſſa,
Hoc volebam, neſcius ne eſſes. Vale.

Ita etiam Cantalitius Cinthio diſcipulo ſuo elegans cecinit Epitaphium, quod ob illius elegantiam non immerito heic adponimus, quod tale eſt.

Cinthii.

Perlege qui tranſis, iacet hoc puer ille ſepulchro,
Tempora cui ſimilem non habuere ſenem,
Nomine Cinthiolum merito tota Schola vocauit,
Quod puer ingenio Cinthius alter erat;
Conticuit Phœbus, lachrymauit docta Minerua,
Pierides flauas depoſuere Comas.

Similiter & illud Epitaphium, quod Lodoicus Pictorius Helenæ Gonzagæ viragini formoſiſſimæ in honorem conſcripſit, lectu eſt digniſſimum:

Quæ cecidit teneris, & adhuc creſcentibus annis,
Hic Helena Parius contigit Oſſa lapis:
Huic Gonzagus erat pater Annibal: Altera Pallas
Ingenio, forma, virginitate fuit.

Ita quoque & Antonius Baratella ſuperbiſſimo, & ſupra modum elato, alicui ſacrifico ſequens & elegans cecinit Epitaphium:

Faſtuoſi prædiuitiſque alicuius Sacrifici.

Vrbis eram magnæ præſul, ditiſſimus auro,
Quo ſtruxi pompas in mea damna leuis.
Pollicitis vber pompis, vberrimus aſtu,
Eluſi celebres ſimplicitate viros.
Cum pompis vixi, ſum pompis ipſe ſepultus,
Sic ſtupor hac pompa, & fabula ſum populis.

Sic inſigne memorabileque eſt illud quoque Epitaphium, quod Antonius Panormitanus Baptiſtinæ Senenſi, virgini lectiſſimæ, in honorem ſequentibus verſiculis ſcriptitauit.

Hic tumulus longe tumulo felicior omni,
Baptistæ auricomæ virginis Ossa tegit.
Dulciter hæc agili pulsabat Cymbula dextra,
Mouit & artifices saltibus apta pedes,
Omnibus & Cantu, plus quam Philomela, placebat,
Mater, qua pulchra pulchrior illa fuit,
Indolis egregiæ, minimo pro errore rubebat,
Sparsa rubor placens, fusa rubore decens:
Quin satis hæc fecit Natura, luce suprema,
Transierat vitæ vix duo lustra suæ.

Elegantissimum vero Cæsaris Caroli V. Epitaphium subsequente Testrasticho comprehenditur:

Caroli V. *Exuuias gelido sub marmore sed non,*
Quantus eras Cæsar, marmor & vrna capit:
Pro tumulo ponas Orbem, pro tegmine Cœlum,
Pro facibus stellas, pro Imperio Empyreon.

Operæ pretium quoque me facturũ existumaui, si heic, captata occasione, Inuictissimi Gloriosissimique Romanorum Imperatoris, à I. M. à W. ingeniosissime conscriptum Epitaphium, ex monimentis meis Historicis denuo eruerem, & pagellæ huic inspergerem, quod tale est:

Bina aquila, vastusque leo, quos nutriit aula, **Rudolphi II. Rom. Imperatoris.**
Tempore non modico, D. Rudolphe tua,
Excessum paullo ante tuum, mirabile dictu,
Clausere extremum triga beata diem.
Scilicet haud aliter, quam ponderis omine tanti,
Fas erat ostendi fata, Rodolphe, tua.
Cœlum Aquila: Leo tellurem designat: & iste
Magnanimum Alciden: hæque Iouem referunt.
Alcidæ similem vitam tibi fata dedere:
Cuncta tua implesti gloria, vt ille sua.
Restabat Cœlum, Iouis hoc tibi suggeret Ales,
Sed qua te ferret, non fuit vna satis.
Binæ igitur simul, ingenti Comitante leone,

Indu-

Induperatorem in Cœlica tecta vehunt.

CHRONOSTICHON EIVSdem Cæsareani Obitus.

A.C.M. DC. XII. 10. & 20. Ianuar.

DVX aC LVX genIIs FabIanI beV LVCe RODoLphVS

CæsarIo genItVs sangVIne Cæsar obIIt.

Ne autem forsitan heic siem nimius, multa, elegantia, & memorabilia Epitaphia alia sicco mihi pede prætereunda sunt: vtpote illud, quod Rex Franciscus ipse in honorem Petrarchæ scripsit. Item elegantissimũ aliud, à Iulio Camillo formosissimæ Lauræ factum. Item quod Bembus Dantis cinerib. sacrum esse voluit: & plura adhuc alia, quæ tam in Prosa, quam Carminibus conscripta sunt, & quorum Calmus, in Venetiana, Franciscus Sansouinus, in latina & Italica, Dominus Mondognetus, in Hispanica lingua, Burchielatus, Doctor aliquis Treuisanus, in libro suo, quem maiori ex parte hac de re latino in idiomate conscripsit, & Doni, in mundo suo risibili, mentionem faciunt, magnamque eorumdem partem collegerũt. Nihilominus tamẽ faceta quædam & ridicula epitaphia, ad exhilarandum, recreandumq; beniuolum lectorem, partim ex Doni isto, partim vero ex alijs, heic adponere libuit, quorum sequens militi alicui factum est.

Qui giace Frusino, Soldato, huomo da bene

Che con la spada sua non se mai sangue.

Id quod alius, in prosa attamen aliquanto facetius sequentem in modum expressit:

QVI GIAZE FRVOSINO, il Corpo Senza cruore, Come Colui ch' il Diede alla Druda.

Sic alius Salinarium suum euacuauerat, nec aliud forsitan Sal sibi comparare, sed illud in ignem conijcere nitebatur: eapropter sequens ipsi faciebat epitaphium:

Quel, ch' io sono si vede:

Quel ch' io fui, non si puo vedere:

E quel ch' io saro non si vedera mai.

Alius

Alius omnem ſuam dilapidarat turpiter ſubſtantiam, adeo vt nihil niſi lapideum ſarcophagum ſibi feciſſet relliquum. Eidem iccirco inferebatur, tali cum inſcriptione.

ANTONIO GODE TVTTO il ſuo in vita, E li Reſto Queſto Troguolo, che ſe lo Gode in morte, Actio Neſſum Goda il ſuo.

Subſequentia duo vero lepore & elegantia cuncta ferme alia ſuperant; quorum prius adhuc in templo Venetiano *Degli Angioli* reperitur; & tale eſt:

HIC IACET DE BOTTINO, quomdam Matthæi Benedicti de Luca Hæredum ſuorum, de confinio Tan cti Fantini, in qua iacet Giannino & Stephano Figliuoli di tetto Bottino.

Alterum priori iſti non multum diſſimile, ſed iſtiuſmodi eſt.

FIN, DAL FINALE, FINI la vita ſua Dacinquant' anni in Prigione: Viſſe Anni Dodeci: Il reſto ch' Egli Stette in Carcere, non Sapprebbre Riſoluerſi, ſe Foſſe morto, O Viuo.

Simili quoq; modo & Paullus Iouius conuitiatori & blaſphemanti iſti Aretino ſequens conſcriptitauit epicedion:

Qui giace l' Aretin Poeta Toſco,
Che diſſe mal d' Ogni vn fuor che di Dio:
Ma ſi ſcuſo dicendo: no' il conoſco.

Vice verſa Bargues Ducis Mantuani Cani ſubſequens epitaphium cecinit:

Qui giace ſepelito in queſta buca,
Vn cagnazzo ribaldo, traditore,
Ch' era il diſpetto, e fu detto amore,
Non habbe altro di buon, fu can del Duca.

Etiamſi autem ſæpenumero Poetæ proſa oratione in ſcribendis epitaphijs vtantur, nihilominus tamen omnia iſta Epitaphia ad Poetas proprie pertinent, & quanto breuiora, clariora, & comprahenſibiliora, tanto maiora etiam æſtumanda ſunt, maioremque gloriam ho-

noremque Poetæ exinde consequuntur, etiamsi de re nullius momenti conficiantur: quemadmodum mihi videtur de eo, quod familiaris meus amasiæ suæ Catello subsequentibus in versiculis aliquando lusitabat.

Latrai à ladri, e a gl' amanti tacqui,
Ond' à Messer, e a Madonna piacqui.

Nec contemnendum sane est & illud Epicedion, quod Cotta Bartholomæi Aluiani Cani lusit, cuius hoc est initium:

Caparion ego sum. &c.

In Summa multa eximia & inlustria tam Græca, quam Latina, & Italica Epitaphia reperiuntur, quæ tamen singula enumerare nunc non est mei instituti.

Illa tamen eum dumtaxat in finem à me potissumum commemorantur, quod non immerito Poetæ, laudabilem istam ob caussam, summopere colendi & honorandi sient: eapropter etiam Athenienses merito pro fortunatis sapientibusque hominibus habendi sunt, quod (quemadmodum Lacones omnis generis vitijs sedulo incubuerunt, Thebani fistulando operam impenderunt, Cretenses venationibus sese oblectarunt, Thessali equitando tempus triuerunt, Ætoli furtis sese infames reddiderunt, Acarnanes arcu & sagittis sese exercuerunt, & Thraces in marinis littoribus lubentes nauigarunt.) omne suum studium ad excolendam Poesin contulerint.

Et quomodo, obsecro, Nobilissimum aliquod ingenium tempus occupationemq; suam melius collocaret, quam si in studio Poetico subinde sese exerceat. Illud siquidem cor animumque exhilarat, spiritus recreat, animam excitat, intellectum acuit, languorem, melancholicasq; cogitationes depellit, eiusdemq; cultores semper reddit hilares.

Et quis tamdem elegantem mirabilemque Epici, vel Heroici alicuius carminis præstantiam non videt, quod, Isiodoro teste, Pithium apud Veteres ideo appellatum fuit, quod Veterum Heroum heroica facta sesqui pedalibus quasi verbis recenseat. Quam iocundum & suaue est Poema Lyricum, aut Melicum, quod inter Cytharam vel Lyram, quemadmodum Odæ Horatij, & Hymni *Diuersa Poematū genera.*

Or-

Orphei, cantatur? Quam lepidum est Comicum, in quo spectatores mundi curriculum, & quomodo quisque omnem vitæ suæ actionem instituere debeat, contemplantur? Quam grauiter & circumspecte incedit Tragicum, in quo res præclare à Viris Inlustribus gestæ solemni pompa proponuntur?

In Poetarum Poeseosq; Cultorum gratiam ac honorem vero, aliquanto propius, vel, si potero, neruosius exactiusque vniuscuiusque Poematis præcipuos Auctores heic ordine commemorabo.

Scriptores Poetæ Heroici. Carmine Heroico Moyses, quemadmodum Isiodorus lib. 2. Etymol. memorat, Hymnum in Deuteronomio consignatũ, descripsit, veluti etiam liber Hiobi Heroico carmine descriptus est. Errant itaque, qui carminis Heroici inuentionem Thaleti Milesio tribuunt, id, quod apud Græcos & Phericidem verum esse poterit. Ex antedictis tamen Moysis & Hiobi testimonijs fatendum est, quod inuentores illi vetustiores sient. Heroica carmina scripserunt Lucius Varius, Liuius Andronicus, Ennius, Virgilius, Ouidius, Iulius Montanus, Æmilius Macer, Lucanus, Cornelius Seuerus, Statius, Claudianus, Prudentius, Homerus, Lycophron, Musæus, Pontanus, Vidas, Ariostus, Anguillara, duo Taxi, pater cum filio, Alamuni, & quamplures alij.

In Lyrico vel Melico carmine inclaruere Stesichorus, Thales, Philoxenus, Pindarus, Alcæus, Anacreon, Terpander, Lesbius, Aulus Serenas, Cælius Bassus, Horatius Flaccus, Bembus, Venierus, Carus, Ptolomæi, Iudiccio, Taxus Sopetta, Beniujeni, Traianus, Dordonni Placentinus, Golesinus, & cætera. *Lyrici.*

Comœdias, summa cum ipsorum Auctorum laude, scriptitarunt Plautus, Terentius, Cneus Neuius, Statius Cecilius, Licinius, Iambrices, Sextus Turpilius, Lucius Afranius, Quintus Trabea, Diodorus, Epicrates, Hermippus, Eubolus, Aristophanes, Menander, Cratinus, Philemon, Arioftus, Bentiuolli⁹, Pinus, Piccolomineus, &c. *Comici.*

Tragœdias, Sophocles, Euripides, Cherilus, Apollodorus Tarnensis, Aeschilus, Actius, *Tragici.*

Attilius, Seneca, Triſſinus, Cinthius, &c.

Elegiaci. Elegias, Titus Valgius, Albius Tibullus, Cornelius Gallus, Sextus Aurelius, Propertius, Caſſius Seuerus, Cecilius Sabinus, Paulus Paſſienus, Melanthius, Minernus Colophonius, Parthenius Nicæus, Phocylides Mileſius.

Satyrici. Satyras, Lucilius, Caius Rabilius, Archilochus, Perſius Iuuenalis, &c.

Epigrammata. Epigrammata, Catullus, Portius Licinius, Valerius Ædituus, Quintus Cornificius, Heluius Cinna, Ticidas, Laureas, Tullius Domitius Marſus, Cneus Gethulicus, & Martialis.

Bucolica. Bucolica, Calphurnius Siculus, Stroſſa Mantuanus, Theocritus, Virgilius, & Sanazarus.

Hymni. Hymni reperiuntur apud Orpheum, Heſiodum, Muſæum Thebanum, Iuuenculum, Licentium Africanum, Prudentium, & Fauſtum Gallum.

Elegans Epithalamium reperies apud Sapientiſſimũ Regem Salomonem, & Threnologiam exquiſitiſſimam apud Poetam Simonidem.

Centones Centones (ex vno vel pluribus Poetis conglutinati verſus ſunt, qui ad vnam eamdemque materiam quadrant) ſcripſerunt Pomponius, proba Adelphi coniunx, & Laura Tartacina.

Fabulæ. Fabulæ inueniunrur apud omneis Poetas, præſertim vero morales apud Liuium Andronicum, & Theodectem.

Mimi Mimos (qui breues ad humanæ vitæ inſtitutionem conducibiles ſalutareſque ſunt ſententiæ) reperire licet apud Cneum Metium, Publium, Sirum, & Marcum Marullum.

Pedes. Ipſi, præterea, Poetæ ſunt, qui clangentibus ſuis metris & verſibus montes valleſque implent, adeo vt Domina Eccho ipſis omnibus ex rupib. reſpondere neceſſum habeat. Illi ipſi, inquam, ſunt, qui omneis ſpeluncas conualles cum perſonantibus ſuis Dactylis, Spondæis, Iambis, Trocheis, Pyrrichiis, Anapæſtis, Pœonib. Antipaſtis, Choriambis, Ionicis, & ingenti pedum numero replẽt: & ex quibus tam diuerſos verſus conficiunt, vtpote Hexametros, Penthametros, Lyricos, diſtinctos Trochaicos, Dactylicos, Spondaicos, Anapæſticos Anacreonticos, Sapphicos, Archilo-

chilochicos; Colophonios, Sotadeos; Simonideos &c. Item diuersimoda sua, Poemata, videlicet Heroica, Comica, Tragica, Satyrica, Odas, Hymnos, Epitaphia, Elegias, Sextinas, Octauas; Disticha, Sonetta, Cantiones, Madrigalia; Motectas, Villanelas, & millenas alias Phantasias, in quibus pedes, Cæsuras, Syllabas, Commota, Puncta, Scansiones, Constructiones, Elisiones, Collisiones, &, præter illa omnia, Compositiones examinant, si quis probare & inquirere velit, an videlicet Poema aliquod omnibus in rebus, tam in inuentione, quam compositione & materia competentiam suam habeat. Obseruatur postmodum quoque in Poetis elegantia, imitatio, variatio, allegoria, & stylus; num videlic. ille satis Poeticus, & num Poema, aut Poeta hominum eruditorum censuram sustinere queat.

Idque certum est indicium, quod in vero aliquo Poeta multum situm fiet, & quod olim Veteres non immerito, an videlicet Poeta aliquis fieri possit, aut nascatur, interrogauerint. Ad quæ breuiter respondeo, ꝙ quidem institutio heic multum valeat faciatque: Sed omnia tamen illa temere frustraque suscipiuntur, ni naturalis aliqua inclinatio in promptu fiet. Et hæc de Poetarum laude & encomio nunc dicta sufficiant.

Verum enimuero inuerso folio etiam de ipsorum erroribus & defectibus quoq; nobis quędam iam dicenda sunt, ne forsitan puri puti angeli sibi Poetæ forsitan videantur, atque ne in Momi repræhensionem calamumque censorium fortassis incurramus, & pro partialibus suspectisq; ardelionibus à plærisque habeamur. *Poetarum errores & defectus.*

Et sane inficias nemo ire poterit, quod videlic. multi Phantastici Poetastri inueniantur, qui tamen sale & adipe destituti; multo potius pro Martyribus & Anatomicis Poeseos habendi sunt.

Verum & hæc minime nunc sufficiunt, sed fateri omneis necessum habent, & ipsa cottidiana quoque experientia testatur, quod plerumque etiam Poetarum optumi columbis, nugis, & ridiculis ineptijs scateant, vt non immerito alicui mirum videatur, quod Aristoteles, lib. 1. Metaphysicorum, & Seneca, libro 1. de beneficijs, eosdem

ferme mendacij arguant. Qua in re tamen Plato aliquanto modestius cum ipsis agit, & fabulis ipsos nimium adhærere asseuerat.

Simili quoque modo & Horatius ipse fateri cogitur, Poetas quandoq; à veritatis scopo aberrare, dum ita ait:

——Pictoribus atque Poetis

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Ita etiam Plato, lib. 10. de Republica, in Ciuitate & Communione sua eosdem neutiquam patitur. Democritus autem Poesin appellat filiam stultitiæ Augustinus, libro 1. Confessionum, vinum erroris, quod quidem hilariuscule ingrediatur, attamen hominem in errorem stultitiamque præcipitet. Sic Hieronymus, supra psalm. 77. Poetas, in sermonibus suis, Ægypti cum ranis comparat. Damascenus Scandalum esse autumat, si poeta aliquis, Christianum qui se profitetur, Iouem Omnipotentem, Herculem Pollucem, aliaque Poetica Numina in ore gerat.

Simili etiam modo Veteres Romani, quemadmodum Aulus Gellius & Cato testantur, Poetas, tamquam iuuentutis & totius Communionis Corruptores ex vrbe profligarunt. Sic Quintus Fuluius à Marco Catone mulctatus fuit, quod Poetam Ennium in Consulatu suo secum in Ætoliam deduxisset. Athenienses itidem Homero, tamquam stulto, quinquaginta drachmarum mulctam indixerunt, cum tamen omnium Poetarum Philosophus, omniumq; Philosophorum poeta æstumatus fuerit, quemadmodum etiam poetam Tirtheum summo ludibrio habitum ignominiose irriserunt, quod omnem suam diligentiam, artem, eruditionemque meris fabulis, immo quandoque mendacijs, alijsq; rebus friuolis obscenisque impendissent. Multi siquidem nihil possunt aliud, nisi vt ieiunis macilentisque suis carminibus stultorum aures oppleant, vel alias res singulas Phantasmatibus suis, tamquam fumo, omnino corrumpant. Eapropter etiam Campanus non immerito in Poetarum honorem sequentes olim cecinit versiculos:

Viuono i pazzi Poeti diuersi:

S' affamerant se lor' le cian.ie leui,

Le menſogne gli ſono richezze e oro.

Id quod in optumis ipſorum carminibus, probe videre eſt, vtpote dum canunt vel loquũtur de Nodo Herculis, de caſta arbore, de littera in hyacintho, de filijs filiabuſque Niobes, de illis plantis, apud quas Latona à Diana fuit, de Titonis locuſtis, Liciorum ranis, Mirmydonum formicis: quando fabulas ſuas de Chaos enumerant, quomodo Venus pepererit, de Iouis cunabulis, de Rheæ doloſis impoſturis, quomodo Saturnus captus fuerit, de ſeditione Gigantum aduerſus Deos inſurgentium, de furto Promethei, morte Pithonis, Titij verſutia & dolo, diluuio Deucalionis, moleſto labore Inachi, quomodo Iuno decepta & Semele combuſta fuerit, de duabus Bacchi naturis vel familijs, ſtultitia Athamantis, quomodo Io in vaccam tranſmutata fuerit, de incantationibus & præſtigijs Medeæ, tranſmutatione Circes Et quis tamdem omneis poetarũ phantaſias, nugas, anileſque fabulas heic commemoret.

Ab illis ſiquidem oritur fabula de Scilla, Charybdi, Macateo, *Protheo*, *Phorba*, Meduſa, Glauco, Melicerta, Salmoneo, Siſipho, Halcione, Acheloo, Dirce, Thireſia, Agani pe, Orca, Harpijs, Hyenis, de Pegaſo, alijſque id genus ineptijs Poeticis, quibus omnibus & ſingulis mirabiles allegorias adfingunt, atque ſimul alios homines, vna cum ipſis, in ſtultos commutant.

Et vnde, obſecro, tot rari Dii Syluestres, marini, infernales, &c. originem ſuam deſumpſerunt, quam à ſtultis Poetis, eorumdemque raris, fictis, fabuloſiſque ſomnijs? Vnde, quæſo, tot pernicioſæ inflammationes & periculoſi Sodomiticiq; inceſtus vaccarum & taurorum, vnde tot ſuperſtitioſi raptus, tranſmutationes, tot tantaque monſtra ſuam trahunt originẽ, quam à Poetis? Ad minimum vero Poetæ noſtri Rhytmici ſua heic excuſatione neutiquã deſtituuntur, vtpote qui nihil noui adferunt in medium, ſed dũtaxat, veteribus ac numquam veris hiſtorijs operam ſtudiumque ſuum impendunt, vtpote de Realibus Franciæ, de *Bouo d' Antona*, Herminione, Druſiana, Pulicana, Macabruno, de admirabili Marfiſa, ſtultitijs Magutti, conſtantia Mambrini,

Gui-

GuidoneSyluio,Drusiano,leone,Antiphore, Barosia, Altobello, Falconetto, Scardasso, Danense, Ancroia, DominaRoenza, de malleo malleo, alijsq; lepidis ridiculisq; historijs, vel potius ineptijs,pluribus:quæ etiamsi minus veræ, nihilominus tamen lectu audituq; lepidæ & iocundæ sunt.

Hodierni præterea Poetastri nostri modum non adeo excedunt, sed nudis dumtaxat Sonnettis suis contenti neminique mortalium ijsdem molesti sunt nisi solis ipsorum Deabus, quarum cottidie foreis pulsant, earumdemq; auribus molesti tædiosique sunt. Etiamsi quoque aliquando sese recreare, & sæpenumero emergere & in sublime ferri conentur, nihilominus tamẽ ipsorum inuentiones, quemadmodum Veterum, adeo monstrosæ horribilesque sunt, vtpote qui nihil sese scire existumabant, nisi homines in plantas, fluuios, arbores, aues, aliaque bruta irrationaliaque animalia transmutassent. Simili quoque modo Petrarchici quidam Poetastri nimis ad institutum suum idonea verba quandoque reperiunt, adeo vt mox tibi sphæram, pro intelligentia, Polum, pro Cardine, Orbem, pro stella tradere possint, vt hac ratione à Nilo, ad Gangem, à Calpe vsq; in Thylem, absque vllo Geographiæ præiudicio, ab ipsis eleganter extollaris. Et hoc modo (qui epilogus tam speciosi huius Theatri apparatus esto, Discursuum meorum sequelam nunc abrupturus sum. Vos spectatores igitur ædificium istud summa cum diligentia inspicite, atque oculos, semper aliquid noui ambientes desiderantesque pro voto lubituque vestro, satis pascite. Interim ego, ne gaudia ista vobis interturbem, paulisper secessurus, atque nunc de alijs rebus dicturus sum.

DE ARTIFICIOSARVM ALIQVID denotantium Picturarum, Empresarum, Emblematumque inuentoribus.

DISCVRSVS. XLI.

Empresa Emblematis differentia. EMpressas, iuxta omnium, q summa diligentia ea de materia tractarunt, ex quib. Franciscus Caburaccius non infimũ sane locum occupat, descriptionem, heic nominamus compositionem picti alicuius corporis, cum *motto suo*, hoc est, compendiosa aliqua sententiola, qua aliquid singulare denotatur & innuitur. Atque illa ipsa definitione Empresæ à notis Hieroglyphicis, & armis Gentilitijs, quæ dumtaxat corpora, nullas vero habent sententias, discernuntur: quemadmodum etiam ab Emblematibus, quæ quidem Empresis sunt adfinia, atque ambo quidem picturam cum ipso Symbolo habent, attamen intentione & in modo inter se inuicem distinguuntur. Ad intentionem & scopum siquidem illorum, quod attinet præceptum aliquod morale ijsdem innuitur, quod non ad certam aliquam personam in specie, sed ad omneis adeo homines in genere directum est: dum, versa vice, Empresa singulare quiddam saltim denotat, quod à proponente innuitur.

Ad modum significandi vero, quod attinet, Symbolum vel Emblema aliquod integrã aliquam historiã in pictura sua complecti potest, quemadmodum videre est in Dea Iside, vbi asinus, agaso, ipsius Deæ statua, & multi coram ea procidentes homines conspiciuntur. Vice versa Empresa non multas, præsertim vero humanas, imagines admittit, Iuxta illud quod Emblema à figura aliqua particula-

lari ad vniuersalem aliquam doctrinam ansam occasionemque sumat, dum è contrario Empresa saltim in particularibus sese contineat. Quemadmodum etiam Emblema nihil vmquam intermittit, quod ad perfectam aliquam figurarum explicationem pertinet, ita, vice versa, Empresa pauca dumtaxat verba complectitur, & intelligenda solummodo indicat. In Emblematum inuentione, omnium doctorum testimonio, Alciatus felicissimus & præcipuus exstitit.

Regulæ in Empresis faciundis obseruãda.

Ad ipsas vero Empresas, quod attinet, eæ potissumum illum in finem inuentæ, & præcipue eo directæ sunt, vt videlicet honesta aliqua animi propositio in re vel facta, aut quæ adhuc fieri debet, ijsdem significetur: atque dein, & secundario, ne res honeste præclareque gesta forsitan obliuioni tradatur. Communes autem faciundarum Empresarum regulæ sunt illæ.

Primum & præcipue vt dumdaxat vnicam significationem vel conceptum habeant.

Secundo, vt illa, quæ ad illas vsurpantur, verba ex probato celebrique aliquo auctore desumpta, & ita quidem comparata sient, vt nimirum, absque figura, minime consistant, neq; Auctoris conceptum exprimāt vel significēt: quemadmodum etiam alicuius Empresæ perfectio vnice hac in re consistit: vice versa vero illius imperfectio exinde elucet, si videl. sententia, absque figuræ additamento intelligitur, & tum dicta ista figura est superflua, quēadmodum illud Alexander Farra, in suo de Empresis Tractatu, commonstrat, præsertim in illa, quam Mutius Columna, cum hac Inscriptione: *Fortia facere, & pati, Romanum est*, vsurpauit. Quę sane sententia in se ipsa ad Empresam aliquam nimis est dilucida.

Idem quoque in figuris, vel (vt intra consuetos terminos me contineam) ipsis corporib. requiritur: vtpote ne tam expresse atq; dilucide ponantur, vt exinde auctoris propositum & intentio, absque dicti additione, possit intelligi. Eo siquidem modo tres distincti errores vna vice simul committerentur.

Primum vt inter fictam istiusmodi Empresam & Notas Hieroglyphicas nulla omnino esset

esset differentia, & pene alicuius Empresæ nomen amitteret.

Secundo, sententia omnino esset superflua atque adeo minime necessaria.

Tertio, quod tum ista inscriptio vel sententia, quæ tamen Empresæ illius anima esse deberet, effectum suum non latius posset extendere, quã quod solummodo figuræ inseruiret, & nihil amplius hoc modo denotaret & innueret, quã ipsam rei naturam, quam proponere vel repræsentare deberet: quod æque tam vitiosum esset, ac si homo, anima rationali præditus, eadem dumtaxat ad corporis sensualitatem vteretur, atq; adeo irrationale brutum imitaretur. Tales errores, quemadmodum ante dictus Auctor testatur, Iouius commisit, qui tamen omnium primus ea de materia scriptitauit. Præsertim vero taxantur repræhendunturq; *Venena pello Aluiani*. Item *inclinata surgit*, Ducis Vrbinatis. Iuxta illud summo quoq; studio cauendum est, ne videlicet multæ simul figuræ interse inuicẽ confundantur, aut verba verbis cumulentur, vel etiam distinctæ significationes, veluti supra quoque eius rei facta mentio, interse inuicem implicentur: Vnitas siquidem hac in re multo est præstantior, quam confusa aliqua multitudo. Figuræ, præterea, peculiares suas significationes habeant, quæ ex proprietate sui corporis, siue illud naturale, aut artificiale, animatũ, vel inanimatum fiet, existunt: vbi tamen nihilominus significationes istæ diuersæ, atq; multo aliud, fient, quam illud, quod postmodum ex coniunctione, hoc est, quando videlicet figura & inscriptio conueniunt, intelligendum est. Figura & verbum insuper ita quoque inter se inuicem conueniant, vt nimirum bene & facile intelligitur. Quocirca etiam Empresæ illæ pro vitiosis habentur, quarum figuræ significationesque tam obscuræ caliginosæque sunt, vt etiam ne à doctissimis quidem, atque adeo rerum illarum peritissimis animaduertantur, vel intelligantur.

Istorum corporum vel figurarum autem triplices sunt sortes, quæ in ijsdem vsurpari possunt, Fabulosa videlicet, Historica, & Naturalia; quæ tamen per se notoria esse oportet, absque vlla ope & adminiculo ver-

borum, colorum, aliarumque figurarum. Exempli gratia, humana figura aliena additione & explicatione, quod videlic. homo ſiet, neutiquam indiget, ſiquidem illa vnicuique, immo infanti quidem, figuram iſtam intuenti nota eſt. Omnia quoque corpora, fabuloſa & hiſtorica, humanis imaginibus comparari & adquiri poſſunt: quémadmodum plerumq; ſunt Ethnicorum Deorum, aut aliorum, imagines, quarum in fabulis & hiſtorijs fit mentio: veluti eſt Prometheus Cardinalis Ferrarienſis: aut alterius etiam alicujus Herois, qui forti aliquo facto inclaruit. Exempli gratia, Conſtantia Mutij Scæuolæ, fortitudo Horatij in defendendo ponte: aut vbi inſperatum fortuitumque auxilium in periculis aliquis denotare vellet, atq; ea de cauſſa, Valerium Coruinum, cum Coruo ipſius capiti inſidente, proponeret. Corpora naturalia vero nullam humanam imaginem admittunt, niſi effigies illa monſtroſa ſiet. Id quod eo fit, vt ſententia vel inſcriptio ad Empreſæ perfectionem completionemq; addatur.

Etiamſi vero illud omnibus relliquis in figuris fiat; nihilominus tamen illud in humana figura fieri nequit, vtpote quæ aut fingi vel pingi poſſent, eſt perfectiſſima. Corpora vel figuræ præterea honeſtatem aliquam præ ſe ferant, ne multo magis ludibrium & contemptum, quam ſpeculationem vel admirationem aliquam apud ſpectatores cauſſentur, quémadmodum in Cupidine cum arcu ſuo Ducis Mediolanenſis factum eſt, quamuis Ruſcellus figuram & Empreſam illam defendere tuerique conetur. Sententias porro breues, ingenioſas, & memorabiles eſſe oportet, quæ cum figura belle conueniant. Dicta ita autem plerumque à locis Topicis, vtpote à comparatione, à ſimili, à contrario, à proportione, ab alluſione, à translatione, à proſopopœia, ab additione, à prouerbio, ab æquiuoco, & id genus alijs deſumuntur, quemadmodum illa à Caburaccio & Farra, in ſuis de Empreſis Tractatibus, præmonſtrantur, ad quos etiam iſtius profeſſionis amatores ablegatos volumus: Qui ſi diuerſas Empreſas, cum, & abſque figuris, videre volent, Ruſcellij & Iouij hac de re conſcri-

ſcriptos libros in manus ſumãt, vbi illarum copiam depræhendent, vna cum erudita inſtructione, pro præſtantiſſimis ingenijs, quomodo videlicet plureis iſtiuſmodi Empreſæ conficiundæ ſient: quemadmodum etiam ad profeſſionem iſtam excellentia & præſtantia ingenia requiruntur.

IN DISCVRSVM XXXXI.

ADNOTATIVNCVLA.

IVxta cõmemoratos iſtos Auctores, commode ſimul legi poterit Domini Scipionis Bagalij Tractatus, quem nuperrimo tempore de tali materia iuris fecit publici, in quibus, per quaſdam ſuas ſententias, laudabili Academiæ Triuigienſi anſam occaſionemque præbuit, vt hanc quæſtionem moueret: An videlicet corpus aliquod fabuloſum commode & bene ad Empreſas vſurpari poſſet: cuius ſolutionem & rationes heic lubens adponerem, ſi ſcirem, quod hac in re omnibus gratificari poſſem.

DE LANIIS, VEL MAcellariis.

DISCVRSVS XLII.

Lanii vnde sic dicti

Lanij, quemadmodū à Varrone lib. 2. de re Rustica, & Macellarij, veluti à Terentio in Eunucho suo appellantur, nominaque sua, vti Donatus contendit, à laniando & mactando ideo sortiuntur, quod pecora mactent, dissecent, atque excorient, Anatomicis non multum sunt dissimiles, & in eo dumtaxat ab illis differunt, quod Anatomici dumtaxat circa humana corpora occupati fient, quæ etiam sæpenumero viua compræhendunt eaque ad ossa vsque diuidunt: Lanij autem saltim pecora mactent, atque adeo carnem simul & ossa, maiore sane impetu, quam in Officinis Anatomicis fieri solet, in minutas partes dilanient. Laniorum siue Macellariorum opificium, iuxta multorum opinionem, primum suum ab ijs sumpsit initium, qui priscis istis temporibus pecora ad sacrificia mactare cæperunt: estq; ad humanæ vitæ sustentationē perquam necessarium opificium: Omnibus & singulis siquidem cognitum manifestumq; est, ꝙ homines absque carnis esu non bene conseruari possint. Optima vero laniorum ars & subtilitas est, vt videlicet pecora sua singulari cum considerantia emant, adeo vt nudo dumtaxat ex intuitu pondus & valorem eorum metiantur. Similiter etiam in lanio quodam pecoris saginatio requiritur. Item vt à mactatione illud artificiose excoriet, sanguinem temperatum emittat, munde carnem diuidat, ornet, & à fœtore mundam incorruptamque conseruet. In quo sane multi, præ cęteris, magnum hominum concursum sibi conciliant. Sciat præterea lanius siue Macellarius quo videlicet anni tempore quoduis pecus commodissime mactetur

vtpo-

vtpōte in hyeme ſues, ob frigiditatem, ſaginati tauri & boues melius ante, quam poſt IESV Chriſti Natalitia: circa feſtum Paſcatos Capellulæ, & ſugentes vituli: In æſtate, ante diem S. Ioannis agni: In autumno verueces. Idque ab vno tempore ad aliud probe ipſis obſeruandum eſt: nullum ſiquidem ipſis damnum inferre poterit. Cum vero quælibet caro certo ſuo tempore & viribus & pondere ſuo prævaleat, eapropter id ipſorum peræ ſemper aliquid importat. Inſtrumenta eorum ſunt ſecures, cultri, vnci, tunes, aſſeres, trunci, chalybes, cotes, &c. Alias opificium illud multos ſibi abſque vllo damno amicos conciliare poterit: dum quandoque bono alicui amico bona aliqua carnis particula commode gratificantur, alij vero oſſa obtrudunt, & nihilominus tamen ipſis omnia æque ac carnes ipſæ perſoluuntur, adeo vt nullibi damnū aliquod patiantur. Iccirco etiam plerumque videre eſt, vt bonam carnem ambientes, etiam ipſorum laniorum familiaritatem amicitiamque ambiant: nec ipſum cenſorem adeo timere ne ceſſum habeant, ſiquidem & ipſe quoque conniuentib. oculis macellariorū cauſſam claudicantem inſpicit, ac æque, ceu mortales cæteri, bonis iuſculis domi delectatur. Si quis autem lanium pro dignitate tractare nequeat, eidem etiam ſola inteſtina & oſſa expectanda ſunt. Si vero quandoque bona aliqua particula gaudere velit, tunc, illius loco, ſæpenumero talem magnis à lanio precibus impetrat portiunculam, quæ rubedine cum cancro certat, aut de veteri macilentaq; aliqua vacca, in qua coquenda plus ligni inſumitur, quam caro talis digna eſt, à cuius elixatione tamē eamdem non ſecus, ac ſutor corium, dentibus lacerare neceſſum habes. In Summa ſemper aliquid nullius pretij reperire poſſunt, quod, additamenti loco, ponderi adijciant. Verum & hoc peſſimum in ipſis eſt, quod ne bonum quidem verbum ab ipſis impetrari poſſit. Sed ſi quis cum ipſis de pretio contrahere conetur, tunc illico inſurgunt, eumdemque quibuſuis probris & conuitijs quandoq; proſcindunt. Sæpenumero bonam aliquam carnis portionem alicui pollicentur; verum poſtquam ille carnem ablatum venerit,

tunc

tunc & caro; cum ipsa quoque pollicitatione, iterum euanuit. Promissiones siquidem laniorum instar pecorum suorum vesicarum, h.e. nil nisi ventus, & excrementa, sunt. In ponderibus etiam ne latum quidem, vti dictitant, vnguem à veteri sua consuetudine macellarij recedunt, sed iniectis in libram carnibus, iisdemque mox iterum exinde pondere in altum vergente, subtractis emptorem in ipso etiam conspectu decipiũt, qui domum rediens, & bonum sibi additamentum promittens plus lanio sese persoluisse, quã carnis sese ab eodem recepisse nimis sero deprehendit. Vt hic taceam quantas sæpenumero in librando imposturas faciant, adeo vt si quis iustum pondus domum ferre conetur, tunc quandoque macellarius ne vnicum quidem digitum in manu sua retineret. Ipsa autem pondera, quod attinet, notandum est, quod & illic commodis suis neutiquam desint, sed per fas nefasque fraudulenter agant: vbi sane verendum, ni eius rei sedulam curam inspectionemque Magistratus gerat, quod nulla noua sibi comparent pondera, etiamsi vetera ad meditatemque vsq; vsu attrita sient.

In idiomate Italico ideo *Beccari* fortassis appellantur, quod semper vnam aut alteram vnciam, emptore dolum minime sentiente, clanculum massæ detrahant, aut suffurentur. Quid igitur nunc de macellariis paganis sentiendum, qui carnes suas in finitimas vrbes ad forũ deferunt? An non, obsecro, mortua aliqua vacca, taurus, vel ouis, quæ forsitan in pratorum fossis suffocata periit, aut venenosi quiddam deuorauit, & exinde in stabulo mori necessum habuit, ementibus obtruditur? Ea in re neutiquam dubito. Si enim macellarij vrbici quandoque in tanto scelere deprahendantur; an idem igitur rusticos, nullam omnino conscientiam habentes, intermissuros esse tibi persuadebis? Immo mi lia iuramenta sæpissime pro carnis suæ bonitate ac sanitate lanij quidam præstarent, cum tamen pecus peste quãdoq; infectum mortuumq; fuerit. Itaq; multi sæpissime in morbos incidunt, quorum tamẽ causas ipsi ignorant, easdemque aut aquæ frigidæ potioni, vel nimio pomorũ, pirorum, &c. esui imputant. Si

quis

quis vero illud forsitan lanijs tribuere velit, tunc is non dumtaxat omnis generis conuitia ab eodem audire necessum habe-ret, verum etiam Carthusianorum Ordini vota persoluere cogeretur. Nullo modo siquidem ab ijsdem tunc aliquam saltim carnis particulam obtinere poterit, etiamsi duplex ipsis pretium pro carne ista persolueret.

Et hæc sunt laniorum macellariorumque (obiter dumtaxat notata, quis enim recenseret singula?) vitia & virtutes: vbi sane Magistratui, ne Respublica damni detrimentique aliquid capiat, prouidere, eosdemque bonis legibus constitutionibusque fræno coercere, incumbit. Id enim si fiat, & transgressores bonarum legum pro suo merito seuere puniantur tunc omnis generis bonæ carnes tolerabili pretio comparabuntur: Sin minus, tunc non solummodo summa pecorum carnisque in tota Prouincia annonæ caritas existet, verum etiam fiet, vt, post tauri vel bouis alicuius institutam venationē, (quemadmodum illud quibusdam iu locis & Prouincijs vsu receptum est) macilenta confectaque carne Vaccina, ossibus, vel intestinis, (quibus etiam dentes ex ore eluminari possent) homines postmodum sese exhilarare, ventremque latrantem, auribus tamen carentem, commemorato modo exsatiare cogantur.

IN DISCVRSVM XLII.
ADNOTATIVNCVLA.

QVemadmodum Iohannes Magius inter alia testatur, Lanij apud Veteres Romanos Macellarij dicti fuerunt à Macello Romano quodam ciue, qui in ædibus suis clandestinas cædes commiserat, donec tamdem à Censoribus, Æmilio & Fuluio videlicet, compræhensus, ad mortem condemnatus, omniaque illius bona fisco adiudicata fuerint. Quo facto ædes illius latronis, ad Tybrim sitas, lanijs venditas, & à priori suo hero Macello Macellum nuncupatas esse: adeo vt ne initium quidem latini istius nominis aliquid boni portendat.

DE GEOMETRIS, DECEMPEDAtoribus, & Ponderatoribus.

DISCVRSVS XLIII.

Geometria digni tas atque præstantia.

GEOMETRIA, quæ hodierno nostro tempore Scriptis Siluij Belli, & Cosmi Florentini, tam egregie illustratur atque commendatur, apud Veteres tanto semper in honore atque æstumatione fuit habita, quod etiam Plato, quemadmodum apud Historicos legitur, vestibulo Scholæ suæ verba sequentia, *Nullus ignarus Geometriæ ingrediatur*, inscribi curauerit. De illa tradit Alpherabius, quod videlicet primum in Ægypto inuenta fuerit, idque propter confusionem, ad quam Nili inundatio ansam occasionemque dederit: adeo vt quasi coacti quodam-

dammodo fuerint, vt cuilibet bona sua certis limitib. describerent, vnde etiam sensim ad artem siue scientiam istam peruenerunt Philo Hebræus Principem & matrem omnium disciplinarũ illam appellitat. Cœlius, lib. 4. Antiquarum lectionum, Metropolim omnium scientiarum Mathematicarum. Franciscus Patritius, libro 2. de institut. Reipublicæ, auxilium & subsidium omnium artium. Plato, lib. 7. de de Republica, Geometriam hominem aliquẽ ad amorem veritatis incitare, intellectum ad Philosophię cognitionẽ præparare, ad humanæ vitæ sustentationem esse necessariam, ad omnes artes capacem reddere, ad pręparationem disciplinamq; bellicam esse perquam necessariam, vtpote ad metanda castra, Prouinciam, vel fines alterius occupandos, aciem ordine instuendam, copias rite distribuendas, iustoq; tempore colligendas, atque adeo ipsas machinas, sine artis illius cognitione, non recte vsurpari posse, asseuerat. Pari quoque modo Marsilius Ficinus, in argumento lib. 3. Enneadis tertiæ Plotini, testatur, quod nimirum Geometrica proportio ad iustitiam Distributiuam, omniaque adeo in Regimine aliquo Politico occurrentia Acta, vtilis fiet atque necessaria. Quintilianus, lib. 1. Instit. Scientiam istam non dumtaxat omnibus vitæ Ordinibus & ætatibus, sed & ipsis quoq; infantibus ad acuendum ipsorum intellectum, perquam esse necessariam affirmat; relliquis vero eamdem ideo conducibilem vtilemq; esse idem auctor testis est, vt hac ratione non solummodo numeros addiscant, sed etiam negotijs suis certam necessariamq; proportionem adtribuant.

Lodoicus Viualdus, in opere suo Regali, de persecutionibus Ecclesiæ, persecutione decima, eamdem istam scientiam tantopere extollit, vt inter alia dicat, esse illam & Theologo necessariam, cum eiusdem dimensiones in SS. Scriptura sæpenumero occurrant, quæ absque Geometriæ cognitione nõ bene intelligantur, neque explicentur, quemadmodum etiam videre est apud Prophetam Esaiam cap. 40. dum *Deus Ter Optimus Maximus*, per Prophetam, ita loquitur: Quis mensus est pugillo aquas, & Cœlos pa-

tino ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit pondere montes & colles in statera? Sic apud eumdem Poetam cap. 48. sequentia verba leguntur: Manus quoq; mea fundauit terram & dextra mea mensa est cœlos. Item Sap. 11. Omnia dispósuit, Deus in numero pondere, & mensura, A Legibus Ciuilibus approbata est in Codic. de Maleficis & Mathematicis L. Artem Geometriæ. Lucas de Penna, celeberrimus ille Iurisconsultus, C. de excusationibus artificum libro 10. inter alia tradit, quod videlicet homines ad discendam Geometriam cogendi sient, ad omneis res siquidem illam esse necessariam, non solummodo locupletioribus & proceribus, verum etiam tenuioris sortis hominibus & ipsis adeo opificibus Geometria insuper hac in re, præ cæteris artibus & scientijs omnibus, hanc quoque meretur laudem quod nimirum (dum inter cæteris artibus & disciplinis addictiores cottidie multæ rixæ & contentiones exoriuntur) Geometræ semper concordes maneant, vt pote quibus nihil immutari aut conuerti potest, nisi hoc ipsis pro lite & contentione velit obijci, dum interrogant & disputant: an videlicet puncta, lineæ, & superficies diuidi possint, nec ne: cum tamen alias neque in doctrinis, neque in præceptis discordes fient, quamuis interea alter alterum nouis, & antehac inauditis inuentionib. præuenire, vel etiam superare conentur: quemadmodum aliquis inquiat de quadratura circuli, & id genus rebus alijs, de quibus sane Archimedes Syracusauus, alijque post illum, vt pote Ioannes Regiomontanus, Nicolaus Cusanus, & Orontius Phinæus, (qui simili modo de quadratura circuli integros libros conscripserunt, multa speciosa argumenta in medium adtulerunt, & nihilominus tamen ad iustam metam minime collimarunt) gloriati sunt. Sed in eo solo dumtaxat boni illi viri peccant, quod nimirum regulis ac præceptis præceptorum suorum neutiquam adquiescant, sed eosdem superare & antecellere conantur: in quo tamen tantam sæpenumero stultitiam committunt, vt etiam nullo helleboro cerebella ipsorum satis expurgari possint.

Certo insuper certius, atque apud

apud ſaniotis mentis viros cognitum perſpectumq; ſatis eſt, quod etiam Architectura abſq; ſcientia Geometrica conſiſtere nequeat, quodque ſine ea Mathematica omnino cœca, & Coſmographia plane mortua fiet.

Per eamdem ſiquidem Architectura omnia ædificiorum ſuorum fundamenta delineare, diſtribuere, menſurare, omneiſque illorum partes adeo dirigere neceſſum habet, vt nulla fortaſſis alteram impediat. Scire inſuper Architectũ aliquem oportet murorum craſſitiem, portarum ianuarumque latitudinem & altitudinem, feneſtrarum itidem, atque adeo totius ædificij compendioſam deſcriptionem, arcuum contignationumq; proportionem, & id genus alia.

Simili quoque modo & Mathematicus, abſque huius artis adminiculo, altitudinem, circumferentiam, deſcenſum alicuius montis vel collis, parallelas, lapſum aquæ, & res ſimiles ad artem ſuam neceſſarias, mẽſurare minime poterit. Ita etiam Coſmographus aliquis latitudinem maris vel inſulæ neſcire, neque etiam Tabulas ſuas maritimas recte formare, multo minus, quantum illa ab altera diſtet Prouincia affirmare poteſt: In Summa nullam tam eximiam necesſariamque Tabulæ ſuæ dimenſionem aut diſtributionem quales hodierno noſtro tempore cernuntur, proferre potis eſt, niſi hac in arte ſufficienter inſtructus, & bene exercitatus fiet. Ex quibus omnibus infallibiliter ſequitur, Geometriam quaſi omnium relliquarum artium Magiſtram eſſe, atque adeo dimenſionibus ſuis Architectis, Mathematicis, Coſmographis, Cæmentarijs, fabris lignarijs, foſſoribus Metallicis, fabris ferrarijs, Pictoribus, Statuarijs, agricolis, militibus, alijſque operam ſuam locare atque inſeruire.

Auctores ſiue ſcriptores Geometriæ.

Et quemadmodum, vti ſupra & à principio huius noſtri Diſcurſus diximus, Geometria apud omneis ſemper magno in honore exiſtumatione que fuit, ita etiam præcellentiſſima ingenia eamdem ſcriptis ſuis doctiſſimis illuſtrare atque exornare minime ſunt veriti; quorum etiam non dumtaxat inter Priſcos, ſed etiam inter Modernos magnus laudabiliſque reperitur numerus. Inter quos

vetus ille Archimedes absq; vlla contradictione primas obtinet, de quo legitur, quod, inter alia præclara sua opera, ære fusum Polum condiderit, in quo omneis Planetarum motus, vna cum omnium Sphærarum Cœlestium resolutionibus, dulucide conspici potuerint. Proximum ab illo locum tenet Architas Tarentinus, qui, iuxta artem Geometricam, ligneam columbam fecerit, quæ in sublime ferri & volare potuerit. Et hic, Diogenis testimonio, omnium primus Mathesin docuit, & Cubum Geometricum inuenit. Post illum Dicearchus Siculus, Aristotelis, quemadmodum Plinius scribit, discipulus, prodijt, qui etiam altissimos montes perpendiculo mensurare haud erubuit, atque montem Pelium mille, ducentis, & quinquaginta passibus altum esse deprædendit. Ab illo Eudoxius Guidus primus fuit, qui præcepta & rationes Geometricas scriptis complexus est, in quibus etiam difficillimas Demonstrationes explicauit, ad easdemq; singularia instrumenta vsurpauit: qua de re ipsi à Platone obiectum fuit, quasi auctoritati Geometriæ multum detraxisset, dum illius Theoriam ad tam vilem Praxin reduxisset. Illum Dionysius Dorus sequutus est, de quo insigni Geometra Plinius, circa finem libri sui secundi, testatur, quod amici illius litteras à se scriptas in sepulchro suo inuenerint, in quibus indicauerit, quomodo videlicet ex sepulchro suo vsq; ad medium terræ centrum peruenerit, quodque quadraginta duobus stadiorum millibus eo vsque esse depræhenderit. Pari modo & de alijs quoque veteribus Geometris legitur, vtpote de Scilace Cariandeno, Euclide, Hippa, Æleo, Eratosthene, Proclo, Theone, Nicephoro, Isacio, Boetho, Theodoro Cireneo, Laodomante Thasio, Eupompo Macedone: & de modernis, quorum quidam etiamnum hodie victitant, Francisco Sansouino videlicet, Nicolao de Cortino, & quamplurimis alijs, qui non tam in Italia, quam alijs quoque Nationibus magni æstumantur.

Geometria circa quid versetur.

Geometriæ nomen vero nihil aliud significat, quam terræ aliquam dimensionem: quemadmodum etiam ars illa circa nudas dumtaxat dimensiones, quemadmodum Arithmetica

circa numeros, occupata est; quam, Plinio teste, Philo Argiuus, vel, iuxta Auli Gellij opinionem, Palamedes primum inuenit. Considerat prætetea lineas & lineamenta, formas, spacia, & magnitudinem alicuius corporis: Mensuras Item & omnia pondera: artificiosa itidem instrumenta, quæ ab omnibus alijs diuersimodis artificibus vsurpantur, machinarum præsertim, quæ tam priscis illis, quam hodiernis nostris temporib. in bellis vsitate sunt. Item omnis generis instrumenta eleuatoria, & violentas Commotiones, omnes quoque eas res & machinas, quæ aut aere, aqua, fune, neruis vel ponderibus agitantur atque impelluntur vt molatrinæ, Organa, horologia, Hydraulica, quæ non dumtaxat ad necessitatem, verum etiam omnis generis recreationes animi instituta sunt: Pyrobolos itidem, omnisque generis alios currentes, saltantes, violantesque ignes geniales. Politianus quodam in loco alicuius à Geometra aliquo mensæ insculpti animalculi mentionem facit, quod bibere, aut ad minimum aquam ad se pertrahere, sese mouere, vocemque, non secus, ac viueret, edere potuerit. Et talem in modum inquit Mercurius, Ægyptij Deos suos adornare potuerunt, vt simili modo, pro ipsorum lubitu, sese commouere, intelligibilemque vocem edere potuerint.

Consistit autem Geometria, quemadmodum Hero Alexandrinus ait, in rectis, aut curuis lineis, quibus Apollonius lineas plicabiles, vel conuertibiles, quas infelices nuncupat, addidit.

Diuiditur præterea Geometria in cognoscentem, & agentem. Ad cognoscentem pertinet punctum, linea cum omnibus suis peculiaribus Sortibus, recta videlicet, curua, & flexuosa. Ad lineam rectam spectat perpendicularis, plana, paralelæ, & tamdem Angulus cum omnibus suis differentijs: Curuilineus videlicet, & Rectilineus. Ad Rectilineum pertinet angulus rectus, acutus, obtusus. Dein pari modo ad cognoscentem pertinet superficies cū omnibus suis speciebus vtpote non plana, & plana. Ad hanc pertinēt superficies curuilinea, biangula, monangula, quadrilatera. *Eiusdem Diuisio.*

Tertio huc quoque pertinet Figura cum omnib. suis diuersis qualitatibus: circulus æqualis videlicet, inæqualis cum suo centro, circumferentia, diametro, eiusdemque distributio in portiones æquales, vel inæquales, maiorem, minorem, sectorem, &c. Item diuersi anguli in vna circumferentia, vtpote Diagonus, Trigonus, cum dimensionibus suis, æquilatero scilicet, vel inæquali, dum aut duo latera æqualia, vel dum omnia tria latera inæqualia: aut dum vnus Angulus acutus, & alteri duo obtusi: aut, vice versa, vnus obtusus, & duo acuti, vel dum omneis tres Acuti sunt. Et omneis isti apud Veteres peculiaria sua nomina habuerunt videlicet Isopheureus, Isosceles, Scalenus, Orthogonius, Ambligonius, Oxigonius: Dein Tetragonus cum omnibus suis sortibus, vtpote Rectangulo æquilatero, Cubus Rectangulus non æquilaterus, Rhombus, Rhomboides, Mensula & Caput scissum. Dein & Multilaterus, cum suis quoque speciebus, vt Pentagonus, Hexagonus, Heptagonus, Octogenus, Enneagonus, Decagonus, & alij, qui omneis iuxta angulorum suorum numerum appellantur & cognominantur.

Iuxta figuram illam considerantur quoq; illius Terminus, Extremitas, quæ vel simplex, aut plana, vel enormis, aut flexuosa est. Deinde corpus, quod aut solidum, vel serratile est. Huc pertinet etiam Pyramis cũ speciebus suis omnibus: vtpote Triangularis, Quadrangularis, Pentagona, Hexagona, & qualescunq; istius anguli, siue perfecta illa, siue imperfecta fiet. Simili quoque modo huc pertinet Columna cum omnibus suis speciebus atque partibus, & tamdem etiam Sphæra. Figuræ, copiosam, & iuxta omnis illius circumstantias, mentionem faciunt Galen, in libro suo de Elementis: Euclides, libro 1. Martianus Capella libro 6. Archimedes Syracusanus lib. 1. & 2. de Sphæra & Cilandro, similiter in libro suo de Circuli dimensione. Item Eutochius Ascalonita in Commentarijs suis supra commemoratos istos Archimedis libros. Ioannes Voegellinus, in Elementali suo Geometrico. Carolus Bouillus, in Introductorio suo Geometrico. Sebastianus Serlius, lib. 1. de Architectura. Ad figuras quoq; per-

pertinet situs alicuius campi vel limitis: quos Higinius & Iulius Frontinus de agrorum limitibus, vna cum commentatore suo Agenio Vrbico, qui in Professione ista summe inclaruit, satis superque descripsit.

Ad alteram speciem, Geometriam Agentem scilicet, pertinent etiam Instrumenta, quæ aut ad dimensiones, vel ad librationes ponderationesq; vsurpantur. Ad dimensiones pertinent Decempeda, Quadrans, perpendiculum, Liniale, & Stylus. Ad interuallorum dimensioem requirũtur Astrolabium, Annuli Geometrici, Radius Astronomicus, S. Iacobi Caduceus, & vulgaris ista Decempeda. Ex vsu dictorum istorum Instrumentorum triplices diuersæ dimensiones, qui bus cum perficiuntur, requiruntur. Prima dicitur Altimetria: Altera, Planimetria: & Tertia Sterometria, qua latitudo, longitudo & profunditas metiuntur.

Ad ipsum Astrolapium, quod attinet, diuisionis & vsus illius caussa infiniti innumerabilesq; pene Auctores reperiuntur, qui ea de re scripta sua eruditissima grata cum posteritate communicarunt: ex quorum numero præcipui sunt Stophlerinus, de vsu Astrolabij. Rodolphus Battingius Phrisius. Ioh. de Royas, qui etiam elegantem aliquem Commentarium de Astrolabio vel Planisphærio conscripsit, Iacobus Chebelius, in declaratione sua Astrolabij.

Annuli Geometrici. De Annulis Geometricis, qui quasi Sphæra plana nominari possunt, scriptitarunt Beusardus, Gemma Frisius, Iohannes Bryander, Bonetus Hebræus, Burchardus Mythobius Orontius Phinæus, Ioannes de Monte Regio.

Radius Astronomicus & Decempeda. De Radio Astronomico Gẽma Frisius singularem aliquem librum conscripsit. De Decempeda vero, quæ tam apud Græcos, quam Romanos nota, & decem pedes longa fuit, nemi nem scio, qui de ea in specie aliquid scriptitarit, quum vbique gentium ferme communis fiet, atque nulla singulari arte indigeat: alias tamen Cicero, Philippica tertia, Decempeda vtentem Decempedatorem appellat. Sic Varro quoque lib. 1. de Repub. & Columella, lib. 5. c. 1. Decempedæ mentionem faciunt. Apud Hebræos Rana, quã arundinẽ interpretantur, nun-

cupatur, atq; apud Prophetam Ezechielem cap. 4. videre est, quod etiam apud Iudæos vsurpata fuerit, Persæ illius loco funiculum vsurparunt, quo etiam Iudæi vsi sunt, eumdemq; Chebel appellarunt, quemadmodum etiam verbum illud in 77. Psalmo reperitur, dum ita ait: Diuisit illis terram in funiculo distributionis, vbi verbum Chebel vsurpantur.

De Ponderib. atque mensuris.

Inter Geometras pertinent etiam omnes alij mensuratores, qui circa mensuras & pondera occupati sunt, de quibus multi diuersi Auctores, tam apud Veteres, quam Modernos scriptitarunt. Ex Veteribus videlicet Diodorus Siculus, cuius autem liber de Græcorum Ponderib. non amplius reperitur. Galenus etiam singularem aliquem libellum de liquorum, in Medicina vsitatorum, ponderibus conscripsit. Ex Modernis itidem Volusius Metianus, celeberrimus aliquis Iuriscõsultus, Ita quoq; Remnius Fannius de Ponderib. & mensuris peculiarem aliquem libellum post se relliquit. Nuperrimo etiam tẽpore Priscianus Cæsariensis de Ponderib. libellum typis publicis diuolgauit, vt & Hermolaus Barbarus, Angelus Politianus, Budæus, Alciatus, Georgius Valla, Robertus Conalis qui de vera mensuratione scripsit, Item Leonhardus de Portu, Vicentius, qui omnes & singuli copiose ea de materia scriptitarunt, vna cum ijs, qui accidentali quodam modo eamdem materiam pertractarunt, vtpote Marcus Varro, Plini⁹, Columella, Marcus Cato, Herodotus, Scribonius Largus, Isiodorus, Celsus, Athenæus, Iulius Barbatana, Schonerus, Petrus Gregorius Tolosanus, Ioan. Rauisius, alijque plures, ex quorum Scriptis eruditissimis de omnib. Romanorum Græcorumq; mensuris melior informatio petenda est, Germanorum nostrorum pondera atq; mensuræ iuxta quantitatem suã appellantur, vt sunt granum, scrupulus, Caratum, Drachma, vncia, sesquilibra, libra, Centenarius, quæ in omnibus Prouincijs, sub diuersis distributionib. & nominib. vsurpantur, de quibus, quemadmodum etiam de ipsorum instrumentis diuersimodis, cum nota sient, nunc dicta sufficiant. Inter Græcos quælibet ferme ciuitas singularia etiam sua pondera & mensuras habuit, vnde

etiam

etiam apud Auctores peculiaribus suis nominib appellantur, vtpote Pondera Attica, Corinthia, Laconica, Æginetica. Euboica &c. de quibus Gregorius Agricola lib. 5. sufficientem informationem instructionemq; tradit. Ipsorum Minas, Obolos, Semiobolos, Æreolos, Scriptolos, Sestertią, Talenta, Myriades, & alia inter Græcos vsitata Ponderum suorũ nomina heic non adijciam: nimis enim relatio ista heic excresceret, præsertim cum paullo ante commemorati Auctores ea de re satis superque scriptitauerint.

Mensuræ duplices. Ad mensuras autem, quod attinet, sunt istæ duplices, illæ videl. quæ sese extendunt, & illæ, quibus aliquid compræhenditur: quæ ambæ omnibus in prouincijs, quælibet iuxta peculiarem suam differentiam diuersis singularibusque suis nominibus & appellantur & vsurpantur. Quarum vsus ipsos emptores melius edocebit, nec singulæ peculiari heic recensione indigent. Similiter & minime necessarium est, vt veterũ Græcorum Romanorumque mensuræ denuo describantur, vtpote quid siet digitus, vncia, palma, pes, spithama, passus, Cubitus, Calamus, Plethrum, Stadium, Leuca, Parasanga, & id genus alia. Superfluum quoque est de Metretis, Cyathis, Cotylis, Sextarijs, Chœnice, Choa, Vrna, Congio, Quartario, &c. aliquam mentionem faciam, præsertim cum illarum omnium apud dictos istos Auctores copiosa facta fuerit mentio & descriptio: quibus tamen exabundanti, Roscellium adhuc additum volo, qui in suis, super Ptolomæum, Annotationibus de Geometria & Decempedatoribus elegantem dilucidamque informationem grata cum posteritate communicauit: quo etiam rei istius cupidum lectorem ablegatum volumus.

IN DISCVRSVM XLIII.
ADNOTATIVNCVLA.

PRoclus, in ſuo ſupra ſecundum Euclidis librum Commentario cap. 4. inter alia indicat vnde videlicet Geometria ſuam ſumpſerit originem, dum ait: Geometria ab agrorum emenſione primum inuenta eſt apud Ægyptios, propter Nili terminos diluentis inundationem, quam Thales in Græciam tranſtulit. Illius honorem atq; dignitatem reperire licet apud Beſſarionem Cardinalem in Calumniatore ſuo Platonis dũ ita inquit: Sine Geometriæ cognitione nemo doctus appellari poteſt. Franciſcus Patricius, libro ſecnndo, capite 14. de regno, magnam eidem laudem adtribuit, vbi de ea ita ſcribit: Geometria magis conuenire videtur Ducibus & Regibus, quam Arithmetica. De eadem quoque Ioannes Grammaticus qui, quod nullum omnino laborem ſubterfugeret, Philoponus, dictus fuit, lib. 1. de anima text. 45. ſic inquit: Geometriæ ignaris nõ licebat Platonis ſtudium ingredi. Euſtathius lib. 6. Ethicorum cap. 8, ſubiectum ſequentib. verbis indicat: Geometria, ait, & Aſtrologia circa magnitudinem verſantur, etſi alio & alio modo, vt & Arithmetica & Muſica circa numeros ſtudium ſuum exerceãt. De eadem Angelus Politianus in Panepiſthemio ſuo ſcriptitat, qui conſulendus eſt. Si quis autem de Secretis Geometricis aliquid ſcire deſideret, eidem Weckeri Secreta ſedulo tractanda ſunt. Similiter & Cœlius Rhodinus in ſuo lib. 4. multa memorabilia de ſcientia illa complectitur, quemadmodum etiam Patritius multas ad rem iſtam pertinentes propoſitiones complectitur. Eurimetria Abrahami Colorui Mantuani expectatur adhuc indies, in qua diſciplina iſta Geometrica ſatis neruoſe traditur, vna cum alijs ſingularibus Mathematicis inuentionibus, quas, tamquam rerum iſtarum peritus ſcriptor, luce donabit publica.

DE

DE LOGICIS ET Sophiſtis.

DISCVRSVS XLIV.

PAuci hactenus reperti ſunt, qui ex impudentia eam partem Logicæ improbare vel reijcere auſi ſient, quæ certis rationibus demonſtrat id, quod alias homines naturali modo tam auide expetunt, quomodo videlicet ipſa veritas in omnibus rebus occurrentibus indagari poſſit. Vice verſa vero multi reperiuntur, qui Sophiſtas ex animo deteſtantur, vtpote, qui friuolis clamoribus & inani ſua loquacitate, magis ex maledicta puditaq; arrogantia, quam integritate atque experientia, omnia refutare ſingulifq; contradicere conantur. Primi (Logici) apud quoſuis in magno honore atque exiſtumatione plerumque habentur, ijq; non dumtaxat veteres, verum etiam quidam Neoterici ſcriptores, qui, ob omnibus temporib. celebratam diſciplinam & ſcientiam, magnam nominis ſui famam laudemque conſequuti ſunt. Sic D. Auguſtinus ſynceram veramq; Logicam ſequentibus verbis extollit: Logica, inquit, eſt ars artium, & ſcientia ſcientiarum, qua aperta omnes aliæ aperiuntur: & qua clauſa omneis aliæ clauduntur, cum qua quælibet, & ſine qua nulla. Cui magnus iſtæ Auerroes adſtipulatur, dum lib. 1. Topicorum Logicam Principium appellat, quo omneis cæteræ ſcientiæ comprehendantur. Eamdem etiam Seruius Sulpitius ſummopere prædicat, illamq; maxumam & præcipuam inter omneis relliquas artes appellat, vtpote quæ rebus omnibus diſcendis ingentem eximiamque lucem adferat, & quemadmodum Cicero ait, dum doceat, omnes materias in certas ſuas partes diſtribuat, definiat; & occulta in lucem proferat: dum itidem explicet, omnem ob-

scuritatem caliginemque aufe-rat, & dubia discernat: Iuxta illud quod certum infallibilemque aliquam regulam indicet, iuxta, quam à mendacio veritas separanda siet. Vnde etiam Isiodorus, lib. 2. Etym. vere ait, Dialectica est disciplina, ad discernendas rerum caussas inuẽta. Ita quoque Thomas Logicam sequentibus verbis describit, dum ita inquit: Logica est scientia rationalis, actuum rationis directiua. Et Boetius, Logica, ait, est scientia, discernens verum à falso. Sic etiam Albertus Magnus vtilitatem cõmodumque Logices hisce verbis indicat, dum ait: Logica est, quę à Phantasiis, quæ videntur, & non sunt liberat. Qua de caussa Auerroes haud inconcinne dicere potuit, quod videlic. multi inter Veteres in magnos errores inciderint, ex solo defectu illius scientiæ.

Ita quoque Plato eidem maiorem auctoritatem conciliat, dum illam, quemadmodum Augustinus, libro 8. de ciuitate Dei, inter alia commemorat, Philosophię partem nuncupat, dum Philosophiam in tres partes diuidit, in moralem nempe, naturalem, & rationalem, atq; eidem Logicam esse significat.

Simili quoque modo acutissimus ille Theologus Antonius Andreas totã Logices laudem, honorem, atque gloriam in eo Syracidis dicto; *Gyrum Cæli circuiui sola*, complectitur. Id quod quidem commemorato isto in loco de cœlesti sapientia dicitur, veruntamen etiam, quemadmodum ille Theologus autumat, ad hanc artem vel scientiam deriuari poterit. Illa siquidem, tamquam Cœlitus datum donum sapientiæ, omnia complecti potest, adeo vt illius ope atque auxilio de omnibus rebus, quantum quidem humana ratio adsequitur, homo loqui, atque certo concludere potis fiet.

Non immerito igitur scientia à multis vtpote à Scoto suisque Asseclis, ab alijs, Modus scientiæ, à quibusdam vero, instrumentum ad sciendum dicitur. Zeno antiquus ille Philosophus & celebris Dialecticus illam cum complicato pugno comparat, quo innuere voluit, quod videlicet paucis verbis, & firmo aliquo compendio opera sua perficiat, idque vel in arguendo, refutando, probando,

do, aut definiendo, vel distinguendo, atque tamdem verbis paucis, fundamentalib. tamen, ad omnes propositas quæstiones respondeat, adeo ab omnibus partibus virtus, efficacia, & dignitas illius conspiciatur. Illa sola, inquam, curtis verbis essentialem aliquam omnium rerum propositarum descriptionem indicat, quamuis Aristoteles existumet, quod defectu haud careat, cum eidem propriæ vltimæ differentiæ minus notæ sient. Illa, inquam, mendacium à veritate discernit, quemadmodum elegans formosaque aliqua virgo in amœnissimo aliquo prato, vel horto, flores & herbas à se inuicem discernit, eosdemque solos deligit, quos ad honoris coronam sibi reseruare conatur. Docet præterea, quomodo videlicet aliquis omneis essentias, quæ aut sub sole, aut vniuersa in rerum natura sunt, in certa capita referre aut comprehendere debeat, atque adeo totum cœli terræque ædificium, omniaque quæ in eodem continentur, quasi in decem suis prædicamentis complectitur. Illa, inquam, indicat, quomodo aliquis res omneis iuxta essentiam suam describere debeat, atque adeo omnibus antea commemoratis, in prædicamentis cōpræhensis rebus sua largitur genera, species, differentias, propria, & Accidentia, quæ prædicabilia nuncupat, quibus res quælibet ab altera separatur, vt proprie inter res omneis alias internosci posset. In libris de Perihermenia porro docet, quomodo videlicet omnia cordium nostrorum concepta proprie eloqui debeamus, idq; vel affirmando, aut negando. Indicat præterea quomodo diuersis modis arguendum, propositumq; in prioribus tuendum, & qua ratione etiam omnibus in materiebus recte & bene in Topicis argumentandum fiet. Illa, inquam, quomodo quis res bene recteque demonstrare debeat, docet, dum caussas vniuersales inuenit, & tales sane enunciationes facit, quib. propriæ propositarum quæstionū vel rerum veritates ad lucem proferuntur.

Et denique in Elenchis occultos laqueos & techнas Sophistarum Logica vera detegit, qui, tamquam dolosi fraudulentiq; Græci in Equo suo Troiano, calliditatibus celeribusq;

So-

Sophismatibus suis innituntur, atque in ambiguis dubijsq; verbis & loquutionibus, quas, quo volunt, detorquent, suum quærunt latibulum & refugium: quemadmodum eadem in re cumprimis præ cæteris, conspicuos reddideru t Antiochus Sophista, Eutidemus, Cleas, Chrysippus, Gorgias Leontinus, qui artis illius Sophisticæ veluti Pater est.

Veteres & Neoterici quidam Sophistæ.

Similiter & Prothagoras Abderites, Philargus, Dion Perusinus, Aspasius Rauennas, Auditor olim Pausaniæ. Hodierno nostro tempore noua quædam adhuc alia Sophistarum Schola aperta est, quam tamen, *per reuerentiam illorum asinitatis*, nominare vix audeo, etiamsi clamore suo vniuersum ferme terrarum Orbem impleuerint.

Veri Logici.

Inter veros synceros que Logicos referuntur Boetius, Ammonius, Porphyrius, Simplicius, Boethus, Aspasius, Thomas Aquinas, Scotus, qui præcipui fere exstiterūt. Ipsos subsequuti sunt Caietanus, De Vio, Thienes, Ægidius Romanus, Burlæus, Baldouinus, Antonius Andreas, Georgius Trapezuntius, (vna cum Interpretibus suis) Neomagus Latomus, Ioannes Riccius, Cæsarius, Iauellus Frācijcus Toletanus, & pene innumerabiles alij.

Vana detestandaque Sophistarum gloria.

Sunt autem Sophistæ, ij quos Plato è sua Republica, vt nimium elatos, irrequietos, & petulantes, haud immerito exterminat. Similiter & Auerroes libro 1. de Cœlo Com. 75. exiguam sane laudem ipsis tribuit, vbi illos destructores principiorum & sapientiæ nuncupat. Pari quoque modo D. Augustin. lib. de doctrina Christiana, eosdem (Sophistas) summo studio vitandos esse monet, ipsorumque diligentiam & clamorem cæcam cum quibusuis litigandi cupiditatem, puerilem, immo stultam superbiam appellat, vtpote qui sibi summæ laudi gloriæque ducant, si verba sua, pro ipsorum lubitu, & quo velint, conuertant, atque simpliciores Sophisticis suis nugis fallant & decipiant. Ita & Vrbanus Pontifex Maxumus, *Dist. 37. cap. Omnem vim*, cum ineptis ipsorum concertationib. & rixis Sophisticis minime contentus est, dum inquit, quod neque Deo placeant, neque Christianæ fidei simplicitati vtilitatem commoditatemque aliquam adferant.

Quid

Quid autem obsecro, de Sophistarum arte nunc heic multa dicamus, cum tamen & ipsa vera certaque Dialectica suo errore & defectu neutiquam destituta fiet? de qua D. Hieronymus, in epistola ad Damasum Papam, ita ait: Nonne in vanitate sensus, & obscuritate mentis ingredi Sophistæ videntur, qui diebus & noctibus in Dialectica torquentur? Itaque neutiquam laudandi, sed multo potius vehementer culpandi repræhendendique sunt, qui tam eximiam, vtilem, atque necessariam scientiam in Iudæorum clamoribus plenam Synagogam conuerterunt, adeo vt etiam sæpenumero ignoretur, quur & qua de caussa videlicet ita litigetur: idque potissimum eo magis, quod quandoque vnicum etiam verbum controuersiam moueat, quod tamen nullius est momenti, & tam nauci rebus nobilissimum tempus frustra insumatur. Inibi siquidem sępissime totus dies insumitur, antequam dicaculi illi inter se inuicem conueniant, num videlicet Terminus signũ alicuius Orationis, vel Historiæ fiet? An *sum, es, est*, solummodo verbum perfectum fiet, aut an absque illo loquutio aliqua proferri possit. An de Sono, cum Petro Hispano, aut de vocibus, cum alijs, etiam viris spectatissimis, incipere quis debeat? An Nominatiuus, vel Rectus, verum, aut falsum sermonem efficiat: aut an Obliquus idem præstare valeat? An nomen aliquod naturaliter, cum Platone, vel ad placitum, cum Aristotele significet? An conclusio, qua quis concludere velit, quale asinus bipes animal fiet, in materiam contingentem vel necessariam pertineat? An Ens supremus cæterorum Prædicamentorum Capitaneus, vel Transcendens fiet? Et denique, num Plato etiam adhuc in inferno disputet, aut Collifragium vel præcipitium fecerit, & ita cessare necessum habuerit. De tam diuersimodis friuolisq; tergiuersationibus verba heic nulla faciam, quibus multi tam pertinaciter obstinateq; vtuntur, quasi coram iudicio in periculo capitis versaretur. Reperiuntur enim illic Appellationes, Suppositiones, Obligationes, Moralitates, Indissolubilitates, consequentiæ, Reduplicatiuæ, Exclusiuæ, Formalitates, Restrictiones, Amplia-

tiones, Distributiones, Inhærentiæ, Quidditates, Heccæitates, Particulares Actiones, Instantiæ, & tot millia adhuc phantasmata alia, de quib. toto die rixantur, omniaque sua cerebella exinde amittunt.

Tacebo heic, quomodo videlicet nasutuli, & Sapientum Octaui isti in publicis disputationibus intumescant, &, an etiam videantur, hinc inde circumspiciant, quando ita subtiliter concluserunt: Ita enim cauillantur & nugantur: *Mus est in muro. Ergo Deus non est in Cœlo.* Aut, *Anglia est terra, Pannus est ex Anglia, E. Pannus est ex terra.* Nec dicam, quam ferociter Auditoria ingrediantur, quasi vniuersum mundum disputando victuri essent: vbi multi ex auditoribus tacite secum ipsi ita argumentatur: *Omne quod videtur,* (veluti Prothagoras ait) *est, sed videtur, quod tua conclusio sit falsa, ergo est falsa.* Nulla quoque heic verba faciam, quam artificiose nimirum tergiuersari possint, si quandoque fortiorem sese nacti fuerint: in quo sane cum Parthis comparantur, qui etiam veluti Appianus Alexandrinus testatur, in ipsa fuga pugnant. Post arbusta siquidem obscurorum suorum verborum, quemadmodum serpentes, sese abscondere possunt, & tot in cerebellis suis vias habẽt, vt semper exinde possint elabi, nullam tamen vmquam victoriam reportent. De dolosis ipsorum quæstionibus itidem heic nihil dicam amplius, quibus aduersarium suum naso suspendere cogitant, quem etiam incautũ & inopinato deniq; obruunt, adeo vt sæpenumero rubore suffundatur, nec spiritum recolligere potis fiet. Iuxta illa omnia etiam ipsum Diabolum capere nituntur cum subtilitatibus Oliueri, Hentisberi, Alexandri Sermoneti, Strodi, Mengi, Occam, Mucagatæ, Flandriæ, Pauli Pergulensis, Buridani, Marsilij, Simonis de Londanata, Bernardi Torni, Messini, Angeli de Fossambruno, Antonij Siterra, Nicolai d'Orbello, Francisci de Marchia, Boneti, Ricardi Ferrabrichi, Antonij Fracantiani, & Bursæ Laurentianæ, quæ bonis rebus adeo referta est, vt etiam, si tot hastas, quot cottidie Sophisticas subtilitates, faciat, ijsdem Regem in Pegu, & Sophi ex Regnis suis pellere posset. Ad hæc quoque sufficiunt, vt etiam quan-

quandoque, suorum nominalium auxilio, aliquem in Realem facere possint, vt videlicet is in Mediolanensi territorio æque decem solidis æstumaretur ac si natus aliquis Hispanus esset. Et denique, quod pene sicco pede præterijssem; si tales Sophistas imitatus fueris, tunc caput tuum tot figuris & æquipollentijs implebis, vt, vix plaustro à duobus bouibus tracto, illud promouere potis fies: aut, quod magis metuendum, ex rationali animali asino per omnia similis reddaris. Qu[ib]. tandem hunc de Logicis & Sophistis Discursum conclusum volumus.

IN DISCVRSVM XLIV.
ADNOTATIVNCVLA.

DE hac arte Ioannes Baptista Bernhardus in Seminario suo Philosophiæ, apud verba ista Dialectica & Rhetorica, aliquanto copiosius differit. Quemadmodum etiam de Sophistis, in verbo Sophistæ. Simili quoque modo & Cœlius Rhodiginus, Antiquarum Lectionum libro quarto, cap. 30. de Dialectica loquitur,

DE RHETORIBVS,

DISCVRSVS. XLV.

QVinctilianus, & Bartholomæus Caualcanti, Rhetoricæ inuentionem cumprimis Naturæ adtribuunt, vtpote quę ipsa hominem doceat, quomodo videlicet recte loqui, suique cordis cogitationes bene proponere debeat. Eamdem deinde, diligentia & exercitatione sapientiorum, qui verborum emphasin, ordinem, eloquutionem, vocem, & gestus obseruauerint, tam latos subinde progressus fecisse, vt etiam certis regulis & præceptis compræhendi potuerit. Vnde etiam Cicero fortassis dixit, quod nimirum Rhetorica ab ijs, qui primum homines collegissent vrbesque condidissent, originem suam traxerit, & tamdem ab ijs quoque, qui primum leges & statuta tradere conati sient, vtpote qui procul omni dubio eloquentes fuere, & multis artibus vti necessum habuerunt, donec homines ad eamdem pellexissent.

Rhetoricæ initiũ Si quis igitur de primis aliquid melius propriusque scire desideret, is apud probatos scriptores reperiet, quod (postquã à remotione aliquod tyrannorum in Sicilia Reipublicæ administratio ad plebem translata fuisset, multaque negotia in iudicio incidissent, quæ non tam cito, quam antea, cum vnus dumtaxat Reipublicæ præesset, componi possent, populus enim ille per se sagax & contentiosus erat) duo, Corax videlicet, & Tysias, prodierint, qui non dumtaxat negotiorum forensium curam in iudicio susceperint, verum etiam, postquã sui similium numerus nimium excreuisset, adhuc alios informare conati fuerint, eumque in finem certas regulas & præcepta tradiderint, iuxta quæ tyrones isti Rhetorici actiones

suas

ſuas conformarent. Et commemorato iam modo Rhetoricorum Præceptorum factum eſt initium. Vice verſa Ariſtoteles primos, qui ea de re ſcripſerunt, Tiſiam vel Tipſiam appellat. Quem ſequuti ſunt Thraſimachus Chalcedonenſis, dein' Theodorus Byzantius, qui, tamquam ea in arte præcipui, ſui memoriam ad poſteros propagarunt.

Poſtmodum Athenis mirũ in modum creuit, donec tamdem exinde Romam translata, & à Celeberrimo, qui vmquam exſtitit, Oratore, Marco Tullio Cicerone videlic. tam per ſcripta quam exempla propriarum ſuarum Orationum, ad mirabilem & inſignem iſta, in qua nunc eſt, perfectionem reducta fuit. Iuxta Diodori opinionem Mercurius primus Rhetoricæ inuentor fuit. Vnde etiam ab Horatio *Facundus Athlantis Nepos* appellatur.

ptores torici ipui. De iſta autem arte multo adhuc præſtantiores celebrioreſque Auctores eruditiſſima ſua ſcripta grata cum poſteritate communicarunt, vtpote Empedocles Philoſophus; & Gorgias Leontinus illius Diſcipulus: Similiter & Prodicus Chius, Prothagoras Abderites, qui Euatium quemdam pro decem denariorum millibus inſtituit. Item Hippias Ælius, Alcidamas Eliates, Antiphones, qui omnium primus Orationes ſuas deſcripſit, & Policrates, qui ſimili modo Antiphonis illius fuit coætaneus. Vice verſa vero Cicero, in Bruto ſuo, negat, quod ante Periclis tempora quiſquam ea de re aliquid conſcripſerit, quod ad decus ornamentumque, quod alias in aliquo Oratore requiritur, ſcriptum fuerit. Poſtea vero Iſocrates ſeſe conſpicuum fecit, per cuius ſingularem artem Ariſtoteles, ſingulari aliquo ex zelo, commotus fuit, vt libros ſuos de Rhetorica conſcripſerit & ediderit, vbi in odioſa iſta verba; *Turpe eſt Iſocratem dicere, & Ariſtotelem tacere*, erupit. Eodem iſto tempore de Rhetorica quoque ſcripſerunt Theodectus, & Theophraſtus, Ariſtotelis diſcipulus. Similiter & Philiſtus Mileſius, qui ex Iſocratis Schola prodijt. Dein' Hermagoras, quem multi, & ex illis Athenæus, ſequuti ſunt. Poſt Hermagoram & Athenæum ea de re quoque lucubrationes ſuas Rhetoricas in

commune contulere Apollonius, Molo, Cæcilius, Dionysius Halycarnassæus, Apollodorus Pergamenus, Herodes Atticus, & Eudemus. Inter Romanos Scriptores Rhetoricos autem fuere primi Marcus Cato, dein Marcus Antonius, Antonij Triumuiri Auus. Postmodum Cicero & post illum, Cornificius, Stertinius, Gallio Cellus, Lena, Virginius, Plinius Rutilius, Asinius Pollio, Quintilianus. Ex Neotericis vero Caualcantius, Tracleus, Christophorus, Batzizius, Fortunatianus, Toscanella; & plureis alij. Inter quos præstantissimum illum D. Marcum Baldũ, Antonium Pennam, Angelum in Vado; S. Foscæ plebanum, Venetijs sicco heic pede, vel potius silentio, præterire minime potero, qui, postquam dicta ista in vrbe, Rhetoricam profiteri cœpisset, 20. integros annos professionem istam, magna sua cum laude atq; gloria, (veluti Quinctilianus Romæ) excoluit. Vnde etiam bene Quinctilianus nostri temporis, aut, quod magis est, Gorgias Leontinus appellari posset, vtpote, qui de rebus ipsi occurrentibus omnibus in puncto quasi apte

Laus & encomiũ Angeli in Vado.

disseruit; vel etiam Isocrates, qui per eruditionem, scientiam & decoram eloquentiam, omneis illos honores consequutus est, ob quos olim alij Isocratem Odio Vatiniano prorsus prosequuti sunt: eapropter etiam elegantem istam orationem de permutatione, contra quorumdam indoctorum, maliuolorũ inuidorumque calumnias, typis publicis diuolgari curauit. Qui vero præstantissimi Pennæ elogium scire desiderat, is Epistolam Dedicatoriam Bendassi, quam ante suum ex vrbe digressum descriptioni præfixit, familiarem sibi reddat, & tum procul omni dubio, viri illius virtus & industria seipsam satis superque commendabit.

Describitur autem Rhetorica à Cicerone, in Oratore suo, sequentibus verbis, quod videlicet fiet dicendi ratio. Quinctilianus recte loquendi scientiam illam appellat. Maximus Tyrius, illam cordis cogitationum reuelationem esse, dictitat. Aristoteles facultatem videndi & tangendi rebus in omnibus, quod ad persuadendum conducibile esse possit, illam vocat. Hermogenes illam vim artificiosam, certis, speciosisque ar-

Rethorica Desf(i)ptio.

argumentis in Ciuilibus, Politicis, alijſque in rebus perſuadendi, nuncupat. Patroclus vero, illam artem, omnia, quæ in aliqua Oratione ad perſuadendum requirantur, inueniendi eſſe aſſeuerat. Et quemadmodum enumeratæ illæ definitiones diuerſæ ſunt, ita quoq; Veteres diuerſo modo de ea loquuti ſunt. Alij ſiquidem illam artem appellarunt, vt Cicero, qui eamdem quoque artificioſam aliquam eloquentiam nũcupauit, & Quinctilianus, qui illam inter artes practicas retulit. Quibus tamen Lyſias minime adſtipulatur, ſed, vice verſa, demonſtrat, quod etiam Barbari & rerum imperiti, ſiue indocti à natura narrationes, probationes, confutationes, & Epilogos, abſque vlla arte atque inſtitutione, norint proponere. Alij ſcientiam illam cognominatam eſſe volunt, vtpote Cleanthes, qui Philoſophiam diuidit in Dialecticam, Oratoriam, Moralem, Ciuilem, & Phyſicam. Itaque etiam Zeno ita coniunctam complicatamque eſſe dicebat, vt etiam Dialecticam cum concluſo complicatoque pugno, Rethoricam vero cum expanſa manu comparauerit. Quo innuere voluit, quod inter vtramque nulla alia ſiet differentia, quam illa, quod videlicet Dialectica breuiter, & quaſi cum violentia concludat, Rhetorica autem circumſtantijs, decoris verbis, ſuauiq; perſuaſione ad deſtinatum præfixumque ſcopum perueniat. Sic Plato, quem etiam Iuntus ſeſequitur, Philoſophiæ tria diuerſa diſtinctaque officia tribuit, vtpote Moderationem Intellectus, quæ Phyſicæ competit. Moderationem affectuum, quæ ad Ethicam pertinet, & Moderationem Orationis, quam Logica præmonſtrat. Cũ quibus etiam Marcus Craſſus conuenit, qui ſimili quoque modo vniuerſam Philoſophiam in tres partes diuidit, videl. in naturæ obſcuritatem, dicendi ſubtilitatem, & in vitæ morumque inſtructionem. Inter quas tamen primam & vltimã tranſit, & ſolummodo de media agit, vtpote quæ præcipue in Oratore aliquo requiratur. Quidam virtutem illam nuncupant, quo titulo illam magis inſignitam honoratamque eſſe autumant, quam Craſſus iſte apud Ciceronem, dũ ſic inquit: Eſt enim eloquentia vna quæ-dam-

dam de summis virtutibus; & Mnesarchus, qui ita ait: Quæ ex bene dicendi scientia constat, est virtus quædam, quam eum quispiam fuerit consequutus, cæteras facilime possideat. Alij illam saltim loquendi consuetudinem appellarunt, vtpote Critolaus: Alij, artem & celeritatem persuadendi aut fallendi vt Athnæus, cum quo etiam Cornelius Celsus ferme conuenire videtur, dum ita inquit: Orator simile tantum veri petit. Non enim bona conscientia, sed victoria, litigantis est præmium.

Oratoris finis. Oratoris alicuius scopus & finis est, quemadmodum Chrysippus autumat, *Bene dicere*: iuxta Hermagoræ opinionem vero, *Ornate dicere ad persuadendum*. Vice versa Hermogenes asseuerat, quod videlicet Orator non dumtaxat suadere, vel simpliciter persuadere, verum etiam credibilia commodaq; media, quæ ipsius proposito commodissime inseruiant, artificiose vsurpare necessum habeat; quibus si recte vtatur tunc sane Orator nominandus & habendus est. Quemadmodum enim, pergit ille, Medicus Medicus permanet, etiamsi non omnib. laborantibus pristinam sanitatem restituat, sed solummodo decentia media, cum moderatione & iuxta artem, vsurpet: & Philosophus simili modo Philosophus permanet, etiamsi auditoribus & discipulis suis scientiam decentesque mores minime inculcare possit, vt eosdem in vita sua commonstrent: ita quoq; cum Oratore aliquo comparatum est, qui bonus decorusque Orator esse & manere potest, etiamsi non omnia, pro voto lubituque suo, obtineat, & cuilibet, pro intentione sua, persuadeat, modo decentem artem vsurpet, & circumstantes auditoresque ad partes suas persuadendo trahere conetur, id quod, iuxta Caualcantij opinionem, fit decente beneque formata aliqua Oratione, per quam auditor facile ad pecorantis partes flectitur, per ordinariam aliquam suarum cogitationum & opinionis propositionem, vbi verba, gestus & voces inter se inuicem conueniunt: quod sane commodissima via, & præcipuum, equidem in omnibus materiebus desiderium suum obtinendi, & suaui quadam violentia perrumpendi, est medium.

Ex

Usus & efficacia Rhetorica. Ex quibus omnib. sane commodum & efficacia Rhetoricæ colligere est, vt pote cuius beneficio omnia in Republica aliqua negotia, omneisque Actus Ciuiles, quales quales atque, quam ardui, & difficiles etiam isti fient, geruntur: præsertim vero, si aliquid aut in genere, vel in specie, alicui consultandum, vel persuadendum est.

Per eamdem nocentes & perniciosi accusantur, conuicti condemnantur, innocentes conseruantur, viduæ cum Orphanis defenduntur, templis Scholisque prospicitur, Iustitia administratur, & quandoque gratia aliqua obtinetur. Cumque sæpenumero in Reipublicæ administratione summe fiet necessarium, vt videl. de rebus aduersis & contrarijs sermo instituatur, atque simul monstretur, qua ratione nimirum res aliqua quandoque vtilis & perniciosa, honesta aut turpis fiet: idcirco etiam honestam synceramque aliquam, tam proponendi, quam persuadendi, informationem ad manus tradit. Quid enim, obsecro, Catilinæ seditionem detinuit & repulit, quam Ciceronis Eloquentia? Quid, quæso, Romanis potentissimam vrbem Carthaginem subiecit, quam violenta quasi suada & sermo Catonis? Quib. potissimum reb. animi ad bellum accenduntur, inflammanturue, ad pacem reuocantur, bonum gratum acceptumque, malum econtra vero suspectum redditur, vtile inculcatur, & perniciosum dissuadetur? Quibus rebus Iustitia conseruatur, vt etiam ij, qui eamdem oppugnant, eidemque aduersantur, erubescant, quam per vtilissimã præstantissimamq; istam artem eloquentiæ? Vnde vero auctoritatem tantam sibi, obsecro, conciliat, quam à diuina quasi ista potentia, quæ in verbis illius, gestibus, voce, & elocutione occultata est, quibus, fulguris instar, eo vsque tonat, donec auditorum corda penetret, eademque quasi cogat atq; compræhendat, vt resistere illi neutiquam valeant? quemadmodũ inuictissimus iste heros fateri ipse necessum habuit, quod sibi acciderit per illam orationem, quam Cicero ante ipsum pro Quinto Ligario habuerit, qua decreuit: Etiamsi ipsum, tamquam coniuratum hostem suum condemnare decreuerit, nihilominus tamen, oratione ista

Ciceronis permotum, id facere neutiquam potuisse. Ita quoq; Orationes Periclis & Aeschinis comparatæ sunt, adeo vt ob earumdem grauitatem mirari aliquis necessum habuerit, si quis easdem saltim pellegisset: quémadmodum in ea, quam aduersus Demosthenem habuit, Oratione videre est, cuius gratia solum Atheniense vertere necessum habuit. Vbi sane ipse Demosthenes orationem illam cum stupore secum sumpsit, alijs eamdem prælegit, &, cum auditores eius rei gratia itidem in stuporem admirationemque conuerterentur, hunc in modũ ipsis respondit. Quid, inquit, si audissetis bestiam illam magnã sua verba detonantem? O potentissimam Orationem, O efficacissimam virtutem eloquẽtiæ! Quot irreconciliabiles pene contentiones & discordias reconciliasti? Quot leonum Draconumq; corda mitigasti, eademque quasi in agnos conuertisti? Quot infernales furias in mansuetas suauissimasq; columbas commutasti? Quot ardentes flammas iucundissimorum tuorũ sermonũ fluuio extinxisti? Quot ingẽtes periculosasq; seditiones atq; tumult⁹ sedasti? Quot internas pniciosasq; discordias iterũ composuisti? O amabilem, elegantem, mansuetam, caram, immo sanctam Eloquentiam, quis laudes tuas vnquam pro tuo merito satis sufficienterque prædicare posset? Qur, quæso, stoici te sapientiam appellarunt, quam quod adeo sapienter loquaris & amabili tua oratione & virtute ad ipsam etiam sapientiam adducas omneis qui te merito amore amplectuntur. Qua de caussa, obsecro, te Homerus Achilli in Pædagogum sub Phœnicis, eloquentissimi tum temporis viri, nomine tradidit, quã quod Comes liberorum, ornamentũ iuuentutis, & admirandum fulcrum ætatis sies? Cur Plato exoptat, quod omneis ij, qui vrbibus, populis, atque Prouincijs imperant, eloquentia Lycurgo & Soloni similes essent, quam ea sola de caussa, quam, quod te pro totius terrarũ Orbis Magistra, omnium populorum Rectrice, omnisque bonæ Politiæ Constitutionisq; Conseruatrice & habuerit, & agnouerit? Cur, quæso, Delphis, sub nomine Gorgiæ Leontini, antea statua dignata donataque fuisti, quam in certum infallibileque

bileque

bileque indicium, quod aurum gemmæ, omneisque adeo pretiosi lapilli, quos vnquam in mundo reperire licet, tibi neutiquam comparandi sient? Cur obsecro, Regum Sapientissimus in Prouerbijs suis ita ait: *Cor sapientis erudiat os suum, & labiis illius addit gratiam*; quam eum potissumum in finem, vt indicaret, te quoque Gratijs gratam acceptamque; atque à te plus emolumenti, subsidij, & auxilij, quam à relliquis virtutibus omnibus, expectandum esse? Cur mirabile exemplum eloquentiæ, Aaron videl. Moysi, qui lingua difficili præpeditaque loquebatur, adiunctus fuit; quam vt ipsi apud obstinatum, ferocem, effrænemq; populum fauorem gratiamq; cōciliares, atque lapideum obduratumque Pharaonis cor quodammodo emollires? Si vero tam nullius pretij momentique esses, quemadmodum quædam bestiæ falso de te calumniantur adeo vt, eius rei gratia, ne in Ecclesia quidem admittenda sies, cur igitur Sapientissimorum Sapientissimus Rex Salomon te tantopere extulisset, dum in Prouerbijs suis ita inquit: Qui sapiens est in corde, appellabitur prudens, & qui dulcis est eloquio maiora percipiet? Ni insuper etiam pretermodum tam prætiosa esses, tunc minime, quemadmodum ego quidem autumo, Homerus prudentissimus te omni melli in ore Nestoris prætulisset, de quo inter alia asseuerat, quod ipsius sermones ipso melle iucundiores suauioresque fuerint? Si præterea in Ecclesia nullam vtilitatem pareres, tunc sane, meo quidem pro iudicio, S. Hieronymus Eliæ Prophetæ sermonem tantopere extulisset, & fassus esset, quod eloquentiam illam Propheticam in idiomate latino neutiquam exprimere potuerit? Ni quoque Dei Spiritui Rhetorica curæ esset, tunc equidem illam Regius Propheta Dauid, qui ex Spiritu Dei loquutus est, in tam scita eximiaque Rhetorica inuitatione minime vsurpasset, dum in Psalmis suis ita ait: Audite Cœli, quæ loquor: audiat terra verba oris mei? Et quur, obsecro, D. Hieronymus Gregorium Nazianzenum adeo extollit, quā, maiori ex parte, ob decoram illius eloquentiam? Cur Hilarium luciferum, lucernam in Ecclesia, & lapillum pretiosum

nuncupat, quā ob Suauisonam ipsius eloquentiam? Cur, quæso, Lactantius verborum Emphasin, & copiosam illius eloquentiam tantopere prædicat, vt etiam ipsum Tullianæ Eloquentiæ flumen appellet? Cur mortalem ex mortali hacce vita digressum Nepotiani sui adeo vehementer dolet, & ob suauiloquentiam suam ipsum dulcissimum cygnum vocat, nisi quod simul cum ipsa eloquētia dulcissime cantare potuerit, & si ars & virtus ista in Ecclesia adeo contemptui, vt nonnulli volunt, haberetur? Et quis, obsecro iterum, nisi fatuus, coruū, vel coturnicem aliquam, lubentius, quam nobilissimam Philomelam tempore vernali, cantare exoptaret? Quod, quæso, melius, si quis lapidosa & aspera montana hyemalis frigidæque Scythiæ, vel arenosæ vstulatæque Lybicæ Regionis terram inhabitet? aut si, versa vice, suauissimos viridissimosq; Musarum montes, Aonios videlicet, Parnassum, & Heliconem incolat? Vnde, iterum atque iterum obsecro, de Chrysosthomo prouerbiali loqutione dictum est, quod non dumtaxat nudo nomine, verū etiam ipso facto os aureum habuerit? Cur, quæso, D. Augustinus, Paulum in ore & Cathedra audire & videre exoptauit, quē, ob suauissimam ipsius eloquentiam, atque grauitatem Athenienses, tamquam Deum Mercurium venerari voluerunt, nisi Eloquentia in Ecclesia nullo honore digna, aut vsui esset?

Sed & nunc de materia & subiecto Rhetorices heic quædam mihi dicenda sunt, quæ, iuxta opinionem Gorgiæ Leontini, apud Platonem, & Ciceronis, in Oratore suo, iuxta decorum decentemque sermonem & Compositionē, omne, quod modo ipsi proponitur, complectitur. *Materia & Subiectum Rhetoricæ.*

Iuxta Hermagoræ sententiam sunt illa omnis generis caussæ & quæstiones; secundū Hermogenem & Quinctilianū cui vt plurimi adstipulantur, solummodo caussæ Ciuiles sūt, quæ, aut in genere Deliberatiuo, veluti in Scholis vulgo nominari solet, vel Demonstratiuo, aut iudiciali proponendæ sunt: Ex quibus generibus postea omnes species & partes Oratoris alicuius desumuntur.

Iuxta illud Rhetorica quoq; partes officij alicuius Oratoris

commonſtrat, inuentionem videlicet, Diſpoſitionem, elocutionem, memoriam, & Pronunciationem.

Docet præterea quomodo Oratio iuxta quæſtionem dirigenda fiet? quomodo itidem quæſtiones diuidendæ, nimirum in finitas, & infinitas, quomodo ex quæſtione cauſſa exoriatur: quot cauſſarum genera fient: vtpote ante commemoratæ illæ tres Demonſtratiuæ nimirum, Deliberatiuæ, & iudiciales.

Simili etiam modo indicat quomodo cauſſæ in ſpecie diſtinguendæ, & quæ honeſtæ, dubiæ, minus honeſtæ, vel humiles fient. Item, quod primus cauſſarum conflictus ſtatus appelletur: quod illæ fient triplices, Coniecturales vtpote, definitionis & qualitatis. Docet etiam quomodo exordium alicuius orationis formandum inſtituendumue, iuxta binas ſuas partes, Principium & Inſinuationem videlicet, quibus auditor beniuolus redditur, & excitatur: Vbi ſimul conſiderandũ eſt, ne oratio nimis vulgaris, vel longa fiet; aut alias etiam regulis & præceptis Rhetoricis forſitan aduerſetur. Docet præterea ars iſta, qua ratione nimirum cauſſa quælibet ſpecifice & ordine recenſenda fiet. Sunt enim quatuor narrationũ ſpecies, vtpote fabularis, quæ ex veteribus notiſque fabulis deſumitur: Fictilis, quæ fingitur & ad cauſſam rite applicatur: Hiſtorica, quæ ex veris hiſtorijs deſumitur: & Ciuilis, quæ ſimiliter modo certas regulas complectitur, vtque nimirum clara & dilucida, breuis, probata, & grauis fiet.

Simili quoque modo ars iſta docet, quomodo videlicet aliquis cauſſam ſuam confirmare debeat, omnis generis argumẽtis nimirum, quemadmodum illa, ex ipſa cauſſa eiuſdemque circumſtantijs deſumuntur. Similiter & quomodo aduerſarij obiectiones & rationes ponderandæ refutandæque fient: Et quomodo, vice verſa, eiuſdem ſui aduerſarij verba amplificare, commiſerationem vel iram apud auditores excitare, & tandem breui repetitione, quæ antea ab ipſo dicta ſunt, concludere debeat. Per illam ipſam aliquis informare, moram nectere, & commouere poteſt, id

quod precipue elocutione perficitur: quæ etiam, iuxta suam doctrinam, aut naturaliter, & communibus, atque intelligibilibus, vel figuratis & allegoricis sermonib. fieri debet. Nominantur autem istiusmodi figuræ tropi, qui quandoque vnico in verbo, vel in tota aliqua sententia aut sermone hærent. Docet denique Rhetorica nostra quo videlicet modo, quibus verbis, sermonibus, & gestib. auditorum adfectus flectendi & commouendi fient, idque vel ad attentionem, indignationem, aut ad commiserationem condolentiamque erga reum. Et hæc est virtus, efficacia & operatio mirabilis, & pene cœlestis illius artis Rhetoricæ, qua animi commouentur, corda emolliuntur, anima vincitur, commoti commorantur, & ira sedatur. Consolatur præterea illa, spem excitat, auditorum corda fræno quasi coercet, animos, concupiscentias, voluntates, & cogitationes hominum, quo vult, flectit, non secus ac si violenta firmissimaque aliqua catena eosdem duceret.

Rhetorica & Eloquentia impugnatores.

Nihilominus tamen interim Isocrates apud Platonem demonstrat, quod commemorata ista Eloquentia nulla ars neque scientia, sed celeritas & subdola aliqua calliditas in loquẽdo, neque adeo laudabilis, veluti prædicaretur, sed multo potius, turpis, præiudicialis, & nefaria adulatione omnino referta fiet. Equidem Lacedæmonij neutiquam insanierunt, dũ Rhetoricam reijciendo dixerunt, quod candidi alicuius viri sermo, vel oratio, non ex arte, sed veritate, non ex fucato illitoque aliquo ore, sed ex synceiro corde promanare debeat. Romani quoque tarde satis illam in vrbem suam receperunt, vtpote apud quos, fucatorum ornatorumque mendaciorum adulationumque caussa, haud immerito suspecta fuit. Nemini præterea vitio vertendum est, si fallendi istam celeritatem nõ bene tractare possit, & quandoque à dicaculis istis vincatur. Sic Archidamus, Enapio teste, minime tristabatur, quod ipsũ Pericles Sophista vicisset, sed, vice versa, semper de certamine isto loquebatur, non secus ac ipse victoriam obtinuisset: multo honestius quoque ipsi erat, quod cum ipsa veritate succubuisset, quam vt, cum Sophistico

eo illo Pericle eiuſdemq; nugis & mendacijs victoriam ab illo reportaſſet. De Carneade refert inter alia Plinius, quod videlicet nemo, dum ille argumentari inciperet, verum, vel falſum album, aut atrum cognoſcere potuerit: vtpote, qui vno die iuſtam aliquam cauſam obtinere, altero autem die eamdem iterum impugnare potis erat.

Vnde etiam Euripides, artem Oratoriam arcanam quaſi tyrannidem eſſe, affirmabat. Ita quoque Æſchylus nihil in viro aliquo turpius eſſe dicebat, quam ſi tam blandis, ornatis, fucatiſque verbis vteretur. Licet etiam Cato Cēſorinus quater accuſatus fuiſſet, nihilominus tamen ſeptuagies & ipſe accuſauit, omneiſque ſuos accuſatores periculo atque inclementiæ inuoluit.

Similiquoque modo Caſſii, Brutij, & Gracchi Romæ eloquentiſſimi quidem fuere homines, quas autem, obſecro, Tragœdias Romæ loquacitate ſua inſtituerunt. Cato Vticenſis Oratione Cæſarem irritabat, atque hoc modo totius Reipublicæ libertatem in extremā anguſtiam perniciemque præcipitabat. Sic Cicero Orationibus ſuis Antonium adeò commouit, vt non dumtaxat de eo, verum etiam de vniuerſa ſua Patria vindictam ultionemque ſumere conaretur, Itaque Rhetoricam aliquis non adeo mirum in modum extollere poterit: In commemoratis illis exemplis ſiquidem manifeſto deprehenditur, quam pernicioſa videlicet illa fiet, præſertim ſi maliuolo alicui homini in manus incidat. Quocirca Marcus Cato Romanis non immerito ſuadebat, vt videlicet ſibi à tribus illis Oratoribus, qui Athenis venerant, Carneade videl. Critolao, & Diogene, maxumopere cauerent, eoſdem minime audirent, ſuæque cauſſæ probe inuigilarent, ne forſitan per eorumdem perſuaſiones æque tam ad iniuſtas, quam iuſtas cauſſas decidendas commouerentur. Simili quoq; modo ijſdem Romani, quemadmodum Suetonius inter alia commemorat, Rhetores ſecūda vice, tamquam pernicioſos & Reipublicæ infeſtos noxioſque homines, publico edicto vrbe ſua excluſerunt: Athenienſes vero eoſdem quidem tolerarunt, nihilominus tamen

ijſdem

ijsdem forum iudiciale interdixerunt, vtpote, qui ad Iustitiæ inuersionem quandoque non leuem ansam occasionemque præberent. Similiter & Timagoram securi percusserunt, ob adulationem, cuius coram Dario Rege, indecora aliqua, vti quidem ille sibi persuadebat, oratione insimulatus fuisset. Sic Lacedæmonij Ctesiphontem non diutius secum tolerare voluerunt, quod, se integrum diem de vna eademque materia, qualis, qualis etiam ista esset, decore & credibiliter disserere posse, gloriatus fuerit.

Si quis autem de Rhetorica plura scire volet, is lectu familiarem sibi reddat Hieronymũ Capidorum, M. Fabium Victorinum, Strobeum, Vectorem, Pisanos, Hieronymum Mascherum, Mantuanum, Martinum Breicchemum, Iohannem Riuium, Iulium Cœlium, Iulium Seuerianum, Marinum Capellam, Cœlium Calcagnium, Cyprianum Soarium, & plureis alios, qui ea de re satis superque scriptitarunt. Et hæc etiam à nobis hocce nostro in Discursu satis superque dicta sunto.

IN

IN DISCVRSVM XLV.

ADNOTATIVNCVLA.

EXimiam veræ Eloquentiæ laudem Petrus Victorius libro quarto, capite vndecimo, variarum suarum lectionum recenset: cuius elogium reperitur etiam in Seminario Philosophiæ Bernhardi, apud verbum Eloquentia & Rhetorica, De eadem legantur præterea Demetrius Phalerius, Longinus, Fortunatianus, Petrus Romanus, Iohannes Sturmius, Iason Denores, Granata, & Cardinalis Valerius: quemadmodum etiam Rhetorica, quam Weckerus artificiosissime tabulis complexus est, commodissime legi poterit.

DE AVCTORIBVS, SIVE Librorum Scriptoribus.

DISCVRSVS. XLVI.

Primus librorum scriptor quis.

LVES Scriptoria hodierno nostro tempore tam altas hinc inde radices egit, vt quiuis ferme nunc libros scriptitare, in Bibliopolio latitare, atq; exinde nomen aliquod sibi comparare conetur, adeo vt tam docti, quam indocti, rerumque imperiti in genere scribendi stimulo supra modum, & ad nauseam vsque, agitentur, Illud autem, scribendi studium iuxta Diogenis Laertij opinionem, Anaxagoras, vel quemadmodum Gellius, libro sexto, contendit, Pisistratus, inchoauit.

Si quis igitur ea de re certam

infallibilemque veritatem nosse velit, certo tunc est certius, quod aut Hebræi, vel Ægyptiaci Sacerdotes eius rei primum fecerint initium, quos postmodum omneis relliqui Scriptores, in hodiernum vsque diem, subsequuti & imitati sunt.

Duplex scribendi studium. Ad illud autem studium Scriptores isti duplici potissimum amore accendantur, & quorum Diuus Augustinus, in libris suis de Ciuitate Dei, mentionem facit: vtpote *Amore Dei*, vt ipsius nomen in vniuerso terrarum Orbe innotescat & sanctificetur: atque *Amore proximi*, vt videlicet ille ad eumdem amorem aliasq; honestas vtilesque scientias promoueatur.

In ambobus istis amoribus Scriptores illi intrinsecus quasi ardeant, si alios recte & vtiliter ad eumdem illum amorem scientiasque incitare velint. Itaque etiam ad Prophetam ita dictum fuit: Fili hominis, sta super pedes tuos. Quibus verbis Dei Spiritus ipsi quasi innuere & significare voluit, vt alios erigens, & ipse quoque erectus stare necessum habeat. Vice versa vero eorum permulti sane reperiuntur, qui non ad proximi, siue alterius cuiusdam, sed multo potius proprium suum honorem respiciunt, vt hoc modo nomen gloriamque sibi apud Posteros comparare possint, & omneis videant, quod & ipsi quoque adfuerint, atque aliquid in medium adferre potuerint.

Quidam hac in re, priuato suo commodo emolumentoque inuigilantes, stolidum mundum decipi velle, & Typographos cottidie reb. nouis inhiare animaduertentes, ipsis ambas, vti dictitant, manus officinasq; Opusculis suis Chartaceis implent, nec leuidense quidem pretium pro ijsdem ab illis exigunt: de quibus tamen olim ita cecinit Horatius:

Deferar in vicum, vendentem thus & odores,
Et piper, & si quid Chartis amicitur ineptis.

Et hinc, credo, natum est, quod etiam ipsorum Materies tam diuersæ fient. Primi enim tales res scribunt, quæ ad beatam æternamque vitam consequendam faciunt, quibus illarum lectores in fide, spe, patientia, & Charitate instituuntur atque con-

cõfirmantur, quemadmodum etiam illud apud omneis eos reperire licet, qui de sacra ista materia scripta sua grata cum posteritate communicarunt: De quibus D. Augustinus quodam in loco recte ait: Propter fidem, spem, & charitatem fouendam omnium sacrorum librorum machinamenta consurgunt. Et sane Scriptores illi, quemadmodum etiam D. Augustinus permittit, fieri posse asseuerant, vt hac ratione proximus in Grammarica, Dialectica, & Rhetorica, in historijs quoque, vbi miranda *Dei Ter Optimi Maximi* prouidẽtia indicatur; Medicina, Geometria, Physica, alijsque in scientijs erudiatur, attamen ea ratione, vt videl. inutiles minimeq; necessariæ quæstiones intermittantur, & ne idem illis accidat, de quo Seneca quodam in loco conqueritur: Necessaria, inquit, nesciunt, quia superflua didicerunt. Ante omnia vero Theologia ipsorum Scopus est præcipuus, quæ verus fasciculus Myrrhinus est, quem Sponsa Christi in manibus atque sinu suo ad suauem aliquem odorem gestitat: vna illa quoque amabilis & mansueta columba est, qua illi sese quasi recreare solent. Alij vero plerumque in scriptis suis res friuolas, subtiles, præposterasque tractant, modo vt immundum mundum istis suis vanis ineptijs exhilarent; quibus tamen anima & animus neutiquam reficiuntur, vel emendantur. Licet etiam vana ista opuscula extrinsecus summis titulis exornata sient, insignemque aliquam grauitatem spirent: nihilominus tamen omni medulla & liquore carent, sed solummodo omni vanitate, & temeraria recreatione refertæ sunt, in quorum lectione tempus Nobilissimum, quod tamen multo melius collocari potuisset, frustra & temere insumitur.

In forma & ordine, vel etiam argumento librorum primi illi, maiori quidem ex parte, omne illud, quod modo aliquis exoptare posset, complectuntur, verissimam videlicet iocunditatem, recreationem, atq; voluptatem, cum inexhausta lectorum vtilitate coniunctam. Id quod non in exiguum ipsorum honorem vergit, præsertim si heic tali quidem moderatio-

ne vtantur, vt lector exhilarari, atque ab omni molestia atque indignatione detineri queat: Certo enim certius, quod Horatius quodam in loco ait:

Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci.

& ad illud quoque à Spiritu S. qui etiam Spiritus est lætitiæ, impelluntur. Alteri vero sæpenumero iocundam sane vtilemque aliquam auctoritatem libris suis conciliant, qui tamen nihilominus vero gaudio & recta vtilitate destituti sunt.

I. *Suauitas cum vtilitate cõiungẽda.* Ad primos illos igitur, quod attinet, probe ipsis notandum est, quomodo videlicet vtilitatem cum suauitate coniungere, easdemque hoc modo conseruare debeant. Id quod quatuor potissimum modis fieri solet.

Primo, si Scriptor vna vice non multa simul tractanda suscipiat, & laborem labore cumulet, quasi omnia vno in Discursu, & vnico quasi spiritu, quemadmodum Hippias facit apud Platonem, eructare velit: Ex eo siquiqem nihil oriri potest aliud, quam turpis aliqua confusio, vbi omnia simul confunduntur, & nihil ad lectoris commodum vtilitatemque redundet, etiamsi multum temporis legendo lector triuerit. Id autem fit propter multifarias illinc necessario intercurrentes digressiones, quibus lector adeo perturbatur, vt etiam neq; lectionis suæ initium, neque eiusdem finem norit: Itaque sæpissime verum fit, quod ante commemoratus Horatius dixit:

—— Amphora cum cœperit institui,
Currente rota, cur vrceus exit?

Quo dicterio eos Poeta irrisit, qui sane multa vno eodemque tempore simul tractanda suscipiunt, & nihilominus tamen in fine paucis dumtaxat contenti esse coguntur. In quo sane Poetæ & Historici sese quoddammodo excusare conantur, quod plerumque multa simul tractare, & hac in re textores imitari necessum habeant, qui simili modo, si filum pannumq; absoluere velint, ab vno latere ad aliud sese conuertere cogantur. Quocirca, vti ex ipsorum scriptis liquet, quandoque ex Europa in Asiam transiliunt, ne, vti dictum, scripta sua aut mu-

tilent,

tilent, sed ad maturitatem perfectionemque suam perducant.

II. Secundo, si Scriptor omnia obsoleta nulliusque valoris & auctoritatis verba summo studio euitet non secus ac illa, quæ nimis trita sunt ac vulgaria: vtpote quibus sermones ipsorum aut obscurantur, vel minime intelliguntur, aut, tamquam nimis vulgares, omnino irridētur; vtpote si quis in lingua Italica illa verba, *Gente*, *Guari*, *Tallotta*, aut id genus alia in medium adferre conetur, quę tamen hodierno nostro tempore à Politioribus Auctoribus haud immerito exterminata sunt. Et in latino Idiomate istiusmodi antiquitatibus sese exornare velit, quales hodierno nostro tēpore stolidos apud quosdam Antiquarios quamplurimæ re-[...]ur, quæ tamen à nemine intelliguntur: & prius omneis Commentarij perlustrandi essent, antequàm aliquis ex ipsorū scriptis eruere & intelligere posset. Heic enim illud obseruandum, quod Phauorinus dicere fuit solitus: Verbis, inquit, præsentibus vtendum, & moribus præteritis viuendum est.

Huc etiam pertinet, vt videlic. sermo & Oratio certum decentemque suum modum habeat, & Periodi in recta proportione concludantur. Ante omnia vero necessum quoque est vt omnia in dilecta breuitate comprahendantur, nihil tamen in modo dicta ista breuitate omittatur. Nam, vt bene heic iterum noster Horatius:

——*Dum breuis esse laboro*
Obscurus fio, &c.

III. Tertio, si Scriptor aliquis moderatam decentiam & decentem moderationem vsurpet, non omnia simul & temere effutiat, quicquid in sua sub manib. habente materia dici posset, sed aliquid post se rellinquat, vt & Ruth suas quoque spicas colligere possit, alijque, captata occasione, sese quoque in illis exercere valeant. Obscura Caliginosaque dicta omnibus suis circumstantijs ordine riteque explicare, neq; tam cito aliquid, quemadmodum canis aliquis locum, in quo verberibus aliquando male mulctatus fuit, præterire, in claris & dilucidis vero seipsum non nimium detinere debet.

VI In vtraque autem certus legiti-

gitimusque modus obseruandus, & exemplum in semine sumendum est, quod nimis crasse seminatum exiguum fructum profert, cum vnum alterum suffocet.

Si vero ager nimis ieiune seminetur, tunc infelix lolium locum occupat, bonum semen superat, aut ad minimum tenuis messis exspectanda est, vnde etiam Horatius noster porro ait:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines.

Quocirca summopere sibi istiusmodi Scriptor cauere debet, ne fortassis idem ei accidat, quod hodierno nostro tempore Philosophis plerumque obuenire solet, qui de rebus friuolis nulliusque momenti, & de vacuo, disputantes interim omnem suum intellectum euacuant, quo tamen alijs in rebus melius vti possent: rixantur aliquando de infinito, & interea infinitam suam summa cum ignominia coniunctam stultitiam ipsi produnt.

IV. Quarto, Scriptorem talem certum decentemque ordinem obseruare, suisque diuisionibus ordine procedere oportet. Nã, quemadmodum S. Ambrosius ait, scire, quid facias, & nescire, quo ordine id facias, non est perfectæ cognitionis. Est autem Ordo, quemadmodum Cicero lib. 1. Officiorum testatur, nihil aliud, quam decora earum rerũ coniunctio, quæ bene inter se conueniunt: vel veluti Baldus, in consilio de Schismate, perquam scite ait, expressa essentiæ rei alicuius figura.

Quinto, Verax itidem Scriptor esse cogitur, præsertim si Historiam aliquam scribere conetur. In Poemate vero, etiamsi minus arcte ad veritatem alligatus fiet, nihilominus tamen eidem adeo studeat, vt verum scripsisse exinde appareat. Sin in scientijs aliquid ipsi scribendum est, tunc easdem certis rationibus atque fundamentis semper fulcire oportet. Sin de artib. scribat, tunc easdem certis experimentis vel probis cõfirmare necessum habet. Si de Dialectica vel Rhetorica, tunc semper certas gratasque & acceptas auctoritates & exempla introducere cogitur: falli enim nequit lector, illaque scripta eo legit lubẽtius, quæ suis demonstrationibus probationibusque minime destituta sunt, aut ad V.

mini-

minimum bona ratione tuentur atque defenduntur. Istæ autem res plerumque per puritatem cordis, integritatem (summamque, quam adhibere Scriptor necessum habet, diligentiam) exercitati alicuius animi comparantur. Cordis animique, inquam, puritas summopere requiritur. Quemadmodum enim aliquis in turbato aliquo fonte imaginem suam videre nequit, ita quoque in impuro, & per affectus sensuales perturbato animo sapientiam homo cognoscere, multo minus alijs eamdem commonstrare nequit.

Iccirco Carneades, perceleberis ille Philosophus, veluti Historiarum monimenta testantur, spiritus suos semper elleboro purgabat, antequam aliquid scriptitare incipiebat. Eadem de caussa Marsilius Ficin⁹ studijs vere incumbere volentibus suadet, vt videlicet corporalem suam valetudinem diligenter curent, cum multum intersit, vt etiam spiritus hominis in puritate & tranquillitate sua conseruentur. Summa quoque heic diligentia, vti diximus opus est, ad quam non modicum, dumtaxat tempus & exercitatio requiruntur, ne videlic. Scriptor aliquis forsitan abortum, sed verum maturumque fructum in lucem proferat: Nihil enim rerum, quemadmodũ Quinctilianus ait, ipsa Natura voluit magnum fieri cito, præposuitque cuique operi pulcherrimo difficultaté. Id quod Plinius exemplo elephantum testatur, de quibus ait, quod nimirum per 10. annos integros fœtus suos in vtero suo ferant antequam ipsos excludant; etiam Aristoteles illis duos dumtaxat annos tribuat. Ipsa dein necessitas quoque requirit, vt videlicet scripta sua non dumtaxat denuo relegat, formet, atque, quemadmodum vrsus catulos suos, reformet, sed etiam, antequam illa publici iuris faciat, doctorum virorum censuræ eadem subijciat, nulloq; vmquam tempore vjrib. suis proprijs & intelligentiæ confidat, eo ipso siquidem multi turpiter falluntur.

Multos quoque auctores Scriptor diligenter lectitare necessum habet, ex quibus, veluti sedula aliqua apicula ex florib. succum & medullam quasi legit,

git, elegantissima subiecta & sententias colligat, easdemque idoneis in locis ordine decenterque adplicet, non quidem vt sese, Horatianæ monedulæ instar, meris peregrinis plumis ornet, sed multo potius vt videatur ipsum non omnia suo ex capite deprompsisse, & suæ opinionis atque sententiæ bonas auctoritates habeat. Quemadmodum etiam optumi præstantissimique quique Philosophi nullis vmquam laboribus neque sumptibus pepercerunt, modo vt aliorum Doctissimorum Clarissimorumq; virorum scripta sibi comparare atque lectitare possent. Postquam enim Plato, quemadmodum Aulus Gellius inter alia commemorat, à Dione Syracusano decem denariorum millia dono accepisset, eosdem nullum alium in vsum conuertit, sed pro ijsdem Philolai, Pythagorici alicuius Philosophi, libros sibi comparauit.

Simili quoq; modo Aristoteles, quemadmodum idem ille Gellius testatur, tribus talentis Atticis Speusippi libros coemit, vt ijsdem requirente rerum necessitate vteretur.

Scriptor in generi ipsorum adeo Auctorum in spec e or modum & vtilitas.

Similiter & fructus, quem Scriptor aliquis de libris scriptisq; suis percipit, neutiquam contemnendus est, vt nunc taceam quanta commoditate vtilitateque scriptorum librorumque lecto es fruantur. Inter alias innumerabiles fermo illa sane non est minima, quod scriptorum librorumque beneficio multæ, res præclaræ laudabilesque immortalitate beentur, atque per vniuersum terrarum Orbem disseminentur, id quod etiam ipsi Auctori (cui haud immerito iustæ decentesque grates persoluēdæ) in summam cum immortali gloria cōiunctam laudem vergit, vtpote cuius nomen apud omnes viros vere literatos inclarescit magnique merito æstumatur. Singularē prætereà emphasin scripta habent, & voci viuæ, quæ quidem plus operatur, & magis commouet, in eo præferuntur, quod vox illa facile tædiū molestiamque creet, & cito euanescat, scripta vero perpetuo durent, nullique, modo bene formata eleganterque complexa fient, pariant tædium & molestiam, cum vice versa, Orator auditores aliquantulum deti-

neat

tineat moramque nectat. Scriptor & Auctor insuper scriptis suis omnibus in locis sese facit conspicuum. Mox siquidem forum obambulat, nunc vrbem ingreditur, iam hanc vel illam regionem aut prouinciam peragrat, variosq; homines offendit, & apud sibi charissimos lubentius commoratur, cum omnibus loquitur, ridet cum singulis, omneis exhilarat & recreat, nutrit eruditos, rudes rerumque imperitos excitat, iuniores instituit, robustiores domat, Seniores lactat, trepidis animū addit, probos conseruat, malos repræhendit. In Summa vniuersum mundum perreptat, & apud omneis singulosque gratus & acceptus est. Iuxta illa omnia peculiarem quoque de scriptis suis voluptatem auctor capit, quæ tamquā liberos amplectitur, in sinu suo eadem gerit, loquitur ac ridet cum illis, ac ista vicissim cum illo: nunc ab eo recedunt, mox ad illum reuertuntur, atque ab illo denuo exosculari amplectiq; volunt. Idem illud tua etiam scripta faciunt, manib. tuis illa libenter tractas, arrident, teque tuasque concupiscentias recreant. Etiamsi quoque aliquando seponi sese patiantur, nihilominus tamen ad te iterum recurrunt, quos etiam lubentissime iterum recipis, perlustras illos, ijsdemque, tamquam iucundissimo aliquo tui ingenij fœtu semper delectaris. Talem porro scripta & libri vtilitatem pariunt, vt Scriptoris & Auctoris alicuius intellectus acuatur atque cottidie eo magis magisque excitetur: iuxta illud quod videlicet alijs in Scriptis multæ res inueniantur, quas ad suum auctor commodum emolumētumque idoneis in locis applicare, magnamque nominis sui famam atque gloriam comparare potest, adeo vt breui temporis spacio quosuis in sui admirationem rapiat. Ex altera parte & lector quoque non exiguam sane vtilitatem exinde capit, quod videlicet omnis tædij molestiæque obliuiscatur, turpe otium diuitet, quod sæpenumero hominum animos ad diuersa scelera atque flagitia impellit, melancholicos humores consumat, qui totum hominis corpus onerāt, ex librorum lectione summam lætitiam recreationemq; hauriat, seipsum

 recreet,

recreet, omneisque adeo internas vires spiritusque suos exhilaret atque excitet.

Magna librorum Scriptorumque vtilitas.

Summa & præcipua vero vtilitas hæc est, quod videlicet tam Scriptor, quam Lector planam rectamque viam ad virtutem, honestatem, pietatemque inueniat, dum laudatissima Veterum exempla intuentur, pios ipsorum sermones audiunt, eorumdem facta considerant, ad illorum imitationem quasi inflammantur.

Minime itaque aliquis mirari debet, quod nimirum pia laudabiliaq; Scripta etiamnum hodie à pijs syncerisque animis tanti æstumentur atque honorentur, cum etiam & ipsi profani auctores tanto honore & amore apud multos habeantur: præsertim autem Theophrast°, qui trecenta Volumina conscripsit. Chrysippus, qui septuaginta libros edidit: Seruius Sulpitius, qui centum & octuaginta libros de iure Ciuili diuolgauit: Ateius Capito, qui sexaginta Volumina iuris fecit publici: Empedocles, qui quadraginta tres libros composuit: Galenus, qui centum & triginta, Aristarchus, Aristophanis, Grammatici discipulus, qui plus mille libros, vti ferunt, cõscripserunt.

Quid igitur nunc de Christianis Scriptoribus heic dicemus, qui vniuersum terrarum Orbem vtilissimis sanctissimisque suis libris impleuerunt, vtpote de Beda, qui triginta libros in Scripturam sacram scriptitauit: de Origene, de quo S. Hieronymus ait: quod sex librorum millia conscripserit: de Augustino, cuius libri ferme sunt innumerabiles, & de quo Isidorus vere ait, quod nimirum homo ad dies vitæ suæ vix legere, multo minus scribere valeat? Et hæc honesta laudabilisq; illa est vtilitas, atque gloria, de qua pij Scriptores haud immerito gloriari, atque exinde sese recreare poterunt.

Scriptorum errores vitia.

Vice versa vero illud in Scriptoribus neutiquam laudandum est, quod sæpenumero præstantissima excellentissimaque ingenia tam nullius pretij materias pertractandas suscipiant, Pythagoras videlicet, qui integrum Volumen de bulbis scriptitauit: Phanias Physicus, qui vrticas in Volumine aliquo laudauit: Democritus, qui itidem ingens Volumen de numero Quaternario post se relliquit:

quit; quemadmodum etiam iſtiuſmodi reperiuntur ingenia, quæ ſaltim ex ridiculis nugis atque ineptijs voluptatem recreationemque ſuam capiunt, vti videre eſt in facetijs Piouani Arlotti, Gonelli, Macaronicis Merlini Cocci, atque omnib. ferme operibus impuri ſpermologiq; iſtius Aretini. Simili quoq; modo multi laudare conantur, quod tamen numquam laude dignũ eſt, quemadmodum Polycrates & Iſocrates Buſiridem, nefandiſſimum crudeliſſimumque iſtum tyrannum laudibus extulerunt: veluti Glaucus, qui iniuſtitiã publico in ſcripto laudare minime eſt veritus: vt Fauorinus, qui quartanam febrim & Hortenſius Landus, qui ſubtilia iſta Paradoxa contra diuitias, libertatem, aliaſq; res, quas tamen homines impulſu naturæ habere deſiderant, laudibus præconijſque ſuis extollere conati ſunt. Quidam conuitijs, probris, atque calumnijs delectantur, veluti Nicolaus Francus vna cum Præceptore ſuo, & inuentor Sphæræ Scriptorum. Quibuſdam nihil tam impium blaſphemumque obuenire poteſt, in quo non ingenium ſuum oſtentare conentur, quemadmodum hæreticorum Scripta locupletiſſimũ eius rei præbent teſtimonium, quæ quanto maiores ipſorum ſunt blaſphemiæ, tanto artificioſius & ingenioſius eaſdem tueri conãtur. Quædam etiam ſcripta omnino prophana ſunt, quemadmodum Mahometis Alcoranus: quædam omnino falſa, veluti Cornelij Agrippæ de vanitate ſcientiarum liber, hodierni libelli famoſi, quibus vniuerſus ferme mundus refertus eſt: quædam rixoſa contentioſaque nimis, vt multi Poetarum rythmi, quorũ Muſæ, dum carmina ſua cudunt, cum cancris de arte amandi tractant: Quidam nimis obſcœni & impuri in ſcribendo ſunt, quemadmodum ille, qui, honore lectoris ſaluo latrinam in publico ad S. Marcum loco Venetijs laudib. extollebat, & alij ſimilis farinæ impuri papyrumque perdentes ſcriptorculi, qui ſane excellentiſſimis non deſtituti ſunt ingenijs, ijſdem tamen peſſimo more turpiter abutuntur. Iuxta illa omnia hodierni quidam Scriptores & hoc notati ſunt vitio, quod videl. ipſis nil, niſi ſuum, ſapiat, eumque in finem omnnis alios Scriptores ſcriptaq; cõtem-

temnunt, veluti Bauius & Mæuius, qui etiam ipsum Virgilium carpere & rodere neutiquã erubuerunt, modo vt hac ratione & contemptu inanem aliquam gloriolam consequerentur. Hodierno nostro tempore vitio illo nihil est vulgarius, idque tam inter Ecclesiasticos, quam Seculares: Quiuis enim Dominus Argus esse cupit, qui omnia & in suis, & aliorũ Scriptis vidit, suaque Scripta extollere, aliena vero carpere & contemnere nititur, donec ex Argo tali rudis aliquis Cyclops factus fiet. Etiamsi vero multa eius rei heic exempla allegare possem, nihilominus tamen, ne & mihi forsitan in capillos inuolent, ipsis parcam, & manum, vti dictitant, de tabula, vtpote qui certus sum, quod ipsis non per omnia placeam.

In ipsis quoque Compositionib. omnis generis defectus reperiuntur, qui tamen nullo modo omnino tacendi, & sicco pede prætereundi sunt. Hic enim quandoque nimis obscurus, alter copiosus, tertius satis indiligens, quartus nimis negligens, quintus nimis elatus, & sextus nimium humilis est. In Summa multi leuem aliquem errorem, quemadmodum illi opinantur, plerumque nauci æstumant, modo vt apud ignobile vulgus famam aliquam nomenque sibi comparent: commodum emolumentumq; suũ stolidos apud Typographos q̃runt; quibus omnia, quæ modo veneunt, adprobantur. In ipso insuper Titulo sesquipedalibus verbis vtuntur, aureosq; montes pollicentur, qui tamen ipso in libro meri mendaces deprehenduntur. Quanto magis vero promittunt, tanto magis etiam fallunt & decipiunt. In Dedicationib. præterea artẽ Gnathonicam adulationemque suam ingeniose testatam faciunt, & quomodo videlic. ex magno aliquo bubalo vel bubulco Excellentissimum Clarissimumq; Doctorem, ex priuato aliquo Nobilissimum, & vulgari communique quodam nobile Illustrissimum sæpenumero faciãt, adeo vt destillato suo cerebello Patronorum suorum titulos nõ satis ornare vel potius deformare possint.

Hæc tamen neutiquam frustra faciunt, sed plerumque à rerũ imperitis & simplicijs magnis honorarijs adficiuntur, pręsertim si se tam præstantes viros nomi-

nominari prædicariq; audiant. Apud rerum peritiores tamen exiguam gratiam merentur, quam equidem ipsis solis relli-ctam, Discursumq; huncce no-strũ nunc conclusum volumus.

IN DISCVRSVM XXXXVI.

ADNOTATIVNCVLA.

PHilippus Paracelsus etiam inter eos refertur, qui, ad promouendam Rempublicam literariam, multa Scripta grata cum posteritate communica-runt. De illo namq; Valentinus de Rhetijs quodam in loco ita scriptitat: Philippus Paracelsus: inquit, ex Nobili prosapia Sua-digena apud Eremitas Heluetiæ natus, à Stoicis Paracelsus Magnus vocatus; ducentos & triginta in Philosophia conscri-psit libros, & quadraginta sex in Medica solemnitate edidit, & duodecim de Republica emẽ-dauit, & septem in Mathemati-ca construxit arte: & tria opera in vnum simul composuit librũ qui Theophrastia nuncupatur: & sexaginta sex libros de occul-tioribus & abstrusioribus con-didit. Etiamsi vero, vti inficias ire nemo poterit, summarum stultitiarum vanitatumq; mul-ta millia in libris istis reperian-tur, & maiori ex parte à Thoma Erasto, excellentissimo Medico refutentur, nihilominus tamen cum malis simul etiam multa bona mixta sient: Iccirco eum-dem laude & honore suo neu-tiquam defraudabi-mus.

SVMMO

SVMMO DEO, VNI, ET TRINO, *pro Exantlato iterum secundæ Discursuum Garzonianorum, partis labore, summa Laus, & Gloria.*

FINIS.

